S. R. E. CARDINALIS

S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS ECCLESIÆ SERAPHICI

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA

AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIÆ REMENSIS

TOMUS OCTAVUS

PARISIIS

LUDOVICUS VIVÈS, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVI

Digitized by Google

Digitized by Google

175654
JUL -8 1913
BCJ
+B64
8

PRÆFATIONIS LOCO

Ex Prodromo ad Opera omnia S. Bonaventuræ excerpta quædam.

§ I. — Mystica theologia (*Prodrom.*, col. 677 et seq.).

Novissimi Editores aiunt [1], *Mysticam* hanc *Theologiam*, teste Oudino, exstare manuscriptam sub nomine Fr. Henrici de Balma Ordinis Minorum « in pluribus Galliæ bibliothecis, » concluduntque : « Nullum ergo dubium, quin Henrici de Balma fœtus sit, cum tot codices nobis testatum faciant. » Pace tamen eorum dixerim, bini codices laudati quodcumque dubium mihi non auferunt. Primo, quia de ipsorum ætate, deque Fr. Henrici nomine prima vel secunda manu posito non constat, id quod multo magis dicendum de existentibus in aliis Galliæ bibliothecis, quas Oudinus non nominat : secundo autem, quia præfatis codicibus opponuntur alii, verbi gratia, ex monasterio Dunensi in Belgio, et ex bibliotheca S. Severini Minorum Capuccinorum Hispelli in Umbria, forteque etiam alius bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis, necnon illi quos præ oculis habuisse necessum est Argentinenses Editores anni 1495, ut prænotarent : « Mystica Theologia Doctoris Seraphici sancti Bonaventuræ Ordinis Minorum, a quibusdam ascripta Henrico de Palma : a quibusdam, aliis : a pluribus tamen ascribitur sancto Bonaventuræ. » Profecto iidem Argentinenses Editores absque ope codicum manuscriptorum scribere minime potuissent : « Mystica Theologia, quæ licet Henrico de Palma ascribatur, Bonaventura tamen a pluribus ejus auctor asseritur : nam idem Fr. Henricus aliam prius confecerat, et quasi eamdem materiam tractaverat, sed longe alio stylo, propter quod sibi hæc Mystica Theologia ascripta fuit [2]. »

Quod autem spectat Codicem MS. apud Editores Romanos, Waddingus ipsum corruptum ostendit, intrusaque spectantia ad Ordinem Carthusiensium. Sic pariter in MS. Codice Benedictinorum Lunælacensium a nobis viso, intrusum est nomen *Beati nostri Benedicti* in prima Oratione *Stimuli Amoris*, alias ferente nomen *Beati Francisci*. Animadvertit insuper Waddingus, quod « Theodorus Petreius in sua Bibliotheca Carthusiana non audet hoc opus (*Mysticæ Theologiæ*) asseveranter Henrico tribuere, sed tantum ait, illud a nonnullis ei ascribi. » Monet præterea, Editores quoque Romanos *subdubitare* duntaxat;

[1] *Diatrib.*, pag. 112, hujus nostræ editionis tom. I, pag. LXVII. — [2] In exordio ipsius Tractatus, et in Tabula Opusculorum secundæ partis.

Digitized by Google

sed non subdubitasse Marianum, qui eumdem Tractatum in suo Indiculo refert, nec Hieronymum Gratianum Carmelitam, qui illum sub Bonaventuræ nomine hispanice reddidit, ac typis regiis Matritensibus publicavit : quibus adjecerim ego Anonymum Pistoriensem, et Marcum Ulyssiponensem, qui eumdem inter Opera Bonaventuriana recensent. Demum addit : « Stylum Operis nihil abhorrere a scriptione Bonaventuræ, et argumentum illud de tribus viis, purgativa, illuminativa, unitiva, esse Bonaventuræ familiare, aliisque in libris abundare sensibus anagogicis, qui hic sunt valde frequentes. »

Sed hæc omnia satis esse non arbitror, ut certum statuatur Bonaventuræ opusculum, tum ob præfatos duos MSS. Codices ferentes nomen *Henrici de Balma* Minoritæ Galli diœcesis Aquensis, tum ob testimonium Gersonis, librum hujusmodi *de triplici via* tribuentis modo cuidam *novello*, modo *Hugoni de Balma ;* tum ob aliud testimonium Ludovici Pruteni idipsum censentis; tum ob MS. Codicem inter Marianenses prope Venetias, eumdem librum ascribentem *B. Hugoni Carthusiensium, vel alii Doctori dicti Ordinis;* tum postremo ob stylum valde diversum ab alia certiore Mystica Bonaventuriana contenta in Opusculo, quod nedum *Incendium amoris, Itinerarium mentis in seipsam, Theorica Contemplationis*, etc., nuncupatur, sed etiam *Libellus de triplici via ad veram sapientiam.* Bartholomæus Pisanus loquens de *Fr. Hugone* Minorita, cujus corpus jacet Massiliæ, ait : « Hic composuit libellum *de triplici via in sapientiam perveniendi* [1] ; et infra, *Tractatum devotum de triplici via sapientiæ* attribuit *Fr. Hugoni de Provincia* [2]. Hic non dicitur *de Balma*, sed *de Dina*, clarus sæc. XIII exeunte. Num iste primus hujus *Mysticæ Theologiæ* auctor, ampliator autem Henricus de Balma, amboque scripserint ad normam Bonaventuræ *de triplici via sapientiæ?* Laudatur Henricus a Marco Ulyssiponensi, Waddingo, Arturo, Fortunato Huebero, et aliis. Fuit per 34 annos beatæ Coletæ Corbeiensis confessarius, obiitque Vesuntione in Gallia anno 1439.

§ II. — Summa de essentia, et invisibilitate, et immensitate dei (*Prodrom.*, col. 679.).

Hanc Summam non esse Divi Hieronymi, neque Divi Augustini, nemo unus est, in eorumdem novissimis editionibus vel leviter versatus, qui id ignoret. Recentior est ergo qui illam ex Eucherio archipræsule Lugdunensi desumpsit, nempe ex ejus *Libro formularum spiritualis intelligentiæ*, ubi Veranio filio suo, postea episcopo, formulas proponit spiritualis intelligentiæ nominum latinorum sacræ Scripturæ, explicando scilicet significationes eorum, atque figuras, ac inde spiritualem sensum eruendo [3]. Sed quisnam ille recentior, qui eam ita collegit? « Theologus scholasticus, scholæ terminis abundans, » inquit Waddingus [4]. Numquid Bonaventura noster ? Rursum Waddingus respondet : « Bonaventuræ tribuendum esse (hoc Opusculum) suadet Indiculus Mariani [5]. » An Waddingus unice in hanc sententiam descendit, quod a Mariano Florentino indicatum sit, uti novissimi Editores scripserunt, illud propterea inter ejus suppositilia rejicientes [6] ?

[1] Lib. I, *Confor.*, fructu 8, part. 2, fol. m. 77, col. 2. — [2] Ibid., fol. 81, col. 4. — [3] Vid. Theophil. Raynaud., *Oper.* ejusd. tom. III, pag. 48, et Philipp. Labb., *Dissert. histor.*, apud Bellarmin., *de Scriptorib. Eccles.*, pag. 160, edit. Ven. 1728. — [4] *De Scriptor. Ord. Min.*, pag. 79, col. 2. — [5] Ibid. — [6] *Diatrib.*, pag. 100, huj. nostræ edit. tom. I, pag. LIX.

Digitized by Google

Nequaquam, utpote e vestigio subdens : « Editio Argentinensis anni 1495 (etiam suadet), aliæque subsequentes, necnon similis per omnia alter ejusdem Bonaventuræ Tractatus, quem inscripsit : *Declaratio terminorum Theologiæ*[1]. Exordium utriusque Operis idem est : « Omnipotens Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus est Deus, » etc. Et in utroque per multas periodos Dei attributa prosequitur : ex quibus sciolus aliquis laxum longumque titulum apposuit. Potius ita ad modum alterius supradicti Opusculi inscribendum esset : *Declaratio eorum, quæ Deo in sacris Scripturis attribuuntur.* » Itaque malim cum præstantissimis Editoribus Romanis dicere *incertum*, quam cum novissimis omnino *supposititium*. In allegata Editione Argentinensi non dicitur certo Bonaventuræ, sed inscribitur : *Summa S. Hieronymi de essentia, et invisibilitate Dei, quæ ascribitur sancto Bonaventuræ*, eo quod forte illam Bonaventura junior compilarit ex Hieronymo, seu potius ex laudato Eucherio, sicut junior certius compilavit ex aliis antiquioribus *Amatorium*, *Soliloquium*, Opusculum *de quatuor Virtutibus Cardinalibus*, etc.

§ III. — Compendium theologicæ veritatis (*Prodrom.*, p. 689 et seq.).

Certe non est divi Bonaventuræ; cum enim et ejus *Breviloquium*, et *Centiloquium* rationem habeant *Theologici Compendii*, nimis ipse multiplicasset hujusmodi compendia si præsens quoque edidisset[2]. Quamvis autem Bonaventuræ non sit, nihilo tamen secius ita conforme visum est Bonaventuræ doctrinæ, ut ejusdem Bonaventuræ nomine, cum in nonnullis editis, tum manuscriptis prænotari meruerit. Ea enim, quam novissimi Editores objiciunt, dissonantia cum Bonaventuriana doctrina circa vim circumcisionis, conferendamque gratiam, purum putumque est eorumdem commentum, fundatum in corruptione textus per omissam particulam *non*, ac per ejusdem textus detruncationem. Ipsi namque auctorem prædicti Compendii sic loquentem inducunt : « Sacramenta novæ legis sanctificant et quantum ad opus operatum, et quantum ad opus operans : sed sacramenta veteris legis justificant solum quantum ad opus operans, quia non valebant facientibus, nisi quantum illorum charitas et devotio fidei extendebatur. Hoc intelligitur de circumcisione[3]. » Auctor tamen Compendii minime adseverat : *Hoc intelligitur de circumcisione*, sed apertissime contradictorium pronuntiat in textu apud ipsos Editores excuso, inquiens : « Hoc non intelligitur de circumcisione, quæ cum non fuerit in lege data, nequaquam inter legalia computatur : quia ipsa in parvulis tollebat originale peccatum, et gratiam conferebat, quod non faciebant legalia[4]. » Quæ quidem apprime consentanea sunt iis, quæ de eadem circumcisione sciscit noster Bonaventura, videlicet, quod « circumcisio conferebat gratiam habilitantem ad bonum[5]. » Ubi ergo est illa *dissonantia*, quæ *evidenter deprehenditur* in citatis verbis? Ubi, rogo, a sententia auctoris Compendii longe distat Bonaventura? Cæterum repeto, hujusmodi Compendium non est divi Bona-

[1] Declarationem hanc nequidem Editores novissimi ausi sunt inter *supposititia*, sed tantum inter *incerta* referre. — [2] Debilis quidem ratio, cum, fatente ipso auctore Prodromi, familiare sit Doctori Seraphico eadem argumenta diversis sub respectibus retractare. Adde, quod plurima sint in præsenti Compendio, quæ alias frustra quæsieris. A. C. P. — [3] *Diatrib.*, pag. 95; huj. nostræ edit. tom. I, pag. LV. — [4] Lib. VI, c. VIII, tom. VII, pag. 173, huj. nost. edit. et tomi, pag. 206. Ibi etiam non legitur *extendebatur*, sed *se extendebat*. — [5] Lib. IV, *Sent.*, dist. I, part. II, art. 2, q. III, in concl., huj. nostræ edit. tom. V, pag. 279.

Digitized by Google

venturæ, neque Fr. Joannis Rigaldi Ordinis Minorum, uti scribit Oudinus. Illud enim Rigaldi exorditur : *Veteris*, *et novæ Legis*, istud autem : *Veritatis Theologicæ*. Est ergo Fr. Petri Thomæ Ordinis Minorum. Suffragatorem habeo meæ sententiæ P. Sbaraleam ita dicentem : « *Compendium Theologicæ Veritatis* est Fr. Petri Thomæ Ordinis Minorum, qui plura a sancto Bonaventura accepit. » Plura autem a sancto Bonaventura accepisse probatur ex iis, quæ in censura de auctore hujus Compendii edit. Ven. 1578 per Fr. Joannem de Combis Ordinis Minorum habentur. Dicitur enim, quod « sicut videre est in ejus (scilicet Seraphini Bonaventuræ) Opusculis, paucis mutatis, paucioribusque additis, hæc eadem ad verbum in illis leguntur. » Probatur insuper ex iis, quæ in Argumento Romani Editores observant, dicentes : « Divisus est iste Tractatus juxta divisionem Breviloquii in septem libros, et doctrina ejus conformis est valde doctrinæ S. Bonaventuræ tum in *Breviloquio* et *Centiloquio*, tum etiam in libris *Sententiarum*, imo sæpius verba sunt eadem. » Certe eodem modo Auctor loquitur, lib. I, cap. XIII, de *usia*, *usiosi*, *hypostasi*, *prosopon* apud Græcos, ut æquipollent *essentiæ*, *substantiæ*, *subsistentiæ*, *personæ* apud Latinos, sicut Bonaventura. Eodem modo ac ipse Bonaventura de sanctificatione B. M. V., lib. IV, cap. IV; de audienda missa boni sacerdotis, lib. VI, cap. XVIII, etc. Porro hæc et similia plura, probant non quidem auctorem esse Bonaventuram, sed ab alio paulo recentiori ex doctrina ejusdem S. Bonaventuræ hujusmodi Compendium fuisse compilatum, ut ex principio Præfationis colligitur. Scripsisse illius auctorem, anteaquam obtineret in scholis pia sententia Scotica de præservatione B. M. V. ab originali peccato, licet arguere ex illis, quæ cit. lib. IV, cap. IV, traduntur.

Ipsum deprehendimus vel inde a Bonaventura diversum, quia insolens prorsus est apud eumdem Bonaventuram illa conglobata allegatio, qua, lib. II, cap. LVIII, de physionomia hominis dicitur : « Sequimur igitur in hoc tractatu magnos hujus artis auctores, scilicet Aristotelem, Avicennam, Constantinum, Philemonem, Loxum, Palemotium, » etc. Forte vel hic auctor græcæ linguæ aliquid novit, cum, lib. I, cap. XVIII, alpha et omega græce scripta habeantur; ac lib. II, cap. LVII, legatur : « Homo græce anthropos dicitur. » Ut ut de hoc fuerit, hujus Compendii auctorem esse laudatum Fr. Petrum Thomam, vel Petrum Thomæ Ord. Min., videri potest ex MS. Codice Bibl. Regis Galliarum, cod. 4517 in-4, sæc. XIV. Hunc melioris notæ Codicem aliis opponimus falso alia auctorum nomina præferentibus, ac testimonio communimus S. Antonini in hæc verba loquentis : « Compendium quoddam Theologiæ, quod incipit : *Theologicæ Facultatis* (Veritatis), quod etiam beato Thomæ aliqui intitulant, non est ejus, cum non connumeretur inter istos supradictos. Compendium enim, quod B. Thomas edidit, de quo supra facta est mentio, aliter incipit, et est multo brevius, et de paucis tractat. Sed illud quod incipit *Theologicæ*, de omnibus pene brevissime tractat materiis Theologiæ, de Divinis, de Creaturis, Angelis et Hominibus, et aliis rebus creatis, de Incarnatione, de peccatis, de virtutibus, gratia et donis, et præceptis, et consiliis, sacramentis, et finali judicio, Antichristo, resurrectione ultima, et gloria, et pœnis alterius vitæ, sed brevi volumine. Sed nec Alberti Magni est, ut alii quidam volunt, sed *cujusdam alterius doctissimi viri, qui dictus est Fr. Thomas* [1]. »

[1] *Hist.*, part. III, tit. XVIII, c. X, § 2, in fine.

Digitized by Google

Unde nec est Fr. Thomæ de Sutton Angli Ord. Prædic., neque Fr. Hugonis Argentinensis ejusdem Ordinis. Si enim ejus auctor reapse fuisset aliquis Ordinis Prædicatorum alumnus, numquid S. Antoninus in sui Ordinis Historia satis peritus dixisset : *Sed cujusdam alterius doctissimi viri, qui dictus est frater Thomas?* Per hæc extraneum ab Ordine Prædicatorum, cujus fuit et ipse Antoninus, indicari verisimilius videtur.

§ IV. — Diæta salutis. (*Prodrom.*, col. 700 et seq.).

Anonyma exstat in pluribus manuscriptis Codicibus, in Inventorio Bononiensi anni 1421, et in alio Tudertino antiquiori, scilicet anni 1353. Esse autem Fr. Gulielmi de Lanicia, vel Canitia, Minoritæ Aquitani, attestantur alii MSS. Codices, nempe collegii Caio-Gonvilensis et aulæ Pembrochianæ in Cantabrigia, monasteriorum Tungrensis et Lovaniensis Canonicorum Regularium in Belgio, et bibliothecæ Casanatensis S. Mariæ supra Minervam, Ordinis Prædicatorum, in Urbe. Exsulat proinde a Catalogis Mariani Florentini, Trithemii, Foresti, Anonymi Pistoriensis, etc., ab editionibus Argentinensi anni 1495, et Veneta an. 1504. Impressa tamen fuit sub nostri Bonaventuræ nomine Lugduni an. 1496, Venetiis an. 1497, Parisiis 1499, iterum Venetiis 1518, iterumque Parisiis 1523, necnon Venetiis 1564, 1572, 1582 et 1584. Unde falsum deprehenditur, quod inquit Oudinus : « Opusculum hoc non comparet in antiquis Opusculorum S. Bonaventuræ editionibus, sed conjunctim primo inter ejus Opuscula in editione Romana an. 1596, parte I, Opusculo XII, et in Veneta an. 1611, apud Hieronymum Scotum, tom. II, Opusc. X [1]. » De eadem *Diæta Salutis* ait P. Sbaralea : « Est Fr. Wilhelmi de Canitia Aquitani Ordinis Minorum, et est fere tota desumpta ex *Compendio Theologiæ pauperis* Fr. Joannis Rigaldi Minoritæ, ut ego utrumque librum conferens deprehendi. »

Ipsam ad supposititia rejiciunt Editores quoque novissimi, quibus et ego in hoc libenter consentio. Eorum tamen censuram non probo quoad cantum qui in eodem Opusculo tribuitur Sanctorum omnium Reginæ, sanctisque ipsis æterna beatitate in cœlis donatis, quasi vero tamen ac talem absurditatem contineat, ut nemo censere queat, *unam anum tam deliram fuisse, ut hisce somniis crederet* [2]. Nam alioqui ejus auctor, scilicet Gulielmus, insanior fuisset, quam *delira anus*, eoque dementiæ pervenisset ipse Doctor Seraphicus Bonaventura, qui capite quinto *Soliloquii* sui contemplatur « in cœlesti convivio angelos jubilantes, virgines chorizantes, apostolos psallentes, martyres tripudiantes, confessores laudantes, patriarchas et prophetas jocundantes, omnes sanctos et electos Dei unanimiter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum collaudantes, et una voce dicentes : *Sanctus,* » etc. Insanior item quam delira anus idem Bonaventura, qui itidem contemplatur « Matrem misericordiæ, Reginam pietatis et clementiæ, super omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo in Trinitatis superbenedictæ palatio, cantantem, jubilantem, et dicentem : *Tenui illum, nec dimittam,* » etc. Tertio insanior quam *delira anus* Bonaventura, qui ait : « Qualis tibi erit dies illa, cum Maria Mater Domini occurret choris comitata virgineis, cum et ipse Sponsus tibi cum omnibus sanctis occurret dicens : *Surge, propera,*

[1] Tom. III, col. 404. — [2] *Diatrib.*, pag. 118, huj. nostræ edit. tom. I, pag. LXXI.

Digitized by Google

amica mea, formosa mea, columba mea, jam hyems transiit, imber abiit, et recessit. Tunc angeli admirabuntur de tua gloria, dicentes : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto*, etc.? Videbunt filiæ Sion, et laudabunt. Tunc illa centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et sanctorum tenebunt citharas, et cantabunt canticum novum, » etc. Insanior tandem, quam *delira anus*, qui scripsit de S. Felice Valesio : « Illustrem hic a beata Virgine Matre favorem accepit : dormientibus siquidem cunctis fratribus, et ad matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ media nocte recitandas, Deo sic disponente, non surgentibus, Felix de more vigilans, et horas præveniens, chorum ingressus reperit beatam Virginem in medio chori habitu cruce Ordinis insignito indutam, ac cœlestibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara, laudes divinas concinuit [1]. »

Cæterum de præfata *Diæta* longe melius senserunt Editores Vaticani, dicentes : « Opusculum hoc miro artificio compositum [2], » etc. Hinc est, quod Bonaventura indignum non fuerit habitum, maxime quia nulla in eo offenditur allegatio, quæ in veris Bonaventuræ Operibus non reperiatur, uti est auctoritas inter Græcos Patres Origenis, et Damasceni, inter Latinos Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Gregorii, Isidori, Anselmi, Bernardi, inter historicos Josephi, inter philosophos Aristotelis, inter scholasticos Magistri Sententiarum; item Glossæ, necnon Ovidii, Tullii, Senecæ, Macrobii. Fateor tamen auctorem hujus Diætæ, ubi exponit Symbolum Apostolorum [3], in nonnullis differre a Bonaventura, libro tertio *Sententiarum* [4].

§ V. — Confessionale (*Prodrom.*, col. 692.).

Hoc opus Bonaventuræ abjudicamus, non quidem propter illam Oudini rationem, quod « moris non fuerit sæculo tertio decimo primis scholasticis, citare vel allegare scriptores contemporaneos, vel nominare, ut eruditis notum est [5], » quasi vero in hoc ejus auctor *se recentissimum scriptorem prodiderit* [6], cum tamen Bonaventura in certis suis scriptis alleget Alexandrum Alensem, Gulielmum Parisiensem, Philippum Cancellarium, Odonem Cancellarium, Innocentium quartum Pontificem, ejus ætate viventes, et Oudinus ipse scripserit de Commentariis in Dionysium Areopagitam Ruperti Lincolniensis episcopi an. 1250 : « Hos sæpissime Commentarios sub nomine Lincolniensis citat paulo post Albertus Magnus [7]; » sed quia præter morem adducuntur Raymundus de Pennaforti, Vincentius Bellovacensis, et Bernardus presbyter Compostellanus, qui ejus ætate claruere, ac etiam Redonensis prædicti Raymundi glossator, necnon *Summa* Henrici cardinalis Ostiensis sub nomine *Copiosæ;* item Archidiaconi libri Brochardor., quos post Henricum [8], exeunte sæculo XIII, et ineunte XIV, scripsisse constat; imo et Ganfredus, sive Gaufredus, aut Gofredus de Trano, qui prout docent novissimi Editores Operum sancti Bonaventuræ, suam Summam in Decretales Romanorum Pontificum elucubravit Nicolai IV jussu anno

[1] *Brev. Rom.*, 20 Nov. — [2] Vid. in præsenti tomo, pag. 247. — [3] *Diæt.*, tit. v, c. III, huj. tomi, pag. 298. [4] Dist. XXV, art. 1, q. I, in concl., hujus edit. tom. IV, pag. 545. — [5] Tom. III, col. 419. — [6] Ibid. — [7] Ibid., col. 140. — [8] Vixit D. Bonaventuræ tempore, attestante Ptolomæo Lucensi, *Hist. Eccl.*, lib. XXII, c. XXII.

Digitized by Google

1290[1]. Adde ab hujus *Confessionalis* scriptore allegari quoque *verba magistri Alexandri*, cujus non memini fieri mentionem a Bonaventura, nisi libro tertio *Sententiarum*, ubi appellatur *bonæ memoriæ*, libro secundo, non referendo ejus verba, sed quæ ejus tempore contigere, idque non sub titulo *magistri Alexandri*, sed *fratris Alexandri de Ales patris et magistri nostri*. Cæterum, ni præfatæ allegationes obessent, nihil obstaret quominus hujusmodi *Confessionale* Bonaventura dignum arbitraremur. Certe Joannes Casimirus S. R. E. tit. S. Joannis ante Portam Latinam presb. cardinalis Denoff, episcopus Cæsenæ, in sua Institutione Pastorali data anno 1696, editaque Venet. anno 1747, pag. 128, laudat *Confessionale S. Bonaventuræ*, cap. IV, *de usu clavium*, partic. 1, et sic etiam pag. 148.

Prologus ejusdem *Confessionalis* magnam affinitatem habet cum Prologo *Centiloquii* Bonaventuriani, siquidem in Centiloquii Prologo dicitur : « In adminiculum itaque parvulorum, rudis rogatus a rudibus, rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas, circa generalia theologiæ, saltem ruditer poterit erudiri... Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc et inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi... Cujus continentia ut facilius pateat requirenti, promittuntur centum tituli sectionum, » etc. In Confessionalis autem Prologo habetur : « Præsens opusculum de informatione simplicium sacerdotum in confessionibus audiendis, compulsus per obedientiam compilavi..... In primo autem hujus Opusculi tituli capitulorum, et singularum particularum eorumdem continentiæ præmittuntur... Cæterum simplex simplicibus simplicia scribens simpliciter[2], » etc.

Ex hac itaque Prologorum affinitate conjectare non sine veri specie licet quod sicut Prologi dicti Centiloquii auctor est, ut diximus, Fr. Marchesinus de Regio Lepidi, ita quoque sit Prologi hujus Confessionalis. Quia vero sat firmas rationes habemus, ut Centiloquium absque Prologo, prout incipit apud Trithemium, nostro Bonaventuræ adscribamus, non ita vero ut præsens Confessionale, quin imo contraria suppetant, propterea facile adducimur ut nobis persuadeamus eumdem Marchesinum esse nedum Prologi, sed et totius Confessionalis auctorem. Exstat idem Confessionale sub Bonaventuræ nomine in editione Argentinensi anni 1495, et inter manuscriptos Codices Viennenses, Biblioth. S. Crucis Minor. Conventualium.

§ VI. — De septem itineribus æternitatis (*Prodrom.*, col. 706.).

Est Fratris Rodulphi de Bibraco Suevi, Ordinis Minorum, non tam propter duos MSS. Codices Venetos ejus nomen ferentes, unum e bibliotheca S. Job, Minorum Observantium, alterum e bibliotheca olim Apostoli Zeni, cum alii duo non desint, unus Mantuanus e bibliotheca Padoliranensi, Ordinis S. Benedicti, alter Romanus e bibliotheca Vaticana, Bonaventuræ nomine prænotati, unde patet minime per *fraudem* inter Bonaventuriana

[1] *Diatrib.*, pag. 103, edit. Ven. Scriptam fuisse ante annum 1312 hujusmodi Summam, produnt ea, quæ habet rubrica *de Privilegiis et excessib. Privil.*, ubi Templarii ceu nondum extincti commemorantur. Cæterum Gofredus in eadem Summa pluries allegat *fratrem et magistrum Raymundum in Summa sua et Joannem Teutonicum, Dominum Albericum, Dominos suos Azonem et Augustinum*, etc. — [2] Vid. huj. tom. pag. 359.

Digitized by Google

edita ab anno 1495 hoc Opusculum intrusum : non tam propter vocem *maneriі*, quæ *inaudita* non est, utpote in sensu *mansionis* accepta apud Matthæum Parisium ad annum 1215 et 1249, teste Cangio : non tam propter aliud verbum *apportare* pro *afferre*, ita ab Hugone quoque Victorino usurpatum : non tam propter ista, quam ob gravissimum testimonium Gersonis, illud *scriptori novello* attribuentis[1], obque solidissimam censuram P. Mag. Sbaraleæ eumdem Rodulphum hujus, ac supra [2] rejecti Opusculi *de septem Donis* auctorem esse pronuntiantis : « Idem enim, ait, stylus est, iisdemque auctoribus utitur, præsertim Lincolniensi, qui tempore S. Bonaventuræ vivebat : et cap. III, *de Donis in genere*, inquit in fine : « De his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu *de Itineribus æternitatis*, capite sexto. » Sunt ergo auctores quibus utitur, Dionysius, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Gregorius, Damascenus, Haymo, Anselmus, Bernardus, Gilbertus Porretanus, Hugo, Richardus, Vercellensis, Lincolniensis. Item Eusebius, Papias, auctor *de Spiritu et Anima*, necnon Aristoteles, Seneca, Macrobius, etc. Laudatus Rodulphus claruit circa annum 1460, Waddingo adnotante [3].

§ VII. — Biblia pauperum (*Prodrom.*, pag. 710 et seq.)

Quanquam hanc *Bibliam* doctori nostro Seraphico vindicet contra Raynaudum et Miræum P. Michael a Sancto Joseph, Ordinis Excalceatorum SS. Trinitatis, postea episcopus Acciensis [4]; non tamen ambigimus esse Fr. Nicolai de Hanapis Ordinis Prædicatorum [5]. Ipsi Romani Editores ad calcem ejusdem animadverterunt : « Prædictum Opusculum a Sixto Senensi, lib. IV suæ Bibliotecæ, Nicolao Anapo inscribi, qui ex Ordine Prædicatorum patriarcha fuit Hierosolymitanus. » In hoc nihilominus errarunt, quod cum præfato Sixto censuerint, Nicolaum Anapum sub Sigismundo claruisse ad annum Domini 1430, cum certe claruerit anno 1290. Errarunt etiam permittendo « referri posse in Appendicem cum reliquis, de quibus an auctor Bonaventura fuerit, dubitatur, » cum extra omnis dubitationis aleam nobis sit, ad Bonaventuram nullatenus pertinere. Exstat quidem sub ejusdem Bonaventuræ nomine pervetusta editio Veneta anni 1477, alia sine anno, loco et nomine typographi, alia anni 1490, etc.; sed multo antiquiores MSS. Codices dictæ Bibliæ, Nicolai de Hanapis nomine prænotantur. Hinc antiquorum nemo, ne Marianus quidam Florentinus, eum inter S. Bonaventuræ opera recensuit.

Unicum ergo dubium, quod excitari potest circa hoc, illud est, quinam fuerit, qui eadem *exempla* serie alphabetica in Concionatorum gratiam digesserit? Petrus Rodulphius, Waddingus, et alii tradunt Fr. Petrum Utinensem Ordinis Minorum edidisse librum inscriptum : *Biblia Pauperum, sive Exemplarium* (exemplorum) *sacræ Scripturæ*. Ab eodem Petro Utinensi igitur videtur hujusmodi liber secundum ordinem alphabeticum pro commodiori Concionatorum usu ordinatus, eique addita præfatio, quæ incipit : *Tanta pollet excellentia prædicationis officium*. Idipsum sentit et P. Sbaralea. Certe titulus ille : *Biblia Pauperum*, Minoritam magis indicat, quam Dominicanum, neque alium quam modo dictum Petrum Utinensem suadet MS. Codex Tarvisiensis, biblioth. S. Nicolai,

[1] Part. IV, fol. 18, col. 3. — [2] Vid., tom. VII, huj. edit., pag. XXI. — [3] *De Scrip. Ord. Min.*, pag. 309. — [4] *Bibliogr. critic.*, tom. I, verbo *Bonaventura*, edit. Matrit. 1740, in-fol. — [5] Echard., tom. I, pag. 426.

Digitized by Google

Ordinis Prædicatorum, utpote habens ad ejusdem Bibliæ calcem leoninos versus de S. Dominico, de S. Petro martyre, ac de S. Francisco.

Sed petes, quid censendum sit de MS. Codice membr. in-fol., quem Jacobus Echardus vidit, et lustravit Florentiæ in bibliotheca S. Mariæ Novellæ, ac ita retulit : « Incipit liber *de Exemplis sacræ Scripturæ*, in quo de virtutibus et vitiis multa dicuntur, et etiam de moribus bonorum et malorum, quæ in utroque Testamento memorantur, et de eorum finibus, scriptus anno Domini 1474. F. I. K. scripsit. Cap. 1. *Abstinentia. Præcepit Dominus Adæ, dicens*, etc. Cap. 134 et ultimum. *De zelo contra peccatores.* Ad libri calcem : Explicit liber de Exemplis sacræ Scripturæ scriptus per me fratrem Joannem Caroli Ordinis Prædicatorum, completus die 26 octobr. 1474. Qui vero legerint, Deum pro me orent. Explicit. Deo gratias. Amen [1]. » Ad hæc itaque respondeo, Joannem Caroli fuisse tantummodo exscriptorem libri hujus, id quod vel inde arguitur, quia Echardus ei *non* præfixit numerum sicut præcedentibus Joannis Caroli Operibus.

[1] Echard., tom. I, pag. 899.

Digitized by Google

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ OCTAVO HOCCE TOMO CONTINENTUR

I. De mystica theologia. 1
II. Summa de essentia et invisibilitate et immensitate dei. 55
III. Compendium theologicæ veritatis. 60
IV. Diæta salutis. 247
V. Appendix diætæ salutis. 347
VI. Confessionale. 359
VII. De septem itineribus æternitatis. 393
VIII. Biblia pauperum. 483

Digitized by Google

S. R. E. CARDINALIS

SANCTI BONAVENTURÆ

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS SERAPHICI ECCLESIÆ

ELUCUBRATIO

MYSTICA THEOLOGIA

A QUIBUSDAM ASCRIPTA HENRICO DE PALMA; A QUIBUSDAM, ALIIS; A PLURIBUS TAMEN ASCRIBITUR SANCTO BONAVENTURÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Præcedens titulus est in antiquis impressis Argentinæ anno 1495 : ex quo apparet jam tum addubitatum de auctore hujus opusculi. Sed quod nec S. Bonaventuræ sit, nec alicujus Ordinis Minorum, videtur colligi manifeste ex antiquo manuscripto exemplari, cujus hæc est inscriptio : *Jesus Christus Mariæ filius. Incipit liber, qui dicitur, Mystica theologia.* Ubi enim de beneficiis specialibus agitur, cap. I, partic. II, loco illorum verborum : « Quem maxime ad religionem Fratrum Minorum divina clementia provocavit, » Ms. sic habet : « Qui maxime ipsum ad religionem Carthusiensis Ordinis divina clementia provocavit. » Et mox infra, Ms. : « Tertio recolat illud, ad quod vocatur, quia non ad regulam beati Benedicti. » Et subditur : « Sed ad ipsam sacratissimam, quam ipsemet elegit, quando ductus est in desertum, ubi quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, et præcursor suus, » etc. Impressa inter illa verba, *jejunavit*, atque, *Et præcursor suus*, interserunt hæc : « Et in maxima paupertate per mundum prædicavit, et saluti omnium ardentissime intendit. » Unde ab aliquo Carthusiensi compositum Opusculum videtur, et quibusdam immutatis et auctis, illud S. Bonaventuræ adscriptum, nisi quis idem retorqueat argumentum. Stylus vero non esse Bonaventuræ persuadet : est enim sanctus is Doctor concisus quidem, sed, quantum fieri potest, in brevitate perspicuus; at vero tractatus iste diffusus est et obscurus; sed ad anagogicos excessus affectui admodum utilis.

[1] *Cf.* Edit. Argentin. an. 1495, part. II; edit. Vatic. an. 1596, tom. VII, p. 699; edit. Ven. an. 1611, tom II; edit. Lugd. an. 1647, tom. II, pag. 680; edit. Ven. an. 1754, tom. XI, p. 344.

Digitized by Google

PROLOGUS

Viæ Sion lugent[1], *eo quod non sit, qui vadat ad solemnitatem.* Licet Hieremias propheta dixerit hoc verbum, captivitatem populi sui deplorans; tamen hoc poterit speculator quisque intelligens exclamare, tantam captivitatem animarum, tantam declinationem a semitis justitiæ et viis æquitatis in mundo universo discernens. *Viæ* enim dicuntur amantium desideria animarum, quibus ad Deum et ad supernam civitatem Hierusalem, super omnem rationem et intellectum, etiam in terreno corpore habitantes, animæ sublevantur. Quæ viæ etiam *lugere* dicuntur, eo quod non sit qui ad tantam *solemnitatem* aspiciat, eo quod, abjecta vera sapientia, tam clerus quam populus mundanis deliciis, vel inutilibus curiositatibus, se immergat. Sed quod multo magis est dolendum, et cordis lacrymis incessabiliter lamentandum, quod multi religiosi, multi etiam viri famosi reputati, veluti quondam populus Israeliticus, relicto (*a*) cultu Creatoris sui, manufactis idolis servierunt, sic, relicta vera sapientia, qua Deus solus perfecte interius colitur, et a solis amantibus adoratur, diversis scientiis, et fabricationibus multiplicium argumentorum inventitiis, quasi quibusdam idolis, miserabiliter mentem impleverunt: in quibus sic absorbentur, diabolo instigante, et sic mens ipsorum in istis totaliter possidetur, ut vera sapientia locum in eis non inveniat. Nam hac[2] *pessima occupatione*, quam *Deus dedit filiis hominum*, infeliciter captivantur, ita ut non sit spiraculum, quo suum Creatorem anima per flammigeras amoris affectiones contingat. Non enim ad hoc animam creaverat, ut contra suam generositatem multitudine quaternorum ovinarum pellium repleretur, sed ad hoc ut esset sedes sapientiæ, et in ipsa rex pacificus civitatis supernæ, scilicet Deus altissimus, resideret. Sapientia enim hæc quæ *Mystica Theologia dicitur*, a Paulo Apostolo est edocta, a Dionysio Areopagita suo discipulo conscripta, quæ idem est quod extensio amoris in Deum per amoris desiderium. Quantum distat ortus ab occidente, omnium creaturarum scientiam incomparabiliter præexcellit. Nam alias scientias mundi doctores edocent, sed de hac a solo Deo immediate, non a mortali homine spiritus edocetur. Ista divinis illuminationibus, et distillationibus cœlestibus scribitur in corde; illa vero penna anseris, et atramento scribitur in pelle. Ista vere (*b*) dicit: *Sufficit*: nam per istam animus causam invenit, scilicet Deum creatorem suum, et in ipso, qui est fons bonitatis totius et beatitudinis, immediatissime (*c*) conquiescit. Alia vero nunquam dicit: *Sufficit*; nam justum judicium est, ut qui, non curando de summa sapientia, a summa veritate deviat, veluti cæcus in tenebris involvatur, et sic per vana et devia, anima infatuata humanis inventionibus, insensata discurrat. Item ista affectum inflammat, intellectum illuminat; alia vero quam pluries inveniens vera sapientia cor evacuatum, inflat, quam pluries variis opinionibus, et diversis erroribus intellectum obtenebrat.

Vera sapientia inutilibus scientiis impeditur.

Mysticæ Theologiæ definitio, et ejus excellentia.

Igitur relicta humana sapientia, curiositate scientiæ inutilis, argumentationum et opinionum capturis, religiosa anima per amoris ascensionem ad fontem omnium desiderando ascendat, in quo solo reperiat veritatem. Sed quia hæc summa sapientia non potest ab homine edoceri, subditur quomodo quilibet, quantumcumque laicus, in schola Dei existens, hanc sapientiam ab ipso immediate recipiat, super omnem intellectum, per amoris affectum, quam nullus philosophus, nullusque alius scholaris sæcularisque magister, nulla humana intelligentia, quantumcumque studeat, apprehendit. [Suasio.

Triplex est igitur via ista ad Deum, scilicet: purgativa, qua mens ad discendam veram sapientiam disponitur; secunda vero illuminativa dicitur, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur: tertia unitiva, qua mens super omnem intellectum, rationem et intelligentiam, a solo Deo sursum actu dirigitur. Nam sicut videmus in pontibus, dum fiunt, quod prius ligna supponuntur, ut firmitas muri lapi- Triplex via ad perfectam sapientiam

[1] *Thren.*, I, 4. — [2] *Eccle.*, I, 13.

(*a*) *Ita edit. Lugd.; cæt. edit.* recto. — (*b*) *Cæt. edit.* vero. — (*c*) *Item* immediatissimæ.

Digitized by Google

dei superius ædificetur, et, perfecto ædificio, jam ligna supposita penitus amoventur (*a*): sic et mens, cum primo sit in amore imperfecta, post ad amoris perfectionem meditando consurgit; et cum per multum exercitium in amore unitivo fuerit confirmata, et propter multas flammigeras amoris affectiones, sive aspirationes, supra seipsam Creatoris sui dextera sublevata citius quam cogitari possit, sine omni cogitatione prævia, vel concomitante, quotiescumque placet, centies vel millesies de die, vel de nocte in Deo afficitur, ad ipsum solum possidendum innumerabilibus desideriis aspirando. Sic enim quilibet novus discipulus ad perfectionem hujus scientiæ gradatim ascendat, ut primo in via purgativa, quæ est via puerilis et incipientium, studiosissime se exerceat, quæ hic incipit [1]: *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Postea autem per spatium modici temporis, scilicet per mensem unum, vel per duos, secundum quod, divino superirradiante lumine, sibi videbitur expedire, ad amorem cogitando consurgat. Quod si præsumptuosum forte alicui videatur, quod anima involuta peccatis multiplicibus, audeat a Christo amoris petere unionem, in seipso cogitet nihil esse periculi, dum primo osculetur (*b*) in pede per peccatorum recordationem; secundo in manu, per beneficiorum sibi collatorum recognitionem; tertio ascendat ad osculum oris (*c*), ipsum solum desiderando, et ipsi soli affectibus flammigeris adhærendo, ut, secundum quod subsequenter videbitur, dicendo Orationem Dominicam, prout per ipsam mens cogitando consurgit, ordinate ascendat. Quarto, se exercendo secundum viam illam, quæ illuminativa dicitur, quæ ibi incipit [2]: *Nox illuminatio mea in deliciis meis*, conscendit anima ad multo eminentiorem gradum et statum, in quo etiam, quotiescumque vult, sine aliqua cognitione prævia, anima Deo immediate afficitur, quæ ad plenum non potest aliqua humana industria edoceri; sed exercendo se per viam purgativam et illuminativam, anima experimentaliter percipit, solo Deo interius dirigente et docente, quod non potest vi aliqua mortali, vel eloquentia reserari; quod nec Aristoteles, nec Plato, nec aliquis mortalis aliqua philosophia vel scientia potest, nec potuit, nec poterit intelligere; quod solus Dominus, sive amor, docet interius : ut discat omnis rationalis anima a summo Doctore et æterno acquirere scientiam, in qua omnis ratio et intellectus deficit, et affectus per amorem dispositus, transcendens omnem humanam intelligentiam, supernatat, sola amoris unitivi regula ad ipsum, qui est fons totius bonitatis, spiritum dirigente.

Hæc igitur est *mystica theologia*, id est, occultus sermo divinus, quo mens ardore disposita, linguis affectionum Christum suum dilectum occulte (*d*) alloquitur, in cujus mystico tractatu sic proceditur. Primo manifestatur via purgativa, in qua declarantur tria: primo, quomodo anima purgari debeat; secundo, quomodo vera oratione, gratiæ abundantia impetretur; tertio, quomodo peccator plenam de peccatis indulgentiam consequatur. Secundo duo manifestantur: primo de via illuminativa subditur, ubi primo docetur, quomodo mens usualiter per Dominicam Orationem meditando, ad amorem consurgat; secundo, quomodo per eamdem viam, expositione Orationis Dominicæ, omnis Scriptura, anagogice totum referendo in Deum, spiritualiter exponatur; tertio determinatur de via unitiva, quæ incipit ibi [3]: *O sapientia, quæ ex ore Altissimi*, etc.: ubi primo manifestatur quanta vitæ sublimitas, et quanta virtutum consummatio per mysticam sapientiam, ad hoc ut magis appetatur, et ab ipsis exercentibus acquiratur. Quod si forte alicui legenti nimis difficile videatur, propter scientiæ profunditatem, vel propter verborum obscuritatem, ut (*e*) jam illud tangat tertia via, quæ est super omnem intellectum; exerceat se in via purgativa, et via illuminativa subsequente, et statim experietur, et intelliget in seipso, solo Deo interius operante, quidquid de tertia via inveniet in scripto, vel audiet ab aliquo. Nam in hac sapientia necesse est, ut in seipso primo percipiat experimentaliter veritatem; et deinde sententiam omnium verborum, quæ ad mysticam sapientiam pertinent, in comparatione cujuslibet doctrinæ facillimam judicabit. Hæc sapientia in hoc differt ab omnibus aliis scientiis, quia in hac primo oportet usum habere in seipso, quam verba intelligere, et practica hic præcedit theoricam. In aliis scientiis necesse est primo verba intelligere, quam, quæ addiscitur, scientia habeatur: quæ, in quantum a nobiliori doctore acquiritur, in tantum citius possidetur; et ita fit, ut in ipsa aliquis, Deo docente, sit perfectior discipu-

Divisio totius operis.

Quomodo sapientia mystica differat ab aliis scientiis.

(*a*) *Cæt. edit.* admoventur. — (*b*) osculatur. — (*c*) amoris. — (*d*) occulto. — (*e*) *Cæt. edit. deest* ut.

[1] *Psal.* LXXXVIII, 15. — [2] *Psal.* CXXXVIII, 11. — [3] Antiph. O, ex *Eccli.*, XXIV, 5.

Digitized by Google

lus, quam,in aliqua liberalium artium perfecte intelligens magister, vel in arte mechanica bonus faber. Secundo, scilicet in illo loco [1]: *Accedite ad eum, et illuminamini*, etc., docetur quomodo per omnes creaturas tam superiores, quam inferiores, anima rationalis ad amorem Creatoris obtinendum perfecte instruitur. Tertio ipsius Mysticæ Theologiæ textus manifeste exponitur, in quo licet sint pauca verba, tamen est quasi infinita sententia: qua perfecte intellecta, tam librorum Beati Dionysii difficultas, quam totius Veteris et Novi Testamenti sensus mysticus veris amantibus elucescit. Nam sicut ab uno fonte derivantur plures rivuli, qui quasi in infinitos fluvios derivantur; et sicut ab uno puncto centrali procedunt quasi infinitæ lineæ: sic, intellectis illis pauculis verbis, quæ ibi exponuntur, in quibus spiritus edocetur, quomodo uniri Deo debeat, in suo summo apice constitutus (*a*), et ibidem experimentaliter inveniet totius sapientiæ originem. Ex qua conjunctione mens de inferioribus scientiis præclare intelligendis, sacræ Scripturæ expositionibus verbis idoneis in prædicatione ad inflammanda corda audientium, fidelis discipulus multipliciter et affluentissime eruditur. Quarto subduntur octo industriæ, in quibus anima ad acquirendam istam sapientiam, et conservandam habitam, sagaciter edocetur. Ultimo contra aliquos sciolos hanc supremam sapientiam impugnantes, et dicentes quod nunquam consurgit affectus, nisi præmeditando et cogitando, disputatio subditur, auctoritatibus et rationibus ipsorum error convincitur, et hujus sapientiæ veritas efficacius enodatur, quod sine media præeunte discretione (*b*), sed solo amoris vehiculo supra seipsam, quotiescumque vult, experimentaliter anima sublevatur, quod nec ratio intelligit, nec intellectus speculatur, sicut ibi dicitur [2]: *Gustate, et videte.*

CAPUT PRIMUM.

De via purgativa, in duas particulas distinctum.

PARTICULA I.

De conditionibus viæ purgativæ (*c*).

Justitia et judicium [3] *præparatio sedis tuæ*, etc. Cum enim anima per mentis affectum ad perfectam sponsi cœlestis unionem pervenire desiderat, necesse est, ut qui pane angelorum, quo beati spiritus reficiuntur in gloria, adhuc in miseria degens, quasi quibusdam micis cadentibus appetit satiari, triplici officio angelorum quasi gradatim ascendendo, in missione divinæ influentiæ sublevetur. Cum enim dicat beatus Dionysius [4] in *Hierarchia Angelorum*, quod triplex sit Angeli officium, scilicet purgare, illuminare, et perficere; oportet ut anima, quæ vult ascendere ad illum altissimum panem in præsenti, in quo mentes angelicæ absorbentur in gloria, velut eorum imitatrix, primo purgetur, secundo divinis fulgoribus illuminetur, tertio in supremo apice affective constituta, unitivi amoris culmine perficiatur.

Via purgativa. Primo ergo dicendum est de prima via, scilicet purgativa, quæ est quasi puerilis, et incipientium, per quam mens adhuc rudis disponitur sine mortalium hominum documento, solis insistens doctrinis cœlestibus, ut experimentaliter, quanquam sit simplex, vel laicus, ad practicam, non ad theoricam illuminationem, divina manifestatione necessario sublevetur. Ante enim quam illa sapientia, quæ Deus est beatissimus, in spiritu rationali veluti in domo propria conquiescat juxta illud [5]: *Anima justi sedes est sapientiæ*, oportet ut de ipsa judicium et justitia fiat. Judicium, ut sicut a Creatore suo se avertendo (sicut fit in omni peccato mortali) ipsum contempsit, Creatorem pro creatura lamentabiliter relinquendo; sic ipsa humilietur totaliter, ut humiliatio ipsius incipientis (*d*) in tantum ipsius clementiam provocet, in quantum ipsius contemptus divinam contra se sententiam in peccatis anterioribus provocavit. Oportet etiam, ut ibi sit justitia, ut illa anima quæ aliquando delectationem Creatoris in delectationem creaturæ, peccatis suis exigentibus, commutavit, quod in tantum doleat, vel saltem se non dolere doleat, ut divinæ injuriæ, secundum judicium ipsius tam misericordis, videatur secundum humanam injuriam aliquatenus satisfactum, juxta illud [6]: *Quantum glo-*

[1] *Psal.* XXXIII, 6. — [2] Ibid., 9. — [3] *Psal.* CXXXVIII, 15. — [4] Dion. Areop., *de Cæl. Hier.*, c. X. — [5] *Sap.*, VII, 27, quoad sensum. — [6] *Apoc.*, XVIII, 7.

(*a*) *Forte legendum* constituetur. — (*b*) *Item* disceptatione. — (*c*) *Cæt. edit. deest titulus.* — (*d*) *Forte legendum* insipientis.

Digitized by Google

rificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum: ut secundum artem medicinæ, per duo contraria, scilicet per humilitatem contra pristinum contemptum, per dolorem de peccatis contra pristinam delectationem, quasi nascens denuo, illi, qui est summa majestas et indeficiens bonitas, per unitivum glutinum ardentissimi amoris uniatur. Dicendum est ergo, quomodo humiliatio et dolor de peccatis, quadam necessitate congruente acquiratur. Et licet hæc via purgationis puerilis aliquibus videatur, maxime respectu sequentium, tamen nisi per istam mens circa divina negotiari attendens, sollicita et attenta pertranseat, nunquam in præsenti vita ad cognitionem de divinis, nec ad ardorem unitivi amoris practici poterit accedere, nec ab istis inferioribus suos possessores devorantibus sequestrari.

PARTICULA II.

De modo purgativo.

Anima quomodo se debeat humiliare.

Sic ergo debet anima se humiliare, ut primo recolat peccata sua in aliquo loco occultissimo, et maxime in secreto noctis silentio, et majora succincte, ne diabolus sibi inferat ad delectationem, unde debuit habere medicinam, faciem suam dirigendo in cœlum, et prout potest, sic majora peccata sua usque ad decem vel duodecim coram Deo, quasi ipsi loquendo, enumeret, et enumerando suspiret, ipsum Deum in omnibus exaltando, et se in omnibus deprimendo, prout poterit, dicendo: Domine Jesu Christe (vel quocumque modo sibi melius placuerit), ego sum ille peccator nequissimus, miserrimus, infelicior, nequissimis abominabilior, qui tuam majestatem in tot et tantis criminibus offendi, ut illa enumerare non sufficiam, sicut nec arena maris præ multitudine numerari potest. Et ibi suspiret vel gemat, prout efficacius poterit: quia, sicut lima operatur in ferro, ut in qualibet ipsius singulari fricatione aliquid de ipsius ferri rubigine expellatur; sic quodlibet suspirium vel gemitus aliquid de rubigine peccati, etiam post infusionem gratiæ relictum, eliminat. Et sic magis ac magis anima se purgans, ad percipienda quæ ratio non investigat, vel intellectus speculatur, divino subsidio, vel desiderio elevetur. Et ut intentius dolore constringatur animus ad sui confusionem et humiliationem, divina beneficia primo in generali, secundo in speciali attentissime coram Deo, prout melius poterit, sibi ingrato divinitus collata recordetur: primo, quod ipsum quoad speciem suam tam nobilem creaturam de nihilo sic creavit, dicens[1]: Nonne tu, Domine, me ad imaginem tuam, cum nihil antea essem, in tam nobile esse produxisti, ut te tenerem per gratiam in præsenti, et te facie ad faciem contemplarer in gloria? Et ego in tantum provocavi districtum judicium tuum, ut, nisi mihi subvenias, magis non nasci, quam ad lucem præsentis vitæ perduci, mihi misero profuisset. Secundo, beneficium incarnationis recordetur, sic dicens: Nonne tu, Domine, es ille Rex altissimus angelorum, in tantum pro me teipsum annihilans, ut nostras miserias, et peregrinationes itineris ad similitudinem cujusdam pauperis humiliter sustineres? Et ego, Domine, non me humiliando, sed in tantum impudenter extollendo, tuam majestatem contempsi, in miserias hujus vitæ momentaneas te fontem totius beatitudinis commutando. Quo ergo fugiam?[1] *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* De secundo aliquantulum insistendo, percurrat ad tertium, scilicet ad recordationem Dominicæ passionis, sic dicens: Non suffecit, dulcissime Domine Jesu Christe, quod in tantum te ipsum inclinares, ut, manens Deus, carnis mortalis humanitatem assumeres; sed insuper propter universorum mortalium miserias sublevandas, tam dira verbera, tam innumerabilia vulnera tolerasti, ut a planta pedis usque ad verticem non esset membrum in corpore tuo quod non sanguine tuo sacratissimo spargeretur? Quid ergo faciam miserrimus, cum mortis tuæ sim causa, non tantum vicem pro vice non rependens, sed in tantum te in fœcibus meis provocans, ut digno judicio deberet contra me pugnare totus orbis terrarum, a summo cœli cardine usque ad ultimum centrum inferni? Surgant ergo creaturæ omnes, et veluti Domino proprio famulantes, de me vindicent suum proprium Dominum et Creatorem. Et ibi cogitet de passione Domini aliquantulum, ut per vulnus lateris usque ad contactum divinitatis occultæ latentis interius, per experimentum amoris, attingere mereatur. Hæc enim tria sunt in generali, quæ non sibi tantum, sed et omnibus aliis Altissimus condonavit: quæ in quantum sunt generaliora, in tantum indicant majorem divinam clementiam.

Beneficia generalia creationis, incarnationis, et passionis

[1] *Psal.* CXXXVIII, 8.

Digitized by Google

Beneficia specialia.

Postea cogitet in speciali, quæ sibi, non omnibus aliis, Pater totius consolationis contulerit, quem maxime ad religionem Fratrum Minorum divina clementia provocavit : quoniam ista via purgativa solum est eorum, qui a via sæculari, veluti columba vel turtur, in desertum, in secessum videlicet contemplationis, licet adhuc debiles, supra seipsos avolare nituntur, amotionem omnis culpæ mortalis, quoad judicium conscientiæ, necessariam supponens. Primo ergo recogitet, quot digniores, quot potentiores, quot etiam ad abundantiorem influentiam divinæ gratiæ magis multipliciter præparatos, reliquit ipse Altissimus in miseriis et mundanis voraginibus involutos, et se de tenebris miseriæ convocavit ad suam incommutabilem veritatem. Secundo non tantum respectu miseriæ mundanæ sibi beneficium collatum recogitet, sed et illud divinum beneficium respectu infernalis miseriæ pertractet : quia multi, qui non tantum quantum ipse (*a*) divinæ majestatis oculos offenderunt, sempiternæ maledictionis pœnis perpetuis detinentur; et ipse qui multo plus idem meruerat, non meritis propriis, sed dono Conditoris gratuito, ad gratiæ radium in præsenti vocatur, et ad præmium æternæ beatitudinis in futuro. Similitudinem duorum latronum recolens, quorum unus ab aliquo rege terreno condignus suspenditur, alter vero, plus priore delinquens, sola regis terreni clementia, licet meritis contradicentibus, ipsi efficitur commensalis, gloriam non ignominiam reportando. Tertio illud, ad quod revocat, recolat, quia eum non ad regulam beati Augustini, vel Benedicti Redemptoris gratia revocavit, sed ad illam sacratissimam, quam ipsemet elegit, quando ductus est in desertum (*b*), ubi quadraginta diebus et noctibus continuis jejunavit, et in maxima paupertate per mundum prædicavit, et saluti omnium ardentissime intendit, et Præcursor suus proprie instituit, et ipsam in seipso servans, et nobis servandam monstravit. In tantum aliis regiminibus hæc regula est sublimior, in quantum doctrinam humanam divinum eloquium præexcellit. Sed et sic persistens in oratione, non tantum cogitet in seipso, sed ad Deum immediate dirigat eloquium suum, tam peccata sua, quam beneficia, in generali et in speciali humiliter referendo : tamen cum quodam ordine ista vel alia, secundum quod ipsum Dominus intus docuerit, recolendo.

(*a*) *Cæt. edit.* ipsæ. — (*b*) *Item* deserto.

De humiliatione quam peccator coram Deo facere debet.

Sic per recordationem peccatorum et divinorum beneficiorum confusus, jam viam humiliationis incipiat, sic dicens : Domine, Pater totius miserationis, non possum tibi satisfacere de malis, quæ coram te miserabiliter perpetravi; non tibi respondere valeo ad beneficia, quæ mihi miserrimo contulisti : sed quia me interficere non debeo, nec valeo, tu me infelicem interfice; sed si tibi hoc non placet, mitte Angelum tuum gladiatorem, qui de me vindictam accipiat. Sed si hoc propter misericordiam non vis adimplere quod merui, quia me interficere non possum; tamen hoc quod in me est faciens, me quasi latronem tuum tibi reddo in perpetuum servientem, nunquam diebus meis ulterius a tuo servitio recedentem. Tunc prosternat se in faciem, et quantumcumque poterit seipsum humiliter deprimendo, et Altissimum offensum exaltando, et in quantum humilius, in tantum etiam citius et abundantius gratiam divinæ misericordiæ provocabit. Et tunc de necessitate divinæ congruentiæ oportet, quod quando piissimus Pater videt ipsum sic coram se humiliatum, dolorem conferat de peccatis, vel saltem dolorem, quia non dolet : ut per ista duo contra duo prædicta, anima purgata recuperet jam quondam quod erat deperditum, et sibi quandoque multo amplius, quam antea, idipsum restauretur. Sed si etiam dolorem non poterit quoad effectum consequi, per ea quæ dicta sunt, in qualibet nocte succincte hoc teneat, quod dictum est : quia Creatori sufficit, quando homo fecit quod in se est, nec non ipse Dominus, rei exitum expectans, quandoque se subtrahit, ut et ista faciens, dolorem nullum ad consolationem inveniat, ut ejus patientia ad tempus per divinam sustinentiam comprobetur, et ut sibi postea amplior consolatio, et de peccatis contritio divinitus conferatur.

Sed quia quæ prædicta sunt, non possunt fieri sine gratia speciali, sequitur de impetratione gratiæ per modum orandi, prout ad viam purgativam pertinet. Sicut enim oculo corporis, vel sensuali, de joculatoribus in curiis magnatum cernitur, quod cupientes aliquod temporale commodum a principe inconfusibiliter obtinere, primo ipsum multipliciter commendant, deinde quod intendunt sibi postulant condonari, sic et novus joculator spiritualis,

Digitized by Google

mundum deceptorem despiciens, debet ordinate procedere. Cum enim Deus in se sit innominabilis, ipsum tamen in suis effectibus nominamus, et per ipsos ipsius magnificentiam collaudamus. Primo enim, secundum quod ipse est omnis creaturæ, tam corporalis, quam spiritualis, principium et origo. Secundo aliquantulum sublimius, prout se habet ad contemplantes in gloria, scilicet mentes angelicas et humanas, et ipsa contemplatione suæ (*a*) indicibilis pulchritudinis, quam vident sicut est, beatificans, ab ipsis omnem eliminans egestatem. Tertio adhuc iste sublimius, prout ad omnes creaturas se habet, quibus ipse tanquam altissimus imperat, et omnes tam rationales, quam irrationales, suæ obtemperant majestati. Quarto, respectu nobilissimæ creaturæ, quæ est homo : et primo respectu eorum, qui sunt in charitate, famulantium suo Creatori, in hoc quod ipsis, adhuc degentibus in hac vita miseriæ, superpositus Pater suppositis filiis multa xenia internarum consolationum, veluti quædam futuræ divinæ beatitudinis, sive beatificationis, indicia, hominibus quasi nihilum existentibus, veluti filiis Altissimi (*b*) præostendit. Quinto et ultimo, respectu existentium in peccatis, quibus, in quantiscumque peccatis diutius sua scelera protelantes extiterint, pulsantibus ad januam divinæ pietatis, ipsos divina clementia in sinum suæ charitatis recolliget; et perpetratis peccatis misericorditer sic indulget, ut sæpius ab ipso, quem sic abominabiliter offenderunt, quandoque plus quam innocentes, uberiora et pretiosiora beneficia illapsa cœlitus consequantur. In his enim divina bonitas ex primordiali diffusionis gratiæ manifestatione usque ad fæces existentium in peccatis ostenditur. Et hæc quinque breviter in quinque his vocabulis includuntur, scilicet Bonus, Pulcherrimus, Dominus, Dulcis, Misericors. Et postquam in his commendatus fuerit, illud quod intendit, plenariam remissionem de perpetratis sceleribus secure poterit postulare. Iste enim modus postulandi et orandi edocetur, ubi sponsus dicit sponsæ [1] : *Vox tua dulcis, et facies tua decora*, scilicet, per interiorem purgationem, obtenebrantem caliginem expellendo, et vox dulcis, ut in quolibet verbo sponsus æternus in aliquo specialiter commendetur. Et hæ proprie appellationes sunt Cantica Canticorum, et in tantum a parte animæ, ut quandocumque mens ad Deum se erigit, in ipsis vocabulis involutam dulcedinem inveniat, ne per multiloquas enarrationes, et vocales prolationes, animus in tanto colloquio evagetur, sed in his illectus, vel allectus, intra se totaliter adunetur. Sic ergo dicat, quoties poterit, vel modo hoc isti consimili : Bone, Pulcherrime Domine, dulcis, misericors, miserere hujus peccatoris, quem redemisti sanguine tuo pretioso. In hoc solum attendens, quod sibi de malis perpetratis parcat clementia Salvatoris, non quod in quolibet verborum includitur theorice speculando, sed affectuose orando, potest illa vel consimilia dicere, prout dicens noverit majorem affectionem in istis, vel consimilibus, reperire.

Inquinque Deus est commendandus.

Sed ad hoc ut mens desiderii completionem obtineat, necesse est ipsam divinam influentiam imitari, ut sicut ipse Sol spiritualis Hierusalem civitatis supernæ, quantum est de se, bonos et malos radiis bonitatis suæ illustrat, sic non tantum pro propinquis, sed pro omnibus illis, quicumque sunt beatissimæ Trinitatis imagine insigniti, totis visceribus deprecetur illius clementiam Salvatoris, ut, sicut omnes creavit et omnes redemit, ita omnibus indistincte dignetur misericorditer subvenire. Et in hoc irrefragabiliter citius divinam misericordiam provocabit, vel obtinebit, in quantum hominum Creatoris universorum, et omnium mortalium Redemptoris vestigia (suam charitatem super omnes latissime diffundentis) fuerit imitatus, nisi quandoque ad horam pro se, et pro aliis, singularibus orationibus coarctetur petitio, licet semper charitas habeat se diffundere, eumdem affectuosum modum, quem pro se, etiam pro omnibus exorans, sollicitus alleget, quantum est de modulo suæ parvitatis, sic dicendo : Bone, Domine, pulcherrime, dulcis et misericors, miserere omnium peccatorum, quos redemisti pretioso sanguine tuo. Et tunc, in quantum poterit, habeat istam imaginationem, quando dicit : Miserere, ut totus mundus suo Creatori inclinetur, per verum cultum et reverentiam condignam.

Sed quia mens omnia ista non potest præ nimia carnalitate et vertibilitate, prout esset expediens, impetrare, oportet quod ad instar illorum qui habent aliquod magnum in curiæ re-

Similitudine ostenditur sanctos esse invocandos.

(*a*) *Cæt. edit.* sua. — (*b*) *Edit. Vat.* Altissimus; *edit. Ven. et Lugd.*, Altissimis.

[1] *Cant.*, II, 14.

Digitized by Google

galis palatio, vel summi Pontificis expedire, qui videntes se non posse propositum consequi, adeunt aliquem magnum de curia, ut, quod per se non possunt, ipsius mediatoris intercedentis reverentia impetretur. Quod si ille pauper aliquem magnum et præexcellentem invenerit, qui has conditiones habeat, ut sit humilis ad audiendum preces paupèrum, gloriosus in curia, ut cum ipso, si necesse fuerit, multi alii pro alio intercedant, dilectus summo Pontifici, ut ejus dilectione astrictus, nihil velit penitus denegare, absque ulla calumnia pauper suum desiderium obtinebit. Sed quia ista inter sanctos alios, in superlativo gradu excellentissime in beata Virgine reperiuntur, ad ipsam confugiat, sic dicens: Tu quæ es misericordissima præ omnibus aliis, humilibus peccatoribus te inclinans, potentissima, quia per te ruinæ angelicæ reparantur, per te sanctis vitæ janua aperitur, et ideo te clamante pro paupere, tecum omnes pariter acclamabunt Regi æterno amantissimo, quem tuis sacris uberibus lactasti, et ideo ineffabili glutino charitatis tibi conjunctus est; rogo, ut per te mea inopia sublevetur, ut sic per te de peccatis meis propriam purgationem obtineam, ut tandem ipsum in isto amore constringam, quem tu totis visceribus dilexisti. Et tunc dicat ei: *Ave, Maria*, quadraginta vicibus, vel quinquaginta, sub certo numero, si voluerit, dividendo, vel consimile, prout sibi melius videbitur. Hoc quasi in signum dilectionis et spiritualis homagii reddens ei quotidie pro tributo, ipsam non in pictura parietis, non in sculptura lignea, sed in cœlo attente et affectuose salutans, ad ipsam immediate suam faciem dirigendo. Hæc est via purgativa, et ipsius expeditio, quæ multo plus in corde potest citius recolligi, quam scripto vel verbo tenus numerari. Hanc purgationem recordetur incipiens breviter et succincte, et vera sibi latissima via cito apparebit.

Beatissima Virgo Maria invocanda.

CAPUT II.

De via illuminativa in tres particulas distinctum.

PARTICULA I.

De triplici irradiatione (*a*).

Per viam purgativam mens ad illuminativam immediate erigitur, secundum illud Psalmistæ dicentis [1]: *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*: quia per gemitus et lacrymas anima a rubiginibus peccatorum abluitur, et per hoc immediate ad susceptionem divini radii præparatur. Cujus necessitas sic apparet, primo a parte recipientis. Nam sicut in speculo materiali videmus, quod si sit ibi flatus, vel aliquod obtenebrans, facies humana, quamvis se ei objiciat, non tamen resultat, sed cum abstersum fuerit, in ipso facies humana apparet, ut si etiam speculum ratione humana uteretur, ad instar spiritus, per illud quod in seipso recipit, ipsum, cujus est similitudo, repræsentans cognosceret; sic (*b*) cum a rationali spiritu erit eliminata caligo offuscans, jam ille Sol spiritualis gratiæ suæ radios immittit, qui, quantum est de se, æqualiter omnibus se infundit, imo quod plus est, quia sicut radius solis materialis stat immobilis ad fenestram, et statim, cum sibi apertum est, nunquam retrocedens, nunquam de sua naturali bonitate se retrahens, sed potius domum interiorem prius obscuratam irradiat; sic verus Sol justitiæ civitatis supernæ, cujus sol iste materialis obscuram gerit similitudinem vel imaginem, nihil aliud expectat etiam immobiliter præsto stans ad januam, nisi ut per aliquam abstersionem sibi aditus præpararetur, ut in mente, veluti in lectulo, feliciter conquiescat, per spiritualium splendorum irradiationes animam sibi desponsatam insigniens: et sic a parte recipientis, et a parte influentis irradiatio spiritualis purgationem consequitur. Sed hoc idem manifestatur per ipsorum distantium conjunctionem unitivam. Sicut enim in *Sapientia* dicitur [2], (ipsa sapientia est) *candor lucis æternæ, et speculum sine macula*. Oportet ergo ut sit aliqua consimilata conformitas, quando per veram amoris unionem mens humana candori lucis æternæ unitur, et prius semota ab ipsa omni obtenebrante caligine, speculo sine macula conformetur, vel comparetur. Unde oportet primo quod mens sit quasi speculum sine macula; et statim ad suscipiendum lucis splendores divino radio disponitur, et sic, cum fuerit curata, æternæ sapientiæ conformetur.

Similitudo polchra.

Sed de quo lumine intelligatur, quod mens anagogice consurgens ad tertiam viam unitivam erigitur, sciendum quod sicut sol materialis videtur in corpore terminato inferius, ut ipsum videmus in pariete, videtur etiam in radio suo,

Similitudo solis materialis cum radiis Solis justitiæ.

(*a*) *Cæt. edit. deest titulus.* — (*b*) *Ita Edit. Vatic.; edit. Ven.* si.

[1] *Psal.* LXXXIII, 6. — [2] *Sap.*, VII, 16.

Digitized by Google

scilicet in aere, videtur etiam in seipso, ut in fonte solari : sic radius divinus etiam spiritui apparet tripliciter. Apparet enim in sacra Scriptura, quando, sub cortice litteræ, per aliquod donum intelligentiæ sensus anagogicus invenitur, quo mens sicut per quemdam radium ad amorem sui Creatoris multipliciter et mirabiliter erudita erigitur. De isto radio, qui facit semper splendere spiritum, beatus Dionysius, *de Divinis Nominibus*, sic dicit [1] : « Indicibilia autem casto silentio venantes, ad illucescentes nobis in sanctis eloquiis splendores exercemur, et ab ipsis illuminamur. » Secundus radius a Sole spirituali missus resplendet in spiritu, et his solis radiis mens æternis spectaculis suspensa, cum quadam etiam admiratione ad meditandum de supercœlestibus eruditur de rationibus æternis, vel æterna generatione, vel nexu Spiritus sancti, et de hujusmodi : quia, sicut per solares radios resplendentes in aere, non per aliquod aliud lumen sensibile, oculus materialis ad contemplationem solis erigitur ; sic oculus intelligentiæ per radios immissos a Sole spirituali, non per aliquam aliam disciplinatam scientiam, vel mortalis doctoris industriam, ad cognitionem occultorum supercœlestium elevatur. Et de hac Beatus Dionysius dicit [2] : « Verte te ad radium, » quasi dicat : Non alium doctorem, non aliud exemplar assumas ad percipienda divina ; sed intra teipsum ingredere, et per radios, tibi datos desuper, ad contemplationem divinorum arctius te exerce. Quia sicut rationalis spiritus nobilior est inferioribus creaturis cæteris ; sic nobilius per immissos bonitatis radios apparet divina clementia in ipso. De tertio vero radio, ubi ipse fons totius beatitudinis apparet (quod raptu fit), prætermitto quod fit, quando mens rapitur, a corruptione et sensificatione membrorum carnalium remota, quantum possibile est, gratia trahente naturam, dono Conditoris gratuito mens ad superna rapitur, ipsum facie ad faciem contemplans, cujus glorioso aspectu superna curia jucundatur. De primo radio latitante sub Scriptura est præsens intentio, per quem ad amorem unitivum ascenditur. Secundus radius amorem sæpius comitatur : quia quanto plus per affectiones amoris mens fonti luminis appropinquat, in tantum efficacius, veluti ipsi vicinior (sicut de aurora consurgente videmus, quod primo partes propinquas illuminat), radiis divinioribus adimpletur. Per viam vero tertiam, quando mens suspiriis insatiabilibus suspirat dilecto totaliter uniri, ad tertiam irradiationem, in qua plus agitur, quem agat, divinitus sublevatur, et sibi diutius suspiranti dicitur a dilecto [3] : *Amice, ascende superius*. De hac Dionysius, in *Mystica Theologia*, postquam dixit [4] : « Consurge ignote ad ejus unitionem, quæ est supra mentem, et cognitionem, » ubi tradit amoris unitivi practicam, ubi scilicet ad ineffabile mysterium consurgit affectus, quod ignorat intellectus, postea subdit, dicens ad Timotheum sic : « Sic enim omnia a te auferens, et ab omni irretentibili et absoluto, munde ad divinarum tenebrarum radium sursum ageris. » Unde et in consurrectione unitivi amoris dicit : « Consurge, » quia simul ibi operatur natura, et gratia. Postea dicit : « Sursum ageris, » quia non natura, sed gratia, mens ad experimentalem, et immediatam cognitionem cœlestium elevatur, et per illam animus ad istam disponitur. Sed quia de via illuminativa est præsens intentio, dicendum est quomodo lumen in Scripturis appareat (*a*) ; deinde quomodo per istud lumen ad tertiam viam, scilicet unitivam ascendamus : et quo (*b*) omnibus pateat, quod in omni scriptura sancta iste radius latitat, velut lumen in testa, subditur exemplum in uno, scilicet in Oratione Dominica, ut simul ex universo Novo et Veteri Testamento ab universis veritatis discipulis comprobetur, et ut non sit aliquod verbum, quod non colloquiis sponsi et sponsæ interius repleatur.

[1] Dion., *de Div. Nom.*, c. I. — [2] Id., *ad Tit.*, epist. (*a*) *Cæt. edit.* apparet. — (*b*) quod.

PARTICULA II.

De triplici anagogia.

Nox illuminatio mea in deliciis meis [5], etc. Nox enim hic vocatur obscurus cortex Scripturæ exterior, vel etiam omnis sensibilis creatura, per quam mens interius irradiatur ad hoc, quod anagogice in unitivi amoris deliciis conquiescat. Via enim purgativa respondet ordini Thronorum : nam ibi tunc primo purgatur anima ad hoc, quod primo Deus in ipsa veluti in loco mundo resideat. Ista autem, ut dictum est, respondet Cherubim : Cherubim *plenitudo scientiæ* interpretatur. Tantum autem per artem hujus theoricæ scientiæ lumen acquiritur, et tanta sapientiæ dilatatio in Scripturis, ut quot

[3] *Luc.*, XIV, 10. — [4] Dion., *de Myst. Theol.*, c. I. — [5] *Psal.* CXXXVIII, 11.

Digitized by Google

verba in Novo et Veteri Testamento, quot creaturæ in mundo, tot habeat anima intelligentias, vel sermones, totum ad Deum ad punctum amoris omnia referendo, ut postea apparebit. Tertia autem, scilicet unitiva, respondet Seraphim, qui interpretatur *ardens* : ibi enim in tanto ardore fertur anima in Deum, ut maxime corpus per extensionem affectuum et motuum quandoque mirabiliter affligatur.

Triplicis anagogiæ expositio.

Sciendum est igitur, quod triplex est anagogia : una quæ est de Deo in se, ut mentes cœlestes beatificans in gloria, ut dicitur de David, qui erat quidam homo, ad litteram, qui dicitur optimus propugnator, et moraliter significat animam, quæ ita debet viriliter pugnare contra diabolum, contra ipsum etiam insurgendo, et spernendo, ne seipsam permittat tam vili domino subjugari (*a*), et a dulcissimo Jesu Christo in perpetuum separari. David etiam dicitur Goliam percussisse, signans allegorice Dominum Jesum Christum, qui diabolum superavit, pacem populo suo acquirens, etc. Dicitur etiam David [1] *pulcher aspectu*, inæstimabilem pulchritudinem divinæ substantiæ significans, in suæ pulchritudinis visione, lætitia indicibili lætificantis, in requie beatitudinis æternæ, omnem mentem angelicam et humanam. Unde in *Joanne* dicitur [2] : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et hæc est anagogica expositio, secundum quod Deum beatificantem respicit. Alia est anagogia, quæ respicit Ecclesiam triumphantem, in quantum in sponsi amplexibus totaliter inavertibiliter perseverat, ut Hierusalem ad litteram quædam dicitur civitas. Hierusalem enim civitas optime munita et fortissimis muris circumdata dicebatur : et significat ipsam fidelem animam mortalem, quæ debet interius muniri armis virtutum, gratiæ et amoris, sine quibus armis, nullus unquam potuit, nec poterit diabolo resistere adversanti ; quæ etiam debet exterius muris fortibus circumdata esse, et hoc in honesta conversatione, et quinque sensuum mortificatione, quibus amoris (*b*) unitivi regnantis integritas inexpugnabiliter conservabitur. Secundo in hoc, quod sedes regni dicitur, Ecclesiam venturam fidelium sub Christo principe figurabat, in qua regnat ipse rex pacificus, sub cujus persona quondam dicebat Isaias [3] : *Deus legifer noster, ipse veniet, et salvabit nos*, regens militantem Ecclesiam exemplo vitæ, et verbo doctrinæ. Tertio Hierusalem interpretatur *visio pacis*, quod Ecclesiam triumphantem signat, in qua sunt habitatores pacifici, qui illius felici præsentia gratulantur, dicentes, et clamantes, et gaudiorum civitatis æternæ superplenissima præmia admirantes [4] : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Et hæc est anagogica expositio.

Anagogia quid.

Proprie dicitur anagogia idem, quod *sursum actio*. Ubi etiam recte inter sursum actum, et illum ad quem supra se aspirando ardentius elevatur, distantia annotatur. Unde proprie, neque inter beatificantem Altissimum, et illos quos ipse pax vera beatificat, neque similiter e contra, est proprie sursum actio extensiva ; sed potius tanquam cum rege existentes feliciter in thalamo, in ipso tranquillitate admirabili conquiescunt, et tanquam supra se jam in ipso existentes, ad ipsius unionem, vel imitationem desiderabilem, ulterius non aspirant. Sed hoc proprie sponsæ adhuc a sponso peregrinanti competit ; quæ adhuc tanquam distans, ipsi insatiabilibus suspiriis uniri desiderat : quod in separatione animæ a corpore in tranquillitate vitæ plenissime obtinebit, secundum quam sapientiam anagogicam currunt Cantica Canticorum, cum dicit [5] : *Osculetur me osculo oris*, etc. Et illud [6] : *Trahe me post te*, etc. Et iterum [7] : *Veni, dilecte mi, et egrediamur in agrum*, etc. Quæ petitiones nihil aliud sunt, quam ignita suspiria, et inquietæ affectiones, dilectum ad sui sursum actionem felicius obtinendam ardentius provocantes. Similiter, et ex parte sponsi ad sponsam, cum dicit [8] : *Aperi mihi, soror mea, sponsa mea.* Et iterum dicit [9] : *Veni de Libano, veni*, etc. Et iterum dicit [10] : *Surge, propera, amica mea*, etc. Quæ sponsi colloquia nihil aliud sunt, quam radiationes scintillantes emissæ ab ipso, affectum ad ardentiora desideria, et inquieta suspiria, importune incitantes.

Per quid ars anagogica acquiratur.

Acquiritur enim ista ars magis per amoris unionem, secundum quam, ut dictum est, præsens est intentio. Hanc ubique inclusam in sacra pagina ostendentes, exemplum ponamus in uno, ut simile in aliis sacræ paginæ locis idem ostendatur, et ne longius hoc exemplum

(*a*) *Cæt. edit.* subjugare. — (*b*) amore.

[1] I *Reg.*, XVI, 12. — [2] *Joan.*, XVII, 3. — [3] *Isa.*, XXXIII, 22. — [4] *Psal.* LXXXIII, 11. — [5] *Cant.*, I, 1. — [6] Ibid., 3. — [7] Ibid., VII, 11. — [8] Ibid., V, 2. — [9] Ibid., IV, 8. — [10] Ibid., II, 10.

Digitized by Google

protraham, primo subditur in Oratione Dominica :

Oratio-nis Do-minicæ anagogi-ca declara-tio.

Pater noster, etc. Sicut enim in sensu litterali artificialiter procedendo, sic etiam in anagogico primo captatur benevolentia infundentis; secundo petitiones suas multiplicat. Sed primo ab ipsa dilectus in tribus præcipue commendatur, captando ipsius benevolentiam in suis petitionibus, ut sua beneficia conferenti Domino adscribens, idem Dominus favorabilior habeatur, primo ut perfectæ et spiritualis generationis principium; secundo, ut suæ bonitatis velut quoddam diffusivum; tertio, in habitaculi et mansionis dignitate, qui tanquam Rex præcellens habitare non dignaretur, nisi ubi est firmum habitaculum, sive tabernaculum, et decore multiplici interius decoratum. Primum per *Pater*, secundum per *noster*, tertium per *cœlis* importatur. Primo illud, quod est secundum proprietatem vocabuli, anagogice ad sensum mysticum transferendo. Verbi gratia : Pater ad litteram nihil aliud est, nisi qui de se aliquid emittendo filium progenerat; sic, anagogice transferendo, verissime pater ille dicitur, qui tamen non naturaliter, sed adoptive multos filios generat, a se germen amoris deificantis emittendo : quo mens perfecta nativitate gignitur, quando vivere jam in vera vita incipit : sine quo a natura quantam ad verum omne nihil penitus efficitur, verius et efficacius progrediens, quando de Deo vero, qui est vita, nascitur per amorem, quam quando de nihilo, quantum ad esse naturæ, in nativitate culpabili duxit primordialem originem, a quo non tantum ut principio affluentissimo vitam emittente (*a*) cœlitus generatur, ab ipso sensum et motum spiritualem recipiens, qui veræ vitæ principaliter attestantur, sed usque ad perfectam ætatem claritatis æternæ, et quando ipse videbitur facie ad faciem, micas panis consolationis internæ recipiens, scilicet Dei corroborantis et confortantis amorem, ab ipso paterno affectu misericorditer educatur. Et hoc totum importat hoc quod dicit, *Pater*, mystice occultatum, ut est totius vitæ fontale principium. Sequitur *noster*, ubi laudatur ipsius beatitudinis inclusæ diffusio, quasi dicat : Tu es ille, qui ratione tuæ latissimæ bonitatis, non singulares personas consideras, sed omnes rationales spiritus, quantum ex te est, per immissos a te radios ad te trahis, ut non aliqui, quantumcumque excellentiori et præclara religione eminentes, te fontaneam bonitatis originem sibi appropriare valeant, sed ut non sit mens humana, vel angelica, quæ se abscondat a calore tuo naturaliter abstractivo. Et hoc per *noster* anagogice importatur.

Sequitur : *Qui es in cœlis.* Hic captatur benevolentia a ratione excessivæ, vel præcelsivæ mansionis. Cœlum inter alia præcellit triplici proprietate : est enim continue mobile, firmum, et variis sideribus in ipso refulgentibus adornatum. Hoc ad sensum anagogicum transferendo, sponsa sponsum in suo cubiculo collocans, in secreto cordis armario debet hac proprietate triplici adornari. Primo quod sit firma, et secundum hoc loquitur sic : O dulcissime, tu qui es in cœlis, id est, illarum mentium thalamum inhabitans interiorem, jam non tantum præsentialiter, potentialiter, et essentialiter, ut in aliis creaturis; sed vere teipsum, qui es hospes jucunditatis et solatii, sensibiliter et familiariter repræsentans, his qui, ob amorem tuum efficacius obtinendum, vale facientes cæteris delectationibus, dederunt libellum repudii, et tibi soli quietanti mentes in amore viventes, continua suspiria, impedimentis resecatis, glutino amoris suavissimi colligati, tibi firmissime et ineradicabiliter adhæserunt, ut sit etiam ipsis *fortis ut mors dilectio*, ut in *Canticis* [1] dicit (*b*) ad suam radicationem firmiorem sponsa proclamans ad paranymphorum subsidia, scilicet angelorum, quibus tamen sociis adjuvatur, ita dicens [2] : *Fulcite me floribus*, id est, fulcite, obsecro, irreverberatis affectionibus, non a vobis, sed a dilecto per vos hoc obtinere cupiens : *stipate me*, vos qui videtis eum facie ad faciem, vestris consolationibus, ipsum ad mihi subveniendum uberius provocando, *quia langueo*, calore unitivo æstuans ipsum totaliter amplecti desidero, quem adhuc paupercula, in miseria existens, tam jucundum Dominum experimentaliter præcognosco. Sequitur alia proprietas, *continue mobile* : tunc enim mentem verissimus sponsus æternus certissime visitat, et eam inhabitat, quando non jam laboriosa tarditate in unitivis motibus, sicut cum esset in status incipientis exordio, se sursum erigendo affligatur, sed diuturno exercitio tantam (*c*) agilitatem affec-

(*a*) *Cæt. edit.* emittendo. — (*b*) Dicitur. — (*c*) *Cæt. edit.* tantum.

[1] *Cant.*, VIII, 6. — [2] *Cant.*, II, 5.

Digitized by Google

tionum divino meretur beneficio, et gratiam affluentissimæ largitatis accipere, ut quotiescumque vult, quasi sine afflictione inquietativa suorum desideriorum dilectio mentis, ut sursum ardenter agatur, afficitur, tunc ipsam Deus virtutum spiritualiter inhabitat, non tamen actu continuo (quod est super vires conditionis humanæ, propter laxationes virtutum), sed continua habilitate motus amoris, secundum libitum suum, eliciente facilitatur, et affectus motui firmamenti similatur. Unde qui in primis lento gradu et debili, vago et tepido ad modum testudinis ambulabat, nunc currendo celeriter, ita ut montes et colles, id est, dignitates tam ecclesiasticas quam mundanas ipsas vilipendendo transiliat, et hoc est quia in parte exaudita est ejus petitio, cum interius voce suspiriorum diutissime proclamet ita : *Trahe me post te.* Quia ergo tracta est ab illo, qui solus potest ipsam supra se eminentius elevare, prius lenta, jam currit in odorem unguentorum suorum, quia nimirum ardentioribus desideriis, plus solito, ad sponsi amplexus erigitur, quia de xeniis Hierusalem civitatis supernæ veluti quibusdam micis cadentibus de mensa dominorum suorum, quæ experimentaliter præcesserunt, degustavit. Quia ergo non tantum sponso aperuit, ob cujus amorem mundana gaudia ipsam obfuscantia conculcando respuit; sed pulsanti ad ostium, cupienti introire, in occursum perrexit (*a*), in affectiones flammigeras consurgendo, qui non propter seipsum, sed propter ipsam intrando inhabitat, cibum solidæ affectionis apportans ut cœnet cum ea, et ipsa secum. Sic enim in loco continuo mobili dilectus requiescit.

Sequitur de tertia proprietate, *diversis sideribus adornatum.* Cum enim virtutes efficaciore virtute, sive purgatiore, indigeant, nondum plene floridus et præclarus dilectus mentem inhabitat, cum inordinatio virium, et immodesta delectatio sensuum, mentem nubilosa caligine obtenebrent; et quia lippos adhuc habet oculos, non est accepta acceptione gratissima æterno Jacob, qui Deus altissimus est, cujus pedibus omnia sunt subjecta, ut ab ipso in copulam desponsationis individuam assumatur. Quare? quia nulla convenientia lucis ad tenebras. Sed cum virtutes sunt purgatæ, lumine virtutum clariori, ab interiori immunditia, ut mens virtutum splendore fulgeat, sicut firmamentum sideribus resplendet, ita ut suæ irradiationis claritate multiplici, et dignitate sui luminis aspectu sponsi ad sui placidam conspectionem promoveat, ut etiam luminosa gratiæ et virtutum in mente multiplicata claritate, placidas exterius in conspectu hominum faciat apparere, et sic ipsum dilectum altissimum in suo decore jam provocat, ut ipsam familiarius inhabitare dignetur. Quod cito assequitur, cum ipse dilectus istud amplius quam ipsa desideret, ut prius mendica, modo regina; quæ (*b*) prius mundanis deliciis intenta miserabiliter sedebat (*c*) ad sinistram, modo transformatione amoris transeat ad dexteram; quæ etiam prius offuscata et involuta peccato levitatis, modo pretiosissimi amoris auro textum induatur (*d*) vestimentum; prius sordida diversis vitiis, modo formosa virtutum fulgentium multiplici colore refulgeat in tantum, ut paranymphi, id est, amici sponsi, scilicet angeli, purgationem victoriosam aspectantes (*e*), dicant sponso [1]: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato.*

Prima petitio.

Captata benevolentia, subditur de petitionibus. *Sanctificetur nomen tuum.* Septem petit, quorum prima quatuor boni adeptionem, alia mali remotionem respiciunt. Primo enim petit illa quatuor, ut dilectum suum sine contrario retardante possideat; secundo, ut non, in aliquo se obliquans, limites regularum veritatis transiliat; tertio, ut ipse beatissimus non tantum sibi id quod ipsa sentit, sed omnibus aliis peccatoribus per ipsius misericordiam innotescat; quarto, ut in consecutis ab ipso beneficiis, per ipsius manuductivam sustentationem inavertibiliter in omnibus perseveret. Primo (ut dictum est) vocabuli proprietas assumitur, ad sensum anagogicum transferendo *sanctum*, et idem est quod sine terra. Sine terra ergo efficiatur nomen tuum in me, quod nomen est mirabile. Unde in libro *Judicum* dicitur [2]: *Quid quæris nomen meum; quod est mirabile?* Tunc enim mundanis deliciis deturpantibus, et imbuta terrenis desideriis anima malo (*f*) vivens in amore, tranquillitatem serenam ingentem intelligere, cordis lætitiam nec sentire ullatenus potuit, quia erat homo, et non Deus, carnalis, et non divinus : amore deificante, est ab ho-

(*a*) Porrexit. — (*b*) *Cæt. edit. deest* quæ. — (*c*) *Al.* Sedeat. — (*d*) induitur. — (*e*) acceptantes. — (*f*) male.

[1] *Psal.* XLIV, 10. — [2] *Judic.*, XIII, 18.

Digitized by Google

minibus omnibus separatus, cum equis terrenis, scilicet affectionibus ineptis, insensatis et carnalibus desideriis traheretur, secundum illud Isaiæ [1] : *Ægyptus homo, et non Deus.* Sed cum extensionibus ignitis aliquantulum ad experimentalem et diviniorem lætitiam mens amantis attingit, cum nondum terrenis affectibus se sentiat expeditam, quia ad hoc virtus propria non sufficit, sciens se duo contraria simul non posse possidere, terrenam ponderositatem, ob carnem corruptibilem inferius attrahentem, petit a dilecto instantius removeri : cum prior oblectatio respectu dignitatis sequentis lætitiæ jam vilescat; cum ratione oppositionis, spiritualis jucunditas prioris gaudii denudet amaritudinem; cum radius interior, licet non sit in perfecta plenitudine, tamen mundi deceptionem et turpitudinem apertius manifestet, ut sic rubigine consumpta, igne amoris levis effecta, pennis affectionum superius elevata et stupefacta, admirabilem in præsenti certissime sentiat, quem advenam ignorabat, ut per multas affectiones, et continuata desideria multo tempore desideratum inveniens, dicat admirans præ gaudio [2] : *Vere tu es Deus absconditus.* Tunc enim nomen quod est mirabile sanctificatur, quando in sua petitione exauditur, ut terra remota, id est carnalitate, solus sponsus cum sola sponsa mirabiliter præsentetur.

Secunda petitio.

Adveniat regnum tuum. Tunc enim regnum Dei in animam venit perpetuo solio stabilitum, quando in tantum virtus ardentis amoris prævalet in spiritu, ut non solum inordinationes interiorum sensuum velocissima insurrectione viriliter comprimens, domina totius regni spiritualis appareat, sed cum virtute ipsius amoris omnia acta judicio rationis præsentantur, ut illud, quod plus dilecto placere decreverit, semper in omni actu exerceat, jam se cum suo corpore in obsequio ipsius dilecti annihilans, per radios immissos ab ipso præcogitans quæ beneplacita sunt illi, et ipsa cum discretione inavertibiliter exequatur. Et si non semper actu, hora tamen consueta faciat orationem, nisi aliqua de causa exteriori, vel majori obedientia præpeditus : voluntas tamen in conspectu dilecti appareat non inanis, ut jam in omnibus *non quærat quæ sua sunt,* sed quæ Dei, secundum Apostolum [3], ut jam in ipsa regnet solus Deus, cum jam seipsam voluntas sacrificium medullatum obtulerit : quia justum est, ut in ipso, a quo creata est, finaliter conquiescat, ipse solus in ipsa solus resideat, ut sub ipsius regno reservetur intacta, ut in ipso refrigerium suave inveniat, et dicat præ gaudio [4] : *Sub umbra illius quem desideravi, sedi.* Et subdit rationem : *Quia fructus ejus dulcis gutturi meo.* Tunc enim vere regnum advenit, quia sub umbra illius Altissimi sedet, qui est Rex regum, et Dominus dominantium : quem ipsa perfecte obtinet, quando, ut dictum est, voluntatem suam, secundum quod humanæ fragilitati competit, Deo totaliter consecravit, nulli creaturæ penitus subjacendo.

Tertia petitio.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Cum enim vere non diligat, nisi quem diligit, et velit eum ab omnibus venerari, petit sponsa (quæ per cœlum signatur, ut dictum est) ut id, quod sentit, aliis peccatoribus (qui per terram denotantur) misericorditer innotescat, ut ipse, qui solus est colendus et insatiabiliter adorandus, sic se benignum in sua revelatione peccatoribus exhibeat, ut scintillam veritatis, et stillam roris ipsum unice attingentis, ipsorum mentibus impartiendo distribuat : ut omnis lingua exardescentis affectionis interior, qua solus spiritus creatus spiritum increatum alloquitur, confiteatur experimentaliter cognoscendo, ubi est ineffabile judicium, quod [5] *Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris,* diligentibus ipsum, et derelinquentibus terrena gaudia, ad multo illis pretiosiora munera multipliciter conferenda. Secunda ratio quare in gloria Patris esse dicitur, ut per amoris desideria vere diligentem ipsum ad suæ integritatis unitatem misericorditer erigendo, suæ sollicitudini compatiens, in sinu suo immobiliter collocet, sicut Dominus dicit [6] : *In perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Ait ergo : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo,* scilicet firmo, continue (a) mobili, diversis luminibus adornato, ut dictum est anagogice reducendo; *et in terra,* id est, peccatoribus, scilicet qui non immerito terra proprie nominantur, quia longe a regione ignis sunt positi, per cujus consumptionem purgativam anima levigatur,

Peccatores terra sunt.

[1] *Isa.*, XXXI, 3. — [2] *Isa.*, XLV, 15. — [3] *Philip.*, II, 21. — [4] *Cant.*, II, 3. — [5] *Philipp.*, II, 11. — [6] *Jerem.*, XXXI, 3.

(a) *Cæt. edit.* continuo.

Digitized by Google

ut in terris existens, cœlestes amando et desiderando obtineat mansiones, quia ubi amat, ibi proprie inhabitat. Hoc nomen *terra* non potest exponi anagogice per essentiam, sed tantum per causam : quia sicut amor est causa, ut mens omnia bona per amorem obtineat, sic absentia illius est causa omnis defectus, scilicet pœnalis et culpabilis, id est, venialis et mortalis. Et hoc est quod dictum est, quod peccator terra dicitur, quia a levitate amoris igniti distantius elongatur : et in talibus, quæ culpam dicunt, vel defectum, est ars alia exponenda anagogice, vel quia proprietatem de se non habent, quæ sponsæ tendentiam ad dilectum respiciat, et alia quæ hic exponuntur per amoris absentiam : sicut alia creatura, vel scriptura, aliquam proprietatem habet in se inclusam, qua sponsa ad sponsum erigitur, ad sensum anagogicum transferendo, ut sicut unitivi amoris præsentia fit causa omnis boni, sic ejus absentia occasionaliter est præsentia omnis mali, non quod carentia sit aliquid in spiritu, sed quia, per carentiam amoris, anima non habet retinaculum, jam vaga per devia, quasi effrenata, discurrit, et incurrit omnem miseriam; et non immerito, quia [1] *denigrata est super carbones facies ejus*, et in tantum viluit regio diademate privata, scilicet Deo omnipotenti amatore suo, quod [2] *omnes amici ejus spreverunt eam*, scilicet angeli, *et facti sunt ei inimici*, quia jam non est ipsis mentibus cœlestibus conformis affinitate amoris, ideo ipsi, scilicet animæ, inimicari dicuntur, quia a sui subsidio, scilicet Deo omnipotenti, privata regali signaculo elongatur. Non igitur immerito dicitur, quod anima caret omni bono, cum amore privatur, quia iniquitates suæ diviserunt inter se et Deum suum, scilicet illum quem [3] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, quem *præparavit Deus his qui diligunt illum*. Subtiliter ergo et luculenter ista meditetur, quomodo per causam, vel per essentiam, vel per amorem salientem in vitam æternam, claritatis æternæ ampliorem radium, gaudium haurientem, in his se exerceat : quomodo etiam ista quæ nunc dicta sunt manifestissime comprobantur.

Quarta petitio.

Panem nostrum, etc. Pro se enim et pro aliis, per augmentum amoris sursum agi desiderat, ut supra se elevata fonti totius beatitudinis existens propinquior, sic in verbo refectibili satietur vere, ut in ipso immutabiliter confirmata, delectationem inferiorem miserabilem, tanquam ea non indigens, de cætero non mendicet. Scit enim quod statim ad creaturæ vel carnis consolationem cito prolabitur, si non refectione supercœlesti, pane videlicet angelorum, qui est amor, cujus haustu sugens delicias in fonte beatitudinis æternæ continue aliquantulum satietur. Ideo panem petit, id est, augmentum amoris, quo solo infirma solidantur, et debilia fortificantur, et famelica satiantur. Et petit ipsum *hodie*, sed *quotidianum* præmittit, ordinate procedens.

Panis quotidianus quid

Quotidianum nominat, quia nec per diem, nec per horam, nec per instans potest mens vera vita vivere, nisi stilla roris vivificante continue perfundatur : quia sicut anima est vita corporum, sic amor vita spirituum. De qua etiam de his pro quibus anima non sufficit, paranymphi, dilecto referendo gratias, dicunt illi [4] : *Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine*, quæ non est ad tempus momentanea, ut est vita corporis, sed *in longitudinem dierum*, usque in sæculum, et in sæculum sæculi permanebit : quia amor, quo sponsa vivendo totaliter adamavit sponsum, non deficiet in futuro, sed tantum augmentabitur, ut compleatur sermo propheticus, quem ipse Altissimus per os Isaiæ edidit, dicens [5] : *Dicit Dominus cujus ignis est in Sion, et caminus in Hierusalem*, etc. Vel aliter potest dici, secundum quod de mente anagogica est præsens intentio. Nisi enim semel in die pane sensibili corpus reficeretur animale, corporalis fortitudinis amitteret vigorem : sic nisi mens in motibus amoris unitivi, semel in die aspirando ad osculum se extendat (nisi forte quandoque in agrum ad se exercendum exiverit, vel aliqua modesta requie corporali, vel aliqua de causa spirituali), vix est quin in seipsa efficiatur tepida, et de perfectione suæ altitudinis aliquid non amittat : nec mirum, quia sponsus præstolatur ad ostium, dicens [6] : *Surge, propera, amica mea, et veni*. Si ergo in nimia moræ protelatione se absentat, ipse non immerito indignatur, et ab ipsa se subtrahit ad tempus sæpius. Et licet ita intenso habitu, ut prius, hunc diligat, tamen dicit [7] : *Quæsivi per noctem, quem diligit anima mea; quæsivi, nec*

[1] *Thren.*, IV, 8. — [2] Ibid., I, 20. — [3] I *Cor.*, II, 9; *Isa.*, LXIV, 4. — [4] *Psal.* XX, 5. — [5] *Isa.*, XXXI, 9. — [6] *Cant.*, II, 10. — [7] Ibid., III, 1.

Digitized by Google

Quid sit per noctem quærere sponsum

inveni. Hoc est proprie per noctes quærere, videlicet per creaturas consurgere, et dilectum in eisdem quærere, ut quidam dicere voluerunt, quod quærere per noctes, erat quærere per creaturas, vel per vestigia creaturarum: sed hoc anagogico et unitivo motui non convenit, cum sine omni speculo, affectus, amore sublevante, ipsi fonti bonitatis æternæ inhæreat. Sed tunc per noctem dicitur quærere, quando aliqua de causa mens in suis sursum actionibus impeditur, ut in quem primo lucide, et expedite, et præclare sine tenebra movebatur, quandoque caliginosam se sentiat, ut etiam affectus a cogitatione phantastica in illo, in quem movetur, vix valeat separari: quod fit quandoque propter suam negligentiam, vel aliis de causis, ut postea apparebit. Quæsivi ergo, et non inveni in tanta agilitate affectionum ardentium, ut solebam.

Quid importet hodie.

Petit etiam *hodie*, hoc est, in præsenti vita, ratione æternitatis, quæ est simplex et unica, quæ in amore viventibus incipit in præsenti vita: quia amor ille, quo sponsus in vita ista diligitur, idem est numero cum illo, quo in æternitate gloriæ gubernatori omnium unietur. Et hoc est, quod dicitur *hodie*, quod unitatem et claritatem signat. Et ideo præsens vita dicitur, ut dictum est in ratione continuationis. Præsens dicitur, quia, cum amore inhæret verius et veracius vino et pane reficitur, quam aliquod corpus alii corpori sensibili per aliquod glutinum, vel vinculum materiale copuletur. Et hoc est quod ait divinus Apostolus, aspirantis animæ unitiva suspiria collaudans [1]: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*, etc. Bene ergo debent præsentia non immerito appellari, ubi non tantum præsentialiter sponsa dilecti astat aspectibus, sed cum ipsa *unum* a divino Apostolo, hierarcha istius sapientiæ, nominatur. *Hodie* etiam lucem importat, quia tunc sibi vere oritur sol justitiæ, cum radiis solaribus ad superiora instruitur elevari; et ideo in *Canticis* aurora meretur appellari, ubi dicitur [2]: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Tunc enim pane vitæ jam incipit refici, cum ad modum auroræ crescendo, et in amorem se elevando, virtute ipsius amoris in motibus egredientibus se sentit experimentaliter sursum agi. Quod experimentum (ne facultas errandi indoctis et pueris detur) nihil aliud est, nisi expeditio motuum, et consurrectio ardentissima per eosdem; quod non minus a mente exercitata percipitur, quam oculus corporalis bovem sensibilem transeuntem per semitam contempletur. Quod ad præsens supponitur, cum in sequentibus hoc argumentis irrefragabilibus comprobetur. Quia ergo sibi jam incipit æternitas, et sponsi præsentia, et lux etiam refulgere interius, dicit de talibus magnus hierarcha apostolicus [3]: *Nostra conversatio in cœlis est*, quia est jam lux solis justitiæ super terram, id est, mentem amantem adhuc terrestri corpori sociatam, per quod, licet a sui tendentia multipliciter retardetur, tamen flante austro manuductivæ inspirationis per radios divinitus immissos ad diviniora suscipienda desuper aperitur, cum maxime a parte inferiori respectu mundanorum delectabilium obturatur. Et hæc superior portio, quæ Deo unitur, et pane etiam vitæ et amoris reficitur, licet a parte inferiori terrestris, non cœlica, multas importunitates sentiat sæpissime, vel invita. Claudat ergo, quantumcumque potest, affectus ostium, ne ad inferiora respiciat; sed ad divina sursum actione fideliter ad hoc aspiret, ut sibi a dilecto dicatur jam cœnante cum ipsa [4]: *Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus:* qui hortus dicitur florens rosa odoris: qui ideo conclusus dicitur, ut nullus adversarius, vel propinquus, particulam veri amoris obtineat, nisi ille de quo dicit, qui solus ratione suæ floridæ honestatis nihil aufert penitus, sed potius reficit, de seipso jucundum perhibens testimonium, dicit [5]: *Ego flos campi, et lilium convallium:* qui non extra ipsam, sed potius interiorem habitationem appetens, et ad hoc efficacius implendum, menti pauperculæ Altissimus se invitans, ut ipsam vino et pane reficiat, id est, consolationem jucundæ divinitatis tribuat, sic dicit [6]: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, quia caput meum plenum est rore.* Jam conditionem provocatricem apponit, et multiplicem, ipsam multipliciter et dulciter provocando, ut ex parte dilecti plena designatio habeatur, quod per ipsum non steterit, quin mens profundis beneficiis, donis et fulgoribus plenarie repleatur. Caput plenum rore nominat, quia sicut a capite descendit motus et sensus ad membra inferiora, quæ vitam veraciter attestantur, sic ab ipso Altissimo, qui caput est totius

[1] I *Cor.*, VI, 17. — [2] *Cant.*, VI, 9. — [3] *Philip.*, III, 20. — [4] *Cant.*, IV, 12. — [5] Ibid., II, 1. — [6] Ibid., V, 2.

Digitized by Google

Ecclesiæ, vita amoris, et sensus lætitiæ unitivis (a) mentibus illabuntur.

Quinta petitio.

Et dimitte nobis debita nostra, etc. Ubi requirit sponsa a tribus instantibus liberari : primo, a malo culpæ venialis, quia mala mortalia elongata sunt ab ipsa propter ipsius radicationem in Deo ab ipsa dilecto ; secundo, a malo periculi, quod est utrumque, et culpæ et pœnæ, respiciens : tertio a malo pœnæ, per quod contractum in culpam frequenter incidimus.

Primo a malo venialium quærit sollicite liberari, quod nonnisi per donum amoris poterit ab ipso totaliter obtineri. Quia enim mens luminis nihil habet, nisi in quantum præparando se a suo sole spirituali, ipsi præparatæ se inavertabiliter infundente, irradiationem recipit. Quando vero per inordinationes virium interiorum, vel ineptas delectationes sensuum, quærens alibi requiem quam in fonte bonitatis, vel beatitudinis, aliquantulum ab ipso obliquatur, et obliquata dispergitur, nisi ab ipso lumine fonte claritatis illustretur. Anima enim per venialia aliquantulum obfuscata, quærens alibi delectari, quasi ille sibi non sufficeret, qui sola visione pulchritudinis suæ et attractu dulcedinis reficit omnem mentem angelicam et humanam, non immerito a suo desiderio retardatur.

Petit ergo ardentissime (b) liberari, ne a suavibus desideriorum eloquiis sponsus, ad sui subsidium vel subventionem vocatus, retrahatur : et ideo sub persona gementis, terrenas cogitationes extirpare radicitus non valentis, dicitur in libro Sapientiæ [1] : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Cum enim multa de inferioribus cogitat, et voces creaturarum recipit afficientes interius, in tanto a summis subventionibus distantius elongatur. Quia in quantum mens plus circa diversa cogitando distrahitur, in tantum minus in fonte beatitudinis adunatur ; et tunc corpus animam aggravare dicitur, quia quodlibet horum ad locum sibi (c) naturaliter competentem tendit. Ideo est ibi pugna continua, et mentis aggravatio, quia anima tendit ad Deum, qui solus est locus naturaliter sibi sufficiens ; corpus vero, ratione ponderositatis, semper habet circa terrestria delectari.

(a) *Edit. Ven.* unitivus. — (b) *Cæt. edit.* attentissime. — (c) sibi locum.

Vel aliter potest dici, ne propter suam offuscationem et obliquationem a decorante lumine in tanti sponsi præsentia, quem intimis visceribus amplecti desiderat, indecenter ornata judicetur ab ipso, cum minus speciosa sponsa ejus illi appareat, qui in ipsa solum pulchritudinem interiorem ad sibi sponsam assumendam specialiter contemplatur : quia tunc est acceptum ejus eloquium, quando per mentis interiorem pulchritudinem supercœlesti pulchritudini conformatur. De qua ipsam præcipue admonet, in Canticis dulciter alloquens hanc [2] : *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora*, quia tuus affectus non sapit nisi cœlestia, et facies tua non est multitudine venialium, vel carnalibus affectionibus deturpata. Ideo tuum mihi suave est colloquium, cum hoc clamo, te per pulsum affectionum alloquens ; et *facies tua decora*, et ad dignitatem nuptiarum regalium præparata, quia [3] *non est macula in te*, quæ tamen non nisi per sanctum amorem extinguitur. Quia cum mens consurgendo ad unitionem quæ immediate per motum amoris acquiritur, prius obliquata rectificatur, ut per istam rectificationem et consurrectionem, affectus tanquam gutta aquæ, quæ cadens in ignem culpæ venialis per sui concrescentiam vel adunationem importunum nullo modo valeat ingerere nocumentum. Illa etiam *debita* cognominat, quibus obligati propter illam, ratione justa alicujus pœnæ debitores efficimur, cum mens in ipso qui est vera beatitudo minus delectatur, cum ex deliberatione alibi quam in ipso requies appetitur, qui solus mentis humanæ desiderio est plenissimus et sufficiens consolator, ita ut ipsamet veritas de sua plenitudine protestetur, ad suam sufficientiam alios provocando, sic dicens [4] : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis*, in superiorum affectionum laborioso exercitio, sed tamen dulci : quia cum propter elongationem incolatus miseriæ, et dilationem gloriæ, oneratos vos esse dicitis, et corporeæ sarcinæ corpulenta substantia retardari, *et ego reficiam vos*, non alius, qui sum sapientia æterna oriens ex alto, qui divinas consolationes vestra desideria quietantes, non tantum in futuro, sed impertiar etiam in præsenti. Nam *quia mitis sum, et humilis corde*, ideo provocantibus meam affluentiam per continua desideria me inclino, non paupe-

[1] *Sap.*, IX, 15. — [2] *Cant.*, II, 14. — [3] Ibid., IV, 7. — [4] *Matth.*, XI, 28.

Digitized by Google

res despiciens, quia humilis sum corde : quia in quantum terrenis divitiis mens fuerit pauperior, in tantum ad regales nuptias veluti conformior, super humanæ naturæ limites, mihi uniendo, citius elevabo. Quod vos non per speculationem attendatis, sed videte per gustum interius præeuntem : quia non videbitis, nisi sermonem Prophetæ impleveritis, sic dicentis [1] : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* quia tunc erit requies, et proprie murmur aspirantis animæ jam cessabit, cum Creatorem seipsa majorem in seipsa persenserit quiescentem : et hoc est, quod postea dicitur : *Et invenietis requiem animabus vestris*, et tunc amoris jugum erit leve, et onus facile. Nam jugum amoris sua dignitate et jucunda allicientia sic ligat interius voluntatem, ut nihil pœnæ sentiat, qui cervicem suam supposuerit ad jugum suavissimum sustinendum. Nam contra consuetudinem aliorum jugorum, illud manifestissime suis sustinentibus comprobatur : nam aliud jugum trahentes, ab ipso cervices inclinant inferius; jugum autem illud in tantum sustinentes elevat, ut commorantes in terra, faciat in cœlestibus habitare, ut supra nosmetipsos extendendo, spirituum concives faciat supernorum. Ideo vere leve dicitur, quia ab inferioribus mentem allevians, et ipsum ad superiora supra seipsum statuendo est levigans. *Suave* etiam dicitur, quia ipsum sustinens, vivit vita angelorum, non hominum, quamvis modo imperfectius, sed in separatione corporis et animæ plenissime feliciter obtinebit. Vel ideo *suave* dicitur, quia in tanta lætitia et jucunditate interioris animæ facit vitam istam amaram deducere, quia sibi jam vita gloriæ incipit, ut jucunditas mentis pœnalitates corporis propter sui abundantiam exuperet absorbendo. *Leve* etiam dicitur propter interioris animæ pinguedinem, veluti carnem pinguem, et pinguedine repletam carbonibus in veru appositam, ut frigoris egestas, vel æstas, vel calor importunus non sibi ingenerent aliquod nocumentum, ut merito præsentiat, quod sibi antea sponsus promiserat, dicens [2] : *Ego protector tuus sum*, cum jugo meo suavi alliceris : *Et merces tua magna nimis*, cum me in gloria videbis, meipsum, non aliud, tunc tuæ militiæ stipendium recipies; sed *nimis*, quia tuum gaudium usque ad completam cognitionem non tibi subtraho, sed cum meum jugum sustines parum in miseria, qualis ero in gloria, misericorditer tibi communico.

Jugum Christi amore Dei fit suave.

Sexta petitio.

Et ne nos, etc. Tunc enim mens in tentationem inducitur, quando tantis blanditiis, vel seductionibus mens illaqueata volvitur, ut jam in parte consentiat huic necessario operi, ad quod inclinari a seductore versutissimo instantius admonetur. Petit ergo sponsa, non de dilecti continua subventione diffidens, sed carnis humanæ fragilitatem considerans, ut ab isto periculo liberetur : quo tunc scit se firmiter liberari, quando benignissimo protectori per radiantissima amoris desideria præsentatur. Et ideo obnixe semper intendit per affectiones sursum agi, ut illum mereatur attingere, et suis affectionis clamoribus provocare, de cujus misericordia confisa, hostium cuneos, tentatores fortissimos conspuendo, ob dilecti confidentiam vilipendit, qui sibi jamdudum per Psalmistam promiserat [3] : (Qui in me speraverit), *liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Item alia est ratio, videlicet propter importunas hostium insidias, qui in tantum, secundum quod adversari permittuntur, concurrentes in sponsam insaniunt, in quantum Creatori immediate subjecta, se ab ipsorum dominio distantius elongavit, et quod fortiori tentatione non prævalent, multiplici importunitate, et frequentia tentationis multiplicis, hanc furibundius persequuntur, sperantes hoc, quod [4] *Jordanis adhuc influat in os eorum, et* [5] *sternant sibi aurum quasi lutum.* Tunc enim Jordanis influit in os dæmonum, quando rivulo amoris a fonte bonitatis, vel beatitudinis æternæ, exeunte, per quem vita descendit in spiritum, interrupto, veluti secretissimo aquæ ductu, per partes corporis rivuli mundanarum cupiditatum, et undæ præcipitantes dignitatum terrestrium, suffocato balsamo affectuosi amoris, per quem anima in suis desideriis loquitur, impetuosis fluctibus animam repleverint. Et tunc aurum quasi lutum sternitur, quando amor suavissimus Creatoris suo decore animam pulchrificans, et dignitate præexcelsa insigniens, in amorem creaturæ, faciem superiorem animæ sordidantem, lamentabiliter commutatur. Ideo liberari se postulat, ipsum desideriis provocando, ut sibi ille jam nolit deficere, ob cujus amorem efficacius obtinen-

[1] *Psal.* XXXIII, 9. — [2] *Gen.*, XV, 1. — [3] *Psal.* XC, 14. — [4] *Job*, XL, 18. — [5] *Job*, XLI, 21.

Digitized by Google

dum, terrena gaudia et regnum diaboli conculcavit. Et ideo sibi per Prophetam desideranti dilectus repromisit, ut videlicet suam petitionem non solum exaudiens, sed in sua tentatione tanquam felix dux et comes, sua jucunda præsentia ipsam totaliter liberabit, et pro victoria et fidelitate ipsius pugnando, ipsam corona gloriæ præmiabit, sic dicens [1]: *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione*, etc.

Tertia ratio est, propter quam petit a periculo liberari, quia mens unita Deo jam non quærit quæ sua sunt, felicem insequens magistrum, *qui* [2] *facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*, id est, bonitatis suæ radios in bonis submittens, et deinde per ipsos ad seipsum attrahens, super malos etiam expectans forinsecus, sicut radius solaris ad fenestram clausam expectat, de natura bonitatis suæ nullatenus retrocedens, sed pulsans continue, ne per defectum ipsius conferentis, ullus spiritus rationalis, Christianus videlicet, infidelis aliquis, vel Judæus, divini amoris inopiam patiatur. Qui ergo fideliter diligit, laboret attentius tam oratione interiori, quam etiam spirituali quodam exercitio, cum viderit multiplicem, vel, ut planius et verius proferam, infinitam stragem animarum, ut omnes ad vitam amoris mutui suscitentur, et excæcati oculis interioribus, ad cognitionem perveniant lucidissimæ veritatis. Quia ergo mens unita Deo, ratione amicitiæ, a dilecto potest quam plurima beneficia peccatoribus impetrare, quia fidelium ac veracium amicorum est per omnia idem velle, et idem nolle, et cum ad hoc dat operam sollicitam, potest multam, orando et obsecrando dilectum, auferre prædam ab hostibus, et in hoc indignationem furibundam incurrere, et ideo petit pro omnibus ab ipsorum laqueis liberari.

Sed ultima est ratio, secundum quod magis convenit præsenti tractatui, quia experimento prægnovit, quam suave fuit dilectum tam benignum diligere, hoc morte amarius reputat, quod in modico tantillo consentiat, ut a tam felici consortio, nec modo, nec in perpetuum separetur, imo etiam intolerabile dedecus, ut mens, quæ sentit pie quæ sit ista jucunditas, aurem inclinare ad inimicorum colloquia, mundana gaudia, vel terrenas divitias dignetur, tanquam, quid sit vere bonum, non experimentaliter cognovisset: cum ipsa maxime feliciter edocta, animas peccatrices jurgaverit, quia ab ista fontali bonitate miserabiliter recesserunt, sic dicens [3]: *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Postea subdit ralionem, dicens: *Scito, et vide, quia durum et asperum* (*a*) *est reliquisse te Dominum Deum tuum*, duplicem infelicitatem ipsam significans incurrisse: quia, per malitiam, creaturæ inferiori inverecunde adhæsit propter momentaneam delectationem, justo Dei judicio, non oblectationem, sed amaritudinem potius reportabit, ut qui satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur, quia quanto delectatio mundana spiritus secreta ingreditur, tanto veneno pestifero lamentabiliter anima adimpletur, non tantum malitia, qua spreto Creatore creaturæ adhæsit, sua inferiori vilitate arguit, sed divisio a fonte totius beatitudinis increpat: quia sicut ipse est summum bonum et solum, et ideo omnia dicuntur bona, in quantum ipsum completius participant. Quod non bene participat bonum, non debet aliquid appellari, quod tamen impossibile est: et sic ipse fons jucunditatis et lætitiæ rivulos suæ beatitudinis mentibus impartitur, et secundum recipientium præparationem, quibusdam minus, quibusdam magis misericorditer se infundit. Quando ergo anima dividitur a fonte illo, sine quo nihil est gaudii, nisi in quantum ab ipso inferius derivatur, non est mirum, si anima divisa ab ipso tristis efficitur: quia aquæductus amoris, per quem jucundanter anima a Creatore experimentaliter lætitiam obtinebat, intercisus rumpitur, et ideo continuo corpore, cum se mens infra seipsam colligit, increpatur: quia abscissa non sentit illum, a quo tota jucunditas emanat et descendit, et anima ista considerans, inaudita lætitia circumdatur, et singulare gaudium comitatur, a quo periculo per affectiones, et dilecti desideria totaliter expeditur, et victoriosissime liberatur, quia propter illud quod sentit, subjectas sibi delicias vilipendit, in tantum de inimicis triumphans, ut quod sibi credunt inferre ad ignominiam, ipsa exinde per virilem insurrectionem in ipsis, ampliorem dilecti gratiam, et unionem strictiorem, et coronam gloriæ consequatur.

[1] *Psal.* XC, 15. — [2] *Matth.*, V, 45. — [3] *Jerem.*, II, 19.

(*a*) Vulg. *malum et amarum.*

Digitized by Google

Septima petitio.

Sed libera nos a malo, Amen. Petit hic liberari a multis pronitatibus excitantibus ad peccatum, quia cum supra omnem æstimationem mens experimentaliter edocta, ad intimiorem unitionem aspiret, et ad dilectum suum sursum agi desideret; tamen quandoque, ratione corporis terrestris, et carnis inimicantis, spiritus sursum actioni intentus a cœlis ad sensuum concupiscibilia appetenda obliquatur, et quandoque nitens supra se erigendo habitare per amorem in cœlo, quandoque invenit se per cognitionem in luto. Quia ergo hoc execrabiliter detestatur, ut mens, quæ est totius Trinitatis sacrarium, libidinosas allocutiones recipiat, vel ad aliud inverecunde ex deliberatione se inclinet, propter quod sponso contemptibilis habeatur, petit ab istis multiplici desiderio liberari, non propter pœnam vitandam quæ sibi debeatur, sed ne obfuscationem incurrat, qua possit in aliquo a suo dilecto minus appretiabilis judicari. Unde oportet, quod ad illum benignissimum Patrem, per quem est in vita amoris generata, sic aurem affectus inclinet, et oculum intellectus aperiat interius, ut tanto ardore dilectionis Patri spirituali adhæreat, et ad ejus mansionem aspiret, ut pro ipsius amore obliviscatur patriam et parentes, ut sine contaminatione uniuscujusque causati alterius vel creati, virgineo decore adornata, illi cœlesti sponso concupiscibilis habeatur, cui etiam ille Altissimus communicari cupiens, ipsam ad imaginem suam creavit ex nihilo, totius Trinitatis imagine insignitam, ad sibi solum, tam in via, quam in patria, igniti amoris obsequium impendendum. Audiat ergo jugiter per David Prophetam ipsius admonitionem dulcissimam invitantis [1]: *Audi, filia, et vide, inclina aurem tuam,* etc. Et ita multiplicatis suspiriis per amoris efficaciam plenarie poterit obtinere: quia prima nativitate, quando anima infunditur, has corruptiones carne recipit, quibus sæpe ad inferiora prolabitur. Sic e converso, secunda nativitate, qua perfecte in Deo nascitur, perfecta existit, ordine præpostero caro aspergitur a mente interiori pinguedine, ut per quam anima in prima nativitate fuerat sauciata, in secunda ejus nativitate peruncta affectu amoris unguentum odoriferum distillantis, prius contra ab ipsa recipiat sanitatem: ut mens, ratione obedientiæ inferiorum virium, jam parte reformata, et suo primordiali principio concordans, regnet in carne cœlitus obtenta victoria, sponso laudes debitas referendo, decantet pro dulci beneficio exaudita, scilicet immissione ignis in spiritu, et roris in carne pœnalitates ipsius fœtidas extinguentis, jam ipsum sponsum in affectu libertatis possidens, jam in luce ambulans, jam de somno carnis experrectus ipsius subsidio, jam ad ipsum consurgens, attentius vigilat dicens [2]: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te,* etc. Cum enim jam est a pœnalitatibus liberatus affectus, ut ipsis non subjaceat, vigilare ad januam ipsius incipit ardentius, affectionibus concupiscendo intentius, ut ab ipsa intentione jam caro silere incipiat, et spiritui consentire, cui diebus omnibus anima fuerat inimica. Sic ergo patet per simile datum in uno, quam mirabilis scientia absconditur in Scripturis, quam lata, quam profunda, quam saporosa, quam nobilis, qua docetur sponsa ab inferioribus separari, ut regalibus nuptiis grata et accepta in posterum habeatur. Nullus ergo ambigat, quin totus textus Novi et Veteris Testamenti, secundum viam anagogicam, de sponsi et sponsæ colloquiis, vel eorum altercationibus, amore prævio, lumine concomitante, valeat explicari. Nec solum Scripturæ, sed etiam omnes creaturæ, quæcumque sint, ab ultimo centro inferni, propriissime ad hoc idem induci valeant, cum istam sapientiam, secundum illas nobiliores proprietates, in se occultatam habeant, quæ faciliter possunt desuper irradiante lumine denotari.

[1] *Psal.* XLIV, 11. — [2] *Psal.* LXII, 2, 3. — — [3] *Psal.* XXXVIII, 4.

PARTICULA III.

De duplici via illuminativa.

Sequitur de via illuminativa. Illuminativa duplex est, practica et theorica. Primo dicendum de practica, qua mens actualiter cogitando conscendit ad Deum. Secundo, dicetur de theorica, quomodo omnis Scriptura ad Deum anagogice reducatur. Dicto vero quomodo sensus anagogicus latitat in Scriptura, dicendum est, quomodo per istam viam illuminativam ascenditur ad unitivam, et iste decursus fundatur super hoc verbum Psalmistæ [3]: *In meditatione mea exardescet ignis,* etc. Quia adhuc mens proficiens est indisposita ad hoc, quod expedite feratur affectionibus anagogicis in dilectum, oportet quod primo aliquantulum meditetur eo modo, quo dictum est, ut per cogitationem

Digitized by Google

prævium aliquantulum incipiat scintillando affici in illum, in quem in tertio statu, sine omni cogitatione concomitante, vel prævia, quotiescumque vult, sine obstaculo sursum elevatur. Ad quam expeditionem cum perfecte poterit attingere, omnis ab ipsa sapientia, in sua consurrectione, cogitatio vel meditatio abscindetur; quia cogitatio ibi non est, nisi ut per ipsam affectio accendatur. Sic ergo usualiter per meditationem prædictam proficiat: primo, sicut dictum est, proprietatem vocabuli ad sensum anagogicum transferat; postea illud ad amorem reducat; tertio, quod in ipso Deo afficiatur.

Verbi gratia: *Pater*, id est, tu es, qui filios spirituales progeneras, mediante vivificativo germine. Tunc ergo ero vere filius tuus, quando te vero amore constringam. O quando diligam te, constringam te intimis visceribus! Similiter per hoc quod dicitur *noster*, id est, tu es ille, qui latissime diffundis bonitatem. Si ergo vere te amarem, tunc aliquid in me tuæ latissimæ diffusionis stillares. O quando te tam ardenter amabo, ut tua lata bonitas in me aliquantulum appareat? Similiter per hoc quod dicitur *in cœlis*, et sic de aliis, omnia anagogice transferendo. Et sic, per meditationem prævium, per istas aspirationes affectio amoris paulatim accenditur: et sicut stuppa radio solari exposita primo exsiccatur, et statim accenditur; sic per istas aspirationes dilectum provocantes, ad mentis elevationem magis ac magis accenditur, usquequo ad unitivam elevationem affectio sustollatur.

Sic dicatur: *Pater noster, qui es in cœlis.* Secundum igitur virtutem prædictam sic dicatur: *Pater*, id est, tu es ille, etc., ut supra. Sequitur: *Qui es in cœlis.* O anima mea miserabilis, quando ad instar cœli clara efficieris et nitida, et diversarum virtutum sideribus adornata? Tunc enim, bone Pater, in me habitare dignanter et libenter te sentiam, quando te amore ardentissimo constringam, et per flammam amoris anima miserabilis plena fœcibus expurgabitur, statim in me tunc certissime subintrabis, et mundum conscientiæ meæ hospitium invenies.

Sequitur: *Sanctificetur nomen tuum.* O bone Pater, quando tua notitia sanctificabitur, id est, sine terra efficietur in nobis miseris? Quod tunc erit, quando, omni carnalitate depulsa, tu solus per omnia diligeris. O quando igitur te tenebo? Non enim tunc terra in me locum habebit, quando tu, dulcis Pater, per tuam gratiam et amorem in me habitabis.

Adveniat regnum tuum. Væ mihi peccatori! vult quandoque in me habitare et regnare inanis gloria, quandoque gulositas, quandoque luxuria. Sed nolo regnare in me, nisi te, Pater bone: tunc vere in me regnares, si vere te ardenter amarem: nam in solo amore ardentis animi veluti in proprio hospitio requiescis. O quando igitur per glutinum amoris ardentissimi te tenebo, ut in me regnare incipias, et solus ad regnandum in regno meo tenebroso advenias?

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Tunc enim voluntas tua primordialiter efficietur in me, quando secundum fragilitatem humanam, ego miser vermis terrenus, tuæ voluntati omnino consentiam, sicut illi beati spiritus, qui in cœlis te facie ad faciem contemplantur. Sed quis me, dulcissime Deus, te faciat consentire, nisi sola amoris vehementia, quæ contrarias voluntates conjungit, et hominem novit in te ipso, qui diligeris, conformare, et miro modo transformat a claritate in claritatem? Quando igitur te, o bone Domine, ex toto diligam, et glutino dilectionis unitus tibi soli consentiam?

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, etc. O panis angelorum, quando tua refectione dulcissima reficiar? In hoc enim angeli et sancti beate vivunt in patria, in quantum, bone Pater, affectionibus flammigeris te contingunt. O quando panem amoris habebo, ut de eodem cibo in præsenti nutriar, quo angeli et sancti in gloria satiantur, ut de micis comedam, quæ cadunt de mensa Domini mei? O bone Pater, hunc panem da nobis semper, quia inquietum est cor nostrum, donec cœlesti pane aliquantulum confortetur: qui ideo *quotidianus* dicitur, quia in quantum plus comeditur, in tantum desiderio quotidiano reficit abundantius.

Et dimitte nobis debita nostra, etc. O bone creditor, quando debita peccatorum meorum quoquo modo esse dimissa cognoscam? Nam sicut peccatum meum me tibi reddit inimicum, a te me miserum separando; sic amor, me uniendo tibi, omnia dimitti cogeret, et te mihi quondam offensum placatum efficeret, et redderet gratiosum. O quando igitur te amore contingam, ut omni peccato dimisso, mihi placatum notitia experimentali te sentiam?

Et ne nos, etc. O bone Pater, hoc peto, non

Digitized by Google

de bonitate diffidens, tibi inseparabiliter colligari amoris glutino, sciens quod ex quo odor tuæ dilectionis me miserum ad se trahit, faciliter tanto ligamine ligatus sum et astrictus, omnia contraria vilipendendo, et te solo invento tibi inseparabiliter adhærendo. O quis juvabit me, ut te solum astringam, qui solus bonus et dulcis es hospes animæ meæ, modo turbidum securum efficias?

Sed libera nos a malo. Amen. A malo non tantum pœnæ infernalis, sed et purgatorii. Non tamen, Pater, hoc peto, ut effugiam tormenta, sed quia utrobique est dolor : nam si essem in inferno, te nunquam facie ad faciem viderem ; si in purgatorio diu post mortem meam stetero, nimis prolongabitur desiderium faciem tuam plenam gratiarum videndi, in quam angeli desiderant semper prospicere : sed si ego te ardenter diligerem, tunc amor reconciliationis pœnam infernalem pro offensa debitam absolveret ; si te amarem, sic flamma amoris peccatorum rubigines exureret, ut in ultimo mortis exitu affectionibus flammigeris expurgatus, ad te diu desideratum sine dilatione meus spiritus evolaret. Igitur quando te hoc ardore diligam, qui et pœnam infernalem excutiat, et a dilatione absolvat? Quod ipse præstare digneris, etc.

CAPUT III

De via unitiva, in quatuor particulas distinctum.

PARTICULA I.

Via unitiva quæ sit (*a*).

Dicto de via illuminativa, et quomodo actualiter per ipsam ad unitivam ascenditur, sequitur de via unitiva, quæ sit ; secundo, de persuasionibus ad ipsam ; tertio, de industriis, quibus mens firmissime solidatur, et hoc pertinet ad practicam et ad usum. Quod etiam si aliquis simplex nesciat ordinare, saltem quoquomodo doleat ; et si nescit meditari in Scriptura, ut dictum est, saltem aspiret ad amorem, dicens semper in suis orationibus : O Domine, quando te dulcissimo amore constringam ? et sic quantumcumque simplex, vel laicus, poterit per dolorem de peccatis, veluti per osculum pedis ; per recordationem beneficiorum, veluti per osculum manus, usque ad osculum oris, quod est in desideriis amoris attingere, dicens [1] : *Osculetur me osculo oris sui*, etc. Et hæc jam præsumptuosa non judicabitur, si primo in osculo pedis et manus se exerceat, et postea in alio tempore ad osculum oris aspiret [2] : *O sapientia quæ ex ore*, etc. Hæc autem via unitiva sumitur in verbis istis, ubi dicitur : *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, veni ad docendum nos viam prudentiæ.* Verba enim sunt aspirantis Ecclesiæ, desiderantis edoceri ab ipso, qui est fons totius bonitatis, et origo. Licet enim verba ista de ipsa sapientia increata, quæ est Filius Dei, possint recte vel proprie intelligi, in cujus exitu æterno affluentia bonitatis summi Patris apparuit ; tamen hic de ista sapientia, prout temporaliter mittitur, seipsam rationali spiritui manifestans, est præsens intentio, quæ describitur a beato Dionysio Areopagita, doctore egregio, septimo *de Divinis nominibus*, sic dicente : « Sapientia est dignissima Dei cognitio, per ignorantiam cognita, secundum unionem quæ est supra mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis, inscrutabili et profundo sapientiæ splendore illuminata. » Hæc est illa sapientia Christianorum, et totius Trinitatis inclusa et deifica diffusione divinitus illapsa fidelibus, qua mentes amantium cœlesti rore perfusæ, non aliquod emolumentum temporale, non aliqua dona sponsi, scilicet gratiam, virtutem, vel gloriam, sed ipsum qui est totius deiformis emanationis principium, scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desideriis, unitivis aspirationibus ipsum solum tangere, vel stringere, non aliud affectantes, ipsi uniri desiderant.

Sapientia quid sit.

Consurrectio ergo per unitivi amoris affectiones flammigeras, supra omne officium intellectus in supremo affectivæ apice constituta, ipsa est sapientia intenta ad præsens, quæ idem est quod Mystica Theologia, qua ipsa mens ignita, linguis affectionum occultissime dilectum alloquitur : quæ non alicujus mortalis industria reseratur, sed solum divina miseratione seipsam manifeste prodit : quæ in his verbis laudatur prout est æterna, in quantum ratione suæ immensitatis *a fine usque ad finem attingit* ; similiter prout est temporalis, in quantum *suaviter cuncta disponit*, scilicet rationales spiritus.

(*a*) *Cæt. edit. deest titulus.*

[1] *Cant.*, I, 1. — [2] Antiph. O, ex *Eccli.*, XXIV, 5.

Digitized by Google

Quomodo ergo per hanc rationalis spiritus, ab ipsa feliciter instructus, respectu omnium suaviter disponatur, divino desuper irradiante lumine ostendemus. Primo, respectu supercœlestium : cum enim in ipsa beatissima Trinitate sit a Patre Filius egrediens, ab utroque Spiritus sanctus amor verus procedens, connectens Patrem et Filium, sic a fonte bonitatis supernæ sapientia unitiva procedens, menti adhuc vianti inferius illapsa, uniendo ipsam connectit increato Spiritui : ut sicut Pater et Filius, licet sint distincti, tamen unum dicuntur ratione amoris connectentis, sic per istam sapientiam, qua sola mens supremo spiritui inhæret, tanta nobilitate, licet nihil sit, perfrui promeretur, ut unum dicatur esse cum illo ab Apostolo sic dicente[1] : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Hæc autem ordinatio non tantum apparet ratione ordinis personarum per unitivi amoris sapientiam acquisitam, sed ratione divinorum actuum : quia cum isti duo actus sint coæterni et consubstantiales in ipso beatissimo Deo, videlicet seipsum cognoscere, et seipsum diligere; in hoc quod mens in ipso ardenter, et infallibili cognitione, per ardorem cognoscit, veluti in amoris inardescentis meridiano calore recubans et ardens, in ipso quasi indicibili ardore se diligit, et per hoc ipsum intimius, non tantum per creaturam sensibilem, ipsi, prout possibile est, conformatur, et in ipsum amore deifico transformatur. Sic mens disposita expressissima æternorum actuum est imitatrix.

Sed non tantum ut est ordo personarum, nec tantum actuum divinorum æternitas; sed ipse Deus beatissimus est totius creaturæ tam mentis angelicæ, quam humanæ, tam creaturæ sensibilis, quam insensibilis fontale principium. Unde et in hoc solum insinuatur excellentia creaturæ, quando in id principium, a quo habet originem primordialem, revertitur : quia rationalis spiritus ab ipso immediate Conditore creatus, ipsius Trinitatis insignitus imagine, ampliore dignitate cæteras inferiores excellit, et tunc divino judicio perfectus et reformatus existit, quando per amorem excessivum, cogentem limites transcendere naturales, ipsi unitur ecstatica amoris consurrectione, a quo primordialiter exivit, ut jam circulus æternus in ipso apparere incipiat, ad illum, a quo exivit primordialiter, revertendo.

Sed et ipse Conditor æternus non tantum est totius creaturæ principium et origo; sed et omnia suis rationibus æternis sic ordine inconcussibili regulantur, ut omnia quæque, divina regulante providentia, finaliter in suis ordinibus conquiescant. Sic mens per intimas affectiones consurgens, quodam medio mirabili ipsam carnem irrorando perfundit, saltem quoad hoc, ut innata corruptio paulatim sic debilitetur in ipsa, in quantum mens per ardentius exercitium ad superna extenditur. Quoniam divina miseratione hac victoria perfruitur, ut in quantum per amorem integrum se subjicit proprio Creatori, in tantum caro spiritui subjecta, contra naturalem inclinationem, ipsius jussioni obtemperet, et divino judicio consequatur, ut sicut mens est concors sui Conditoris per amorem provecta, sic sequatur corporis subjecti et mentis concordia, ut in proprio corpore veluti in regno præsideat, et dicat cum Psalmista[2] : *Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea.*

Sed et ipse altissimus Creator non tantum voluit creaturæ præesse ut factor, vel dominari ut rector, sed etiam a fine temporum quasi celsitudine majestatis exiliens, cum miseris peregrinari instituit, tandem in peregrinationis termino ad supernas mansiones conscendit. Sed et ipsi sic existenti in carne revertenti in cœlum, mens per ecstaticum amorem disposita conformis efficitur, quæ in sua primordiali creatione libera a suo Creatore progreditur. Sed et corruptioni corporeæ necessitatis conjuncta, subjecta multiplici servituti mendica efficitur; sed in posterum supercœlesti immissione, diuturno aspirationum ardentium exercitio elevata, jam quodammodo arrham æternæ felicitatis pertingit : quia ubi amat, inhabitat, et in illo ad quem tendit, desideriorum importuna tendentia veluti in naturali termino conquiescit. Et sic qui in principio altissimus (*a*) existens, secundo quoad statum humanum mendicus, tertio glorificatus ascendens in cœlum, apparuit ipsi per unitivam sapientiam conformatus, ut merito dicatur in Apocalypsi de veris amantibus, jam quodammodo sibi reddita per purgamentum flammei amoris innocentia puerili[3] : *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit.*

Sed tamen non tantum in respectu ipsius Conditoris, per istam sapientiam mens (*b*) in

[1] I *Cor.*, VI, 17. — [2] *Psal.* LXII, 3. — [3] *Apoc.*, XIV, 4.

(*a*) *Al.* tutissimus. — (*b*) *Al.* uniens.

Digitized by Google

amore modis prædictis disponitur; sed etiam respectu jubilantium beatorum in gloria, quoad hoc quod vita, requies æterna, quæ est Deus beatissimus, finis unicus, desideratissimus, immediatus constituitur utrisque. Sed in hoc tantum est differentia, quod mens glorificata jam in eo per assistentiam præsentialiter conquiescit; hæc, id est, mens corpori unita, insatiabilibus desideriis, veluti absens, sursum trahitur ineffabili ardore, ut tantum sibi intimius uniatur, aspirat : et ista dicat [1] : *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*; illa, id est, mens glorificata, dicat [2] : *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, etc. Item illa mens superna conjunctione cum sponso, perfectissime jam obtenta felicitate indicibili delectatur; mens vero ista conjuncta, hac sapientia licet tendat superius, tamen quantum est de suis motibus anagogicis, in ipso actuali exercitio sine omni mulcebri (*a*) unctione, vel delectatione consistit; sed potius est ibi miro modo corporalis afflictio, sed in hoc solum lætitia, quod in ista actuali tendentia, directe et sine aliqua obliquatione consurgit, veluti lapis ad centrum inferius (*b*), in ipsum beatissimum, qui est suæ dignitati locus unicus naturaliter correspondens.

Unde multi decipiuntur in hac philosophia minus experti, existimantes in motibus anagogicis cœlesti dulcore mentem consurgentem multipliciter irrorari : cum e contrario mens laboriosissima sursum actione agatur, et ex extensione spiritus sit quædam corporis enervatio, et spiritualis separatio, et membrorum etiam corporalium ex impetuositate motuum anagogicorum protensio, secundum illud Job [3] : *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea.* Unde impetus anagogicos corpus sustinere non posset sine magna afflictione, nisi gaudium spiritus de ipsius directa tendentia temperaret. Item mens beata continuo et indivisibili exercitio in ipso summo bono veluti æterno dulcore afficitur; hæc tamen (*c*) modo interscalari et interciso in ipsum consurgit, cujus motus rectissime est ad instar emissionis sideris scintillantis, si illæ emissiones ex libera voluntate procederent : quia illi motus anagogici sunt quasi subitanei, ut statim post consurrectionem mens infra seipsam inferius prolabatur, iterum et iterum consurgit, et iterum infra seipsam cadit.

Item mens glorificata in ipso, cujus pulchritudinem facie ad faciem contemplatur, ardentissima unitione conjungitur; et licet ibi sint cognitio simul et dilectio, tamen cognitio naturaliter præcedit dilectionem. Sed mens hæc huic consurrectioni actualiter intendens, prout est hic intentio, omnis rationis et intelligentiæ suis motibus radicitus rescindit officia. Nam intellectus, ex communicatione carnis corruptæ, phantasiis est admixtus : ideo debet in consurrectione amoris amoveri. Sed in patria purgabitur, in qua carnis corruptio deponetur; ideo per solam affectus igniti consurrectionem erigitur (*d*), quia ibi affectiva intelligentia incomparabiliter præexcellit, ut jam cito probabitur.

Et licet in his, et multis aliis, mens anagogice consurgens a mentibus glorificatis incomparabiliter excedatur; tamen, mediante ista sapientia, utraque eadem vita supercœlesti vivificatur, et eodem pane desiderabili utraque reficitur. Sed et per istam eamdem sapientiam ad conformitatem, prout possibile est spiritui viatori, mentibus angelicis ordinate disponitur : quia ipse angelus est substantia intellectualis, ab omni corporali depressione penitus absoluta, gaudiorum lucis æternæ impermutabili claritate absorptus. Sed cum divina sapientia, dono gratuito suæ ineffabilis bonitatis, menti vianti affectionum extensarum notitia experimentali seipsam præsentem denuntiat, oculos intelligentiæ aperit ratione appropinquationis ad ipsam : quia ipsa in se propriissime est lux et claritas, et exinde, ex eo quod spiritus ipsi, qui est superior, strictius per amoris contactum conjungitur, non immerito plus rescinditur carnalis affectio, et exinde in carne super carnem extensa, magis ac magis absorbetur, et (*e*) sic per desideria amoris vitam ducens angelicam, dicat cum Apostolo [4] : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* In quantum ergo mens per pedes affectionum in ipso, qui est vera vita, aspirat ardentius quietari, in tantum minus carnali affectioni conjungitur, cum sentiat ea quæ sunt spiritus, et per consequens magis ac magis in Deo absorbetur, et sic quodammodo per istam sapientiam, licet misera, quoad tria prædicta, in magna tamen distantia, vitam angelicam imitatur.

Sed per istam eamdem sapientiam rationalis

[1] *Cant.*, I, 3. — [2] Ibid., II, 4. — [3] *Job*, VII, 15. — [4] *Philip.*, I, 21.

(*a*) *Al.* illecebri. — (*b*) *Forsan legendum* interius. — (*c*) *Leg.* autem. (*d*) *Leg.* erigetur. — (*e*) *Leg.* ut.

Digitized by Google

spiritus ordinatissime infra (*a*) seipsum disponitur : quia illud signum mendicationis humanæ infallibile comprobatur, quando in alia creatura extra seipsam egrediens, tendentiæ suæ et sui etiam appetitus regimen existimat reperire, quia cum mens humana cæteris visibilibus creaturis excellentior judicetur, ipsam eminentius et plenius sapientia supercœlestis inhabitat, quia est imago, cætera vero vestigia. Tunc ergo cum thesaurum divinæ sapientiæ, antea occultatum, reseratum divina bonitate in seipsa percepit, jam non egena alterius delectabilis mendicitate fulcitur, jam non a sua primordiali nobilitate degenerans, infra (*a*) seipsam inclusa (*b*), quadam jucunditate relicta, ex intimiore unitione cum Deo continua jucunditate lætatur, dicens cum divino Job, nolens ab ipso de cætero separari [1] : *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Et non tantum disponit animam, in quantum facit ipsam infra (*a*) seipsam quiescere, alienam mendicitatem extirpans; sed etiam ratione pretiositatis sui ipsius existentis in mente. In quanto enim nobilior, seu magis sanus possessus habitus, in tanto plus spiritus angelicus : quia si omnes thesauri, omne pretiosum, delectabile, quidquid oculus potest videre, ratio investigare, intellectus percipere, nihil ipsa mens ratione ipsius, qua solus Deus in corde possidetur, reputat : sed coram omni sapiente affirmat [2] : *Tanquam lutum æstimabitur aurum in comparatione illius.* Quare? quia tanta est nobilitas in ipsa et dignitas, et attrahentia, ut *omnia quæ desiderantur, huic non valeant comparari.*

Nobilitas etiam ipsius non tantum apparet ratione sui ipsius existentis in spiritu, sed et ratione aliorum multorum gratuitorum, vel gratis datorum, vel acquisitorum, quæ magis inter cætera appetibilia judicantur. Per ipsam enim certificatur fides, corroboratur spes, et charitas inflammatur. Certificatur enim fides in hoc, quod mens sensibiliter se sentit trahi infallibili notitia in illum, qui est solus desiderii quietativus, et hoc scit ita vere, vel verius, quam oculus materialis videat materiale objectum. Si ergo illum, in quem tendit istis consurrectionibus, infallibiliter sic cognoscit, jam quodammodo mens certificatur, quod ille est verus Deus, verus Dominus, quem fide colit : vel etiam cum incipientes et proficientes ad istam sapientiam habeant per beneficia incarnationis et passionis pertingere, et per hujus considerationem in ipsa divinitate affectus magis ac magis inflammatur; oportet, quod mens, cum jam est in ipsa sapientia actualiter elevata, quod recto ordine ad illud pertingat, et sic ex consequenti connexionem divinitatis et humanitatis cognoscat. Sed et cum mens per istam sapientiam de multis, quæ ad fidem pertinent, licet adhuc misera, certificetur ad plenum, sciat quælibet fidelis anima, quod ex quo mens ad istam sapientiam pertingit, si omnes mundi sapientes, omnes philosophi protestarentur, et confiterentur, et dicerent : Tua fides non est vera fides, quin imo deciperis; ipsa contrario responderet : Vos omnes fallimini, et ego solus veram fidem teneo multo felicius, quam per rationes et investigationes, per amoris unitionem, habens in corde infallibile firmamentum : ut dicat cum Apostolo [3]: *Scio cui credidi, et certus sum*, etc. Sic certificatur fides per hanc sapientiam.

Sed et corroboratur spes, quia cum spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, in tantum per istam sapientiam corroboratur, ut jam quasi de obtinenda futura gloria non timeat : quia sic videmus, quod quanto domicelli alicui principi diuturniori exercitio familiarius obsequuntur, fit ut, quem primo timebant ut dominum, ex quadam familiaritate jam timor, ad reverentiam majestatis resiliens, penitus evanescit, ut de ipsius familiaritate et bonitate confidentes, nullatenus se credant ab ipso de cætero separari. Isto modo ad intellectum anagogicum referendo, mens prius tepida, per affectiones et desideria, unitivam familiaritatem consequitur, ut ipsius dilecti dono in ipsa quædam mera confidentia relinquatur, ut omnis timor pungitivus, nisi per modum cautelæ, ab ipsa radicitus extirpetur, ut dicat cum Apostolo [4] : *Quis me separabit a charitate Christi? fames, an gladius*, etc. : imo etiam *nec instantia, nec futura.*

Per istam etiam sapientiam inflammatur, integratur et perficitur charitas, quia cum ipse Deus beatissimus sit [5] *ignis consumens*, in tantum a spiritu viatoris omnimodam frigiditatem expellit, in quantum per amoris extensiones ipsi interius appropinquatur. Quia cum sic per motus anagogicos ad ipsius intimiorem unitionem aspirat, Solis spiritualis (*d*) radiis exuren-

[1] *Job.*, XXIX, 18. — [2] *Sap.*, VII, 9. — [3] I *Tim.*, I, 12. — [4] *Rom.*, VIII, 35. — [5] *Deut.*, IV, 24; *Hebr.*, XII, 29.

(*a*) *Leg.* intra. — (*b*) *Cæt. edit.* inclusam. — (*c*) *Al.* ipse. — (*d*) *Cæt. edit.* spiritualibus.

Digitized by Google

tibus se exponit, et veluti stuppa solaribus radiis exposita, ab igne desuper immisso accenditur. Unde iste sol mentes dicitur exurere tripliciter : quia et ipse per se augmentat ardorem in spiritu, et mediante ardore obstacula præsecat quæ amorem impediunt, ut ardentius inflammetur, ipse spiritualia beneficia superaddit, quibus ipse amor in ipso perficitur. Item ipse facit mentem exurere, ad hoc quod ardentissime ipse Deus unice diligatur. Exurit etiam ista sapientia mentem, ut in omnem proximum, sicut in seipsum (*a*), hoc amore ferveat, ut iterum ipsa, insatiabilibus desideriis, usque ad plenissimam unitionem aspirare languida non desistat. Non tantum virtutes per istam sapientiam perfectum obtinent principatum, sed et mens omni philosophiæ, omni investigationi rationis, omni speculationi, theologicæ etiam inquisitioni præponitur. Naturalis enim Philosophia ipsam causam omnium, per hoc quod apparet in sensibilibus creaturis, cognovit Creatorem, affirmans infallibili argumento, quod tanta creaturarum bonitas, tam mirabilis ordo, tanta earumdem immensitas, non nisi ab uno omnipotentissimo Creatore prodiit, secundum illud Apostoli [1] : *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*, etc. ; et sic venit philosophus ad cognitionem. Sed cum totus mundus nihil sit in comparatione spiritus rationalis, secundum ipsius sapientiæ increatæ protestationem, dicentis [2] : *Ludens eram in orbe terrarum, et deliciæ meæ esse cum filiis hominum* : tandem totus mundus est sicut parvus ludus, in quo paululum apparet pulchritudo respectu mentis angelicæ, vel humanæ. Unde quia nihil de intimis mentis conditionibus habuerunt, stricta et mendica est naturalis cognitio, et huic sapientiæ, quantum distat ortus ab occidente, incomparabiliter substernitur. Item respectu considerationis metaphysicæ, vel theoricæ, quæ ambæ sub ratione entis, vel ejus differentiarum, vel practicarum intentionum, scilicet sub ratione unius, veri, vel boni, Deum simplicissimum apprehendunt; mens autem per istam sapientiam, sub nulla ratione prædicta, sine aliquo cogitatu concomitante, vel præcedente, motum amoris habet affectione ipsum, qui est summum bonum, apprehendere modo indicibili : ad quam apprehensionem, nec intellectus consurgit, nec intelligentia speculatur. Quomodo autem hoc fit (*b*), et quomodo intellectus possit dividi ab affectu, in theorica hujus practicæ ostenditur, et de his quæ ad hoc pertinent, super illud Mysticæ Theologiæ [3] : *Consurge ignote*, etc.

Videndum est, quomodo respectu inferiorum mens suaviter disponatur : respectu enim corporis subjecti, dictum est superius, quando summæ sapientiæ regenti mundum mens per istam sapientiam conformatur. Sed tamen addendum ulterius, quod sicut sessor in equo virtute freni jumentum sibi subjectum vertit ad libitum ad dextrum, vel sinistrum; sic cum mens per istam sapientiam erecta, non curvata existat in corpore, virtute ipsius amoris, veluti quodam freno spirituali sensuum exteriorum reprimit inordinationes, ut ad nutum et ad imperium ipsius, ad quem tendit, prout potest melius, omne regimen tam in viribus, quam in sensibus æqualiter reguletur, et faciat in suo subjecto tabernaculum secundum exemplar, quod sibi in monte hoc monstratum est, secundum quod divino Moysi, ut habetur in Exodo [4], sub typo divina sapientia imperavit.

Sed etiam per istam sapientiam mens respectu omnium mundanorum disponitur, quibus per ipsam verissime dominatur. Quod sic apparet : Si enim aliquis princeps terrenus universo orbi præesset, et haberet tot delicias, divitias et honores, quot omnes mortales habuerunt ab initio mundi, et in his oblectari disponeret, jam ipsis subjiceretur, dum ab eis quietem, vel aliquam beatitudinem, vel perfectionem, quam non habent de se, obtinere appeteret. Qui ergo in his delectatur, ipsis vere subjicitur. Solus ergo ille est dominus, qui sic omnia inferiora vilipendit, ut nihil terrenum per amorem inquietum contingat, quia tunc in vilipensionem omnia sub suis pedibus conculcantur. In hoc ergo regno dominatur anima, cum non alibi quærens requiem, supernis desideriis se extendit, dicens cum Apostolo [5] : *Omnia reputavi ut stercora, ut Christum lucrifacerem*. Idcirco Petrus et Paulus *gloriosi principes terræ* vocantur [6]. Sub typo etiam dictum est filiis Israel ab ipsa veritate inconfusibiliter promittente [7] : *Omnis terra, quam calcaverit pes vester, vestra erit*. Si ergo

[1] *Rom.*, I, 20. — [2] *Prov.*, VIII, 31. — [3] Dion., *de Myst. Theol.*, c. I. Vid. infra, c. III, partic. 4. — [4] *Exod.*, XXV, 40. — [5] *Philip.*, III, 8. — [6] Antiph., *ad Benedictus*. — [7] *Deut.*, XI, 24, *Jos.*, I, 23.

(*a*) *Leg.* seipsam. — (*b*) *Leg.* fiat.

Digitized by Google

quis vilipendit, cum calcat (*a*) omnia, multo verius quam mundi principes omnibus dominatur.

Sed et per hanc sapientiam respectu inimicorum suaviter disponitur, tum ratione irruptionis (*b*) eorum, tum ratione fortitudinis. Sagaci enim versutia instantius inimici pervigilant, quomodo Deo mentem unitam a suo dilecto valeant separare; sed per istam sapientiam liberatur (*c*), quia haustu amoris fonti luminis appropinquat, et ex ipsa appropinquatione divinis radiis necessario illustratur, quibus etiam versutissimas tentationes, et palliatas, et sub specie bonitatis prætentas, cito et sagaciter deprehendit: tunc hostis sagacitas confutatur, quia, secundum quod in Proverbiis dicitur [1]: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, qui per affectionum desideria [2] *volant sicut nubes, et quasi columbæ ad fenestras suas*, sicut legitur in Isaia.

Disponitur etiam respectu ipsius fortitudinis, quia tanta vehementia ipsi inhæret, quem diligit veraciter, ut potius millesies se permitteret jugulari, quam semel, ex deliberatione, dilecti offensam incurreret. Et ad istam fortitudinem ineradicabiliter obtinendam, habet ista duo coadjutoria, ut veluti de propria familia ipsius dilecti Creatoris dirigente dextera protegatur, secundum illud Sapientiæ [3]: *Justorum animæ in manu Dei sunt*: et illud a parte sui, quia si etiam fortissimis tentationibus ab inimicis propelleretur intensius, veluti puer timens lædi ab aliquo ad matrem confugeret cito, sic mens in fortissimis tentationibus ad subsidium illius, quem diligit, consurgit velociter, et ad ipsum aspirans intensius recurrit. Et iste modus vincendi dæmones inter alios est præclarus.

Per istam sapientiam temperantiæ virtus ducitur ad perfectum: ex hoc enim est intemperantia humana, quod homo in gula, vel luxuria, vel aliis carnis illecebris, omissa vera delectatione, quæ est ex conjunctione Dei et animæ, miserabiliter delectatur. Cum igitur multo major sit illa delectatio, quæ est in Deo, quam quæ est in carne, sicut Deus melior est, quam ulla creatura, in qua carnales homines delectantur: in quantum enim de vera illa delectatione mens sensibiliter experitur, in tantum vehementius carnalem delectationem respuit, et illum inveniens in lectulo amoris, qui est vera jucunditas, sic dicit [4]: ***Mihi autem adhærere Deo bonum est:*** igitur hac habita ab ipsa, cætera alia de facili vilipendit.

Per mysticam etiam sapientiam justitia perfecta acquiritur, quia vera justitia hæc: reddere Deo quod suum est, et sibi quod suum est, et proximo suo quod suum est. Primo enim per istam sapientiam unitivam redditur Deo quod suum est: nam per quemlibet motum consurrectionis, anima constituitur ante Deum; per affectionem etiam amoris, anima quærit quæ Dei sunt, non quæ sua sunt. Nam aliter non est vera dilectio, nisi plus dilectum quam seipsum amans diligat. Ipse amor etiam ipsam quiescere non permittit, nisi in eo quem diligit, quia sicut pondus lapidis non permittit ipsum quiescere, donec ad terram, suum locum naturalem, perveniat; sic nec amor spiritualis permittit in alio, quam in solo Deo, quiescere, qui est omnium spirituum terminus naturalis, ultra quem nihil desideratur. Non tantum redditur Deo quod suum est per unitivam sapientiam; sed et animæ redditur quod suum est, in eo quod per gratiam perficitur in se ipsa; quia, secundum Philosophum, « anima perficitur virtutibus et scientiis. » Igitur tunc est ibi summa animæ diligentis perfectio, quando ille qui est fons totius sapientiæ, et omnis sapientia sive scientia creata, tam in superioribus, quam in inferioribus, ab ipso emanavit, spiritualiter per seipsum mentem inhabitare dignatur. Unde verius, quam aliquis in loco materiali sedeat, habitat Deus in anima ipsa, quæ diligit ipsum: et hoc spirituali habitatione, ut dictum est, quia ipse charitas est, et *qui est in charitate*, quæ est verus amor, *in Deo manet, et Deus in eo*, ut in Canonica Joannis [5] legitur. Per hanc igitur redditur proximo quod suum est, et in eodem amore, quo diligitur pater, diligitur et filius. Ex hoc enim quod anima suum Creatorem diligit, omnem etiam rationalem creaturam diligit, quæ ipsius Patris æterni est imagine insignita. Ex eo enim quod Pater diligitur, ex eo venit fervens animarum sola dilectio: ex eo enim multiplicantur orationes pro animabus deperditis liberandis. Ille etiam idem amor gemitus multiplicat, ut animæ ad proprium Creatorem revertantur, ut scilicet mortuæ per peccatum, per vitam gratiæ divinæ suscitentur, sicut Jeremias clamat, dicens [6]:

(*a*) *Subaudi*, qui calcat. — (*b*) *Cæt. edit.* irreptionis. — (*c*) *Al.* liberantur.

[1] *Prov.*, I, 17. — [2] *Isa.*, LX, 8. — [3] *Sap.*, III, 1. — [4] *Psal.* LXXII, 28. — [5] I *Joan.*, IV, 16. — [6] *Jerem.*, IX, 1.

Digitized by Google

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem super interfectos populi mei die ac nocte?

Quomodo etiam per hanc disponitur respectu meriti secundum omnem affectionem theologicam planum est, quia quotiescumque mens in Deum immediate movetur, vitam æternam toties promeretur : et quia, quotiescumque vult anima sic disposita, potest actualiter affici velocissimis motibus, tamen intercisis, et plusquam dicere valeamus, et elevari meretur in gloria in qualibet consurrectione istorum; et quia singulari merito est respondens gloria singularis, excepta substantiali corona, de visione pulchritudinis divinæ, constat, quod per hanc sapientiam sibi coronæ innumerabiles cumulantur.

Concludendo ergo a primis, sic per istam sapientiam mens ignita perficitur, ut ad instar circuli, qui est perfecta figura inter alias, in præsenti et futuro mens a sublimibus egressa, revertendo in id idem, quasi protractione ab eodem puncto in eumdem punctum, directissima ordinatione regreditur. O ergo sapientia æterna, quia nullus mortalium potest manifestare illam admirabilem et increatam sapientiam, quæ a te fonte vitæ immediatissime procedit, veni ad docendum nos viam prudentiæ, quia, contra usum aliarum scientiarum, in ista sapientia practica præcedit theoricam. Primo ergo subditur de practica, qua mens purgatur in prima via, in secunda illuminatur, in tertia perficitur : ut hæc sapientia, secundum triplicem viam, ultimæ hierarchiæ respondeat, scilicet purgativa Thronis, illuminativa Cherubim, unitiva Seraphim. Quia ergo hæc sapientia, ut dictum est, persuaderi potest ab homine, sed non doceri; ideo subditur hæc triplex via, per quam quilibet quantumcumque simplex doctrinam istam cœlestem, non humanam, quoad usum divinitus obtinebit.

Tu, beatissime Deus, et altissime, qui natura es invariabilis, incommutabilis, per te stans, omnium bonorum virtus principaliter conditiva, qui aspectu tuo angelos reficis; tu, qui es increata sapientia, quæ mentes angelicas et cœlestes tuis radiis præclaris irradias, tanquam vivifica virtus, ita amatores tuos adamplia, ut ab infimis separatos suscites nos ad tui desiderium et cognitionem, et remota omni mentis distractione, convertas nos ad aggregantis Patris unitatem, qui in horrea claritatis æternæ dispersiones congregas Israelis. Amen.

PARTICULA II.

De triplici via ad divinam sapientiam.

Sequitur ergo primo quæ sit ista sapientia; secundo, de persuasionibus ad ipsam; tertio, de industriis, per quas mens in ipsa firmissime solidatur, et hæc pertinent ad practicam, id est, ad usum, quod etiam si anima simplex fuerit, ita quod nesciat ordinare, saltem adspiret, et quoquo modo doleat. Secundo, etiam si nesciat meditari in Scriptura, ut dictum est, saltem adspiret ad amorem, dicens semper in omnibus suis orationibus et petitionibus : O Domine, quando te strictissimo amore constringam? Et sic quantumcumque simplex, vel laicus, poterit per dolorem de peccatis, veluti per osculum pedis; per recordationem beneficiorum, veluti per osculum manus, usque ad osculum oris, quod est in desideriis amoris, ascendere, dicens [1] : *Osculetur me osculo oris sui.* Et hæc jam præsumptuosa non judicabitur, si primo in osculo pedis et manus se exerceat, et postea in alia hora ad osculum oris [2].

Sequitur de tertia via. [3] *Accedite ad eum et illuminamini*, etc. Cum enim Deus beatissimus *lucem inhabitet inaccessibilem*, secundum quod ait [4] divinus Apostolus; cum omnis rationalis creatura distet ab ipso gradibus infinitis : ad hoc quod lucis æternæ superpulchris claritatibus illustretur, necesse est animam quasi a se egredi, et gratuito beneficio Creatoris superius elevari, ut sit aliqua approximatio, et aliqua assimilata conformitas inter creaturam recipientem, et ipsum benignissimum influentem. Ideo dicit divinus Propheta : *Accedite ad eum et illuminamini*, ut illud præcedat, et immediate illuminatio consequatur. Ibi ergo tangit complete istius libri materiam, in quo cursu extraneo quasi contra omnes divinos et theologicos tractores, non per speculum creaturæ, vel ingenii investigatione, vel intellectus exercitio, docet ad cognitionem immediatam Creatoris attingere; sed per amoris unitivi aspirationes flammigeras, quibus non tantum quia Deus est, sed etiam quid sit Deus beatissimus ipse, principium totius beatitudinis et origo, infallibiliter adhuc degentes in miseria prægustamus : quæ in tantum excedit cognitionem rationis, vel

[1] *Cant.*, I, 1. — [2] Totum illud scriptum jam fuerat initio particulæ I, supra, pag. 21. — [3] *Psal.* XXXIII, 6. — [4] I *Tim.*, VI, 16.

Digitized by Google

intelligentiæ, ut dicetur postea, in quantum Sol cunctis aliis planetis pulchrior, et stella matutina cæteris sideribus fulgentibus fulgentior universis : qua revelantur abscondita, qua reserantur occulta : quæ non humanis et terrenis facit amantem intendere, sed potius supra seipsum elevatum immediate divinis et cœlestibus insistere disciplinis. Quia ergo amor æstuans ad unionem dilecti adspirat ardentius, sursum trahit spiritum, ut fonti veri luminis appropinquet, qui solus facit accedere ad illum, qui est oriens ex alto, hos qui in tenebris et in umbra mortis sedent illuminans : ut per ipsum motiva et cognitiva completissime suas perfectiones obtineant, ut mens ardore amoris, et decore luminis, a suo dilecto misericorditer decoretur. Quoniam non solum per amorem unitivum gloria æternæ beatitudinis in recessu spiritus a corpore possidetur, nec solum vitam cœlestem ducere contingit in terris : non tantum humanam suis sursum extensivis, sive excessivis actionibus, mentem interius sollicitant; sed insuper in anima incomparabiliter per amoris unitivi desideria perfectio amplioris cognitionis relinquitur, quam studendo, vel audiendo, vel pro rationis exercitio conquiratur.

Intentio Auctoris in hoc libro.

In hoc ergo præsenti opere, quod a me ad declarandum beati Dionysii Mysticam Theologiam conscribitur, est præsens intentio ostendere theoricam ibi inclusam, quomodo anima Creatori suo inhæreat, et ipsi efficacius, veluti dilecta dilectissimo, radicabiliter uniatur. Ubi verba paucissima sunt, sed infinita sententia continetur, sicut manifestissime in sequentibus apparebit; quia in hac unitiva sapientia non ab eo, quod extra, in scripta redigitur; sed ab eo quod intus percipitur mentis extensa unitio, ad suum dilectissimum cupientis attingere, ipsius dono gratuito recipit incrementum.

Stylus autem istius libri simpliciter et pure anagogicus est, nisi quandoque propter pium auditorem ad inferius aliquod descendat, ad sensum anagogicum manifestius explicandum, ut solum pure amantes hanc supremam sapientiam unitivam id seipsis percipiant, et a mundi sapientibus, vel mundana amantibus, neque quoad intellectum, neque quoad affectum ullatenus capiatur.

Finis autem est, attendere quomodo anima ad sponsi unionem totis visceribus debeat adspirare, ut arrham gloriæ, et diadema nuptiarum regalium valeat percipere in præsenti; quod omnis rationalis spiritus tanquam suam beatitudinem debet appetere, propter quinque rationes, quæ ante principale videndum, ad avidius recipiendum quæ in sequentibus dicentur, prolixius præmittuntur.

Prima igitur ratio sumitur respectu rationalium creaturarum, et mundanorum actuum; tres aliæ respectu perfectionis ipsarum personarum, quæ per unionem amoris in præsenti feliciter obtinetur; ultima ratio ratione continuationis profectus et augmenti, quo mens seipsa fortior efficitur semper, et pro amore dilecti ad majora semper seipsam extendere cupiens, donec in recessu ipsius a corpore sibi Sol justitiæ, ipsum visuræ facie ad faciem, sicut est, oriatur. In prima enim insipientia omnium mortalium, et maxime religiosorum ostenditur. Sicut enim quidam sanctus dicit : Uniuscujusque artis industrius appetitor, cunctos labores, et pericula, atque dispendia æquanimiter libenterque sustentat, et hoc in agricolis, et negotiatoribus, et in militibus exemplo sensibili comprobatur. Nam et agricola nunc torridos solis radios, nunc pruinas et glacies non declinat, terram infatigabiliter scindit, et indomitas agri glebas frequenti subigit vomere, ut eam cunctis sentibus expurgatam, universisque graminibus absolutam, in modum solubilis arenæ exercendo comminuat, hunc solum finem intendens, scilicet perceptionem copiosarum frugum, exuberantium segetum, non alias adepturum se esse confidens, quo vel ipse vitam securus ducere, vel suam possit substantiam ampliare. Si ergo tot laboribus, tot calamitatibus incessanter æstuat, ut possit terrenus terrena suscipere per modicum temporis in ipsis quietudinem inventurus, non immerito omnis anima totius Trinitatis insignita imagine, et maxime religiosus, qui ad hoc obtinendum efficacius, ut Deo æterno uniatur, strictius præ aliis se succinxit; in quo tanquam in fonte beatitudinis lætitiam in præsenti, et gloriam in futuro per unitiva desideria poterit exhaurire. Et si in principio aliqua forsitan difficultas, vel carni intolerabilitas videatur, tamen cito in tam jucundo dilecto desideratam requiem poterit invenire, quia in ingressu est via arctissima, secundum Salomonem in libro Sapientiæ, dicentem [1] : *In paucis vexati, in multis bene disponentur* : et non

[1] *Sap.*, III, 5.

Digitized by Google

immerito, quia ille citissime invenitur, a quo omne gaudium, et omnis jucunditas emanavit. Secundo videmus, quod illi qui negotiationum solent exercere commercia, non incertos pelagi timent casus, nulla discrimina perhorrescunt, dum ad finem quæstus sollicite attendentes, hæc perpeti hilariter provocantur. Quod si tales corpus et animam tanto subjiciunt discrimini incessanter, quanto deberet rationalis spiritus incessabili devotione inardescere, ut illum suavissimum inveniret, qui sua jucunda præsentia per amorem unionis obtenta, omnem ab ipso eliminaret egestatem, et omnem ab ipso inopiam removeret, et non ultra ipsum vagari permitteret, non ultra oblectamenta adulterina in creaturis aliis mendicaret, cum ipse beatissimus inveniretur experimentaliter hospitatus, qui est omnis mentis tendentiæ sufficientissimus quietator. De quo dicit anima, cum ipsius sentit jucundam præsentiam, in (*a*) Job [1] : *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies* : nolens jam ad consueta discurrere, jam humana consolatione non indiget, quia jam illi unita est, in quo omnium languorum suorum, tam corporalium, quam spiritualium, invenit saluberrimam medicinam. Tertio etiam videmus, quod hi qui malitiæ mundialis ambitione libidinosa inflammantur, dum prospiciunt honorum ac potentiæ finem, exercitia peregrinationum, vel pericula non sentiunt, nec præsentibus ærumnis bellisque franguntur, dum propositum sibi dignitatis finem cupiunt obtinere. Si ergo in tot miseriis involvuntur, ut ad modicum temporis laudibus hominum vento inanis gloriæ eleventur, hoc sufficiens præmium reputantes, pro omnibus perpessis multipliciter tam in spiritu, quam in corpore fatigationibus; quid dignum possit peragere mens rationalis creaturarum nobilissima, respectu tamen sui Creatoris mendica, ut ad illa tanta dignitatis præmia perveniret, ut illi a quo creata de nihilo primordialem originem habuit, in amoris unitivi desideriis uniretur, et tanto honore in conspectu Creatoris digna valeat judicari, ut minus quam musca, minus quam nihil, Principis vitæ sponsa, Regis angelorum dilecta propriissime valeat appellari, et ad tantum honorem ab altissimo Creatore minima provocetur, sic dicente in Canticis [2] : *Aperi mihi, soror mea, columba mea*, etc.

Dicto quomodo per actus mundanorum et sæcularium mens ad tanta dilecti gaudia provocatur (*b*), dicendum est quomodo per creaturas rationales et irrationales ad quiescendum in suo Creatore multipliciter excitatur (*c*) : primo, in sensibilibus; secundo, in vegetabilibus; tertio in animatis rationantibus et irrationantibus. Vide quia ad istud edulium, ad quod aliqua experimentali notitia animal brutum gustui delectabile exæstuat, currendo cum impetu, sine discretione accelerat. Cum ergo ratione prædita (*d*) mens habeat unum solum delectabile objectum in quo vera requies et omnis satietas pariter combinantur, divino judicio misera judicatur, ut tanto delectabili sibi præsentialiter et immutabiliter existenti misera defraudetur : cum bruta ad suum delectabile cum tanta festinatione accelerent sensibiliter obtinendum, et ista non vult faciem suam erigere ad illam veram sapientiam unitivam, de qua ab increata sapientia in libro *Sapientiæ* dicitur [3] : *Omnia mihi bona venerunt pariter cum illa.* Dicit enim *omnia*, ut nihil in mente in ipsius præsentia remaneat incompletum. Dicit *bona*, non *bonum* dicit, ut multiplicationem in mente diligentis divinorum beneficiorum insinuet. *Venerunt*, dicit, per hoc significans non a se, sed ab alio hæc omnia obtinere, scilicet ex influentia ipsius dilecti misericorditer influentis. Dicit *pariter*, cum in seipsa anima nihil boni habuerit, et (*e*) si quod fuit, multiplici amaritudine replebatur. *Cum illa*, dicit, ut non solum possessione ipsius unitivæ sapientiæ mens interius impinguetur, et medullarum ipsius multiplicatis fructibus irroretur; sed et multa dilecti encænia, scilicet splendores et distillationes multiplices præsentiam (*f*) unitivæ sapientiæ comitantur, ut tam per ipsam, quam cum ipsa mens experimenta gloriæ obtineat in præsenti. Miserabilis ergo debet anima reputari, si illud, quod videmus in sensibilibus, nos rationales non facimus, et respectu momentanei delectabilis pigritantes, circa inferiora lamentabiliter occupati, contra etiam cordis humani generositatem, impudenter (*g*) et miserabiliter dormitemus. Hoc etiam apparet in vegetabilibus, ut in arboribus, quæ ut stabiles sint, et in concussione ventorum immobiliter maneant in terra, radices immittunt profundius : ab humore ipsius terræ, in qua figuntur, recipientes fortifica-

[1] *Job*, XXXIX, 18. — [2] *Cant.*, V, 2. — [3] *Sap.*, VII, 11. — (*a*) *Leg.* ut. — (*b*) *Leg.* provocetur. — (*c*) *Leg.* excitetur. — (*d*) *Cæt. edit.* prædicta. — (*e*) *Leg.* aut. — (*f*) Præsentia. — (*g*) *Leg.* imprudenter.

Digitized by Google

bile nutrimentum, ut etiam ramos superius emittentes, propter immissionem firmissimam sine sui confractione in suo loco firmissime perseverent. Sic mens per amorem unitivum supra se erecta, per penetrativas affectionum radices in eo, cui per amorem unitur, radicata infigitur : in qua infixione unionis, stillæ roris æterni exhaustæ per amorem maxime, ratione redundantiæ ipsius fontis omnium deliciarum et plenitudinis, per importunitatem unitivi amoris, quasi quibusdam radicibus ad stipitem affectus descendunt inferius, mentem sic fortificantes in ipso, ut inavertibiliter ad sponsum sine obliquitate profectu continuo ascendat; ut etiam corroboratione motuum amoris, qui hic radices proprie nominantur, rami cæterarum potentiarum omnium perfundantur, et inde sic fortificata, ut non jam ad modicum arundinis spiritualium ventorum turbine quatiatur. Et sicut humor arbores facit virescere, florere, et fructificare, et nihil horum sine virtute ipsius humoris arbor materialis obtineret penitus; sic et humor amoris facit florere altioribus, ad magis placendum dilecto, conceptionibus quamplurimis, et fructum operum sine exinanitione proferre folia verborum, non de ariditate mundanorum, nisi ea vilipendendo, sed de his quæ placent illi quem diligit, facit amor viriditate perpetua apparere, ut illius promissionis veritatem experimentali notitia in seipsis percipiant, quam jamdudum degens in terris, et cum miseris habitans, dilectus promiserat, dicens [1] : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Hoc enim promittit Deus altissimus animæ aspiranti, quæ ad instar insensibilium materialium arborum per amoris motus ignitos in ipso infigitur, et quod videt in creatura, quam expertem et insusceptibilem delectationis et jucunditatis cognoscit, hoc ipsa misera appetat, cui tot delectabilia præmia a collatore omnium promittuntur, et quæ sint ista in sententia prædicta insinuantur. *Mensuram* dicit, quia cuilibet se ad suam infixionem sollicite disponenti datur amor, id est, perfecti amoris unitio, quæ mensura proprie dicitur. Nam ipsa sola quantitas animæ mensuratur, ut desideratam perfectiorem unitionem citius et efficacius apprehendat, ardentius quoque amare desideret, et secundum suorum desideriorum mensuram apportando secum encænia, ipse Altissimus pauperculæ se infundit, quæ vere *bona* affectum mentis erigendo Deo æterno diligentem uniens, non bono per participationem, sed summo bono, ampliori bonitate mentem sibi unitam deificans, ut eo sola *bona* dicatur, et melior omnis mens angelica et humana, in qua amor transformans creaturam in Creatorem, abundantior redundaverit, ut iste solus nobilissimus habitus *bonus* antonomastice debeat nominari, quia in eo, qui solus bonus est secundum ipsius sententiam (*a*), facit in Deum sua extensione deifica animam transformari : cujus fructuum multiplicatione, et exuberanti abundantia suæ bonitatis, vires et virtutes animæ perfundens, ut ratione redundantiæ ipsius nihil maneat vacuum, et ideo *conferta* statim dicitur. Sed etiam quia ex præsentia unitivi amoris, ex qua totus homo respergitur, est ibi quædam virtutum creatio, ut una motum alterius præoccupare cupiat, ideo *coagitata* dicitur. Et quia verus amor, tanquam ignis æstuans, non potest sic adhibita diligentia cooperiri cineribus, quin semper quoad aliquid calorem emittendo aliis emineat, sic amor supereffluentiam operatur usque ad verba exterius, quia de his circa quæ vertitur mentis affectio, verba libentius proferuntur, ipsa mens quadam limitatione amoris præponderans, ut os, quod est nuntius quo mens præmittit quod sentit interius, proferat divina, non humana, cœlestia, non terrena. Unde potest dici mensura amoris secundum quam affectus potentias suas dirigit, multiplici exhauritione corroborat, virtutes creatas ad operandum exagitat, ut etiam ad ea quæ sunt exterius se extendens, sua dignatione, et ex deliberatione, loqui vel facere, nisi de pertinentibus ad ipsum suum possessorem, non permittat ullo modo. In hoc ergo debet anima lamentabiliter excitari, ut laboret instantius, scilicet ut principium incœptionis, ubi quasi tota est unitivæ sapientiæ difficultas, aggrediatur audacius, ut tanto citius manens immobilis in loco sibi connaturali, suæ primordiali origini naturaliter competenti, firmissime radicetur.

Dicto quomodo per exempla sensibilium et vegetabilium mens ad suum delectabile objectum debeat excitari, et in suo loco naturali inavertibiliter radicari, dicendum est quomodo per exempla inanimatorum ad idem efficacius excitetur. Sicut omnia corporalia locis sibi competentibus conservantur, sic spiritualia, scili-

[1] *Luc.*, VI, 38. — (*a*) *Leg.* essentiam.

Digitized by Google

cet mentes angelicæ et humanæ, locum habent proprium, non ad instar corporalium dimensionum, sed suæ contendentiæ, et ne rediganter in nihilum, ipsa sua dextera continentem. Sicut enim corpus ratione suæ ponderositatis statim ad locum, ut in ipso quiescat, naturaliter deportatur; sic mens, donec perfecte constringat illum, qui sua dignitate non potest non appeti, per pondus amoris usque ad ipsius unionem superius collocata, sine quiete vaga, sine refectione famelica mendicabit, quantumcumque extraneis deliciis vel honoribus occupetur, tamen nullatenus satiabitur, nisi illum, cujus naturalis est imago, ipsum per contactum amoris, quem unicum naturaliter appetit, fuerit assecuta, et nisi in signo jugis lætitiæ in ipsa se præsentem annuntiet, mentis importuna tendentia non quiescit. Et hoc in Joannis Evangelio insinuatum habemus a divino Petro, cæteris amantibus ardentius sic dicente (viderat enim ubique inopiam, et in ipso solo, cui loquebatur præsentialiter, perfectam quietem inveniens, dicit)[1]: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Dominum* vocat, quia ipsum colit, omni postposita creatura. Potest enim appellare *Dominum*, cum amor non derivetur ad aliud, sed convertatur ad ipsum, a quo tanquam a fonte primordialiter emanavit. Et sic dicit: *Ad quem ibimus?* Quare vero non esset recedendum ab eo, in persona amantium subdens efficacissimam rationem: *Verba vitæ æternæ habes*: non verba oris exterius, sed mentis interius, tuas distillationes multiloquas immittendo, quibus multo efficacius, quam per argumenta, vel creaturas, vel quæcumque alia verba, vitæ æternæ incognita gaudia tuis amatoribus manifestas, ut ipsa sentientes, secundum divinum Apostolum [2], cætera omnia *ut stercora* reputent, ut te lucrifaciant.

Quarto, respectu rationalium. Cum naturaliter anima secundum suas potentias objectis competentibus perfrui desideret, scilicet ad arduum, verum et delectabile aspiret, se extendendo superius, ut illi ineffabili uniatur, qui est summa majestas, incommutabilis veritas, et indeficiens bonitas; de istis breviter pertranseo, quia de his inferius oportet determinare prolixius. Tamen ad præsens sic veram arduitatem increatam esse anima non reputet in eis, in quibus quantumcumque aliis præexcellens altioribus honoribus elevetur, ipsam necesse est tam mentis, quam corporis, ut sensibiliter comprobamus, mendicitati et subjectioni multiplici subjacere. Sed tunc solum mens in obtentu veræ arduitatis congaudet, quanto per intimam amoris unionem tanta libertate perfruitur, quæ non potest cognosci, nisi ab illis, qui ipsam experimentali notitia præsentiunt, ut diabolum non timeat, mortalem hominem nullatenus pertimescat, ut stimulos pœnæ æternæ non sentiat; ut susceptionem mortis amplectendo gaudeat, ut quæ immediate per veram unitionem Creatori proprio se subjecit, in omnibus liberam (*a*) ipsius promissionem consequatur, dicentis in Joanne [3]: *Si Filius Dei vos liberaverit, vere liberi eritis.* Tunc enim vere Filius Dei liberat, quando dexteram amoris ipsam extendendo porrigit, ut ipsi inhæreat, omni creatura supposita, et nihil sub Deo pœnale amanti in unitivis desideriis dominetur. Et hæc est ratio: quia in loco tuto per infixionem amoris se firmiter collocavit, nihil aliud timet extrinsecum, nec etiam ipsum, in quo habitat, cum amor familiaris minas illius, quem diligit, facit oblivisci. Unde dicit ipsa veritas in Joanne [4]: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo autem pressuram habebitis.* Tunc enim quando Dominus menti loquitur, et seipsum per spiritualium influitionum colloquia præsentem denuntiat, statim pax sequitur; quia ipse est ab omni servitute radicitus liberatus, qui etiam Altissimus mundanis pressuram habendam promittit; quia dignum est, ut qui venerandissimæ majestati seipsum per amorem verum non subjicit, ab omni creatura misera conculcetur, ut omnis creatura suum vindicet Creatorem, illum afflictione multiplici conculcando, qui nolens ei per amorem subjici, Dominum proprium derelinquens, et adhærens vilitatibus aliis, quasi ille non esset verus Deus, vilipendit. Unde quanto anima inhæret per ardentiorem amorem intimius Deo, in tantum efficacius ab omni subjectione libera, in regno proprio felicius jucundatur.

Dicto quod ibi est verus honor in illius amoris unione repositus, in quo est totius subjectionis privatio, dicendum quomodo ratio in ipso invenit veritatem. Sed quia præsentis speculationis est, quod vera illuminatio ex amore relinquitur, ideo dicendum est quomodo voluntas in ipso, et non in alio, perfectissime satietur, cum ad ipsius pertigerit, in præsenti

[1] *Joan.*, VI, 69. — [2] *Philip.*, III, 8. — [3] *Joan.*, VIII, 36. — [4] Ibid., XVI, 33. — (*a*) *Leg.* libera.

Digitized by Google

existens viatrix, beatissimam unionem. Tamen sic diffusius dicetur postea, cum mens in re aliqua seipsa ignobiliori non quiescat, sibi consolatio vel delectatio terrena non sufficit, licet in ipsis quandoque contra sua naturalia lamentabiliter occupetur. Et hoc, quia omne delectabile, si verum est, quietat appetentis desiderium, sive tendentiam; sed omne terrenum, quantumcumque suavius æstimari valeat, appetitum relinquit famelicum, et nisi forsan ad horam, totaliter inquietum, ut apparet sensibiliter in omnibus. Ergo in mundanis oblectationibus nunquam appetitus tendentia conquiescit. Quidnam ergo mens prædicta faciet? Unum scilicet solum restat, ut ad ipsius præsentialem unionem acceleret, quem solum seipsa meliorem invenit, qui solus habet *thesaurum* [1] jucunditatis in seipso absconditum, quem cum quis per experimentalem notitiam *invenit, vadit, et vendit omnia præ gaudio, et emit agrum illum. Ager* enim dicitur amoris unitivi planities, in quo mens currit per ignota desideria pedibus affectionum fulcita : in quo *thesaurus absconditus* invenitur, quando per amoris exercitia ille, qui est vera jucunditas, per spiritualem notitiam vel xenium aliquod spirituale præsens esse sensibiliter comprobatur : pro cujus amore adepto mens hilariter cætera omnia vilipendit, cum quis vel qualis sit ille, quem diligit, in affectu perceperit, cum se supra se ad ipsum directe extenderit, dilecti dextera sublevatus, ut ea, quæ prius audierat, verius, quam illa quæ sensibiliter conspicit, et manifestius comprobentur. Non immerito propter hoc dicit sermo Davidicus [2] : *Melior est dies una in atriis tuis super millia*, quia dum per atria planitiei amoris mens aspirando percurrit celeriter, plus sentit in una die de mentali lætitia, quam in millibus dierum valeat in variarum rerum ineptis oblectationibus experiri, et *diem in atrio* nominat, quia mens, dum non per istam planitiem percurrit, sciat se multiplice obtenebrante caligine obscurari.

Sequitur de objecto rationali, quod etiam veritas dicitur. Ista enim veritas rationali spiritui respondens non in veritate creata conspicitur, quia omnis veritas a falsitate, a deceptione, ab opinione est penitus elongata : et non ibi de veritate increata fit mentio, sed de creata hic loquitur, quia propter hoc quod veritas ignoratur, ideo accommodatur falsitas, ideo sequitur deceptio, ideo multiplicatur opinio. Et hoc est, quia veritas occulta non potest cognosci, nisi in lumine desuper radiante, scilicet quo abscondita divina intelligimus, tanquam mediante lumine, sicut, materiali lumine dirigente visualem radium ad objectum, sensu exteriori corporalia sensibilia indeceptibiliter capiuntur. Si ergo lumen divinum deficiat, jam creata veritas in mendacium convertetur, non propter defectum ipsius, sed propter vel remanentem cæcutientis mentis obfuscationem, vel in se percipere intelligibilis veritatis radium non valentis. Cum ergo, secundum quod sensibiliter videmus, quasi omnis veritas sit maxime de divinis, nisi illa, quibus per fidem acquiescimus, in dubitationem vel opinionem conversa, jam non pure per humanam doctrinam, veritatem mens rationalis apprehendit. Ut ergo inveniat veritatem, ad amoris unionem properet, et verius quam corpus per materiale vinculum, vel artificiale glutinum, vel incastraturam labore operatoris industrii, corpori alii conjungatur, mens per amoris osculum unitur illi, secundum divinum Apostolum, qui [3] *lucem inhabitat inaccessibilem*, et tunc sibi dilectum suum timore filiali timenti pariter et amanti, promissionem divini prophetæ Malachiæ consequitur, dicentis [4] : *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ;* tunc divinam misericordiam supradictam misericorditer consequetur [5] : *Accedite ad eum et illuminamini;* cujus reddit in septimo *Divinorum Nominum* Dionysius rationem, quia quando mens circa illa, quæ sunt creatæ veritatis, addiscenda immergit affectum finaliter, non unitur illi, ut suo splendore multiplici decoretur, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, sic dicens : « Quando mens ab omnibus aliis recedens, seipsam postea dimittens, unita est supersplendentibus radiis, profunde et imperscrutabili sapientia illuminata. » Unde prius dicit, *unita*, quam *inscrutabili sapientia illuminata;* ut omni menti insinuet, quod non nisi mediante unione amoris, mentem summo et inaccessibili lumine caligantis, veritas quoad profunda et inscrutabilia penitus cognoscatur.

Sequitur de ultimo, scilicet de profectu mentis diligentis, pro amore dilecti ad majora

[1] *Matth.*, XIII, 44. — [2] *Psal.* LXXXIII, 11. — [3] I *Tim.*, VI, 16. — [4] *Malach.*, IV, 2. — [5] *Psal.* XXXIII, 6.

Digitized by Google

se extendere diligentis vel cupientis. Non enim, sicut humani philosophi, qui illa quæ quoquo modo capere poterant intellectu, fastu superbiæ inflati, attribuere contempserunt illi fontali principio, a quo in mentibus omnium rationabilium spirituum omnis veritatis radius emanavit, sed e contrario, in quantum sensibilibus mens majori desiderio inardescit, quia per veram sapientiam mens edocta scit se per sui merita, quæ ipsa possidet, nullatenus posse obtinere, in gratiarum laudibus collatori omnium se diffundit, ut in quantum ab ipso ampliora recipit, in tantum se humiliorem in suis oculis reputando abjiciat, ut non furti divino judicio arguatur, ut ea, in quibus nihil habet, sibi tribuendo, proprii animi elatione inanescat. Ista ergo sunt duo brachia, quibus mediantibus mentis sursum actio affectuum multiplicium recipit incrementum; quia ab una parte seipsam disponendo præparat, ab alia parte divinam influentiam provocando, ipsius dono gratuito pervenire ad majora et copiosiora præmia promeretur. In hoc enim quod ipsa, quæ habet, non sibi attribuit, sed omnia redigit ad laudem omnium largitoris, concavitatem in se exarat contra se ipsam verius propugnando, qua pluvia divinarum gratiarum exuberans, montes et colles transiliens, locis humilioribus se infundit; ut quanto majoris humilitatis fuerit concavitas, in tanto amplioris gratiæ susceptibilis habeatur. Et hoc, quia omnis creatura, in quantum suum recognoscit principium, seipsam annihilat, ut quæ de nihilo creata est, in tanto plus recognoscit magnificentiam Creatoris, cum ipsi soli esse et omne bonum attribuat, jam non immerito dicitur[1]: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Aliud autem est brachium etiam a parte dexteræ, quo juvantur mentis desideria, ut ardentius solito mens in ipsius exercitiis exerceatur, quia dum per amoris unionem anima sentit quæ Dei sunt, prorumpit in laudem ipsius multimodam, quæ laus super omnia, exceptis amoris exercitiis, ad conferendum collaudanti majora, provocat largientem, dum in persona talium collaudantium dicit Joannes in Apocalypsi[2]: *Benedictio, claritas, et sapientia, et gratiarum actio*, etc. Unde frequens beneficiorum cogitatio est quasi quædam tuba intonans in auribus dilecti, ut sibi ampliora condonentur. Ista enim beneficiorum divinorum frequens meditatio stimulat spiritum, ut se totaliter diffundat in ardentioribus obsequiis affluentissimi Creatoris. Unde David in persona talium, dicit[3]: *In meditatione mea exardescet*, etc., quia dum divina beneficia meditando recogitat, in tantum ad amplectenda majora pro amore conferentis animus inardescit.

[1] I *Petr.*, v, 5; *Jac.*, iv, 6. — [2] *Apoc.*, vii, 12. — [3] *Psal.* xxxviii, 4. — (*a*) *Suppl.* quod.

PARTICULA III.

Quomodo unitiva et mystica sapientia obtineri possit.

Dicto de his propter quæ unitiva debet ab omni rationali spiritu concupisci, et per consequens illa in quibus ipsa sapientia determinata diffusius continetur, præsentis intentionis est inquirere, quomodo unitiva et mystica sapientia valeat obtineri, tria principaliter in hoc opere ostendentes: primo de sapientia ipsa in generali, secundum quod alternatim duplex intellectus theoricæ in Scripturis conscribitur; secundo, de mystica theologia quantum ad sui præparationem, id est, de removendis obstaculis, ut prius invia, in subsequenti planissima habeatur; tertio, de unitiva sapientia in seipsa considerata.

Dicto quod nisi rationalis spiritus summo bono inhæreat, non potest in alio aliquo quietari, dicendum est de industriis, per quas amor ardentius incitatur et juvatur unitivum desiderium ad hoc, quod dilectus, ipsum erigendo, oculo respiciat pietatis, et hoc intelligitur per hoc quod dicitur postea: *Inspectrix divinæ sapientiæ.* Ad quod notandum, (*a*) cum bona assuefactio sit omnis ardui possessi initiale principium, quatuor ibi de necessitate concurrunt, ad hoc quod perfecte respiciatur divinitus, et unionem desideratissimam consequatur, quorum unum est interius in mente, secundum a corpore, tertium a loco, quartum a tempore.

Primo enim, sicut videmus quod, quando sol fulget in virtute sua in meridie, reverberantur oculi a solaribus radiis, et etiam obfuscantur; ideo necesse est, ad hoc quod fontem solis directe aspiciat, uti quodam ordine, primo videlicet clarum aliquod aspicere, vel etiam ipsum solem in ortu consurgentis auroræ, deinde ipsum circa horam tertiam, postea etiam per assuefactionem ipsum poterit in meridie videre; sic mens postquam jam omnia terrena dimisit, postquam etiam a gaudiis mundanis se penitus sequestravit, tamen est involuta multiplici obtenebrante caligine, quæ adhuc non permittit

Digitized by Google

ferri spiritum expeditis motibus in objectum. Sibi ergo necessaria est industria, quia nemo repente fit summus, ut sive habeat devotionem, sive non, sive sentiat se calidum, vel frigidum; tamen, ut postea prolixius dicetur, pulset ad ostium divinæ bonitatis, affluentissimam misericordiam obsecrando; ut illum dilectum per amorem æstuantem sentiat, qui ipsum creavit ad suam imaginem, ad sibi soli amoris obsequia impendenda. Non ergo a suo proprio proposito desistat, sed tantum pulset secundum suæ parvitatis modulum, donec, per quietam amoris vocem, dilectum suavius audiat consolantem [1]: *Ecce ego ipse sum*, ut habetur in Joanne. Et hoc est, quod dicit beatus Dionysius in libro *De divinis nominibus*.

Secunda industria est, ut cum in principio multum elongatum ab ardore unitivi amoris se sentiat, per quem debet dilecto conjungi (quia hoc est supra mortalis hominis facultatem, quod misera et distans tanti amoris unionem appetat), necesse est ut illos, qui in epithalamio cum ipso lætantur in gloria, totis visceribus orando inclinet, ut illum (*a*), qui jam non ipsum amant, sed ardent in ipso totaliter, per ipsorum supplicationem scintillam ardoris existens in miseria recipere mereatur, non ardorem ipsorum desiderans, sed de micis, quæ cadunt de mensa Domini, ad instar catuli desiderat satiari, maxime cum ista duo dederit secundum Psalmistæ consilium dicentis [2]: *Levavi oculos meos in montes*, etc.; statim subdit: *Unde veniat auxilium mihi*; cum Job consilium oblivioni non dederit dicentis [3]: *Et ad aliquem sanctorum convertere*: quia licet, tanquam regales consortes, omnes mentes angelicæ et sancti excellentiores sint attentione præcipua exorandi, tamen unum specialem habeat cui præcipuum impendat obsequium, ut cum semper non possit ad divina intendere, ille suos defectus impleat, qui in cœlesti gloria ipsius semper astat aspectibus, qui videt eum revelata facie, quam ipse laudat incessanti jubilo, hujus per suffragia amorem consequi desiderans, qui, quantum etiam de se, vix est dignus ad plantam pedis dilecti sui affectus oculum elevare. Sed quia ibi dictum est, quod mentes angelicæ et sancti beati in gloria sunt præcipue deprecandi, cum illa felix civitas ex hominibus constet et angelis, ipsos angelos revereri non negligat, sed vocem audiat Raphaelis, loquentis pio Tobiæ adhuc caliganti, dicentis [4]: *Ego obtuli orationem tuam Domino*; hoc sibi dicens in persona animæ ascendere cupientis. Hi sunt enim expeditissimi paranymphi, quia mentium pias affectiones dilecto offerunt, ut suis miserationibus de sua naturali bonitate impermutabiliter inclusis defectum supplere debeant. Hi sunt qui tot insignia impendunt obsequia, qui nostræ beatissimæ redemptionis in incarnatione Verbi mediatores pacifici extiterunt, qui nobis pacem de cœlo redditam nuntiaverunt, Creatoris et creaturæ jam pace reformata per vitæ principem Dominum nostrum Jesum Christum, ipsum pro nobis collaudando, gratias reddendo, solemniter beata gaudia humano generi nuntiando, jucundi nuntii affuerunt. Et suum angelum a divina bonitate, a sua primordiali origine, ad sui custodiam deputatum revereatur, deprecando attentius, ut ipse pauper attingere valeat, per amorem illum, in cujus amplexibus ipse, absorptus luce inaccessibili, felice beatitudine jucundatur, ut audire valeat illud quod Danieli prophetæ in persona animæ diligentis, dicitur ab eodem [5]: *Quia vir desideriorum es tu.* Quid enim poterimus illi beatissimo conductori et consolatori nostro rependere, qui tam dulciter admonet, ut Creatori suo perfecte etiam anima inhæreat, si in charitate debilis, si abscissa per peccatum est ab ipso, quod ad fontem vitæ mortua jam anima revertatur, qui mentem perfectam tot splendoribus ea, quæ ipse percipit, ipsi objiciens, multis modis irradiat, suis excitationibus accendit, suo consortio magna lætitia jucundatur, et maxime cum secundum suam parvitatem mens facta est conformior, cum idem sapere desiderat, in quo ille totaliter absorbetur. Tunc enim facilis est transitus, ut mens ea, quæ sibi Angelus objicit, recipiat, quando non tantum in natura, sed etiam in gratia est proportionabilis convenientia, quando est ejusdem amoris affinitas, licet unus minus alio radicetur. Et sicut est impossibile arenam maris et stellas cœli ab homine enumerari, sic sunt ipsius beneficia circa nos infinita. Ipse enim est orantibus assistens, euntes concomitans, dormientes protegens et defendens.

Sequitur de tertia industria, quæ est in modo quoad corpus, quantum ad orantes, in unitivis

(*a*) *Leg.* illorum.

[1] *Joan.*, IV, 26; *Apoc.*, I, 18. — [2] *Psal.* CXX, 1. — [3] *Job*, V, 1. — [4] *Tob.*, XII, 12. — [5] *Dan.*, IX, 23.

Digitized by Google

desideriis existendi, et tamen modum multiplicem orandi nobis expressum in sacra pagina videamus. Primus in Moyse, qui [1] erectus in corpore, manus extentas ad cœlum erigebat. Secundus Salomonis, qui [2], genibus flexis, faciem suam versam ad terram, manus ad cœlum dirigebat. Tertius est in Novo Testamento in beata Magdalena, quæ [3] prostrata ad terram in faciem, beatos pedes benigni Redemptoris lacrymis rigavit. Quartus in sedendo, quem habemus in *Luca* [4] ab ipsa Magdalena, dum ipsa sedebat ad pedes Domini in silentio, plus orans interius in desiderio cordis, quam in labiis oris exterius. Quintus a Domino Jesu Christo, qui [5] Patrem ut ab eo calix passionis, si possibile esset, transiret, exoravit. Sextus in cruce, quando [6] manibus extentis, erectus corpore, Patri spiritum commendavit. Septimus ab Apostolis, qui [7] Jesum ad Patrem ascendentem, desiderio revertendi ad ipsos, in corpore erecti, facie versa ad cœlum, orabant interius.

Cum ergo secundum diversas affectiones, vel cogitationes, diversus modus reperiatur ab orantibus opportunus, tamen in ista specialiter necesse est, quod corpus totaliter sit erectum, et facies versa ad cœlum superius; quia secundum dispositionem affectionum animæ necesse est esse conformitatem corporis, et secundum dispositionem actionis spiritui respondentem. Unde si mens, quando se extendit in ardore motuum, unionem dilecti desiderans, faciem versus terram inclinaret, impediretur actualis tendentia, vel in parte maxima cessaret, cum ipsum desiderando appetat, qui est supra ipsum ineffabiliter collocatus, secundum B. Dionysium, sibi in *Mystica Theologia* desiderata gaudia promittendo, dicentem : « Sursum ageris ad illum, qui est supra omnem substantiam et cognitionem. » Unde vel corpore totaliter erectus stando, vel genibus flexis, necesse est mentem per modos anagogicos consurgere ratione convenientiæ, sicut dictum est; secundum quod etiam videmus in illis, qui de aliqua materia cogitant subtilius se profundendo; vel etiam in his, qui loquuntur de arduis, est necessaria corporis dispositio, ut semper se interioribus, quod est exterius, configuret. Tamen in meditando, vel flendo pro peccatis, potest ibi esse alia dispositio corporalis, ut ad similitudinem Publicani terram respiciat inferius, qui suum benignum Redemptorem contra se ad iracundiam provocavit. Et similiter, secundum alia spiritualia exercitia meditando vel cogitando, potest esse dispositio alia et alia. Talis in anagogica actione necessaria est dispositio, quæ dicta est superius, quia cum ardendo afficitur unionem desiderans, loquitur ad eum sic attente, (*a*) veluti si eum videret facie ad faciem. Cum ergo, licet sit ubique, tamen, ut est in cœlo, dirigatur amantis eloquium : cum ergo loquatur ad eum, quem in cœlis adorat, superius est necesse faciem convertere; cum ibi eum desiderando provocet (*b*) ipsum totaliter transformari.

Dicto de industria, quæ est in dispositione corporis, ad hoc ut citius respiciatur ab illo, cui solum placere concupiscit, dicendum est de quarta industria, quæ est ratione temporis. Sicut enim videmus in necessitudine corporis, quod esca sibi competens semel vel bis in die tempore suo propinatur, sic anima quæ in amore vivere desiderat, hora debita et tempore congruo lumbos suos accingendo se præparet, et tempus orationi constituat, ut mens pane et vino, scilicet vitali amore refecta, quotidiano convivio non privetur, cum multo nobilius, multo suavius ab amante illud inveniatur convivium, quam in pastu corporis carnis refectio sentiatur. Non enim dignum est ut domina melliflui amoris prandii languescat inedia, et garrulæ famulæ hora debita et tempore opportuno carnale desiderium impleatur. Et quod talis sit temporis opportunitas, manifestum est, quia sicut ex frequenti bene agere relinquitur habitus in anima, sic cum mens elegerit tempus orationi maxime de nocte specialiter deputatum, secundum illud Davidicum propheticum [8] : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*, quædam affectabilis complacentia in mente remanet, ut semper suum exercitium illa hora impleat, in qua se ad Deum dirigere consuevit, et si etiam quandoque desistat, ut non in hora assueta propter aliquod aliud impedimentum mens se in oratione extendat, a seipsa arguitur, et non modicum quandoque affligitur, si pro causa minus honesta remaneat, quia jam hora pertransiit, in qua mens dilecto inhærere consueverat, sibi firmam amoris refectionem ministranti, et spiritualis lætitiæ odorifera pocula propinanti. Si autem de hora

[1] *Exod.*, XVII, 11. — [2] II *Paral.*, VI, 12, 13. — [3] *Luc.*, VII, 38. — [4] Ibid., X, 39. — [5] *Matth.*, XXVI, 39; *Luc.*, XXII, 42. — [6] *Luc.*, XXIII, 46. — [7] *Act.*, I, 10. — [8] *Psal.* CXXXVIII, 11.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et. — (*b*) *Suppl.* in.

Digitized by Google

competenti sit quæstio, quo mens divinis laudibus se extendat, audite Dominum per Prophetam loquentem [1] : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus* : quod maxime dicitur, quia tunc minus videtur ab omnibus hominibus, quia tunc quasi omnia silent tumultuantia, maxime quia tunc dormit populus christianus, cujus, ratione charitatis, causam debet assumere, non tantum affinium, sed omnium filiorum baptismatis, ut ipse tunc vigilet viscerosis orationibus protegendo, ut leo circuiens, quærens quem devoret, in ipsis non prævaleat, quos Pater omnium viventium imagini Filii sui conformavit. Tunc enim ad amplexum Domini sui inardescet consurgere, stet pervigil custos, qui de nocte pro quolibet, ut pater suus seipsum immolavit hostiam viventem.

Locus orationi quis aptus.

Sequitur de quinta industria, quæ est ratione loci. Cum enim antiquus seductor per pium laboris initium et per alios effectus videat, quod mens a sui dominio totaliter volens recedere, aspirans ad regnum, multo nobilius sub alis dilecti desiderans protegi, ad ejus dominium se transferri : ejus felicitati invidens, tentando circuit, ut quem sub specie apertæ malitiæ non potest decipere, sub specie boni suspirantem ad alta miserabiliter decipiat, sic ei objiciens : « Veritas in Evangelio suos discipulos admonet [2] : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Tu ergo debes in loco publico et aperto insistere orationi, ut alii insipientiores per tuum exemplum manuductive superius attrahantur. Rustica sanctitate non solum tuum profectum proprium desideres, sed per te multitudo non modica ad consimile tibi spirituale exercitium, multo plus exemplo vitæ quam verbo doctrinæ eminentius provocetur. » Ideo locus occultus requiratur, ut ex illo per quod debet consequi unitivi amoris gloriam, per omissionem circumstantiæ non incidat in ruinam, non tantum propriam sententiam, sed Creatoris sui audiat in Evangelio fideliter edocentem [3] : *Cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum qui est in cœlis* : quia licet per modicum temporis ab hoste maligno, orans in publico, pacifice relinquatur, ut ipsius prædicta admonitio in corde orantis radicetur amabilius ; tamen postea timeat, ne orationem suam ponat in ore hominum, et tanquam meliorem se aliis reputans, vel sanctum se judicans, sic interius inanescat, ut sibi dicatur a Domino [4] : *Tu vero odisti disciplinam* meam, Evangelii consilium non tenendo ; *et projecisti sermones meos retrorsum*, scilicet multiplicium consolationum attente orantium, quibus solus Deus in mente, tanquam ipsis loquens, se præsentem annuntiat, ut unde consurgendo superius collatori rependere debuerat gratiarum actiones multimodas pro beneficio, non suis meritis, sed gratis exhibito, retrorsum projiciat se ad favorem humanum in laude hominum prosternendo. Et licet hæc industria propter instantias et multimoda pericula attente ab omnibus observari debeat, tamen novus amans de novo consurgere cupiens, cum magna cautela custodiat, cum adhuc habeat arundineum amorem ; quia multum plus sive majus periculum imminet ei, quam illi, qui in duello spirituali diutius se exercens, tanquam clypeo amoris jam protectus, jam apertis oculis cognoscens machinationes hostiles, veluti expertus miles de inimico persecutore novit sagacius triumphare : quia tunc securius potest se aliis ostendere, qui pondere amoris cor suum interius in Domino protectore benigno non sine multis laboribus collocavit.

Dicto de quinta industria, qua divinam amans inspectionem occasionaliter promeretur, dicendum est de alia, quæ est ex multiplicatione ferculorum spiritualium ; quia secundum quod videmus in materiali refectione animalium corporum, si aliquid cæteris magis delectabile ad vescendum continue propinetur, cum ex ejusdem continua et diuturniori replicatione gustus sensibilis fatigetur, novorum ciborum refectionem appetens, licet primum suavius, quantum in se est, ab omnibus judicetur, et quando plus recentium epularum supervenerit copiosior multitudo, satiabilius quam in uno reficitur, et plus interius ingeruntur : sic mens, si horam quam sibi ad divina colloquia dedicavit, totaliter in extensivis sive excessivis motibus, aspirans ad sponsi unionem, expenderet, fatigationem corporis non sustineret spiritus, cum, sicut dictum est, ex amoris importuna tendentia non modica afflictio, imo maxima capiti et pectori, in quibus amplius spiritus radicatur, et per consequens membris aliis corporis ingeratur : ideo epulas recentes

[1] *Psal.* XLI, 9. — [2] *Matth.*, V, 16. — [3] Ibid., VI, 6. — [4] *Psal.* XLIX, 17.

Digitized by Google

sibi multiplicet, et maxime circa tria, unum præcipuum et præclarum, et duo alia adjacentia comitentur : principale sit devotissima oratio, et castissima affectio, qua sponso propter seipsum uniri desiderat.

Sed ad hoc primum principium maxime incipientibus sit cogitatio de passione Dominica, quomodo, pro peccatis nostris radicitus extirpandis, Rex gloriosus seipsum obtulit, in tantum pro nobis Deo Patri obediens, ut morte crudelissima damnaretur, ita ut a planta pedis usque ad verticem non fuerit in eo sanitas, et non esset pars, quæ non sanguine sacratissimo respersa universis aspicientibus appareret.

Unde cogitatio de carne est ad ingrediendum ad divinitatem amoris (*a*) interius latitantis janua; et in signum illius, latus suum sacratissimum ferro lanceæ aperiri voluit, ut (*b*) non nisi per plagas illius mens in divinitatis intimis radicetur; quia, secundum quod dicitur alibi, cogitatio de passione, et refectio in eadem, dignitati animæ non sufficit, sed solum ille qui carnis velamine seipsum ab humanis aspectibus abscondebat. Ideo divinus Apostolus admonet omnem animam super se consurgere aspirantem [1]: *Christo*, inquit, *semel in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini* : quia jam multum divinitati beatissimæ appropinquat, qui humanitati ipsi unitæ, per compassionem imitatricem passionis, pertractando tam pretiosa vulnera, interius conformatur : quod tunc sine aliquo retinaculo cogitationum de carnis passione poterit dimittere, quia jam finem in parte assecutus, solum in ipso intimius desiderat radicari, pro cujus obtentu de plagis ostiariis cogitabat illud exercitii principium speciale.

Sequitur de tertio subsequente, scilicet quo non modicum divinam misericordiam, sive respectionem, misericordialiter provocabit, hoc est aliorum peccatorum expositorum hostibus, in peccatis obdormitorum, in fœcibus, in delictis (*c*) mortuorum compassio. In hoc enim apparet filialis et amorosa dilectio, quando illis compatiendo, qui ad Patris sui imaginem creati sunt, ut illum imitantes in vita regnent sancti in gloria, videat sic miserabiliter alios laceratos, et alios sic excæcatos recognoscat, ut vix unicus, maxime de adultis, inter centum inveniri valeat, qui illum videre in gloria mereatur [2], *in quem desiderant angeli prospicere*, cum sibi illud decretum obstupescendum ediderit [3]: *Qui mihi ministrat, me sequatur*, quia quicumque vivens homo sedulum famulatum præstiterit, sive Altissimo in bonis, sive diabolo in peccatis, et justo Dei judicio post recessum animæ a corpore, illius gloriosis, vel miserabilibus agminibus conjungetur, cujus complebat, dum viveret, voluntatem. Si ergo materiali gladio videam aliquem corporaliter jugulari, vel perforari, vel cujuscumque potentioribus pedibus suffocari, naturali affectu miseriæ ipsius compatior.

Quomodo ergo mens se dicat Patrem amare rationalium spirituum, cum tot filios sua insignitos imagine videat crudelissimorum hostium pedibus suffocari, et illuc eos introducere, ubi omnes guttæ aquarum et folia arborum citius certo numero redderentur, quam desistant lamentabiliter proclamare illa verba, quæ Dominus sibi per Job, virum divinum, prædixerat [4]: *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Et postea immediate : *Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, cur egressus de utero non statim perii?* Rationem hujus rei duplicem reddit sibi divinus Propheta.

Prima erit ex mirabili cruciatu, in quo corpus et anima, quandiu Deus erit in gloria, insimul punientur, quia pariter deliquerunt. Dicit Isaias [5] : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* : quia vermis est remorsus conscientiæ, quo pœnam doloris sensibilem, et pœnam damni incurrere meruit in æternum, dolens de perpetratis in sæculo, quæ jam non prosunt, sed singulariter dolorem incutiunt, secundum quod de talibus Dominus in libro Sapientiæ protestatur, cum ait [6] : *Quid nobis profuit superbia?* etc. Sed et pœnam damni comminatur Altissimus per Isaiam prophetam, dicentem [7]: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et bene ipsum vocat *impium*, quia solus amor mentem in propria pietate facit vitam deducere, quo verus cultus Creatori proprio exhibetur. Digno ergo Dei judicio a beatissima fruitione illius separando tollitur, qui, dum vixit in corpore, non se sic præparando disposuit, ut bonitati increatæ amoris vinculo conjungeretur. Tunc enim vere tollitur, quando moriens in tenebris a felici visione divinæ pulchritudinis, peccatis suis exigentibus, separatur. Et hoc est, quod sequitur : *Ne videat gloriam Dei.* Qui vita

[1] I *Petr.*, IV, 1. — [2] II *Petr.*, I, 12. — [3] *Joan.*, XII, 26. — [4] *Job*, III, 3, 11, 12. — [5] *Isa.*, LXVI, 24. — [6] *Sap.*, V, 8. — [7] *Isa.*, XXVI, 10, juxta LXX.

(*a*) *Leg.* divinitatis amorem. — (*b*) *Cæt. edit.* et. — (*c*) *Item* deliciis.

Digitized by Google

brutali vixit in terris, non esset justum judicium, quod vita angelica in cognitione veritatis æternæ, et amore beatitudinis increatæ, in quibus consistit gloria, in cœlis jubilans perfruatur. Quomodo ergo jam hilaris apparebit, qui tot Patris sui benignissimos filios vidit in tam inæstimatis doloribus cruciari? Ideo dicebat divinus Apostolus ad Corinthios [1] : Sollicitus sum non pro uno tantum, sed pro omni congregatione fidelium. *Quis enim infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Quia membrum vivum et efficax, et unitum Christo capiti non videtur, quod dolores commembrorum suorum, et eorum vulnera insanabilia non præsentit. Hæc ergo divina industria, non modicum cœlestem ad se inclinans clementiam, ut sapientia oriens ex alto inferius profundatur, qui ad hoc totis visceribus, tam obsecrationibus, quam piis affectionibus compassione linitis, tam verbis ignitis in prædicatione ad populum in omnibus laborans attentius, ut divina majestas in immissione sapientiæ et doctrinæ, vel fidei, sic misericorditer inclinetur, ut omnis creatura, pro qua princeps gloriæ in terris dignatus est apparere, quicumque sit ab Oriente in Occidentem, ab Aquilone in Septentrionem. Christianus, Judæus, vel Gentilis, sic ad veram cognitionem veritatis pertingat, ut illius felici consortio non privetur, qui non pro uno tantum, sed pro omnibus seipsum in ara crucis impretiabile pretium condonavit, et illius beata visione non careat, ad quem solum contemplandum et amandum creata est, ut et mens patrem benignum Dominum nostrum Jesum Christum sectari desiderans, supportet piis orationibus, attentis et accensis, peccata omnium viventium, ut illi conformetur, qui ovem perditam in ovile charitatis æternæ portans in propriis humeris, Patri suo restauravit. Non enim divinus propheta Hieremias fuit tanquam membrum mortuum, sed vivum et efficax, qui videns suum populum a rege nequissimo tam atrociter suffocari, dicebat [2] : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem super interfectos populi mei die ac nocte?* Nabuchodonosor enim diabolum, Babylon confusionem tartaream, Hieremias animam Deo unitam per amorem propriissime signat. Sicut enim Moyses, qui solus vir fuit, licet esset mitis in gente sua, et cæteris mansuetior appareret, manus suas levans ad cœlum orationis ignitæ clypeo, et hasta amoris fortitudinis extenta usque ad cœlum Deum exercituum attingente, promeruit ut virtute ipsius Israel populus Amalech superaret; sic etiam ejusdem virtute amoris, quo Deo erat unitus, eumdem populum sic protexit, ut Dominus ei diceret [3] : *Dimitte me, ut populum istum deleam* : quia sic Dominum affectuosæ orationis vinculo ligaverat, ne populo Israel pœna condigna criminibus inferretur. Si enim duo principis alicujus negotiatores famulantes existerent, et alter eorum semper circa commodum proprium negotiaretur attentius, alter vero utilitatem totius familiæ domini sui se effundens sollicite procuraret, citius a domini sui largitate potiora beneficia acciperet, quam ille qui de singulari profectu piis circa afflictos carens visceribus, servili fidelitate lucra specialia procuravit. Ista duo tanquam duo concomitantia jucunda mentis desiderantis tendentiam adjuvant, ut a suo desiderio et tendentiæ termino non fraudetur. Primum ergo et præcipuum præcedit, ut dictum est, scilicet affici circa passionem et plagas Redemptoris, per quæ ad perfectam inhærentiam subintramus. Tamen sæpe jam cessat maxime in quibusdam, quando mens in ipsa Divinitate, sine impediente obstaculo, via jam aperta per exorationem suspiriorum ardentium potest dilecto solito perfectius adhærere. Sed ista quæ est ex compassione proximi, respectus (*a*) divini provocatrix compassio nunquam cessat; imo mens quanto ardentius afficitur, tanto ipsum orat attentius, ut ipse miserorum visceribus vulneratis salubrem misericordiæ et pietatis adhibeat medicinam, ut in consummata justitia existens, dicat cum B. Job [4] : *Semper crevit mecum miseratio, et ab utero egressa est mecum.* Tunc enim semper *crescit miseratio*, quando non propriis affectionibus spirituali jucunditate attendit continue, sed infelicium miseriæ condescendit. Tunc *ab utero* secum egreditur, ab illo instanti scilicet quando ab emanatione fecunditatis divinæ vitalem amorem mens recipit, quo primitus natus divino conspectui et virtutibus angelicis apparuit, ad ipsum in vitam consimilem transformatus.

Ultima industria est, quæ in sapientia anagogica dignoscitur, ab ipsius amatoribus totis visceribus amplectenda, quia si omne con-

[1] II *Cor.*, XI, 28, quoad sensum, et 29. — [2] *Jerem.*, IX, 1. — [3] *Exod.*, XXXII, 10. — [4] *Job*, XXXI, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* respectu.

Digitized by Google

fusum et inordinatum eo ipso corruptibile et instabile judicatur, similiter e converso, omne ordinatum stabile et suæ ordinationis decentia judicabitur stabilitum. Idcirco discipulis veritatis est cum diuturniori exercitio sagaciter laborandum, cum suas orationes, vel psalmos, vel hymnos, vel quæcumque alia dixerint, ut stabiliant in se numerum dicendorum; item quid primo, quid secundo, quid tertio : nisi fraterna charitate, vel necessitate aliqua, vel obedientia majoris, aliquantulum retardentur, semper id, et eo modo quo decreverint, studeant adimplere, quia ex isto felici exercitio relinquitur quædam habilitatio in mente, de quo sæpe animus non modicum contristatur, si aliqua negligentia vel inertia consuetum exercitium derelinquat. Imo quod in principio ipsius exercitii spiritualis laboriosum videbatur, spiritui postmodum quasi versum in consuetudinem suo decore alliciet (*a*) : ut jam frigiditas versa in calorem, tarditas in velocitatem, maxime quia amore unitivo trahitur, experimento infallibili comprobetur. Unde in *Canticis* sponsa petit trahi, dicens [1] : *Trahe me post te.* Et statim subditur : *In odorem curremus unguentorum tuorum*, quia ex quo amor attractivus, et sursum activus, in supremum affectus jam inflammando immittitur in ipsam sponsam, in sui dilecti desideratissimum sinum collocando, jam mira agilitate currere incipit, ut, quotiescumque voluerit, unitivi amoris desiderio, veluti quodam ardore sibi sparso divinitus, in ipsam ardentissime se extendit.

PARTICULA IV.

Sapientia divina a Deo edocta qualis sit.

Dicto de persuasionibus et industriis, quibus mens super intellectum ad percipiendam scientiam unitivam attingit, subditur ipsa sapientia a Deo immediate edocta, a magistro hierarcha Paulo Apostolo tradita, a Dionysio Areopagita stylo anagogico et occulto conscripta, ipsam ad Timotheum veritatis discipulum destinante, et sic dicente [2] : « Tu autem, Timothee amice, circa mysticas visiones forti concertatione sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intellectualia, et omnia existentia et non existentia, et, sicut possibile est, ignote (*b*) consurge ad ejus unitionem, qui (*c*) est super omnem substantiam et cognitionem : etenim excessu tui ipsius ab omni irretentibili et absoluto, munde ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium sursum ageris (*d*). Videas autem, ut nullus indoctorum ista audiat, » etc. In hoc verbo Pauli Apostoli sapientia suprema includitur, et culmen totius perfectionis, ut possibile est in via, et tota profunditas librorum Dionysii Areopagitæ : quo perfecte cognito, quidquid est super intellectum in libris Dionysii, levius omni æstimatione efficitur. Unde ista consurrectio, quæ per ignorantiam dicitur, nihil aliud est nisi immediate moveri per ardorem amoris sine omnis creaturæ speculo, absque prævia cogitatione, sine etiam motu intelligentiæ concomitante : ut solus affectus tangat, et in ipso actuali exercitio nihil cognoscat speculativa cognitio, et ille est oculus quo sponsus in *Canticis* a sponsa dicitur vulnerari; quod et *unum* esse perhibetur ipsius testimonio dicentis [3] : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum.*

Unde cum sit triplex cognitio, una videlicet quæ per speculum creaturarum sensibilium respicit, quæ docetur a Richardo de Sancto Victore in *Arca mystica*, ubi per quadraginta duas considerationes olim in populo Israelitico ab Ægypto ad terram promissionis veniente expressissime figuratas docet pervenire, et per sex gradus ascendere ad omnium Creatorem; alia est quæ intelligentiæ exercitio, per immissionem spiritualium radiorum, docet primam causam per effectum cognoscere, et in omne exemplatum per considerationem exemplaris ad veritatem immutabilem pervenire, de qua Augustinus in libris *de Magistro* (*e*), *et Vera Religione*, facit non modicam intentionem; alia est istis multo excellentior, per amorem ardentissimum unitivum, quæ actualiter, sine omni medio animum disponente, ardentissime facit in dilectum suis extensionibus sursum activis consurgere : quæ Mystica Theologia tradita in apice affectivæ consurgit, quæ consurrectio ignorata, vel per ignorantiam dicitur, ut remoto omnis imaginationis, rationis, intellectus, vel intelligentiæ exercitio, per unitionem ardentissimi amoris id sentiat in præsenti, quod

[1] *Cant.*, I, 3. — [2] Dion., *de Myst. Theol.*, c. I. — [3] *Cant.*, IV, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* alliciat. — (*b*) *Al.* indemonstrabiliter. — (*c*) *Cæt. edit.* quæ. — (*d*) *Al.* per liberam et absolutam, et puram tui ipsius a rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illum caliginis divinæ radium, detractis omnibus, et acunctis expeditus, eveheris. — (*e*) *Cæt. edit.* libro *de Magisterio.*

Digitized by Google

intelligentia capere non sufficit, imo quod potius est, omnis speculativa cognitio totaliter ignorat, quod in quantum Seraphim nobilior est Cherubim, in tantum amor verus omni habitu ab origine primordiali indito, vel gratis dato, vel gratum faciente, est perfectior. In quantum potentia motiva potentia cognitiva excellentior, in tantum cognitio per amorem unitivum, quantum ad divinorum secretissima penetranda, omni cognitiva apprehensione præclarior est. Unde et hæc a beato Dionysio incomparabiliter omnes alias excedens, definitur sic : « Sapientia est Dei divinissima cognitio per ignorantiam cogniti (*a*). » Et non tantum præclarior, imo etiam est universalior et utilior aliis scientiis, cognitionibus et apprehensionibus, dicitur. Quæ non tantum affectum supra se erigit, et amore ecstatico perfecte unit sponso altissimo creaturam, sed insuper in tantum elevat intellectum, ut multo plus omni prudentia et cognitione divinis fulgoribus illustretur, quam aliquo ingenii exercitio valeat obtineri. Unde de illa dicit Dionysius [1] : « Hanc igitur irrationabilem, et amentem, stultam sapientiam, excedenter (*b*) laudantes, dicimus, quod est omnis mentis et rationis, et omnis sapientiæ et prudentiæ causa : ab ipsa est omne consilium, ab ipsa etiam omnis cognitio et prudentia, in ipsa sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, ubi per *sapientiam et cognitionem* completa utriusque potentiæ perfectio denotatur, affectione scilicet et intellectione. Ipsam enim vocat irrationabilem, quia nec ipsam ratio apprehendit, nec ratione investigando utitur : amentem etiam vocat, id est, sine mente, et sine intellectu, quia nec ipsa in suo exercitio utitur intellectu, quia usque ad tam summam cognitionem intellectus pervenire non sufficit : stultam etiam vocat, quia sine usu omnimodæ intelligentiæ in affectu ista sapientia consurgit, quam nulla intelligentia penitus apprehendit. In verbis enim propositis a Dionysio perfecte traditur hæc sapientia.

Subditur primo quid sit amovendum ; secundo, quomodo consurgendum. Et cum etiam in ista consurrectione anima sit in statu duplici, scilicet ut perficiens, et ut perfecta ; primo subditur quid removendum in primo statu, ibi : *Sensus derelinque* ; secundo consurrectio, quando dicitur : *Consurge ignote*, usque ibi : *Etenim excessu tui ipsius*, etc. Mysticas enim visiones appellat ipse Dionysius in tota philosophia sua, quæ transcendit omnis entis considerationes, quando intellectiva cognoscit ex ipso affectu præcedente, nec e contra : et ista est verissima, et certitudinalis cognitio, ab omni errore, et opinione, et phantastica deceptione penitus elongata. Unde et hæc quæ dicta sunt, et quæ dicentur, sive in theorica, sive in practica hujus sapientiæ, quæ affectivæ directionem conspiciunt, sine dubitatione et opinione coram totius mundi philosophis et doctoribus irrefragabiliter affirmantur, et ideo hæc cognitio *mystica* vocatur, id est occulta, tum quia pauci ad ipsam recipiendam se disponunt, tum quia occulte consistit in corde, ut nec stylo, nec verbo ad plenum valeat enodari.

In illa mystica cognitione, ubi affectus dominatur, jubetur et sensus et intellectus radicitus derelinqui : primo, a parte ipsarum virium apprehendentium, ubi dicit *sensus et intellectuales operationes ;* secundo, a parte ipsorum objectorum, scilicet sensibilium et intelligibilium, cum dicit : *sensibilia et intelligibilia.* Sed ne absurdum illud videatur, sensus debere derelinqui, subditur ratio : Quia ista sapientia non est sicut alia scientia, quæ est ex præexistenti sensibilium cognitione, sed est potius desuper, secundum regulam beati Jacobi dicentis [2], a quo hæc sapientia vocatur : *Omne bonum, omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, et descendens*, etc. Si omne donum, multo fortius hæc sapientia, quæ omnis portio Mariæ, quæ amoris dilecti igne succensa ardebat desiderio. Quia igitur hæc apprehensio est desuper, et non subtus, jubetur sensus exterior extirpari. Quod non tantum de sensuum exteriorum officio intelligendum est, sed etiam de sensibus interioribus : quia nec sub ratione dulcis vel odorabilis, sive olfactibilis, quod idem est, vel pulchri, vel melodiosi, vel suavis ipse Deus beatissimus apprehenditur, cum hæc omnia apprehensione rationis prævia dirigantur, et hæc unitiva apprehensio sit supra mentem et rationem, sicut dictum est. Oportet ergo speculativum discipulum hanc alibi haurire sapientiam, quam in eis quæ apprehensionem speculativæ cognitionis respiciunt : et in hoc apparet hujus sapientiæ mira et appretianda nobilitas, et ejusdem divinitas, et quare divinissima in diffinitione Dionysii appellatur,

[1] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII. — [2] *Jac.*, I, 17. — (*a*) *Cæt. edit.* cognita. — (*b*) *Cæt. edit.* excedentem ; *al.* superlate.

Digitized by Google

in hoc quod animam (*a*) quasi seipsam expoliare necesse est, et amorem divinitus collatum affectui veluti pedissequum insectari, et per istam divinam sursum actionem intellectui habituali cognitione cum tactu amoris relicta, divinissima informari, non tantum de simplici apprehensione ipsorum sensuum intelligendum est, sed etiam de delectatione eorumdem prout motivam respiciunt : quia hæc est ipsius sapientiæ quasi summe præparativum, quod a sensibus exterioribus inordinata delectatio in creatura, prout melius poterit, efficaciter rescindatur, ut quoquomodo Deus finis mediatus, vel immediatus, vel finis ultimus requiratur, quia quanto plus in ipsis immergitur, tanto debilius ad divina consurgit : ut dicat cum Psalmista [1] : *Renuit consolari anima mea*, a quo etiam redditur illius renuitionis delectationum ratio, ab eo sic dicente : *Et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus;* supple : dum se exercet mens motibus anagogicis ad divina, et directa tendentia sui ipsius ad Deum delectatur, deficit spiritus ab his delectationibus, quæ sibi a sensibus corporis exterius instigatione diabolica offeruntur. Quod etiam de delectatione sensuum interiorum dicendum est, quia nec ab ipso vero (*b*) diligente debet diligi dulcedo, vel suavitas concupisci, quia ipse solus appetitur, nisi quandoque hac de causa ipsam dulcedinem vel suavitatem appetat, ut ad intimiorem unionem efficacius affectus et importunius inardescat. Unde tota ista sapientia est in ardenti desiderio collocata, ubi omne ens, vel vis et officium intellectualis virtutis extirpari, et derelinqui præcipitur. Nam quandoque vis intellectualis multa de divinis participat, maxime quando theoriis divinioribus illustratur. Sed quia alia vis est in mente multo illa eminentior, cujus motibus mens ignita erigitur ad sapientiam profundiorem, tum ratione superioris apicis ipsius affectivæ, tum ratione ardoris ipsam superius erigentis, qui super habitus gratuitos et infusos ratione suæ importunæ extensionis et dignitatis, in rationali spiritu obtinet principatum. Unde commentator Vercellensis super Mysticam Theologiam, sic dicit : « In hoc libro alium et incomparabiliter profundiorem modum cognoscendi Deum tradit superintellectualem, et supersubstantialem, quem ideo gentilis prophetia non apprehendit, quia non quæsivit, nec esse putavit, nec vim, secundum quam diffunditur in animam, deprehendit. Putavit enim summam vim cognitivam inesse intellectui, cum sit alia, quæ non minus excedit intellectum, quam intellectus rationem, vel ratio imaginationem, scilicet principalis affectio : et ipsa est scintilla synderesis, quæ sola unibilis est Spiritui sancto, id est, divino. » Et hac de causa cum incomparabiliter totius intellectus suspendat officium mentis suprema affectio, ab eo secludi præcipitur non tantum operationes prout exeunt a vi sensitiva, vel intellectiva eliminari jubentur, sed etiam objecta ipsarum omnia sensibilia et intelligibilia, primo ea quæ sensu exteriori percipiuntur.

Cum vero rationalis creatura constet ex duplici natura, corporali scilicet et spirituali, utraque habet sibi objectum respondens, cum secundum cujuslibet capacitatem æterna veritas percipiatur : quomodo sensibiles homines sunt, qui non nisi sensibilia cognoverunt, veluti habentes intellectum obtusum, et affectum recurvum : ideo nec bonitatem, nec veritatem divinam in se percipiunt. Sed tamen ne sint omnino expertes cognitionis divinæ, posuit Deus altissimus sensibiles creaturas, ut [2] *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerentur*, ut secundum Davidicum sermonem [3] aliquis excusationem non habeat, ut *se abscondat a calore ejus* : cum egressus bonitatis ipsius a summo usque ad summum in omnibus creaturis resplendeat. Sed a filiis voluit increata sapientia ista sensibilia amoveri, ut multo felicius, multoque verius in thalamo affectus secretiori interius in lectulo amoris collocatum sentiant, quem Judæi, et cæteri philosophi per creaturas discurrendo mendicant. Unde ab ipsa veritate verus orans in spiritu ingredi infra cubiculum (ubi inveniat thesaurum occultum) præcipitur, non tantummodo sensibilem, prout sensui exteriori respondet, sed etiam prout est objectum sensuum interiorum : nec sub ratione apprehensiva ipsius beatissimi Dei, prout est dilectus, pulcherrimus et suavis, per mentis desideria anagogica appetatur, ne ipsa anima, quæ velut filia habet soli desiderio Conditoris inhærere, refectionem suam veluti mercenaria impudenter (*c*) inquirat, nisi ratione superius dicta, scilicet, ut in ipsum aliquo dulcedinis vel suavitatis nutrimento allecta, insatia-

[1] *Psal.* LXXVI, 3. — [2] *Rom.*, I, 20. — [3] *Psal.* XVIII, 7.

(*a*) anima.— (*b*) *Forsan leg.* vere.— (*c*) imprudenter.

Digitized by Google

bilius et immensius inardescat. Intelligibilia enim generaliter evelli admonentur, quia, secundum quod alibi dicitur, cum omnes homines naturaliter scire desiderant, in nulla tamen scientiæ notitia, vel cognitione, rationalis spiritus tendentia conquiescit, nisi primæ veritatis jucunda cognitione lætetur, quam solam invenit nobilitati humanæ intelligentiæ respondentem. Si ergo sciat omnem naturam elementorum, complexiones corporum, virtutem astrorum, cum omnia illa viliora sint, rationalis spiritus penitus non quiescit, sed potius sic labitur, vel etiam luxuriatur, cum idolo creaturæ, seipsa infirmioris (nisi redigat ad finem ultimum), involvatur. Cum etiam tantæ nobilitatis sit spiritus, ut species angelicas etiam fastidiat : penitus constrictus et errabundus, nisi quoquomodo ad cognitionem illius a quo exiit originaliter, et victor, et triumphans virtualiter revertatur. Quod etiam si omnia creata vellent (*a*) scire, reducendo ad finem debitum, ut per illa Creator cognosceretur ab ipso, tamen respectu illius sapientiæ totum oportet relinquere, quia mens immediate ipsum per ineffabilem cognitionem relictum, ex amoris unitione cognoscit. Et de illa cognitione in mystica theoria secundum tertiam translationem sic dicitur : « Per unitionem dilectionis, quæ est effectiva veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignota (*b*) : cognitione multo meliori quam sit aliqua intellectualis cognitio, » etc. Non tantum intelligibilia, in quo verbo, respectu exercitii istius, omnis finalis complacentia cognitionis de omni creatura tam inferiori quam superiori relinqui persuadetur, et etiam existentia, et non existentia, per quæ duo omnis modus speculativus apprehendendi divinam naturam excluditur. Existentia hic dicuntur rationes æternæ in mente divina, quibus aliquid extractum in creatura inferius correspondet : quia ordinatissimus procedendi modus in humanis ad divina certitudinaliter reperitur, quando mens supra se provecta, movetur immediate in Deum veluti in terminum sine etiam commixtione alterius cujuscumque creaturæ superioris, vel inferioris.

Quia ergo, considerando rationes æternas, mens in quantum ab ipsis egredientem creaturam considerat, in tantum a parte altera infra seipsam finitur, ut non totaliter supra seipsam integraliter erigatur : quia ergo sapientia unitiva omnem contemplationem, vel considerationem in suis motibus creaturæ relinquit, ad suum unicum intelligibile supra seipsam aspirans, ideo respectu ipsius existentium (licet sit nobilis) contemplatio dimitti præcipitur : cum sit ibi aliqua incurvatio, et perceptio naturalis, et ideo mens per istam relativam contemplationem non relinquit omnimodam humanam apprehensionem, ut omnino veluti per aliam mens super naturales limites collocetur.

Sed et non existentia jubentur amoveri, respectu ascensionis illius sapientiæ. Non existentia vero hic appellantur, secundum quæ nihil exemplatum in creatura reperitur, ut omnis consideratio de trinitate et ordine personarum, quia illud nunquam in creaturis apparet exemplatum, quod aliquis generet aliquem qui sit idem quod ipse, quorum quilibet sit vere existens substantia; nunquam quod amor connectens aliquos, sit æqualis et existens substantia cum ipsis amantibus. Ista ergo speculatio inter speculativas contemplationes excellentissima relinqui jubetur : non quia bona non sit et nobilis, sed quia est alia superior apprehensio in mente humana, per quam solam excellentissime supremus spirituum attingatur, quæ sola optima portio Mariæ dicitur. Alia vero per Rachel signatur; contemplatio vero sensibilis in creaturis per Lyam : et hæc est ratio : quia in tantum mens divinius ad supercœlestia, et eminentius attingit, in quantum ipsis magis appropinquat, vel in ipsum Deum intimius transformatur : quod quia nulla est contemplatio speculativa, quæ habet (*c*) virtutem transformandi, sed solus amor extensivus deificans, ideo ille solus divina apprehendit, ad cujus pedem nulla contemplatio cognitiva, sed potius quasi de longe prospiciens aliquatenus se extendit. Ideo in septimo, *de Divinis Nominibus*, sic dicitur : « Oportet autem videre mentem nostram habere virtutem ad intelligendum, per quam invisibilia respicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam conjungitur ad ea quæ sunt supra ipsam. » Secundum hanc igitur differentiam oportet intelligere, non secundum nosipsos, sed totos nosipsos institutos, et totos deificatos, » etc. Quod quia ita derelinquere est difficile, ideo concertatione et forti conatu mentis ista resecari jubentur.

Dicto de his quæ oportet derelinqui necessa-

(*a*) *Forte legendum* vellet. — (*b*) ignoto. — (*c*) *Leg.* habeat.

Digitized by Google

rio, subditur de ipsa consurrectione unitiva. Ubi primo notatur conditio consurgentis, quando *per ignorantiam* dicitur; et ipsa consurrectio extensiva, ubi dicitur : *Consurge*; et illud quod ipsa consurrectio solum et præcipue ascendat, cum dicitur : *Ad ejus unitionem quæ est*, etc. Sed cum omnis apprehensio jam dicta sit extra mysticam consurrectionem, cum in illa oporteat esse ignorantiam : ideo totaliter oculum intellectus rescindere oportet, quia in ipsa consurrectione semper vult illud apprehendere, ad quod tendit affectio. Unde, maxima adversatio in ista consurrectione est vehemens inhærentia intellectus cum affectu, quam tamen rescindere necesse est per magnum exercitium. Cujus causæ dictæ sunt superius, quia vel phantastice, vel circumscriptibiliter, vel modo limitato apprehendit : et quomodo hoc possit fieri, dicit in *Mystica Theologia* super illud : *Consurge ignote :* quia ibi elevatio est vehementia tendentiæ affectus, quæ intellectum post se relinquit. Pura ergo affectiva consurrectio nunquam est, nisi totaliter intellectivus oculus rescindatur : et hoc est quod in ipso *Mysticæ Theologiæ* principio dicitur. Omnino autem ignorata notatio omnis cognitionis, et melius unitur ex eo, quod nihil cognoscit super mentem elevata cognitio. Unde hæc est necessaria conditio ad istam elevatissimam apprehensionem, quod in ipsa elevatione vacet omnis cognitio speculativa : quia ipsa est ignota intellectui, et ipsam (*a*) relinqui necesse est, si ad cognitionem super mentem desiderat pervenire. Et quantum in ipsa consurrectione intellectus se commiscet affectui, tantum est hic de impuritate; et in quantum plus intellectivus oculus totaliter excæcatur (quod fit non nisi per magnum exercitium et laborem), in tantum oculus affectivus in suis extensionibus liberius et incomparabiliter eminentius elevatur. Et per qualecumque exemplum materiale, illud potest videri in aspiratione, et respiratione anhelitus, quia sicut ex interioribus sine omni deliberatione procedit ista emissio, sic sine deliberatione affectus ignitus, qui est super omnem intellectum, tendit ad illum cui soli perfectius uniri desiderat, et habet suam actionem ab omni intelligentia totaliter separatam, tanta latitudine a parte superiori, et promptitudine coadjutus, ut mira velocitate motuum, citius etiam quam cogitare valeat ratione, ad instar aspirantis et respirantis consurgat. Cujus (ut supra dictum est) velocitate motuum, ardore extensivo et importunissimo eorumdem, sicut mendicans nullius valoris reputatur, et rescinditur, licet importune se misceat omnis speculativæ cognitionis exercitium. Quod quia non potest dici, nec sufficienter verbo tenus explicari, secundum illud *Mysticæ Theologiæ*, cap. III : « Nunc autem ab inferioribus ad supremum ascendens, secundum mensuram ascensionis contrahitur, et post omnem ascensionem totus sine voce erit, et totus unietur et ineffabiliter, » etc. Quia doctrinam hujus præclaræ sapientiæ sibi soli increata sapientia reservare voluit, ut sciat omnis mortalis creatura, quod est Doctor in cœlo, qui solam sapientiam veram suis scholaribus per cœlestes immissiones, et suæ claritatis radios manifestet. Secunda ratio est, ut omnes sapientes mundi confutet, cum simplex vetula, vel rusticus pascualis, ad istius sapientiæ consurrectionem perfecte possit attingere, dum tamen modo prædicto se præparet, quod nulla præhabita scientia, vel mortali industria apprehendit. Tertia etiam ratio in libro *Sapientiæ*[1] dicitur, quia *omnium superborum sublimium colla propria virtute calcavit :* quia quantumcumque præclarus, quantumcumque clericus omnibus aliis gloriosior existat, fimbrias hujus sapientiæ non attingit, quæ super mentem elevata cognoscitur, nisi per viam puerilem, scilicet purgativam, supposito quod mortaliter peccaverit, ad unitivam se præparet : dolens et gemens quod collatorem totius sapientiæ, et omnium bonorum, ad indignationem contra se peccatis anterioribus provocavit. Colla ergo superborum et sublimium, usque ad humilitatem puerorum incipientium, necesse est incurvari. Unde est ibi illud propheticum[2] impletum, in quo sapientia sapientium reprobatur, et sola purgativæ inferioris humilitas ab illo supremo exigitur, qui[3] *deponit potentes de sede, et exaltat humiles.*

Subditur etiam respectu cujus sit (*b*) illa consurrectio, cum dicitur : *Consurge ignote*, scilicet ad unitionem illius Altissimi, qui super mentem et cognitionem; et hæc causa partim supra dicta est, quia nec ibi gratia, nec gloria, vel dimissio pœnæ, vel aliquid aliud requiritur

(*a*) *Forte leg.* ipsum. — (*b*) *Al.* fit.

[1] *Eccli.*, XXIV, 10. Lib. *Ecclesiastici* dicitur etiam *Sapientia Sirach.* — [2] *Isa.*, XXIX, 14. — [3] *Luc.*, I, 52.

Digitized by Google

istis desideriis sursum-activæ consurrectionis; sed ipse solus, cui soli propter se in conculcatione vehementium desideriorum mens uniri aspirat, qui sub ista apprehensione obtentus prout ab affectu tendente percipitur, supra omnem mentem humanam et cognitionem attingitur : ut non solum esse ipsum absolute respiciatur, sed et modus apprehendendi ipsum, quia, ut dictum est, quando affectu tangitur, super mentem ducitur et rationem. Unde tota ista sapientia in hoc solo perficitur, ut ipsa affectiva in suo supremo apice constituta, per abscissionem totius intellectualis operationis nihil aliud, quam soli Deo uniri desiderat. Et quia hoc est difficile, subditur propter hoc : « Et sicut est possibile, usquequo possit cum Psalmista dicere [1] : *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* » Quia cum prædicta impedimenta, mediante divino auxilio, scilicet omnia sensibilia, et intelligibilia, et maxime immixtio intellectivæ, quæ semper vult apprehendere illum in quem tendit affectus, perfecte (*a*), sicut extensionis unitivæ vincula, dirumpuntur, tunc libera ipsa affectiva, veluti quædam avicula, solis pennis affectionum ardentium provecta, tanta libertate perfruitur, ut quotiescumque vult, moveatur ardentissime in Deum : sic etiam, ut orans affectionum desiderio in mentis affectu, quantum possibile est in via, sic attente exoret, ac si ipsum videret facie ad faciem; quandoque etiam ut supra ipsam mens erecta, motu et consurrectione quasi totaliter extra corpus videatur. Ideo dicit : « Sicut possibile est : » quia nulla mens, nisi immissione divina, hoc percipit, secundum illud, in primo *de Divinis Nominibus* : « Nam supersubstantialem scientiam ignotæ supersubstantialitatis, quæ supra rationem, et intellectum, et substantiam ipsam ipsi tribuere convenit, tantum ad superius respicienti, quantum theoricorum eloquiorum radius se immittit ad splendores superiores, » etc. (*b*) : quod idem est, quod illa scientia quæ est per ignorantiam, ut dictum est, solius Dei doctrina percipitur : et in quantum plus affectus de theoricis eloquiis, scilicet divinis influitionibus quibus mens cum dilecto garrula jucundatur, recipit, in tantum Deus solus in mente intimius se immittit, ut ipse qui est vera sapientia, per diviniores radios præclarius cognoscatur.

Postea subditur : *Etenim excessu tui ipsius*, quia non tantum creaturam sapientia unitiva funditus eradicari perurget, sed ipsum specialiter intellectum mortificat, et soli divinæ influentiæ se submittit. Et de illo excessu Apostolus dicit ad Corinthios [2] : *Sive mente excedimus, Deo*, etc. Et per istum continuatum excessum, igne amoris anima efficaciorem consequens separationem et purgationem, per suas extensiones flammeas et consumentes rubigines efficacius promeretur, quam primo, cum per istam incipit consurgere. Quia, sicut est duplex purgatio, scilicet per aquam et per ignem, in corporalibus; sic et in spiritualibus, quia via prima purgativa per dolores et frequentes attritiones purgat et per lacrymas, sed multo efficacius illa quæ est per consurrectionem ardoris. Unde per istum excessum ardoris jam levis ab omni irretentibili, scilicet mundano delectabili, et absolutus, scilicet ab omni aliena affectione mundus, ad divinæ incomprehensibilitatis claritatem, jam penitus ablatis obstaculis, et absolutus spiritus a vinculis agillime sursum agitur. Unde iste est ordo consurgendi.

Primo oportet, quod considerationem et amorem sensibilium derelinquat, et contemplationem omnium intelligibilium, et purus consurgat affectus, sine admixtione intellectus, in illum, quem in sua tendentia cognoscit quietativum desiderii, ut ipsi intimius uniatur. Et per istam diuturniorum motuum anagogicorum consurrectionem, magis ac magis affectus extenditur, et quasi quibusdam flammeis scintillis mens purgatur efficacius, et ab amore carnalium alibi requiem inveniens, sine carnis murmuratione, necessario sequestratur multo plus quam antea, et exinde affectus puris motibus fit agilior, ut quotiescumque vult, sine meditatione intellectus prævia (*c*), ardentissime moveatur. Unde primo dicit : *Consurge ignote;* et post hoc dicit : *Sursum ageris :* quasi diceret, quod in principio exercitii consurrectionum anagogicarum affectus apex cum difficultate con-

[1] *Psal.* CXV, 16. — [2] II *Cor.*, V, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* perfecta. — (*b*) *Al. interpr.* Nam supernaturalis ipsius indemonstrabilitas, quæ supra omnem rationem, et mentem, et essentiam est, ipsa est cui supernaturalem scientiam tribuere nos oportet, tantum ad inaccessum illud lumen aspirando, quantum se insinuaverit divinorum ille radius oraculorum, quo eminentioribus istis rerum divinarum splendoribus sobrietate quadam ac sanctitate contemperamur. *Biblioth. max. SS. PP.* Lugd., an. 1677. — (*c*) *Cæt. edit.* prævii.

Digitized by Google

surgit; sed per amorem excessivum ipsius supra se, et per efficaciorem purgationem, quasi sine difficultate ad libitum consurgit, et motuum agilitate mirabiliter levigatur, ut licet in ipso motu anagogico natura et amor pariter concurrat, tamen efficacius, jam remotis impedimentis, et exinde majori immissione desuper adveniente, multo plus ardor amoris, quam vigor affectus naturalis facilitatem et agilitatem motuum incomparabiliter operetur : et hoc est quod dicebatur, *Cuncta auferens*, etc., ubi duo maxime, quæ oportet derelinqui, tanguntur, scilicet omne irretentibile, et omne absolutum, quorum primum respicit affectum, quia in quocumque afficitur creatura, illi necessitate conjungitur, et per consequens irretitur, et tunc minus agilis ad consurrectionem divinorum efficitur. Sed non tantum irretentibile, sed omne absolutum dicitur : absolutum dicitur omne quod sua propria forma cognoscitur habens esse distinctum, cujus omnem speculationem, vel contemplationem, amoveri necesse est, quia sicut omne irretentibile immundum reddit affectum, dum in creatura seipsa viliori delectatur affectus, ita per secundum immundus efficitur intellectus, id est, tenebrosus, quia dum tantum humana scientia speculativa repletur, in comparatione illius sapientiæ quæ est per supersplendentes divinos radios, quasi quadam obtenebrante caligine obfuscatur. Sed et illud verbum ultimum non tantum de agiliori consurrectione est, sed de cognitione suprema ipsius intelligentiæ, quia secundum sapientiam beati Dionysii, illa sola vera est cognitio de divinis, quæ experimentali notitia sursum activæ consurrectionis relinquitur. Unde divina miseratione, secundum quod competit, consurgenti hoc accidit, ut quando mens per multorum temporum curricula aspiravit, ut suum dilectum intimius sibi conjunctum (*a*) ardentiori vinculo amoris constringeret, ad modicum, prout capax est, prout fit in raptu, visio beata conceditur, maxime cum ab irretentibili et absoluto (*b*) sit munda, et erigitur tunc ad divinarum tenebrarum radium, scilicet lumen divinæ incomprehensibilitatis, quæ ibi vocatur tenebra, secundum quod in epistola dicitur ad Timotheum [1] sic : « Divina caligo lumen est inaccessibile, in qua habitare Deus dicitur, et invisibilis quidem existens propter excedentem claritatem, » etc. Unde sapientia illa est immediate ante cognitionem raptus, et sic diutius aspiranti a dilecto dicitur [2] : *Amice, ascende superius*. Unde primo dicitur : *Consurge*, et ibi : *Sursum ageris* : quia in consurrectione unitivæ sapientiæ natura operatur et gratia ; in ista autem suprema operatione intelligentiæ sola gratia elevans immediatissime operatur, quantum ad ipsam elevationem raptus, prout mens sic in corpore erigitur, ut a sensibus corporis sequestretur, cum in ista ultima intelligentiæ elevatione tam intellectiva quam affectiva potissime officium consummatum, non per modum patiendi, sed agendi, actum suum obtineant.

Postea dicitur : « Vide autem ne quis indoctorum ista audiat. » Et hoc quidem admonet in fine primi *de Divinis Nominibus*, sic scribens ad Timotheum; loquens de cognitione per amorem prævium dicit : « Apponamus (*b*), sanctis sancta secundum divinam traditionem collocantes, et ipsa ab indoctorum usibus et derisionibus auferentes ; magis ipsos illos, si taliter sunt, tales quidem homines ab impugnatione Dei in hoc liberantes (*c*) », etc. Hoc idem sæpissime admonet in aliis libris suis. Et hæc est ratio, quam ipse assignat statim postea : quia putant ea, quæ secundum ipsos est, cognitione cognoscere eum [3] *qui ponit tenebras latibulum suum* : quia non possunt Deum apprehendere, nisi sub ratione boni, vel veri, vel dulcis, et sic de aliis. Et ista sapientia anagogica est quædam theorica per se distincta, et diversa ab omni speculativa sapientia, quæ omnem rationis apprehensionem transcendit. Et quia multi sapientes et doctores hoc videre non prævalent, hanc summam sapientiam irrident, et in hoc per consequens Deum altissimum collatorem hujusmodi sapientiæ impugnant, ideo cum beato Dionysio, sed quod magis, cum Domino Jesu Christo, rogo illum, quicumque hoc scriptum inspexerit, ne indoctis hujus mundi doctoribus philosophis, carnalem vitam ducentibus, ullatenus manifestet, nisi hac via puerili velint incipere, scilicet purgativa via, et citius quam aliquis esse non tantum in aliqua liberalium artium, sed in arte mechanica industrius operator, in seipsos sola divina immissione gradatim ascendentes,

[1] Dion., epist. *ad Timoth.* — [2] *Luc.*, XIV, 10. — [3] *Psal.* XVII, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* conjuncta. — (*b*) *Edit. Lugd.* absoluta. — (*c*) *Suppl.* aures sacris interpretationibus. — (*d*) *Al. interpr.* quinimo illos ipsos, si qui sint homines istius modi, a bello, quod ex parte cum Deo gerunt, revocemus. *Bibl. SS. PP.* Lugd., an. 1677.

Digitized by Google

omnia quæ dicta sunt multo melius et multo jucundius experimentali notitia veracissima approbabunt. Sed hæc scribere volui ad hoc, quod minus experti in ista sapientia, corroborato itinere, semitas dirigant, scientes quod citissime invenitur. Quod si in principio purgationis, vel ecstaticæ consurrectionis difficultas mirabilis sentiatur, tamen [1] *in paucis vexati* citissime *in multis bene disponentur*; ita ut experimento videant omne [2] *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Hoc etiam in præsenti videre possunt, qui ipsi per dilectionem hujus supremæ sapientiæ inhærebunt, ut jam mens dicat [3]: *Teneo eum, nec dimittam.* Sed licet ab indoctis quasi stulta hæc sapientia videatur, subditur theorica, ubi per rationes et argumenta proceditur : ut quomodo mens consurgere valeat, quomodo removenda obstacula, qua unitione media, et multa alia quæ ad hoc pertinent, ad confutationem humanæ philosophiæ. Sed et ne ascensus tantæ sapientiæ videatur irrationabilis, argumentis tam naturalibus, quam theologicis, quam anagogicis sumptis a rationibus æternis, evidentius disputatur. Et ideo sapientia Dionysii difficillima videtur, quia modus procedendi super omnem rationem existit, et sola Spiritus sancti influitione percipitur, maxime *de Divinis Nominibus* : ut dicitur, quod non asseveratur hæc doctrina [4] *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, sed in demonstratione a Spiritu sancto more virtutis in supremo apice, secundum quam ineffabilibus et ignotis ineffabiliter et ignote conjungitur, etc. Quando ergo Spiritus sanctus movet apicem affectivæ, secundum Psalmistam [5]: *Tange montes, et fumigabunt* (*a*); tunc tota profunditas sapientiæ Dionysii, ut intellectum excedit, super omnem disciplinæ alterius levitatem certissima et levissima comprobatur : et ideo amantissima, quia sine omni dubitatione et opinione procedit : et ideo, quia primo oportet cognoscere practicam quam theoricam, ut illa levissima (*b*) cognoscatur, ideo theorica operativam consequitur. Pax ergo omnibus amatoribus veræ sapientiæ, et divinæ bonitatis influentia concedatur. Amen.

[1] *Sap.*, III, 5. — [2] *Isa.*, LXIV, 4; I *Cor.*, II, 9. — [3] *Cant.*, III, 4. — [4] I *Cor.*, II, 4. — [5] *Psal.* CIII, 32. — [6] *Psal.* XXXVIII, 4.

(*a*) Vulg. *Tangit... fumigant.* — (*b*) *Cæt. edit.* levissime. — (*c*) *Edit. Lugd.* superexcellentissimæ.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum anima secundum suum affectum possit aspirando, vel desiderando, moveri in Deum sine aliqua cogitatione intellectus prævia, vel concomitante.

Ad manifestationem illorum occultorum et mysticorum, quæ dicta sunt super veritate, quæritur difficilis quæstio, in qua cuilibet intelligenti veritas hujus sapientiæ manifestius illucescit. Quæritur igitur, utrum scilicet anima secundum suum affectum possit aspirando, vel desiderando, moveri in Deum sine aliqua cogitatione intellectus prævia, vel concomitante.

Videtur quod semper sit necessarium præcogitare, antequam per extensionem amoris affectus moveatur in Deum. Primo auctoritatibus sic, quia dicitur in Psalmo [6]: *In meditatione mea exardescit ignis* : ergo primo oportet quod mens præmeditetur cogitando, antequam in ipsum dilectum igne amoris consurgendo per affectionem, affectus interius inardescat. Argumenta partis negativæ. Arg. I.

Item Augustinus : « Invisa possumus diligere, incognita autem nequaquam. » Ergo primo oportet ratiocinando, vel intellectualiter cogitando cognoscere, antequam affectu amoris aliquod diligatur : cogitatio igitur affectionem amoris necessario præcedit. Arg. II.

Hoc idem probatur rationibus, et primo ratione sumpta in divinis sic. Anima enim in Deum, quem diligit, per amoris desiderium actualiter se extendens, vocatur *deifica*, vel *deificata*, in septimo *de Divinis Nominibus* : nam secundum quod possibile est creaturæ, per extensionem amoris Trinitati superexcellentissime (*c*) conformatur. Sed in Trinitate ita est, quod secundum ordinem naturæ primo est Pater, qui est summa potentia; secundo Filius, qui est Patris notitia, vel summa sapientia; tertio est Spiritus sanctus, qui est verus amor. Ergo sic erit in anima, quæ per extensionem amoris secundum modum suæ parvitatis, ut possibile est, Trinitatem beatissimam nititur imitari : quod primo ibi erit, de ipso ad quem tendit aliqua cogitando, vel intelligenda notitia, antequam amoris desiderio in ipsum possit aspirando consurgere : ergo cogitando cognoscere, semper præcedit affectionem amoris. Arg. III.

Item, secundum quod dicit beatus Dionysius, Ecclesia militans imitatur, secundum quod possibile est, Ecclesiam triumphantem : ergo ani- Arg. IV.

Digitized by Google

ma fidelis, volens per amorem consurgere gradatim, secundum quod est in ordinibus angelorum, consurgit, et maxime mentes amantium ultimæ hierarchiæ comparantur, in qua sunt tres ordines, scilicet Throni, Cherubim et Seraphim. Igitur necessarium est in anima consurgere actualiter volente quod tres proprietates, vel officia, istorum trium ordinum imitetur. Primo, quod sit Thronus, id est, quod cætera, scilicet mundanos honores, carnales affectiones, terrenas delicias, ut solus Deus, jam sede præparata, in ipsa resideat, penitus derelinquat. Secundo, quod sit Cherubin, quod intelligitur *plenitudo scientiæ* : et hoc fit mediante lumine divinitus immisso, quo mediante mens, supra-intellectualiter cogitando, secundum humanam intelligentiam divina cognoscit, et cœlestia apprehendit. Postea oportet quod sit Seraphim, qui est ordo supremus, id est quod in illum, quem jam mens cherubica cognovit, postea affectus, ipsum solum desiderando, non aliud, per affectiones flammigeras inardescat, tunc est Seraphim, qui interpretatur *ardens*. Cum enim Cherubim, cui appropriatur cogitantis cognitio, ordinate præcedat Seraphim, qui interpretatur ardor amoris : igitur sic erit in anima, quæ hoc triplex officium angelorum nititur imitari, quod per cogitationem cognoscere præcedit actualiter ardere, ut sine cogitatione prævia nullatenus consurgat amoris affectio.

Arg. V. Item anima, per amorem consurgens, nititur illis beatis mentibus sanctorum, qui contemplantur Deum, facie ad faciem conformari. Sed illis illic primo est videre, quam amore inhærere; quia, nisi illam indicibilem plenitudinem intelligendo cognoscerent, nullatenus ipsi ignitis affectionibus, in quarum delectatione beatitudo completur, inavertibiliter adhærerent. Ideo, nisi nobis prius esset cogitatio, seu cognitio, quam affectio amoris, jam non conformaremur mentibus sanctorum in gloria: quia sic vident divinam pulchritudinem, ut in ipsa per amorem supra omnem intelligentiam interius affectionibus delectentur. In his ergo intelligere præcedit amare.

Arg. VI. Item, secundum quod anima in suis potentiis ordinatur, sic eodem modo naturaliter ordinate videtur moveri. Sed ego video quod a sua primordiali creatione anima tres habet potentias naturaliter distinctas, scilicet memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Memoria nihil aliud est in nobis, quam intentio divinæ similitudinis. Intelligentia est in nobis illud, mediante quo naturaliter non investigando, nec ratiocinando, quælibet anima suum Creatorem cognoscit. Voluntas est illa potentia, per quam anima suum Creatorem diligit, et in ipsum naturaliter tendit, et ex isto ultimo est ratio, quare affectus humanus non potest satiari ad plenum terrenis divitiis, et honoribus, cum in solum Deum tendat, ut in ipso finaliter conquiescat. Cum igitur potentia intelligentiæ, in qua est cogitatio, præcedit potentiam voluntatis naturaliter, in qua est ardor, vel amoris affectio : igitur motus intelligentiæ, qui est cogitare, præcedit motum voluntatis, qui est amare: nullus igitur intellectus sine cogitatione prævia poterit amoris affectione consurgere, quantumcumque ignitis affectionibus, ut divinitus elevetur.

Item hoc idem videtur in apprehensiva, et in motiva sensibili. Nam primo necessarium est, ut illud ad quod imaginarie diligendum moveor, quod illud antea sensibiliter præcognoscam : ante igitur oportet me comprehendere oculo exteriori, vel alio sensu aliquod delectabile, quam in ipso delecter, ut illud habendum desiderem. Igitur sic erit in cognitiva et motiva, ratione superiorum, quod Deum, sive aliquod aliud delectabile, anterius cogitem, quam ad ipsum possim interius affectionibus aspirare, vel in ipso aliquatenus delectari : ergo præcogitare semper præcedit amore consurgere. Arg. VII

Item, secundum quod dicit beatus Dionysius in principio *Mysticæ Theologiæ*, in consurrectione amoris oportet omnem intellectum derelinquere et cogitationem de creaturis sensibilibus, et etiam tam de Deo, quam de angelis : sed illud ponere videtur stultissimum. Quid enim faciat animus, si non poterit cogitare de Deo, vel Trinitate, vel angelis? Videtur etiam tunc esse quasi in nube, vel in mari (*a*), cum semper cognitio intellectus ipsum amorem dirigat : aliter enim sapientia mystica non videtur sapientia, sed abusio, vel stultitia. Arg. VIII

Item omne illud quod apprehenditur, apprehenditur sub aliqua intentione entis, scilicet aut ut unum (*b*), aut ut verum, aut ut bonum : ergo Deus, quoquo modo apprehendatur, apprehendetur sub ratione entis, aut ut est summa unitas, aut ut est summa veritas, aut etiam ut est summa bonitas. Cum igitur nullo istorum Arg. IX.

(*a*) *Cæt. edit.* esse in nube, vel in mari, quasi. — (*b*) *Cæt. edit. deest* aut ut unum.

Digitized by Google

modorum possit apprehendi, nisi per cognitionem, nam si apprehenderem ut unum, oporteret me cogitare de unitate; et si verum, de veritate; si ut bonum, de bonitate : igitur, cum amoris apprehensio apprehendat Deum in quantum est bonum, oportet necessario, ut prius ibi sit cogitatio prævia de ipsa bonitate, quam in ipsum actualiter per amoris affectionem moveri : ergo, etc.

Argumenta in oppositum.

Contra : Videtur, quod sine cogitatione prævia, vel concomitante, affectus per amorem dispositus libere moveatur in Deum; et primo, auctoritate magni hierarchæ Dionysii, in principio *Mysticæ Theologiæ* dicentis ad Timotheum sic : « Tu autem, amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque, et intellectuales operationes, et omnia sensibilia, et intelligibilia, et omnia existentia et non existentia, et sicut possibile est, ignote (*a*) consurge ad ejus unitionem, quæ est super omnem substantiam et cognitionem, » etc. Cum igitur secundum hoc, in consurrectione amoris mystica, opertet derelinquere omnem intellectualem operationem, vel cognitionem, et solum secundum unitionem amoris affectuosi consurgere, quæ est super omnem intellectum et cognitionem : igitur sine cogitatione prævia vere amans amoris affectione consurgit.

In tertia translatione Dionysii dicitur im *Mystica Theologia* : « Per unitionem dilectionis, quæ est affectiva veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignota cognitione multo nobiliori, quam sit cogitatio intellectualis, et in eo quod cogitationem intellectualem derelinquit, super intellectum et mentem Deum cognoscit. » etc. Cum igitur, ut ibidem dicitur, Deus non possit cognosci per intellectualem cogitationem, cognoscitur verissime per actum (*b*) amoris. Igitur, ut plane dicitur, necesse est omnem intellectum derelinquere, et solum per amoris affectum in Deum consurgere.

Item dicitur in septimo *de Divinis Nominibus* : « Oportet autem videre, nostram mentem habere virtutem ad intelligendum, per quam intelligenda inspicit, unitionem autem excedentem naturam mentis, per quam conjungitur ad ea quæ sunt supra ipsam : secundum hanc igitur divina oportet intelligere, non secundum nos, sed nos totos, totos ipsis statutos, et totos deificos (*c*) » etc. Igitur licet in humanis primo oporteat intelligere quam affici; in vera tamen et experimentali cognitione divinorum, oportet primum sentire per amorem, quam ipsum Deum, qui sentitur, intelligendo cogitare. Ergo oportet consurgere per amorem, ut ex isto statu cognitionis in ipsa mente vera cognitio relinquatur : nam illud, scilicet de divinis, quod experimentaliter sentit affectus, vere etiam intelligit intellectus.

Item in eodem capitulo dicitur de mystica sapientia sic : « Hanc igitur irrationabilem, stultam, et amentem sapientiam excedenter laudantes dicimus, quod est omnis mentis et rationis, et omnis sapientiæ et prudentiæ causa, et in ipsa est omne consilium, et ab ipsa omnis cognitio, et prudentia, et in ipsa thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, » etc. Cum igitur ipsam *irrationabilem* vocet, non ergo per rationum investigationem procedit, et cum ipsam *stultam* appellet, non procedit sicut alia scholastica scientia; nam ordinate procedendo, primo cognoscimus omne illud quod diligimus. Si ergo mystica theologia primo per rationes cogitando vel meditando procederet, sicut videmus in aliis, non *stulta* a beato Dionysio vocaretur, nec *amens*, id est, sine mente : nam sine omni mentali cogitatione, vel meditatione, affectus amoris accenditur. Igitur ex affectu amoris relinquitur in mente cognitio, non e converso, etc.

Item Psalmista [1] : *Gustate et videte*, etc. Cum igitur *gustare* affectum respiciat amoris, *videre* autem intellectus cogitationem, vel meditationem; ergo primo oportet motu amoris consurgere, quam occultissimum Deum intellectualiter cogitando cognoscere. Nam hæc est regula generalis in mystica theologia, quod primo oportet habere practicam, quam theoricam, id est, usum exercitii in corde, quam ipsius rei, vel eorum quæ dicuntur, habere notitiam.

Item illud idem apparet auctoritate commentatoris Vercellensis super *Mysticam Theologiam*, dicentis : « Istud sapientiæ negotium sensus, imaginationis, rationis, intellectus, tam practici, quam theorici usus et officia suspendit, et excludit omnem intellectum, et omne intelligibile, et ens, et unum, et verum, et transcendit speculum, et ænigma, et ipsi divino spiritui apicem affectionis principalis divina

(*a*) *Al. interpr.* indemonstrabiliter. — (*b*) *Cæt. edit.* tactum. — (*c*) *Al. interpr.* sed quatenus nos ipsi totos a nobis totis abdicamus, et toti transimus in Deum. *Bibb. SS. PP.* Lugd., an. 1677.

[1] *Psal.* XXXIII, 9.

Digitized by Google

dignatione unit, » etc. Igitur non requiritur in mystica affectione aliqua cogitatio, vel cognitio intellectus.

Item hoc idem probatur per rationem in divinis sumptam, quia mens ratione perficitur, secundum quod gradatim ascendendo ordinate ad divina consurgit : sed ego video, quod in ipsa divinitate sunt tres personæ, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Pater est summa potentia, Filius summa sapientia, Spiritus sanctus amor connectens. Sed Spiritus sanctus, qui est verus amor, secundum naturam, et etiam secundum nostram intelligentiam, non secundum tempus, est ultima persona in divinis. Nam primo est intelligere Patrem generantem, secundo Filium genitum, tertio Spiritum sanctum procedentem ab utroque : ultimus ergo, et nobis propinquior est Spiritus sanctus. Cum ergo anima gradatim ascendendo ordinate proficiat, oportet quod habeat primo amorem, qui appropriatur Spiritui sancto, quia (*a*) Spiritus sanctus nobis est affinior, antequam habeat intelligentiam cogitando, vel etiam sapientiam, quæ appropriatur Filio. Amoris igitur affectio præcedit cognoscere, et non e converso.

Item anima, secundum quod a Deo fonte totius beatitudinis recipit influentiam, ad instar Ecclesiæ triumphantis perficitur : sed constat, secundum Dionysium, quod ordo Seraphim, qui interpretatur *ardens*, primo, uberius et perfectius recipit influentiam a Deo, quam ordo Cherubim, qui interpretatur *plenitudo scientiæ* : ergo affectus per ardorem amoris, qui respondet Seraphim, primo et principaliter afficitur et movetur in Deum, quam intellectus illud, quod affectus desiderat, cogitando intelligat (*b*), quod intelligere respondet Cherubim. Ergo primo affectus movetur in Deum sine cogitatione prævia intellectus, sed potius ipsum sequitur.

Item spiritus rationalis recipit a Deo influentiam primo et principaliter, in quantum ipsi est affinior. Sed affectus maxime per amorem dispositus est supremus in rationali spiritu, et per consequens spiritui increato propinquior : igitur tangitur apex affectus a Deo per immissionem ignis amoris in spiritu, tanquam Deo propinquior, antequam habeat ipsum apprehendere intellectus, qui est potentia multo plus affectu a Creatore supremo distantior. Igitur semper movetur primo affectus in Deum, quam intellectus cogitando intelligat.

Item, cum Deus quasi gradibus infinitis distet a qualibet creatura, ad hoc quod ipse in ista miseria aliquantum cognoscatur, oportet animam sic appropinquare eidem, ut quoquomodo attingatur ab ipsa. Cum ergo solus amor faciat animam appropinquare ad Deum per sui extensionem : igitur, in quantum mens amat attentius, in tantum fonti luminis appropinquat, et per consequens in quantum propinquior est fonti luminis per amorem, in tantum plus intellectus illuminatur ab eo per cognitionem : primo igitur in divinis est ardendo amare, quam intelligendo cognoscere.

Solutio. Dicendum, secundum beatum Dionysium in principio *Mysticæ Theologiæ* : « Sapientia ista dicitur solum Christianorum : unde fidei cognitionem supponit, et charitatis fundamentum. Unde nullus mortalis, quantumcumque sit philosophus, vel sciens, hanc sapientiam, quæ est in supremo affectu, mentis humanæ facultatem transcendens, nec potuit, nec poterit apprehendere rationum investigatione, vel intelligentiæ exercitio ; sed solis filiis a solo Patre æterno consolationem expectantibus, paterno etiam affectu misericorditer reseratur, et ideo *mystica*, id est, clausa vel occulta dicitur, quia a paucis cognita. » Solutio quæstionis.

Unde notandum, quod duplex est modus apprehendendi, secundum duplicem naturalem potentiam pertingendi ad Deum : nam quælibet anima habet potentiam intelligendi, et hæc est potentia intellectus, et potentiam amandi, quæ affectus dicitur, quibus Deum apprehendimus, qui est summa veritas et summa bonitas. Unde intellectu apprehendimus veritatem, et affectu attingimus bonitatem. Secundum hæc duo est duplex via excellentiæ : una quæ dicitur contemplatio, et hæc figuratur per Rachelem, quæ dicitur *venusta aspectu*, quando mens scilicet lumine desuper infuso divinitus, habet meditando, vel cogitando, solum cœlestia contemplari ; alia est in affectu, et hæc dicitur ardor amoris, quando scilicet igne Spiritus sancti desuper misso anima flammigeris affectionibus ad solum Deum aspirans, ipsum solum desiderat, ut sibi per strictiorem amorem intimius uniatur, et hæc dicitur optima portio Mariæ, quæ ardebat desiderio, ut dicitur [1] in *Joanne*. Unde sicut novum testamentum præstantius est veteri, sic via amoris, sive perfectionis, quæ

[1] *Joan.*, XX, 11. — (*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* intelligit.

Digitized by Google

est in ardore amoris, quæ est designata per Mariam, est nobilior omni meditatione, vel contentione intellectuali, quæ designatur per Rachelem.

Sed notandum, quod ad hoc quod veritas efficacius videatur, quod duplex est contemplatio in intellectu : similiter, et ardor amoris dupliciter acquiritur in affectu. Quædam enim est meditatio, vel contemplatio, ab inferioribus ad superiora; quædam e converso, scilicet descendens a superioribus ad inferiora. De prima determinat Richardus de Sancto Victore in *Arca mystica*, ostendens per quadraginta duas meditationes, vel considerationes in creaturis, quomodo mens lumine intelligentiæ decorata ad cognitionem summi Creatoris debet attingere, et sicut Israeliticus populus pervenit ab Ægypto per quadraginta duas mansiones ad terram promissionis, sic anima fidelis per illas quadraginta duas considerationes, in sex gradibus ordinatas, usque ad cognitionem summæ veritatis attingit, omni rationali spiritui adoptatam (*a*).

Alia vero contemplatio est e converso procedens : nam mens, lumine desuper immisso, secundum regulas veritatis et rationes æternas, quas secundum divinas illuminationes in se ipsa percipit meditando, de inferioribus creaturis judicat, et secundum quod ampliori lumine anima desuper irradiando infunditur, sic in tanto infallibilius, secundum illas causas et rationes, quæ sunt idem quod Deus, a quo omnis creatura exemplata et ideata primordialiter exivit, veritatem in creaturis et in omnibus affectibus, multo melius quam ratiocinando, animus perscrutatur. Non tamen intelligendum est, quin ista contemplatio in affectione terminetur; aliter nulla esset. De istis vero nihil ad præsens. Multo enim excellentior, et multo amabilior, et ad obtinendum facilior est ardor amoris. Sed ad istum ardorem amoris est duplex modus attingendi : unus scholasticus, et communis; alius mysticus, et secretus. Primus enim est per modum inquisitionis et elevationis, et incipitur ab inferioribus usque ad summum per exercitium diuturnius ascendendo. Verbi gratia : modus enim amandi Deum per meditationem præviam iste est.

Modus amandi Dei per

Primo enim fidelis discipulus sensu exteriori, sive oculo, conspicit creaturas exteriores; deinde etiam aliquantulum ascendendo, quod jam percipit oculo exteriori, in imaginatione repositum conservat; deinde magis elevando, ratiocinando, et conferendo, una causa creatrix omnium necessaria invenitur, et sic pervenerunt philosophi ad cognitionem Dei. Nam ipsi videntes tantam creaturarum magnitudinem, tam decoram ordinationem, tantam utilitatem earumdem, per hoc ipsi, et quilibet alius, unum Creatorem potentissimum, sapientissimum, optimum infallibiliter cognoverunt, et hoc per potentiam animæ superiorem sensu exteriori et imaginatione, quæ ratio nuncupatur. Deinde ex ista consideratione creaturarum, quidam habitus per prædicta in intellectu relinquitur, ubi primordiale fundamentum creaturarum relinquitur, et esse (*b*) non tantum per conspectionem creaturarum, sed per irradiationem et illuminationem immissam, quodammodo mens a Deo ad contemplanda divina præclarius elevatur : et hæc potentia vocatur intellectiva, sive intellectus, quæ solum in meditatione pura consistit. meditationem.

Ultimo omnis meditatio vel contemplatio, sine affectione amoris subsequente, parum prodest, aut nihil. Unde dicit Augustinus quod licet semper volitando cogitare, et amando inhærere, ut semper cognitio vel meditatio præcedat affectionem amoris, secundo etiam anima fidelis sine omnibus aliis creaturis, per solam cognitionem immissam a Deo, in ipso afficitur.

Alius autem modus consurgendi in Deum est multo his omnibus nobilior, prædictis etiam ad habendum facilior : et hæc est sapientia unitiva, quæ est in amoris desiderio per affectiones flammigeras superius aspirando, quæ diffinitur a beato Dionysio, libro septimo *de Divinis Nominibus*, sic : « Sapientia est divinissima Dei cognitio per ignorantiam cognita (*c*), secundum unitionem super mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea etiam seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis inscrutabili, et profundo sapientiæ illuminata (*d*). » Unde in hac sapientia, secundum quod dicitur in principio *Mysticæ Theologiæ*, « sic sensus et sensibilia derelinque, intelligibilia et non intelligibilia, » etc. Unde ista sapientia sine omni investigatione, vel meditatione prævia, amantis affectum sursum trahit. Unde non ibi oportet cogitare, nec de creaturis, nec de angelis, nec de Trinitate; quia hæc sapientia non per medi-

(*a*) *Forte leg.* adaptatam. — (*b*) *Item* percipitur, et jam. — (*c*) *Leg.* cognitæ. *Al. interpr.* quæ per nescientiam accipitur. — (*d*) *Al. interpr.* quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur.

Digitized by Google

tationem prævíam, sed per affectus desiderium habet aspirando consurgere.

Sed notandum, quod ista sapientia alio modo intelligitur in proficientibus, aliter in perfectis. Proficientes enim necesse habent se purgare per viam quæ dicta est, scilicet per humilitatem, et cognitionem, et illuminationem per modum orationis, et postea aliquantulum cogitando ipsi Deo desuper inflammanti occurrere, non tamen meditando de Deo, vel angelis, ut dictum est; sed consurgendo secundum illam viam quæ immediate sequitur viam purgativam, in expositione minori de *Pater noster* [1], quæ est oratio in spiritu et veritate. Sed postquam affectus se exercendo diuturnius, vel cogitando, secundum quod ibi dicitur, diligentius se erexerit, tunc dimittitur omnis cogitatio, vel meditatio, et solum per amoris desiderium, quotiescumque vult, vel de die, vel de nocte, intus vel extra, ad unitionem ipsius dilecti solum aspirans, animus consurgentis se erigit, et ibi amoris affectio præcedit cogitationem; nam illud quod sentit affectus, vere intelligit intellectus: et sicut dictum est de contemplatione, quod duplex est, una quæ ascendit, alia quæ descendit; sic in affectione amoris; nam secundum viam scholasticam quæ dicta est, ascenditur ab inferioribus creaturis usque ad affectum amoris: in sapientia autem mystica contrarium est: nam ille verus amor, qui est Spiritus sanctus, tertia persona in divinis, ultima respectu ordinis personarum, nobis est propinquior, et prima in consurrectione affectiva in Deum. Unde ipse Spiritus sanctus per ignem amoris tangit et inflammat supremum affectivæ apicem, et indicibiliter, sine omni cogitatione vel rationis discretione, ad se trahit. Unde sicut lapis suo pondere trahitur, et fertur naturaliter ad suum centrum inferius, sic apex affectus suo pondere et directione, immediate, et sine obliqua obliquatione, absque omni prævia, vel concomitante cogitatione, sursum fertur in Deum. Unde illa potentia, quæ est affectus, et supremum in spiritu hominis, Spiritui sancto immediate amoris vinculo est unibilis. Et hæc potentia, ut est supremum in spiritu, quasi ab omnibus ignoratur, nisi ab illis in quibus ab igne Sancti Spiritus mediate affectus tangitur et movetur. Unde Dionysius hanc virtutem vocat immediate motam a Spiritu sancto, et secundum istam procedit tota ipsa *Mystica Theologia*, et dicit sic: « Est et nunc nobis lex prædefinita, veritatem de Deo docens nos asseverare, non in persuasibilibus humanæ (*a*) sapientiæ verbis, sed in demonstratione a Spiritu, more theoricarum virtutum, secundum quam ineffabiliter ignite, ineffabiliter et ignote conjungimur, secundum meliorem nostræ intellectualis virtutis et operationis unionem, » etc. Unde secundum istam virtutem motam a Spiritu sancto, immediate est multo major de Deo cognitio, quam per omnem intellectum, vel rationem investigando. Unde primum tangitur supremus apex affectus, secundum quem movetur per ardorem in Deum, et ex isto contactu relinquitur in mente verissima cognitio intellectus: nam illud solum quod sentit de divinis, verissime apprehendit intellectus, ut dicitur in fine principii *Mysticæ Theologiæ* sic: « Per unitionem dilectionis, quæ est affectiva veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto, » etc. Ex qua etiam unitione ingenium ad investiganda occulta mirabiliter clarescit, per hanc etiam imaginaria, et phantastica dirumpuntur, per hanc etiam sensuum exteriorum inordinatio quasi quodam retinaculo interiori refrenatur, usque etiam ad carnis sensualitatem, corruptionem corporum pestiferorum mortificando affectus ibi, ignite affectus redundat: nam quanto mens plus aspirando erigitur, tanto plus debilitatur ipsius carnis male inflammantis corruptio. Per hoc pro magna parte scholastici, et mystici doctoris diversitas patet: nam secundum diversos intellectus utriusque procedunt argumenta.

Nunc respondendum est ad rationes prius factas. Ad primum dicendum, quod illud: *In meditatione mea exardescet ignis*, etc., intelligitur in proficientibus, quia in talibus nondum adhuc ardor amoris abundat: propter hoc oportet, quod aliquantulum affectus meditando secundum illam viam, quæ dicta est in expositione minori Dominicæ orationis, non autem cogitando de angelis, de supercœlestibus, de Deo, vel de Trinitate, efficacius excitetur, quod tamen in tertio statu in via unitivi amoris perfecto jam excitato cogitatio (*b*) prævia dimittit. Sicut videmus in pontibus, quod in pontis ædificatione ligna lapidibus supponuntur, postea jam constructo ædificio, muri lapidei firmitate perfecta, cuncta ligna amoventur: quia sine ipsorum obsequio structura muri lapidei potest perstare immobilis. Sic etiam hic in proficien- Ad 1.

[1] Vid. sup., p. 20 et seq. — (*a*) *Cæt. edit.* summæ. — (*b*) *Leg.* perfecta, jam excitata cogitatione.

Digitized by Google

tibus cogitatio prædicto modo præmittitur, deinde sequitur affectio amoris, qua perfectione obtenta totius cogitationis, vel meditationis prævіæ, vel comitantis obsequium, ut supra dictum est, amovetur.

Ad II. Ad secundum dicendum, quod illud bene concedimus : « Invisa possumus diligere, incognita nequaquam : » nam sapientia mystica supponit cogitationem (*a*) Dei. Unde in principio *Mysticæ Theologiæ* vocatur sapientia Christianorum. Vel aliter, quia duplex est cognitio, una præcedit amoris affectum. In primo enim affectu vel processu secundum viam scholasticam communem, est ibi primo cognitio per creaturas de Deo, vel per intellectum, antequam in ipso amoris affectio accendatur, et secundum hoc illud Augustini intelligitur. Sed in processu mystico, secundum Dionysium, amoris affectus intellectus cogitationem præcedit, ut dictum est, et de utraque loquitur propheta David. Unde, quantum ad primum (*b*) dicit : *In meditatione mea exardescit ignis;* de alia : *Accedite ad eum, et illuminamini*, scilicet per cognitionem veritatis : et ista cognitio est certior quam prima, et infallibilior : sicut multoties aliquid, per aliqua signa quæ videntur in ipso, esse delectabile ad vescendum cognoscitur, ex qua cognitione, ad hoc ut comedatur, appetitus videntis quampluries inardescit; postea, quando illud gustatur, amplior et certior cognitio ex ipso gustu relinquitur, quam illa esset quæ ipsum gustum præcesserat : sic et in his eodem modo intelligitur.

Ad III Ad tertium, « In divinis, » etc., dicendum quod verum est secundum modum communem, et ipsa anima actualiter conscendente; secundum autem processum mysticum contrarium est : et sic procedit ista objectio alterius partis, quod patet in processu ipsorum argumentorum.

Ad IV. Per hoc patet aliud de Cherubim et Seraphim : verum est quantum ab infimis superius ascendendo, et sic cogitatio præcedit amorem, sicut Cherubim præcedit Seraphim; contrarium autem est descendendo, nam primo et principaliter recipit influentiam a Deo Seraphim, quam Cherubim, et sic similiter descendendo, primo movetur affectus per amorem in Deum, quam illud, quod sentiat affectus, percipiat intellectus : et sic currit secunda pars contrariæ partis.

Ad V. Ad quintum dicendum, quod non est simile de beatis, et viatoribus : nam beati ipsam claritatem lucis æternæ vident facie ad faciem, absque ulla admixtione phantastica, vel corporis corruptione, obtenebrante caligine, vel medio, contemplantes : et ideo est ibi summa ordinatio, quia nullum est ibi impedimentum : ideo primo naturaliter intellectus divinam pulchritudinem apprehendit, quam in ipsa affectus unione indissolubili delectetur. In viatoribus, licet ament existentes in corpore, tamen, sicut dicit Philosophus, intellectus humanus est phantasiæ admixtus, ideo omne intelligibile, et maxime summum intelligibile, quod est Deus, ipse phantastice apprehendit : quod si etiam per amorem, et illuminationem divinitus immissam, ab intellectu admixtio phantastica separetur, semper tamen intellectus, quantumcumque cœlitus illuminetur, Deum modo finito et limitato apprehendit, qui tamen immensus et infinitus est; et ideo omnis intellectualis cogitatio semper est impura et immunda. Et ideo in præsenti, si vera sit consurrectio mystica, jubet ipsam Dionysius ab amoris affectu totaliter sequestrari, et per solum ardoris amorem consurgere, quia etsi totus sit desiderabilis, sicut in *Canticis* [1] dicitur, non tamen totus comprehensibilis, nec in præsenti, nec in futuro. Et in quantum efficacius in ipsa consurrectione omnis intellectiva cognitio rescinditur, in tantum ardoris affectu, veluti liber supernatans, citius, quod desiderat, apprehendit. Et hoc summe cavendum est, ut nulla cognitio intellectualis se amoris unitivi consurrectione (*c*) admisceat.

Ad sextum dicendum est, quod solutum est Ad VI. Ad VII. secundum duplicem modum consurgendi per amorem, ut dictum est (*d*) : « Neque de Trinitate, neque de angelis, » etc. (*e*). Per illud idem solvitur septimum.

Ad octavum dicendum est, quod licet modus Ad VIII. consurgendi mystice stultus et irrationabilis ignorantibus hanc sapientiam videatur, tamen sapientissime et mira procedit ordinatione : nam solo pondere et discretione amoris, affectus verius et certius, et infallibilius in ipsum, quem diligit, fertur, quam oculus corporalis aliquod sensibile videat, vel intellectus possit de Deo per cogitationem aliquam apprehendere veritatem.

Si quæritur. Quid igitur cogitabo, cum de

[1] *Cant.*, v, 16. — (*a*) *Leg.* cognitionem. — (*b*) *Item* primam. — (*c*) *Item* consurrectioni. — (*d*) *Subandi* ad 1.— (*e*) *Cæt. edit. deest* etc.

Digitized by Google

Deo cogitare non debeam, nec de angelis? dicendum, quod solum aspiret (*a*), et cogitabit. Unde tunc sine aliqua cogitatione de Deo, vel de aliis, si mens secundum viam purgativam est aliquatenus præparata, si nesciret alia dicere nisi hoc modo consurgere, dicens sic : O Domine, quando te diligam? quando te constringam? si hoc sæpissime frequentaret, citius se sciret experimentaliter inflammari, quam si de secretissimis cœlestibus, et æterna generatione, vel processione millies cogitaret. Unde ista est optima stultitia, de qua dicit beatus Dionysius sic [1] : « Hanc igitur stultam et irrationabilem, et amentem sapientiam excedenter laudantes, dicimus, quod omnis est mentis, et rationis, et prudentiæ causa, » sicut dictum est superius in opponendo.

Ad IX. Ad nonum dicendum, quod Deus secundum consurrectionem illius sapientiæ apprehenditur per modum entis, nec ut unum, nec ut verum, nec ut bonum. Sed quando ista vis animæ suprema, quæ est apex affectus, tangitur ab igne amoris, illo motu et tactu scintillat affectus aspirando in Deum. Ideo beatus Dionysius istos doctores scholasticos et speculativos confutat, qui omnia se scire existimant, cum tamen de vera sapientia, qua mens ad Deum trahitur, parum aut nihil, nisi forte conjecturando vel opinando, cognoscant, et talibus non debere ullatenus istam veram sapientiam propalari, ad Timotheum scribens, dicit sic [2] : « Vide autem ne quis indoctorum ista audiat, indoctos dico, qui existentibus sunt firmati, » etc.; et in tales irridens, sic infert statim post : « Qui sua æstimatione credunt divina percipere ingenio, vel scientiæ plenitudine. Sic indoctos autem dico, » etc.; post : « Vere putantes ea quæ secundum ipsos de cognitione scire eum (*b*) qui ponit tenebras latibulum suum, » etc. Et hoc est, quia ista cognitio est totaliter supra mentem, et ubi omnis intellectus deficit, qui non apprehendit nisi sub ratione veri vel boni; mystica vero theologia per apicem affectionis docet discipulos veritatis consurgere per amorem; imo, quod plus est, nunquam actualiter mens posset istis motibus consurgere, si aliquid cogitaret consurgens, imo miserabiliter deprimeretur a sua elevatione affectio : sed potius intellectivam quasi pedissequam subtractam relinquit inferius, et sine sui obsequio ad dilecti unionem consurgit motibus sursum activis, ab ipsa eminentius elevata, plus distat ab ea, quam ab ortu solis meridies; et hoc quotiescumque vult, de die sive nocte, centies vel millesies, si corpus posset sustinere. Et quod ita sit, exemplo materiali ad præsens utar, ut valeas intelligere. Considero motum lapidis suo pondere naturaliter descendentis ad centrum. Sic per pondus amoris affectus dispositus in Deum, sine omni cogitatione vel deliberatione, consurgit, veluti in suum centrum se extendens, et motibus istis se elevat in continuo desiderio, cujus complementum et intuitus quietem in æterna beatitudine obtinebit, nisi quandoque ad modicum temporis, sicut est in raptu, divina sublevatione supra seipsum non natura, sed gratia sublimetur. Sed si hoc non potest percipere doctor speculativus, vel scholasticus discipulus, audiat ab Apostolo, qui fuit principalis hierarcha sapientiæ, quam nullus sapientium græcorum intelligere potuit, quoniam hæc sapientia solum spirituali examinatione cognoscitur, de qua loquitur Corinthiis dicens [3] : « Spiritus noster, spiritui divino unitus, sentit quæ sunt ejus; » et hæc sapientia est, quam inter perfectos loquebatur. Unde hoc est illud quod Dominus promisit apostolis, cum dixit [4] : *Induimini virtute ex alto.* Unde sicut sacerdos induit se a capite, sic anima induitur a parte summi affectus. Unde primo tangitur igne Spiritus sancti, quam aliqua cogitatio veniat. Patet ergo evidenter, quod anima vere amans potest consurgere in Deum per affectum accenso amoris desiderio, sine aliqua cogitatione prævia, etc.

(*a*) *Cæt. edit.* aspirat. — (*b*) *Al. interpr.* Indoctos dico, qui rebus, scilicet naturalibus, adhærescunt, et nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginantur, quin imo arbitrantur sua cognitione nosse eum. *Bibl. SS. PP.* Lugd., an. 1677.

[1] Dion., *de Myst. Theol.*, c. II. — [2] Ibid., c. I. — [3] I *Cor.*, II, 6 et seq., quoad sensum. — [4] *Luc.*, XXIV, 49.

Digitized by Google

SUMMA

SANCTI HIERONYMI

DE ESSENTIA ET INVISIBILITATE ET IMMENSITATE DEI

QUÆ S. BONAVENTURÆ ADSCRIBITUR [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Hoc titulo inscribitur iste Tractatus in omnibus impressis S. Bonaventuræ, sed in Editione Romana operum S. Hieronymi longe alio, et magis conformi rei, de qua in eo agitur : *De his, quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur.* In qua quidem editione illum tanquam Hieronymo falso adscriptum inter parerga ad tomum nonum rejecerunt. Et vero potius Bonaventuræ, quam Hieronymi videtur, quamvis utrumque incertum sit.

Omnipotens Deus, Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus est atque trinus, unus videlicet in natura, trinus in personis, solus invisibilis, solus incircumscriptus, incorporeus et immortalis, ubique præsens, sed latens, ubique totus, sed immensus. Invisibilis est, quia in essentia sua videri non potest, Apostolo testante, qui ait [2] : *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* Et in Evangelio [3] : *Deum nemo vidit unquam.* Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus, sive compactus, existit, sicut veritas in Evangelio dicit [4] : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Immensus est, quia quantitas ejus vel qualitas a nullo etiam metiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait [5] : *Si cœlum et cœli cœlorum te non capiunt, quanto magis et domus ista, quam ædificavi?* Incircumscriptus est, quia circumscribi non potest. Inlocalis est, quia de loco ad locum nequaquam transit, neque quolibet retinetur, ipso de se per Isaiam testimonium perhibente [6] : *Cœlum sedes mea est, terra scabellum pedum meorum.* Et per Jeremiam [7] : *Nonne cœlum et terram impleo?* Cujus immensitatem Propheta in Psalmo confitens, ait [8] : *Si ascendero in cœlum, tu illic es*, etc. De cujus immensitate adhuc in libro Job scriptum est [9] : *Excelsior cœlo est, et quid facies? Profunditor inferno, et unde cognosces? Longior est terra : immensitas ejus latior est mari.* Quia enim cœlum et terram implet, procul dubio nullus locus est ab ejus præsentia absens. Super omnia quippe est, regendo atque imperando. Subtus est, omnia sustinendo atque portando, non pondere laboris, sed infatigabili virtute. Immutabilis est, quia ab eo quod est, mutari non potest, ipso dicente per Malachiam Prophetam, qui ait [10] : *Ego Dominus, et non mutor.* Ideo Deus immutabilis dicitur, quia in natura ejus ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio, et alia his similia non accidunt. Simplex enim (*a*) natura est, immutabilis et imperturbata. Neque aliud ipse, et aliud quod habet; sed ipsum est, quod

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, p. 681; edit. Ven., an. 1611; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 662; edit. Ven., an. 1754, tom. VII, p. 227. — [2] I *Tim.*, VI, 16. — [3] *Joan.*, I, 15.— [4] Ibid., IV, 24.— [5] III *Reg.*, VIII, 27.— [6] *Isa.*, LXVI, 1.— [7] *Jerem.*, XXIII, 24.— [8] *Psal.* CXXXVIII, 8. — [9] *Job*, XI, 8.— [10] *Malac.*, III, 6.— (*a*) *Leg.* ejus.

Digitized by Google

habet, et quod est. Immortalis est, quia nullo modo mori potest, Apostolo dicente [1] : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem: quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.*

Corporea membra et affectus humani, cum Deo attribuuntur in Scripturis, quid significent.

Ubicumque autem sacra Scriptura sparsim per divinos libros in Deo motus animi secundum humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vultum, uterum, manus, dexteram, sinistram, digitos sive digitum, alas, scapulas, posteriora, pedes; item motus animæ, iram, furorem, oblivionem, pœnitentiam, recordationem, et his similia, non carnaliter juxta historiam a recte intelligentibus accipienda sunt, sicut a Judæis plerisque et hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque localem opinantur; sed spiritualiter omnia de eo intelligenda, et accipienda sunt. Si quis enim Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit, proculdubio in corde suo idola fabricat.

Caput, et capilli capitis, quid.

Cum igitur, ut dictum est, figuraliter in Deo caput legimus, ipsam essentiam divinitatis ejus, quæ omnia præcedit, et cui omnia sunt subjecta, intelligere debemus. Capillos vero capitis ejus sanctos angelos, seu universos electos typice accipi oportet. De quo sacramento in libro Danielis scriptum est [2] : *Aspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit: vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus quasi lana munda.* Hoc enim signat per vestimenta candida Dei, quod et per capillos capitis ejus, sanctos videlicet angelos, et multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel certe, ideo capilli ejus lanæ mundæ comparantur, ut per hoc antiquus dierum esse credatur.

Oculi.

Oculos dicitur Deus habere, pro eo quia videt, et nihil eum latet. *In ejus* enim *conspectu*, ut ait Apostolus [3], *nulla creatura est invisibilis. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus.* Aliter vero oculi respectus gratiæ ejus intelliguntur, ut est illud in Psalmo [4] : *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum.* Item aliter oculi Domini præcepta, per quæ nobis lumen scientiæ subministrat, mystice intelliguntur, ut est illud in Psalmo [5] : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Palpebræ.

Palpebræ Domini, occulta et incomprehensibilia judicia, sive spiritualis in divinis libris ejus locutio innuitur. De quibus occultis et incomprehensibilibus sacramentis atque judiciis dictum est in Psalmo [6] : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*, hoc est, probant.

Aures.

Aures dicitur Deus habere, propterea quod omnia audit, et nil eum sub silentio latet. De quo in libro Sapientiæ [7] : *Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non absconditur.*

Nares.

Nares Dei, inspiratio ejus in corde fidelium; ut est in libro secundo *Regum* [8] : *Ascendit fumus de naribus*, id est, lacrymosa compunctio pœnitentium de inspiratione ejus.

Facies.

Facies Dei, cognitio divinitatis ejus ad homines. De qua cognitione in Psalmis scriptum est [9] : *Ostende nobis faciem tuam*, hoc est, da nobis cognitionem tuam, quia cognitio per Filium [10] : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Aliter vero facies Dei significat invisibilem essentiam divinitatis Dei Filii, de qua ipse Dominus ad Moysen per Angelum respondit [11] : *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*: ac si diceret: Incarnationem meam videbis in novissimis diebus; divinitatem videre non poteris.

Os.

Os Dei, Filius Patris, id est, Christus Dominus, de quo Jeremias Propheta ex persona Judæorum effatus, ait [12] : *Quia os ejus ad iracundiam provocavi.* Alterum vero os Domini, sermo ejus sive jussio accipitur; de quo sermone Domini Isaias Propheta ait [13] : *Os Domini locutum est*, hoc est, Verbum Dei, Filius Dei Patris, per quem omnia facta sunt, de quo in Psalmo dicitur [14] : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et alibi [15] : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Et in Evangelio secundum Joannem [16] : *In principio erat Verbum*, etc.

Lingua.

Lingua Dei mystice significat Spiritum sanctum, per quem Deus Pater secretum suum manifestavit hominibus. Unde dicitur in Psalmo [17] : *Lingua mea calamus scribæ.*

Labia.

Labia Dei utriusque Testamenti consonantia intelliguntur, de quibus duobus Testamentis in *Proverbiis* dicitur [18] : *Divinatio in labiis regis, in judicio non erravit os ejus.*

Brachia Dei Patris Filius et Spiritus sanctus intelliguntur, sicut est in Isaia [19] : *Brachia mea populos judicabunt.* De quo Jeremias ad ipsum

[1] I *Tim.*, VI, 16. — [2] *Dan.*, VII, 9. — [3] *Hebr.*, IV, 13. — [4] *Psal.* XXXIII, 16. — [5] *Psal.* XVIII, 9. — [6] *Psal.* X, 5. — [7] *Sap.*, I, 10. — [8] II *Reg.*, XXII, 9. — [9] *Psal.* LXXIX, 4. — [10] *Matth.*, XI, 27. — [11] *Exod.*, XXXIII, 23. — [12] *Thren.*, I, 18. — [13] *Isa.*, XL, 5. — [14] *Psal.* XXXII, 6. — [15] *Psal.* CVI, 20. — [16] *Joan.*, I, 1. — [17] *Psal.* XLIV, 2. — [18] *Prov.*, XVI, 10. — [19] *Isa.*, LI, 5.

Digitized by Google

ait [1] : *Et nunc, Domine Deus, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, et brachio extento.* Ideo autem Filius dicitur brachium Dei, quia creatura electa ab ipso continetur.

Dextera, et sinistra. Dextera Patris unigenitus Filius accipitur; de quo in Psalmo dicitur ex persona hominis assumpti [2] : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Aliter vero dextera Domini significat gloriam Patris, et æternam beatitudinem; de quo dicitur in Psalmo, ex persona Patris, ad Filium [3] : *Sede a dextris meis.* Dicitur autem et dextera Dei omnis electa creatura in cœlo et in terra : sic per sinistram ejus intelligitur reproba creatura, id est, dæmones et omnes impii, qui ad lævam positi, æterna supplicia sustinebunt.

Manus. Manus Patris Filius Dei accipitur, pro eo quod per ipsum omnia sunt facta, sicut est reperire in Isaia [4] : *Omnia hæc manus mea fecit, et per eam facta sunt omnia.* Alia (*a*) vero manus Dei potestas ejus intelligitur, de qua potestate in libro Hieremiæ dicitur [5] : *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Israel.* Item manus Domini flagellum accipitur, de cujus percussione in Sophonia Propheta scriptum est [6] : *Extendam manum meam super Judam, et super habitantes Jerusalem, et disperdam de loco hoc reliquias Baal.* Pro qua etiam Domini percussione beatus Job de ipso ait [7] : *Manus Domini tetigit me.*

Digitus. Digitus Domini singulariter Spiritus sanctus accipitur, a quo Spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis in monte Sinai scripta narratur. Ipse enim scripsit, qui scribenda dictavit, id est, Spiritus sanctus. De quo Spiritu Dominus in Evangelio [8] : *Si* (*b*) *ego in digito Dei ejicio dæmonia.* Quod alius etiam evangelista aperte declarans, ait [9] : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Sicut enim digitus cum manu vel brachio, manus vero vel brachium cum corpore sunt in natura unum; ita Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres quidem personæ sunt, una vero substantia divinitatis. Digiti Dei pluraliter sancti intelliguntur prophetæ, per quos Spiritus sanctus libros Legis ac Prophetarum sua inspiratione describit (*c*); de quibus dicitur in Psalmo [10] : *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* Per cœlos enim libros Legis ac Prophetarum, per digitos vero sanctos, ut dictum est, prophetas mystice insinuavit.

Imago. Imago Dei Patris invisibilis, unigenitus Filius ejus intelligitur, de quo Apostolus [11] : *Imago Dei invisibilis.* Aliter namque imago Dei Patris in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est, ex substantia sua per omnia similem sibi et æqualem genuit; aliter vero in anima hominis, quam non ex se, de sua substantia, sicut plerique hæretici opinati sunt, genuit, sed ex nihilo creavit. Sicut aliter est imago cujuslibet regis in filio ejus, quem ex semetipso similem sibi genuit, id est, homo hominem; aliter vero in annulo, sive in cera imago ejus impressa, quæ non est quod ipse : sic Filius, qui naturaliter est hoc, quod et Pater.

Cor. Cor Dei Patris arcanum ejus sapientiæ mystice innuit, ex quo Verbum, id est, Filium suum impassibiliter genuit, ipso dicente [12] : *Eructavit cor meum verbum bonum.*

Ala. Alas dicitur habere Deus, pro eo quod, more avis, electos suos tanquam pullos sub se fovet, et ab insidiis diaboli et malorum hominum protegit. Unde Propheta [13] : *Sub umbra alarum tuarum protege me.*

Scapulæ. Scapulas habere dicitur, quoniam infirma membra in scapulis portat, sicut in Psalmo [14] : *Scapulis suis obumbrabit tibi.*

Venter. Venter Dei secreta origo substantiæ ejus accipitur. Unde in Psalmo [15] : *Ex utero ante luciferum genui te.* Aliter per uterum Dei incomprehensibilia judicia Dei, quæ rimari nequeunt, mystice insinuantur; de quo occulto judicio ejus in libro Job scriptum est [16] : *De cujus utero egressa est glacies, et gelu de cœlo quis genuit ?*

Posteriora. Posteriora Filii Dei incarnatio ejus accipitur, de qua posteriori parte Filius in monte Sinai ad Moysen per Angelum loquens, ait [17] : *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.*

Pedes. Pedes Dei stabilimentum virtutis ejus, eo quod ubique præsens, et universa ei subjecta sunt, illo ipso dicente per Isaiam Prophetam [18] : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Aliter pedes Filii Dei incarnatio ejus intelligitur, quæ divinitati subjecta est tanquam capiti pedes, sicut per caput divinitas, per pedes ejus exprimitur humanitas. De humani-

[1] *Jerem.*, XXXII, 17. — [2] *Psal.* CXVII, 16. — [3] *Psal.* CIX, 1. — [4] *Isa.*, LXVI, 2. — [5] *Jerem.*, XVIII, 6. — [6] *Sophon.*, I, 4. — [7] *Job*, XIX, 21. — [8] *Luc.*, XI, 20. — [9] *Matth.*, XII, 28. — [10] *Psal.* VIII, 4. — [11] *Coloss.*, I, 15. — [12] *Psal.* XLIV, 1. — [13] *Psal.* XV, 8. — [14] *Psal* XC, 4. — [15] *Psal.* CIX, 3. — [16] *Job*, XXXVIII, 29. — [17] *Exod.*, XXXIII, 23. — [18] *Isa.*, LXVI, 1.

(*a*) *Leg.* Aliter. — (*b*) Cæt. edit. deest *Si*. — (*c*) *Leg.* descripsit.

Digitized by Google

tate in Exodo scriptum est [1] : *Viderunt Deum Israel*, hoc est, Moyses, et Aaron, et Nadab, et Abiud, et septuaginta de senioribus populi : *Sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum, dum serenum est.* Sicut autem per lapidem sapphirum cœlestes vel sanctos angelos, ita per cœlum serenum sanctam Ecclesiam electorum, ex omnibus assumptam, figuraliter demonstrare voluit : super quas duas creaturas homo assumptus Filius Dei in perpetuum regnat, de quo in Psalmo [2] : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Vestimenta. Vestimentum Filii Dei aliquando caro ejus, quæ a divinitate assumpta est, in divinis libris figuraliter accipitur ; de quo indumento carnis Isaias ait [3] : *Quis iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Rursus per vestimentum ejusdem Domini sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidem et dilectionem ei conjuncta est, de quo in Psalmo dicitur [4] : *Dominus regnavit, decorem indutus est* (*a*). Et in Psalmo alio ad ipsum Dominum [5] : *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.*

Pallium. Pallium Christi jam dicta ejus Ecclesia intelligitur. De quo in libro Geneseos scriptum est [6] : *Lavit in vino stolam*, hoc est, in passionis sanguine carnem suam.

Calceamenta. Calceamenta Domini nostri Jesu Christi mystice significant incarnationem ejus, quam ex mortalitate humani generi assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse dicit per Prophetam in Psalmis [7] : *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, in plebe Gentilium manifestabo incarnationem meam.

Gressus. Gressus Filii Dei, adventus in mundum, et regressus ejus ad Patrem ; de quibus Psalmista ait [8] : *Visi sunt gressus* (*f*) *tui, Deus, egressus* (*c*) *Dei mei, regis mei, qui est in sancto.* Ipse de cœlo venit in uterum Virginis; de utero vero nascendo, positus est in præsepio; postquam omnia implevit, de quibus a Patre missus venerat, appensus est in ligno crucis; de cruce autem depositus, secundum corpus sepultus est, Christi anima vero ad inferna descendit; tertia autem die per potentiam suæ divinitatis carnem suam de sepulcro suscitavit, et post diem resurrectionis suæ quadragesimo die, videntibus apostolis, ascendit in gloriam ejus. Hi sunt enim egressus Filii, qui ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris. Iste est descensus, et ascensus ejus, qui frequenter in sacris Scripturis legitur.

Ascendere. Ascendere dicitur Deus, cum Filius carnem ex nobis assumptam in cœlum cum captivis evexit, ut est reperire in Psalmo [9] : *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem;* quia naturam humani generis, quæ a diabolo in mundo captiva retinebatur (*d*), assumens secum in cœlum, ubi nunquam ante fuerat, tanquam captivam deportavit.

Abscondere et ostendere Deus faciem, quomodo dicitur (*e*). Abscondere ab hominibus faciem suam Deus legitur, cum, quibusdam eorum exigentibus culpis, cognitionem suam abscondit, sicut in populo Judæorum nunc impletum videmus, qui negantes Filium Dei, scientiam veri Dei ita perdiderunt, ut similes forent (*f*) gentibus, quæ Dominum non noverunt. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ, quibus vult, scilicet electis suis, seipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, et ad diligendum se amorem suum infundit.

Sedere. Sedere dicitur non corporaliter humano more, sed potentialiter, super omnem creaturam rationalem, ut est reperire in Psalmis [10] : *Regnavit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Sedere* autem dicitur [11] *super Cherubin*, quod interpretatur *plenitudo scientiæ*, per quod signantur sancti angeli, sive mentes spiritualium virorum, in quibus invisibiliter Deus sedet et regnat. In illis enim sedet, qui scientia ejus et dilectione pleni sunt. Nam scriptum est [12] : *Anima justi sedes sapientiæ est.* Sapientia vero Dei Patris Christus est, qui in animabus sanctorum Dei sedere dicitur [13].

Descendere. Descendere Deus in mundum dicitur, quando aliquid novum, quod ante non fecerat, in creatura humana operatur; sicut Filius de Patre descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria Virgine propter redemptionem nostram suscepit, et homo verus fieri dignatus est, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat. De cujus descensione, id est, incarnatione, in Psalmo scriptum est [14] : *Inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus. Cœlos inclinavit*, quia adventum suum prænuntians, angelos sive prophetas misit, qui ejus

[1] *Exod.*, XXIV, 10. — [2] *Psal.* VIII, 8. — [3] *Isa.*, LXIII, 1. — [4] *Psal.* XCII, 1. — [5] *Psal.* CIII, 1. — [6] *Gen.*, XLIX, 11. — [7] *Psal.* CVII, 10. — [8] *Psal.* LXVII, 25. — [9] Ibid., 19. — [10] *Psal.* XLVI, 9. — [11] *Psal.* LXXIX, 2. — [12] Prov., VIII, 12; XIV, 33; *Sap.*, I, 4, quoad sensum. — [13] *Sap.*, VII, 23. — [14] *Psal.* XVII, 10. — (*a*) Cæt. edit. desunt hæc : *decorem indutus est.*— (*b*) Vulg. *Viderunt ingressus.*— (*c*) Vulg. ingressus. — (*d*) *Cæt. edit. add.* et. — (*e*) *Cæt. edit.* dicitur.— (*f*) *Leg.* facti sint.

Digitized by Google

adventum hominibus annuntiarent. *Caligo sub pedibus ejus*, quia impii homines ob suam malitiam incarnationem ejus agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt.

Stare. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, et suam creaturam, ad pœnitentiam et conversionem patienter sustinet, ut est reperire in Habacuc propheta [1] : *Stetit, et mensus est terram, et dissolvit gentes*, id est, stetit ad subveniendum, et dissolvit credentes in se a vinculis peccatorum.

Transire Transire dicitur Deus, cum de cordibus quorumdam hominum, in quibus antea per fidem continebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, et ad alios transit, quemadmodum de Judæis ad Gentes de hæreticis ad catholicos. Sed et de quibuslibet irreligiosis et negligentibus pro vitio suo recedere dicitur Deus, et ad alios transire : quod non localiter aut visibiliter, sed invisibiliter, occulto justoque judicio, facere consuevit.

Ambulare. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere ; sed ambulatio ejus est in cordibus sanctorum delectatio, sicut scriptum est [2] : *Et habitabo in eis, et ambulabo, et ero illorum Deus.* Vel certe ambulare Dei est in sanctis prædicationibus suis de loco ad locum transire.

Loqui. Loqui Dei est invisibiliter, sine sono vocis, vel quolibet strepitu, occulte in mentibus sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare, sive futura, sicut in sanctis prophetis, revelare. Quæ locutio Dei, ut quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo, per subjectam creaturam, sicut ad Moysen in rubo in igne apparuit, vel sicut Abraham atque Jacob, et cæteris, quibus in angelis apparuit. Secundo vero modo, in somnis, sicut ad Jacob, et ad Zachariam prophetam, et ad Joseph sponsum Mariæ, et alios sanctos, quibus secreta revelare voluit. Tertio autem modo, neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione invisibiliter corda eorum tangendo, loquentes efficit, sicut in libris Prophetarum scriptum est, cum ibi prophetæ subito afflati Spiritu sancto clamabant, dicentes : *Hæc dicit Dominus.*

Dei locutio tripliciter accepta.

Videre. Dei videre, est acta bona approbare, sicut est reperire in Genesi, ubi dicitur [3] : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, id est, intelligentibus bona esse demonstravit. Aliter, videre Dei est mala hominum sciendo reprobare, sicut est illud in Isaia propheta [4] : *Et vidit Deus, et apparuit malum in oculis ejus.* Item aliter, videre Dei est nos videntes facere, ut est reperire in Psalmo [5] : *Proba me, Deus, et scito cor meum*, etc. Modus iste locutionis in libro beati Job similiter reperitur, ubi de sapientia Dei Patris, postquam in figura locutus est de Deo Patre, adjunxit [6] : *Tunc vidit illam, et enarravit, et investigavit, et præparavit*, id est, videntes fecit atque prædicantes, et investigantes, atque aliis annuntiantes, etc.

Cognoscere. Cognoscere Dei, est cognoscentes facere, sicut ait ad Abraham [7] : *Nunc cognovi quod timeas Deum.* Neque enim in tempore novit, qui scit omnia antequam fiant ; sed cognoscere Dei dicitur cognoscentes facere, ut qui prius de se, quales essent, incogniti erant, per ejus interrogationem et probationem, quales essent, sibimetipsis manifesti fierent. Tale est illud in lege Moysi de populo israelitico [8] : *Tentabo eos*, inquit, *utrum custodiant mandatum meum, an non.*

Nescire. Nescire dicitur Deus, quoddam reprobos reprobare, sicut est illud in Evangelio [9] : *Nescio unde sitis. Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.*

Zelare. Zelare dicitur Deus, cum creaturam suam (*a*) non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, et flagellando ad se reducit. Vel zelare dicitur Deus, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Justus enim est, et ideo omnis injustitia execrabilis est illi, quam, ut dictum est, nullo modo impunitam patitur.

Irasci. Irasci dicitur Deus non animæ motu, vel qualibet perturbatione, quod illi omnino accidere non potest ; sed creaturæ delinquenti, id est hominibus impiis et peccatoribus, justam dicitur inferre ultionem, hoc est, reddere illis quæ merentur. Et hoc est ultio divina, iste furor ejus dicitur.

Pœnitere, et non pœnitere. Pœnitere dicitur Deus, non quod more hominum de transactis operibus pœniteat : qui enim omnia novit antequam fiant, pro suis pravis (*b*) actibus pœnitere non potest. Sed pœnitentia Dei est statuta mutare, et quod prius inchoatum est, in aliquid mutari (*c*), id est ex bono, exigentibus culpis, in malum, sicut de

[1] *Habac.*, III, 6. — [2] *Levit.*, XXVI, 12 ; II *Cor.*, VI, 16. — [3] *Gen.*, I, 31. — [4] *Isa.*, LIX, 15. — [5] *Psal.* CXXXVIII, 23. — [6] *Job*, XXVIII, 27. — [7] *Gen.*, XXII, 12. — [8] *Exod.*, XVI, 4. — [9] *Matth.*, VII, 23 ; *Luc.*, XIII, 27.

(*a*) *Suppl.*, quam. — (*b*) *Leg.* præviis. — *Leg.* mutare.

Digitized by Google

Saule legitur [1] *pœnituisse Deum, quod constituisset eum regem*, vel sicut nunc videmus in populo Judæorum, qui, cum esset populus Dei, ob impietatem suam factus est in synagogam Satanæ. De malo vero in bonum accidit in populo gentium, qui ante non populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei factus est. Hoc quippe modo, occulto Dei judicio, Judas Dei proditor, de apostolatus gradu lapsus, in inferni barathrum demersus est; latro vero, post crimen rapacitatis, de cruce ad Paradisum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, sicut dictum est de malo ad bonum, quod occulto justoque judicio Dei, sive per severitatem justitiæ suæ, sive per misericordiam ejus fiat, pœnitentiam Dei dicimus. Quod expressius in libro Hieremiæ prophetæ scriptum est.

Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare, ut est illud in Psalmo : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum*, id est Pater ad Filium : *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Sacerdos Dei Patris dictus est Filius Dei, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem et mortem in acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipse esset sacerdos, qui et sacrificium.

Oblivisci Oblivisci dicitur Deus, cum quibusdam impiis et peccatoribus non miseretur : quod utique non facit per crudelitatem, quæ in Deo non est, sed per occultum justumque judicium suum.

Indurare dicitur Deus quorumdam corda malorum, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est : non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere; sed, exigentibus eorum culpis, cum duritia cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriant, non aufertur, videtur, quasi illos ipse induret, quod justo judicio indurati sunt. Indurare

Dormire Dei est, cum unigenitus Filius Patris, in assumpta carne, pro nobis mori dignatus est. Cujus mors recte dulcis somnus prædictus (*a*) est, ipso dicente per Jeremiam prophetam [3] : *Ideo quasi de somno excitatus* (*b*) *sum, et vidi, et somnus meus dulcis est mihi*. Aliter dormire dicitur Deus, cum fides ejus, inter prosperitates hujus mundi, et intra quorumdam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem ipse Jesus significavit, cum in mari inter fructus maris dormivit. Vel certe dormire, est anxiis tarde subvenire, sicut est in Psalmista [4] : *Exurge, quare obdormis, Domine ?* Dormire

Vigilare Dei, est in defensionem suorum electorum, et ultionem inimicorum, se manifestum demonstrare. Vigilare.

[1] *I Reg.*, XV, 11. — [2] *Psal.* CIX, 4. — [3] *Jerem.*, XXXI, 26. — [4] *Psal.* XLIII, 23.

(*a*) *Leg.* recte tanquam dulcis somnus prædicta. — (*b*) Vulg. *suscitatus*.

Digitized by Google

COMPENDIUM

THEOLOGICÆ VERITATIS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Joannes Combis ex ordine Minorum jamdiu Compendium hoc in lucem emisit, nec de ejus auctore quidquam statuit : cum in manuscriptis antiquis exemplaribus nulli forsan inscriptum invenerit. Nec propterea sine auctore est; imo eo plures ejus existimantur auctores, quo nullus est certus. Joannes enim Trithemius Ægidio Romano illud tribuit in suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* catalogo : alii sanctum Thomam, seu ejus magistrum Albertum magnum, ejusdem auctorem opinantur. Sed esse S. Bonaventuræ opus ex his persuadetur : in primis quia in antiquo manuscripto exemplari Vaticano post finem Opusculi, forma scripturæ recentiori, sic habetur exaratum : *Compendium Theologicæ veritatis Bonaventuræ;* tum etiam quia in alio pervetusto codice extra bibliothecam Vaticanam in ipso statim principio a parte superiori chartæ depictus est sanctus Bonaventura docens e suggesto, in quo duæ sunt parvulæ cruces intra duos quadratos ante suggestum expressæ, quæ insignia videntur ejusdem Sancti, a parte vero inferiori cernitur imago S. Francisci stigmata Christi suscipientis : ex quo non levis conjectura deducitur ad idem comprobandum. Præterea divisus est iste tractatus juxta divisionem *Breviloquii* in septem libros, et doctrina ejus conformis est valde doctrinæ S. Bonaventuræ tum in *Breviloquio* et *Centiloquio*, tum etiam in libris *Sententiarum*, imo sæpius verba omnino sunt eadem. Hæc auctorem probant esse S. Bonaventuram. Nisi malueris existimare ab incerto aliquo recentiori ex doctrina S. Bonaventuræ et aliorum fuisse compilatum, ut ex principio præfationis licet colligere. Quisquis ejus sit auctor, Compendium hoc studiosis Theologiæ utile valde est, et quantum patitur angustia compendii, satis copiosum, ac nunc demum ope trium Bibliothecæ Vaticanæ, et alterius extra eam manuscriptorum exemplarium sibi restitutum, necnon conquisitis, quoad fieri potuit, et citatis ad marginem [2] sanctorum locis locupletatum [3].

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 731; edit. Ven., an. 1754, tom. VII, pag. 1. — [2] In hac vero editione ad calcem paginarum singularum. — [3] Enumerationem capitum hujus libri, huic loco in cæteris editionibus assignatam, ad calcem tomi ipsius, id est ad indicem materiarum potius remittendam censuimus, et sic de sequentibus libris.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Veritatis theologicæ sublimitas, cum sit superni splendoris radius illuminans intellectum, et regalium deliciarum convivium, reficiens affectum, de magnorum theologorum scriptis breve Compendium colligere dignum duxi : quo et evitetur mater fastidii prolixitas, et tamen ad investigandum plura via detur et occasio sapienti. Theologia certe scientiarum est princeps omnium et regina, cui artes cæteræ tanquam pedissequæ famulantur. Nam de naturis rerum illa solum recipit ad usum suum, de quibus sibi speculum fabricare valeat, in quo conspiciat Conditorem. Hæc dicitur scientia scientiarum, quæ super omnem speculationem philosophicam extollitur, et dignitate ac utilitate omnibus antefertur. Ipsa enim Philosophia cum in naturalem, et rationalem et moralem distinguatur, philosophia quidem naturalis, licet doceat cognoscere creaturas, non tamen Creatorem; rationalis vero, licet doceat concludere hominibus, non tamen diabolo; et moralis, licet doceat acquirere virtutes consuetudinales, non tamen docet acquirere charitatem. Nostra vero philosophia, scilicet veritas theologica, hæc omnia operatur. Docet enim Deum cognoscere, diabolo resistere, et charitatis exercitiis insudare. Hæc est divinorum pigmentorum apotheca, delectabilis [1] *super mel et favum.* Hæc quoque thesaurus est desiderabilis *super aurum et lapidem pretiosum multum.* Hæc est fons voluptatis egrediens, Ecclesiæ militantis irrigans paradisum.

Denique præsens scriptum in septem libellos distinxi, et singulas in unoquoque materias rubricis propriis assignavi.

Primus est de natura Deitatis.

Secundus, de operibus Conditoris.

Tertius, de corruptela peccati.

Quartus, de humanitate Christi.

Quintus, de sanctificatione gratiarum.

Sextus, de virtute sacramentorum.

Septimus, de ultimis temporibus, et de pœnis malorum, ac præmiis bonorum. Sicubi ergo in hoc scripto deviavi, parcatur mihi, quia ignorans feci; ubi vero recte processi, laudetur gratia Jesu Christi, ad cujus honorem et beatissimæ matris ejus, præsens Opusculum compilavi.

LIBER PRIMUS

DE NATURA DEI

CAPUT PRIMUM.

Quod Deus est.

Deum esse, multis modis ostenditur. Hoc enim fides recta testatur, sacra Scriptura loquitur, comparatio rerum ad ipsum idipsum indicat, sancti prædicant, creaturæ clamant, ratio naturalis dictat.

Primo igitur Deum esse fides testatur : quia fides catholica credit Deum, et credit in Deum, et credit Deo. Credere vero Deum est credere ipsum esse. Credere in Deum est credendo Deum amare, et amando in eum ire, ac membris ejus incorporari. Credere autem Deo, est credere verbis ejus. Primum et tertium bonorum et malorum est, sed secundum bonorum tantum : quia credere Deum, et credere Deo, bonis et malis est commune; sed credere in Deum, bo-

[1] *Psal.* XVIII, 11.

Digitized by Google

norum specialiter est. Deus itaque solus habet esse perfectum. Illud enim perfectum est, cujus nihil est extra ipsum : unde quia (*a*) esse nostrum habet aliquid extra se, imperfectum est. Deest enim nobis aliquid quod de nostro esse jam præteriit, vel quod futurum est. Divinum autem esse cum simul totum sit, nec quidquam de eo præterierit, aut futurum sit, perfectissimum est.

Secundo, Deum esse, Scriptura loquitur [1] : *Ab æterno* (*b*), *et usque in sæculum tu es.* [2] *Qui est, misit me.* Joannes Damascenus [3] : « Videtur omnibus principalius eorum, quæ de Deo dicuntur nominibus, esse *Qui est.* »

Tertio, Deum esse, rerum comparatio ad ipsum facta indicat. Tam verum enim esse Deus habet, quod nostrum esse, suo comparatum, nihil est : imo Deus suo præsentiali esse dat omnibus rebus esse, ita quod si se rebus subtraheret, sicut de nihilo factæ sunt, sic in nihilum defluerent universa. Gregorius [4] : « Omnia humana, quæ justa, quæ pulchra sunt, Dei justitiæ pulchritudini comparata, nec justa nec pulchra sunt, nec omnino sunt. »

Quarto sancti prædicant. Anselmus, in suo *Monologio* [5] : « Credimus te, Domine, esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. » Dionysius [6] : « Esse omnium est supersubstantialis divinitas. » Sed hoc intelligitur causaliter, non formaliter. Præterea, sicut dicit Anselmus [7] : « Illud maxime habet esse, quod maxime distat a non esse : quod scilicet non habet non esse post esse, nec esse post non esse, nec potest cogitari non esse. »

Quinto, Deum esse creaturæ clamant. Omnia namque suo modo dicunt [8] : *Quoniam ipse fecit nos, et non ipsi nos :* quia ipse Deus est vox naturæ, quia omnia pulchra testantur ipsum pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimia altissimum, pura purissimum, fortia fortissimum : et sic de aliis, quia sicut in patria Deus est *speculum* [9], in quo relucent creaturæ, sic in via e converso creaturæ sunt speculum, quo Creator videtur. Unde Apostolus [10] : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Idem [11] : *Invisibilia* Dei *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Sexto, Deum esse ratio naturalis dictat, quæ per effectum in cognitionem causæ pervenit. Omne namque creatum indiget alio ut sit; et illud iterum alio ut sit; et ita erit vel in infinitum procedere, vel erit ibi circulus, vel pervenietur ad aliquid quod sit causa omnium. Circulus autem non est in rebus singulis, quoniam oporteret aliquid esse prius et posterius seipso; nec erit processus in infinitum, quia universitas creaturarum tota causata est, sive sit finita, sive infinita : ergo indiget alio, ut sit, quod erit extra universitatem causatorum : et hoc Deus est, a quo fluunt omnia.

CAPUT II.

Quod unus Deus est.

Unum Deum esse ostenditur auctoritate. Unde in Deuteronomio [12] : *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Apostolus [13] : *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Bernardus [14] : « Si dici potest, unissimus est. Idem est semper et uno modo : nihil in se, nisi se habet. Hoc vere unum est, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud est, præter id quod est. » Idem ostenditur et ratione : quia simplex forma divinitatis, si non esset una et eadem numero, sed communicabilis pluribus, ut forma humanitatis Socrati et Platoni, jam contraheretur, aliquo addito, ad esse singulare, et ita componeretur alteri, nec esset simplicissima : quod falsum est, quia in summo bono nulla potest fieri adjectio, cum sit omnino simplex.

Notandum autem, quod *unum* sumitur prout est principium numeri, et sic Deo non convenit; alio modo, prout convertitur cum ente, et sic Deo convenit potius, quam alicui creaturæ : quia cum unum sit indivisum in se, et divisum ab aliis; excepto Deo solo, nihil est in quo non intelligatur aliqua divisio, vel actualis, vel potentialis. Cum enim unitas, vel numerus aliquis de Deo dicitur, nihil ponit, ut quidam dicunt, sed tantum privat. Unde cum dicitur Deus unus, intelligitur quod non sint plures.

[1] *Psal.* LXXXIX, 2. — [2] *Exod.*, III, 15. — [3] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. I, c. XII. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXV, c. XIV. — [5] Anselmus hoc habet in suo *Proslogio*, c. II. — [6] Dion. Areop., *de Div. Nomin.*, c. VIII, § 3, ubi legitur, interpretante Corderio : « Ipsum esse, si fas estdicere, potentiam habet ab ipsa supræssentiali potentia. » Nisi forte auctor *Compendii* ad ista alia quæ leguntur, juxta eumdem interpretem, § 5 : « Ipsam quoque deificationem præstat, » alluserit. *Biblioth. max. Patrum*, Edit. Lugd., 1677. — [7] Anselm., ubi sup., c. III. — [8] *Psal.* XCIX, 3. — [9] *Sap.*, VII, 26. — [10] I *Cor.*, XIII, 12. — [11] *Rom.*, I, 20. — [12] *Deut.*, XXXII, 39. — [13] *Ephes.*, IV, 5. — [14] Bern., *de Consider.*, lib. V, c. VII, post med.

(*a*) *Edit. Ven.* qui. — (*b*) Vulg. *in sæculo.*

Digitized by Google

Aliquid non est unum tribus modis, scilicet vel pluralitate secundum species diversas, sicut angeli et stellæ non sunt unum; vel mutabilitate, secundum quod unus homo plures dicitur, qui modo sanus est, modo æger, modo dives, modo pauper; vel propagatione secundum eamdem speciem, prout unus homo plures est in filiis, qui propagantur ab ipso. Sed nihil prædictorum in Deo est. De primo enim contrarium habemus in Symbolo Athanasii : *Hæc est fides catholica, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.* De secundo, Psalmus [1] : *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Bernardus [2] : « Non ex tempore alterationem habet Deus non in substantia alteritatem. » Leo Papa : « Simplicis divinitatis naturæ nihil addi, aut minui potest. » De tertio, Psalmus [3] : *Non erit in te Deus recens :* recens, id est, recenter formatum, vel natum. Divinitatem tria genera hominum multiplicant, scilicet 1. Idololatræ; Psalmus [4] : *Omnes dii gentium dæmonia.* 2. Necromantici, qui attribuunt virtutem characteribus, et hujusmodi stultitiis. 3. Carnales homines, ut gulosi colentes ventrem : Apostolus [5] : *Quorum Deus venter est;* et avari, qui super omnia pecuniam amant : Apostolus [6] : *Avaritia, quæ idolorum est servitus.*

Est itaque in Deo vera unitas propter simplicitatem, immutabilitatem, et singularitatem, et propter unitatis creaturæ similitudinem : quia sicut unitas a nullo descendit, et omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus a nullo, et omnia ab ipso. Item, sicut unitas de se gignit unitatem, ita Deus Pater de se gignit alterum se, ut dicit Augustinus, id est, alterum similem sibi, vel alterum a se, scilicet Filium.

Hoc nomen *Deus* tripliciter accipitur, scilicet naturaliter, adoptive, et nuncupative. Primo modo soli Deo convenit; secundo modo convenit bonis hominibus, qui divinæ bonitatis participes sunt per gratiam providentiæ, vel doctrinam, et potestatem prælationis, et potestatem miraculorum. Psalmista [7] : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes.* Tertio modo dii dicuntur idola; sed solo nomine, quia res nominis, scilicet divinitas, illis non convenit. Primo modo non habet plurale hoc nomen *Deus* per se, cum sit unus solus verus Deus, nec divinitas recipiat distinctionem; sed secundo et tertio modo plurale habet.

[1] *Psal.* CI, 27. — [2] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. VII, post med. — [3] *Psal.* LXXX, 10. — [4] *Psal.* XCV, 5. —

CAPUT III.

Quod unum solum Principium est.

Sicut unus solus Deus est, sic unum solum principium est : quod ostenditur multiplici ratione. Primo sic, quoniam si duo principia sunt, unum scilicet summe bonum, et aliud summe malum, aut communicant in existere per se, ut Socrates et Plato, aut non. Si non, ergo alterum illorum erit ens per aliud, et ita non erunt duo principia. Si sic, sed existere per se bonum est, malum autem plus esset malum, si non haberet illud bonum : ergo non est summe malum, quia si esse per se haberet, hoc ipsum esse, quod est bonum, summe malum esse non sineret. Præterea in creaturis quatuor inveniuntur, scilicet multitudo, ordo, imperfectio, et connexio. Secundum quodlibet istorum probatur unum tantum esse principium. Omnis multitudo, secundum Dionysium [8], ab unitate trahit originem : ergo necesse est omnis multitudinis unum esse principium. Item omnis ordo cum habeat prius et posterius, oportet quod unum habeat principium. Item, secundum Boetium : « Omne imperfectum ab aliquo simpliciter perfecto trahit originem, et hoc est Deus noster. » Item omnis connexio diversorum, causam habet suæ connexionis, et conservationis ad unum : et hoc est Deus. Item, si esset unum summe malum, a quo omnia mala essent, sequeretur quod secundum corpus Christus esset ab illo malo principio, cum in eo fuerit malum pœnæ : quod absurdum est dicere.

Ex prædictis patet, quod Deus est principium, et summum, et unum solum principium, tum ratione dignitatis, tum ratione antecessionis, tum ratione causalitatis.

CAPUT IV.

Quod Pater est.

Æternum Patrem esse per hoc ostenditur, quod cum Deus sit potentissimus, sapientissimus et optimus, potest, scit et vult se summe communicare : hoc autem est alteri majestatis suæ plenitudinem dare : ergo Deus Pater ab æterno Filium sibi æqualem genuit, cui divinitatis suæ essentiam communicavit. Dicit enim

[5] *Philip.*, III, 19. — [6] *Ephes.*, V, 5. — [7] *Psal.* LXXXI, 6. — [8] Dion., *de Div. Nom.*, c. XIII.

Digitized by Google

Dominus in Isaia [1] : *Si generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero?* Quasi dicat : Non.

Pater enim multipliciter sumitur. Dicitur enim Pater, 1. Æterna generatione; Isaias [2] : *Generationem ejus quis enarrabit?* 2. Prædestinatione; ad Ephesios [3] : *Gratia vobis, et pax a Deo Patre, qui prædestinavit vos in adoptionem filiorum.* 3. Creatione; in Deuteronomio [4] : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, et creavit te?* Fecit, inquam, secundum corpus; creavit secundum animam; possedit secundum utrumque. 4. Redemptione; Isaias [5] : *Tu, Domine, Pater noster, et redemptor noster; a sæculo nomen tuum.* 5. Sacramentali regeneratione [6] : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regeneravit nos.* 6. Fidei instructione [7] : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* 7. Gratiæ adoptione [8] : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba pater.* 8. Gloriæ collatione [9] : *Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et hæres per Deum,* id est, per opera Dei: opera enim nostra magis sunt per Deum vitæ æternæ meritoria, quam per nos.

Primo modo sumitur Deus Pater personaliter: et iste modus soli Patri convenit. Quarto modo, scilicet redemptione, non solum effective sumitur, sed etiam per ministerii exhibitionem. Sumitur etiam personaliter : et iste modus soli Filio convenit, secundum quod modus redemptionis fuit per mortem Filii. Omnes autem alii modi tribus personis simul conveniunt, quia indivisa sunt opera Trinitatis : nisi forte aliquis illorum modorum conveniat alicui personæ per appropriationem.

Circa generationem nota quatuor propositiones, in quibus videri poterit, utrum essentia divina generet, vel generetur. Prima est : Essentia generat essentiam. Secunda est : Essentia generat personam. Tertia est : Persona generat essentiam. Quarta est : Persona generat personam. Harum propositionum tres primæ falsæ sunt; quarta autem vera est. Est enim regula in theologia, quod essentia divina non generat, nec generatur : dicendum tamen quod Pater virtute essentiæ, existentis in se, generat; et quod Filio per generationem communicatur essentia, sicut et Spiritui sancto per processionem.

[1] *Isa.*, LXVI, 9, quoad sensum. — [2] *Isa.*, LIII, 8. — [3] *Ephes.*, I, 5. — [4] *Deut.*, XXXII, 6. — [5] *Isa.*, LXIII, 16. — [6] 1 *Petr.*, I, 3. — [7] *Joan.*, I, 13. — [8] *Ephes.*, I, 5. — [9] *Gal.*, IV, 7. — [10] *Psal.* CIII, 24.

CAPUT V.

Quod Filius est.

Quum (*a*) sint correlativa *Pater* et *Filius,* per easdem rationes ostenditur Filium esse, per quas et ostensum est Patrem esse. Præterea inter omnes emanationes perfectissima est generatio, qua penitus genitus assimilatur suo genitori: quod emanationes aliæ non faciunt. Cum igitur copiosissimo fonti bonitatis competat emanatio perfectissima, constat quod persona, qui Pater est, fons totius bonitatis, generat Filium sibi æqualem, cui communicat suæ plenitudinem majestatis.

Aliquis est Filius Dei per gratiam unionis, ut Christus homo; aliquis, per veritatem nativitatis, ut Christus in quantum Deus; aliquis, per adoptionem, ut sancti; aliquis per creationem, ut quævis creatura. De Filio Dei dicit Athanasius in *Altercatione contra Arium,* quod ipse dicitur *sensus,* quo omnia cogitantur; *sapientia,* qua cogitata disponuntur; *virtus,* qua disposita perficiuntur; *Verbum,* quo perfecta nuntiantur; *lumen,* quo nuntiata clarescunt. Filius ergo Dei dicitur sapientia Patris, non quod Pater sit sapiens sapientia genita, sed quia Filium genuit, cui appropriatur sapientia. Unde Pater dicitur [10] *omnia fecisse in sapientia,* id est in Filio Dei, vel cum sapientia, quæ est Filius: quoniam indivisa sunt opera Trinitatis. Unde hæc præpositio *in* notat subauctoritatem in Filio, qui hoc ipsum habet a Patre, quod res creat. Generaliter enim verum est, quod quidquid habet persona, vel operatur, hoc habet ab eo, a quo est. Qualiter autem Filius sit de Patre, nota quod hæc præpositio *De* quandoque notat causam efficientem, ut cum dicitur : « Christus conceptus est de Spiritu sancto; » quandoque causam materialem, ut cum dicitur: « Christus natus de Maria Virgine; » quandoque identitatem essentiæ, ut cum dicitur: « Filius natus de Patre; » quandoque transsubstantiationem, ut cum dicitur corpus Christi fieri de pane; quandoque ordinem, secundum quod creatura dicitur fieri de nihilo.

(*a*) *Edit. Ven.* Quam.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Filius est imago Patris.

Imago triplex est, scilicet æqualitatis, imitationis, et repræsentationis. Primo modo, Filius est imago Patris; secundo modo, homo factus est ad imaginem Dei, vel imago Dei [1]: *Faciamus hominem ad imaginem* Dei; tertio modo, mundus dicitur speculum Creatoris.

Nota quod imago relative dicitur ad illud cujus similitudinem gerit, et ad quod imitandum facta est. Hoc autem contingit dupliciter: aut quantum ad speciem, et signum speciei, et sic imago hominis est in filio suo, qui ipsum in humana specie et figura imitatur, et hæc est perfecta imago; aut quantum ad signum tantum, et non ad veritatem speciei, sicut imago hominis est statua lapidea, et hæc est imperfecta imago. Primo modo, Filius est imago Patris, in natura communicans; secundo modo, imago Dei est in homine, licet minus perfecte.

Est igitur imago, non ad imaginem, sicut Filius. Nam hæc præpositio *Ad* dicit distantiam inter imaginatum et imaginantem: hoc autem non cadit in Filium: unde bene dicitur imago Patris, sed non ad imaginem. Et est imago ad imaginem, sicut homo et angelus. Est aliquid non imago, sed ad imaginem, ut mundus hic, qui proprie non dicitur imago, sed vestigium Creatoris, quia licet Trinitatem repræsentet, non tamen imitatur, nec est capax ejus, sicut homo. Est tamen mundus ad imaginem Dei factus: quia Deus aliud exemplar non habuit, ad cujus similitudinem creaturas faceret, nisi semetipsum. Est imago genita, ut Filius; et est imago creata, ut homo et angelus; et est imago facta, ut statua Herculis, quæ ipsum repræsentat. Ex his patet quod esse imaginem, convenit Creatori et creaturæ: Creatori quidem, quia Filio, qui est imago Patris; creaturæ vero convenit tam corporali, quam spirituali, quam etiam compositæ. Proprie tamen loquendo dicitur, quod creatura corporalis est Creatoris vestigium. Unde Apostolus [2]: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt*, etc. Ibi hæc præpositio *Per* non dicit medium disponens, in quantum creatura consideratur in se; sed excitans, in quantum est similitudo Creatoris: quia non disponit ad cognitionem Creatoris; imo per talem modum potius impediret cognitionem, cum inter Creatorem et creaturam major sit dissimilitudo, quam similitudo. Creatura vero spiritualis dicitur Creatoris similitudo; in Ezechiele [3]: *Tu signaculum similitudinis*, etc. Et hoc ideo, quia in angelo, propter naturæ simplicitatem, expressior est similitudo ad Deum, quam in homine. Creatura vero composita, id est homo, dicitur imago Dei [4]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem*, etc.: et hoc ideo, quia in homine inveniuntur plures trinitates, quam in angelo, unde quoad hoc potius dicitur imago Trinitatis.

Filius Dei possidet triplicem excellentiam, sicut innuit Apostolus [5]: *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*. Primam scilicet, respectu Patris, a quo producitur, et sic est splendor gloriæ paternæ. Est enim, ut ait Dionysius [6], fontalis radius, in se manifestans gloriam paternam. Secundam, respectu Spiritus sancti, quem producit ex se: et sic est figura, id est similitudo substantiæ Patris. Est enim alia persona ab ipso, sicut a Patre: quod non accepit Spiritus sanctus a Patre, sicut Filius. Tertiam, respectu creaturarum, quæ per eum producuntur, et sic est portans omnia verbo virtutis suæ. Propter primum, dicitur *Verbum* Filius Patris, quoniam perfecte loquitur bonitatem, et summam Patris liberalitatem, qui nihil habere voluit, quod Filio suo non communicaret. Istud est Verbum essentialiter et æternaliter genitum, temporaliter promissum a prophetis, et apostolis prædicatum, ab angelo in incarnatione nuntiatum. Propter secundum, dicitur Filius *imago Patris*. Quamvis enim tres personæ sint æquales in æternitate, et majestate, ac potestate; tamen Filius dicitur potius imago Patris, quam Spiritus sanctus, quia (a) non solum habet convenientiam intus cum Patre in essentiæ identitate, sicut et Spiritus sanctus; sed habet etiam convenientiam extra cum Patre, ex eo quod sicut a Patre procedit Filius, sic et a Filio Spiritus sanctus: sed a Spiritu sancto nullus. Nam secundum rationem intelligendi, respectus hujusmodi relationum sunt extrinsecus assistentes, quia potius ab aliquo sunt, quam in aliquo. Intelligentia enim relationum ad hoc ad quod refertur aliquid respicit: unde si patrem non habeo, filius non sum, et e converso.

[1] *Gen.*, I, 26. — [2] *Rom.*, I, 20. — [3] *Ezech.*, XXVIII, 12. — [4] *Gen.*, I, 26. — [5] *Hebr.*, I, 2. — [6] Dion., *de Div. Nom.*, c. II.

(a) *Cæt. edit.* qui.

Digitized by Google

Propter tertium dicitur Filius *virtus Patris*; ad Corinthios [1]: *Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Invenitur etiam imago Trinitatis in nobis, videlicet in memoria, intelligentia et voluntate, vel in mente, notitia et amore: in quibus per ordinem Patri, et Filio, et Spiritui sancto assimilamur.

CAPUT VII.

Quod Spiritus sanctus est.

Emanatio duplex est in divinis : una per modum naturæ, et hæc est generatio, secundum quam Filius est a Patre; alia est per modum voluntatis, et hæc est processio appropriata. Proprie vero dicitur *spiratio*, secundum quam Spiritus sanctus est a Patre et Filio. Idcirco autem hæc emanatio per modum voluntatis esse dicitur, quia Spiritus sanctus amor est : amor autem secundum voluntatem est. Procedit autem Spiritus sanctus a Patre mediate, et immediate : mediate, quia Filius ipsum spirat, qui hoc habet a Patre; immediate vero, quia ipse Pater ipsum spirat.

CAPUT VIII.

Spiritus sanctus amor Patris et Filii est.

Spiritus sanctus amor Dei est : et hoc tripliciter, videlicet, essentialiter, personaliter, et exemplariter. Essentialiter Spiritus sanctus dicitur amor, in quantum ipse cum Patre et Filio unus Deus est. Ipsi enim tres, in quantum unum sunt in essentia, diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto. Personaliter vero dicitur Spiritus sanctus amor, in quantum ipse est nexus Patris et Filii. Pater enim et Filius diligunt se amore ab eis procedente, qui non est Pater, nec Filius, sed Spiritus sanctus. De hoc nexu dicit Augustinus : « Est ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate, non genitus, sed genitoris genitique suavitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum. » Exemplariter quoque dicitur Spiritus sanctus amor, quoniam amoris gratuiti, qui est in nobis, Spiritus sanctus non solum causa est efficiens, sed etiam exemplar atque finis. Amor enim qui est in nobis, est a Spiritu sancto efficienter : et hoc, in quantum ipse Spiritus sanctus est Deus. Exemplariter autem est in nobis, in quantum ipse Spiritus sanctus est procedens per modum amoris a Patre et Filio. Sed finaliter est in nobis noster amor, in quantum Spiritus sanctus, a quo amor noster est, habet rationem primi boni, in quod tendit amor noster. Notandum quod amor qui est Spiritus sanctus, ex modo procedendi est nexus, sed propter ipsam processionem est distinctus a Patre et Filio ; propter naturæ vero divinæ perfectionem, est persona et suppositum : propter divinam vero simplicitatem, est ipse Deus, et summe bonus. Igitur Spiritus sanctus est amor, quo Pater et Filius se diligunt. Cum autem dicitur : « Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, » dupliciter exponi potest. Primo sic : Diligunt se Spiritu sancto, id est, amore qui est Spiritus sanctus : et secundum hoc propositio est vera. Secundo sic: Diligunt se Spiritu sancto, id est, per Spiritum sanctum, vel per amorem qui est Spiritus sanctus : et sic non est concedenda, quia non est ibi aliquid respectu cujus hæc dictio *Per* dicat principium. Est enim regula, quod hæc dictio *Per* semper dicit rationem principii respectu alicujus positi in locutione : sicut quando dicitur : « Pater operatur creaturas per Filium; » ibi enim notatur ratio principii in Filio respectu operis. Similiter hæc conceditur : « Filius operatur per Patrem : » nam ibi ratio principii in Patre est, et hoc duplici respectu, scilicet respectu Filii, et respectu operis.

CAPUT IX.

Spiritus sanctus charitas et donum sanctorum est.

Cum inveniatur sæpe in Scripturis quod Spiritus sanctus *charitas* et *donum* dicitur, diligenter notandum est, qualiter hoc debeat intelligi, et utrum Spiritus sanctus sit charitas, qua nos Deum et proximum diligimus. Unde notandum est, quod amor, sive charitas, tribus modis sumitur. Uno modo effective, et sic absque dubio verum est, quod Spiritus sanctus est amor, quo diligimus Deum, quia Spiritus sanctus operatur in nobis habitum et motum charitatis. Alio modo sumitur exemplariter : sic etiam Spiritus sanctus est charitas qua diligimus Deum et proximum : charitas enim quæ est Spiritus sanctus, est exemplar nostræ charitatis. Tertio modo sumitur charitas formaliter per modum inhærentiæ : et sic charitas dicitur virtutis habitus in anima, quo diligimus Deum et proximum : et secundum hunc modum Spi-

[1] I *Cor.*, 1, 24.

Digitized by Google

ritus sanctus non dicitur charitas. Nec contrariatur dictum Augustini [1], quod eadem est charitas qua nos diligit Deus, et nos ipsum : quia, licet verum sit, tamen aliter, et aliter est : nam Deus diligit nos ea formaliter, nos vero ipsum diligimus efficienter et exemplariter, non formaliter : nam omne esse et agens est a forma inhærente agenti, quæ (*a*) est principium agendi, et forma, sicut caliditas igni. Sciendum est tamen quod Spiritus sanctus datur, cum datur ejus donum, quia Spiritus sanctus est amor, et primum donum; posterius autem non datur sine priori. Præterea corpus mysticum est unum per amorem. Cum ergo nihil creatum sit unum in diversis particularibus, oportet quod membra corporis mystici uniantur uno amore increato, qui est Spiritus sanctus. Præterea, quia, secundum Augustinum, totum malum hominis est uti fruendis, et frui utendis; constat ergo quod totum oppositum est donum ejus, scilicet frui fruendis, et uti utendis. Sed ad fruendum eo, quo fruendum est, requiritur præsentia fruibilis, et etiam dispositio debita fruentis : unde requiritur præsentia Spiritus sancti, et ejus donum, scilicet amor, quo inhæreatur ei : verumtamen cum datur nobis Spiritus sanctus, non incipit esse in loco novo, sed novo modo per productionem novi effectus et novi respectus, ex quo creatura se aliter habet ad Spiritum sanctum, quam prius. Propter quod et ipse dicitur aliter esse in creatura, quam prius, quia et in ipsa ut in cognoscente et amante ipsum, quod non fuit prius.

Ex jam dictis patet quod in justificatione duplex charitas nobis datur, scilicet creata, et increata : illa qua diligimus, et illa qua diligimur. Vel datur nobis charitas creata, qua diligimus formaliter; et increata, qua diligimus effective, quia nostrum diligere ipse causat. Ex his colligitur quod, licet Deus sit in omnibus per essentiam, præsentiam et potentiam, non tamen habetur ab omnibus hominibus per gratiam.

Missio autem Spiritus sancti duplex est, sicut et Filii : una visibilis, sicut apparuit super Christum in columba, et super apostolos in linguis igneis; alia invisibilis, qua mittitur in mentem ad sanctificandam creaturam : et ista missio fit ad inhabitationem creaturæ rationalis; sed prior fit ad inhabitationem demonstrandam aliis. Eodem modo missio Filii duplex est : una scilicet visibilis, ut incarnatio; et alia invisibilis, ut est interna mentis illuminatio. Notandum quod missio Filii, et Spiritus sancti, inseparabilia sunt : sed dicitur Filii, quando mens per gratiam illuminatur ad Deum cognoscendum; dicitur Spiritus sancti, quando affectus accenditur ad amandum. Sciendum est quod solius Patris est mittere, et non mitti : cum enim Pater a nullo procedat, nusquam mitti dicitur. Quia vero Filius et producit, et producitur, ideo mittit, et mittitur. Spiritus vero sanctus, quia producitur æternaliter, sed non producit, nisi ex tempore; ideo ipsius est proprium mitti, et non mittere, nisi respectu creaturæ, ut ad conversionem populi dicuntur apostoli missi a Spiritu sancto. Nisi forte dicatur mittere hominem assumptum; sed Spiritus sanctus mittere dicitur, in quantum cum Patre et Filio idem est in essentia Trinitatis, non in quantum persona. Sic etiam Filius mittit seipsum, unde Augustinus, in libris de Trinitate [2]: « Intelligamus illam incarnationem, et ex Virgine nativitatem, in qua intelligitur Filius missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, non separato etiam Spiritu sancto. » Ex his patet quod hæ sunt impropriæ, et exponendæ : « Spiritus sanctus mittit se, et mittit Filium, et Filius mittit seipsum : » nisi intelligatur in quantum est de Virgine natus, quia Filius Deus mittit se hominem, et secundum hoc vera est. Hæc autem est ratio, quia *mittere* dicit auctoritatem ratione productionis æternæ.

Quibus modis datus sit Spiritus sanctus in signo visibili. Sciendum quod in igne apparuit Spiritus sanctus, ut calefaceret frigidos; et in linguis, ut doceret ignaros; et in sono, ut terreret rebelles. Apparuit etiam in aliis tribus signis, scilicet in nube ipsi Moysi, ut ductor ejus in columna nubis esset, sicut legitur in *Isaia* [3]; item in columba (*b*) super Christum baptizatum, ad ostendendam gratiæ plenitudinem, quæ in ipso erat. Item in flatu post resurrectionem, ad significandam vivificationem affectus, quia flatus (*c*) ab interiori procedit. Datus est igitur Spiritus sanctus bis post resurrectionem, scilicet in terra, propter dilectionem proximi; et de cœlo, propter dilectio-

[1] Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. XVII, n. 31. — [2] Aug., *Trinit.*, lib. II, c. V, n. 9. — [3] *Isa.*, IV, 5.

(*a*) *Edit. Ven.* qua. — (*b*) *Cæt. edit.* columna. — (*c*) *Edit. Ven.* flatu.

Digitized by Google

nem Dei. Vel datus est in terra, ad relaxanda peccata aliorum; Joannes [4] : *Insufflavit in eos, et dixit : Accipite Spiritum sanctum, quorum,* etc. Datus est de cœlo in Pentecoste ad robur, et ad operationem miraculorum : de his duobus Psalmista [2] : *Verbo Domini cœli firmati sunt,* quoad primum ; *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, quoad secundum. Tertia fuit collatio Spiritus sancti apostolis facta ante passionem, quando fuerunt baptizati : eorum enim baptismus innuitur ibi [3] : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* In signum prædictorum trium, ter inungitur homo ad significandam hanc triplicem Spiritus sancti inunctionem, scilicet in baptismo, in confirmatione, et in morte.

Quadruplicem effectum consecuti sunt apostoli ex præsentia Spiritus sancti : primo, eloquentiam in linguis ; secundo, audaciam in tormentis ; tertio, efficaciam in miraculis ; quarto, protectionem a vitiis : quia, post Pentecosten, nunquam peccaverunt mortaliter. Accipiunt et modo utiliter Spiritum sanctum : peccatores quidem, ad purgandum; in Matthæo (*a*) [4] : *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, et igne.* Item pœnitentes, ad proficiendum ; Psalmus [5] : *Spiritus tuus bonus deducet me.* Item perfecti, ad sanctificandum ; ad Corinthios [6] : *Qui dedit nobis pignus Spiritus sancti.* Item beati, ad fruendum ; Psalmus [7] : *Renuit consolari anima mea,* etc. Item tribulati, ad consolandum [8] : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore,* etc. Item ignorantes, ad instruendum ; in Joanne (*b*) [9] : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater,* etc.

Quo tempore datus sit Spiritus sanctus. Attendendum est quod in die quinquagesima, ut ostendatur auctor esse remissionis : nam annus jubilæus serviebat remissioni. Venit etiam in die dominica, ut esset dies renovationis, qui fuit etiam creationis. Datus quoque fuit tertia hora, quia dicitur primus homo hora tertia perdidisse gratiam : unde conveniens fuit, quod eadem hora apostolis mitteretur. Item alia ratione datus est hora tertia, scilicet ut ostenderetur, quod etiam nobis hora tertia datur gratia Dei. Sunt enim tres horæ morales, scilicet contritio, confessio et satisfactio. De hoc nomine, *Spiritus sanctus,* sciendum est, quod potest esse circumlocutio unius proprii nominis, et tunc convenit tantum personæ tertiæ in Trinitate; vel possunt istæ dictiones sumi divisim, et sic quælibet trium personarum est spiritus sanctus.

Spiritus sanctus multa habet nomina. Dicitur enim *spiritus* a spirando active, eo quod spiret; in Joanne (*c*) [10] : *Spiritus ubi vult spirat* : et secundum hunc modum, hoc nomen *spiritus* commune est omnibus tribus personis, sed Spiritui sancto convenit per appropriationem. Alio modo dicitur *spiritus* a spirando passive, eo quod spiretur, et hoc modo proprium est Spiritui sancto, qui procedit per modum spirationis. Non solum autem dicitur *Spiritus*, sed additur *sanctus* : quia *sanctus* idem est quod mundus, vel firmus, vel sine terra. Ista autem non solum conveniunt ei quoad se, sed etiam in comparatione quoad nos : nam per gratiam Spiritus sancti a peccatis mundamur (*d*), in bonis firmamur, a terrenis separamur. Sanctus ergo non solum est in se, sed quia nos facit ea sanctitate, de qua dicit Dionysius [11] : « Sanctitas est ab omni immunditia libera, et perfecta, et omnino immaculata munditia. » Præterea Spiritus sanctus vocatur *nexus*, *unitas* et *amplexus* ; et hoc, prout comparatur ad Patrem et Filium. Idem dicitur *donum Altissimi* ; et hoc, prout comparatur ad nos : quia [12] *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*, etc. Item dicitur *fons vivus*, quia septemplici rivo donorum nobis fluit ; Isaias [13] : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini.* Item dicitur *ignis*, quia affectum nobis accendit. Item dicitur *charitas*, non solum quia est amor Patris et Filii, sed quia nos amantes facit. Item dicitur *spiritualis unctio*, quia omnes tribulationes mundanas suaves facit et jucundas, secundum illud prosæ [14] : *In labore requies, in æstu temperies*, etc. Item dicitur *dextræ Dei digitus*, quia sicut corporales res digito demonstrantur, ita per Spiritum sanctum ostenduntur res spirituales oculo spirituali. Item dicitur *Paracletus*, quia consolationes cœlestes mentibus instillat. Item *magistrorum optimus*, quia intellectum ad Dei cognitionem et sui ipsius illuminat.

[1] *Joan.*, XX, 22. — [2] *Psal.* XXXII, 6. — [3] *Joan.*, XIII, 10. — [4] *Matth.*, III, 11. — [5] *Psal.* CXLII, 10. — [6] II *Cor.*, I, 22. — [7] *Psal.* LXXVI, 4. — [8] *Rom.*, VIII, 15. — [9] *Joan.*, XIV, 26. — [10] *Joan.*, III, 8. — [11] Dion., *de Div. Nomin.*, c. XII. — [12] *Jac.*, I, 17. — [13] *Isa.*, XI, 2. — [14] In Miss. Pentec.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæus. — (*b*) *Item* Joannes. — (*c*) *Cæt. edit.* Joannes. — (*d*) *Edit. Ven.* mandamur.

Digitized by Google

CAPUT X.

In trinitate personarum unitas essentiæ est.

In unitate naturæ divinæ tres sunt personæ : quarum prima est a nulla; secunda est per generationem a sola prima; tertia est per communem spirationem a prima et secunda. Istud tamen sic est intelligendum, quod trinitas personarum non excludit ab essentia unitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, et incommutabilitatem. Hujus ratio per hoc patet, quia qui crederet Deum non posse se summe communicare, negaret in eo potentiam; qui vero crederet hoc eum posse, sed nescire, negaret in eo sapientiam; qui crederet eum hoc posse, scire, sed nolle, ille negaret in eo bonitatem. Cum igitur Pater potuerit, sciverit et voluerit se summe communicare, hoc fecit æternaliter, scilicet habendo dilectionem et dilectum, hoc est Filium et Spiritum sanctum. Præterea omne bonum est sui diffusivum, ut dicit Dionysius [1]; unde cum Pater sit fons bonitatis, emanatio erit ab ipso perfectissima, quæ est generatio. Erit etiam emanatio jucundissima, quæ est per modum benignitatis et liberalitatis : hæc autem emanatio amor est, qui est Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens. Et bene dicitur *amor* emanatio liberalitatis, quia amor primum donum est, quod a liberalitate procedit, cum sit donum intrinsecum in ipso dante, in quo scilicet amore omnia alia donantur.

Hæc beata Trinitas tribus modis nobis innotescit. Ipsa enim patet in Scripturis, ostenditur in figuris, relucet in creaturis. Primo, inquam, beata Trinitas patet in Scripturis; unde Leo Papa : « Credimus sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiæ, unius essentiæ, unius potestatis. Item Isaias audivit [2] Seraphim ter dicentia : *Sanctus*, in laudem beatæ Trinitatis, subjungentia in singulari : *Dominus Deus Sabaoth*, propter confessionem unitatis divinæ. Si ergo non essent tres personæ, non diceretur in Genesi [3] : *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, sed *meam :* et tunc, si essent tres personæ, et non una substantia, non diceretur *ad imaginem*, sed *ad imagines nostras*. Ad id ostendendum, ponitur in Psalmo ter Deus, cum dicitur [4] : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*; et tamen solum ponitur hoc pronomen, *eum*, ubi subjungitur : *Et metuant eum omnes fines terræ*. Item [5] : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui*. Vide quod *A* triplicavit, et in singulari dixit: *Domine Deus:* quod notat trinitatem et unitatem. Item Apostolus [6] : *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula*. Et nota quod hæc præpositio *Ex* dicit auctoritatem, et esse a nullo : hoc autem Patri convenit, qui est principium sine principio. Sed hæc præpositio *Per* notat operationem, sive medium, et esse ab alio : unde per hoc intelligitur Filius, qui est principium de principio. Hæc autem præpositio *In* notat conservationem, et esse ab alio : et propterea competit Spiritui sancto, qui est continentia omnis boni.

Ostenditur etiam beata Trinitas in figuris. Significatur enim per tres amicos [7] Job; item per tres angelos [8] quos Abraham hospitio recepit : tres vidit, et unum adoravit. Item per tres digitos [9] quibus appenditur moles terræ. Item per tres civitates [10] refugii æquali spatio a se distantes. Item per tria difficilia [11] ad investigandum. Item per tres portas [12] civitatis, quas vidit Ezechiel.

Relucet quoque in creaturis vestigium beatæ Trinitatis. Cognoscitur enim in magnitudine creaturarum potentia Patris; in dispositione, sapientia Filii; in ornatu, bonitas Spiritus sancti. Item in quolibet individuo invenies virtutem, speciem et utilitatem; quorum primum convenit Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Item in sole vide essentiam, splendorem et calorem, in quibus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum cognosces. Item in anima, secundum memoriam, intellectum et voluntatem, considera personarum trinitatem, et unitatem substantiæ. Item in hierarchia cœlesti superiori Deus est in Thronis, ut majestas; in Cherubim, ut veritas; in Seraphim, ut charitas : per quæ notatur personarum trinitas. Item in virtutibus theologicis, scilicet fide, spe, charitate, idem intellige. Item in tribus dotibus animæ, scilicet cogitatione, comprehensione et delectatione.

Notandum autem quod aliter relucet Deus in creaturis viatoribus, aliter in beatis. Exemplum

[1] Dion., *de Div. Nomin.*, c. IV. — [2] *Isa.*, VI, 3. — [3] *Gen.*, I, 26. — [4] *Psal.* LXVI, 8. — [5] *Jerem.*, I, 6. — [6] *Rom.*, XI, 36. — [7] *Job*, II, 11. — [8] *Gen.*, XVIII, 1. — [9] *Isa.*, XL, 12. — [10] *Deut.*, IV, 41. — [11] *Prov.*, XXX, 18. — [12] *Ezech.*, XLVIII, 31.

Digitized by Google

de speculo, in quo alio modo videtur a nobis notus, et aliter ignotus : nam notum videtur in speculo, ignotum per speculum. Ex prædictis patet, quod licet tam in creatura corporali, quam in spirituali, quam etiam ex his composita, beata Trinitas cognoscitur; tamen diversimode, prout unumquodque istorum dicitur vestigium Creatoris : quia aliud dicitur ejus similitudo, et aliud ejus imago, sicut superius [1] est notatum in titulo, quod *Filius est imago Patris*.

Deinde sciendum est quod pluralitatem personarum in unitate essentiæ, et unitatem essentiæ in personarum pluralitate, secundum Bernardum [2], scrutari temeritas est, credere pietas est, nosse vita æterna est.

CAPUT XI.

Multiplex trinitas est.

Multiplex invenitur in Scripturis trinitas. Est enim Trinitas increata, quæ summa et ineffabilis est. Aliæ trinitates sunt creatæ : inter has una est quæ cecidit, scilicet rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Alia est per quam homo cecidit, scilicet suggestio diaboli, delectatio sensualitatis, et consensus rationis : quæ tria significata sunt per serpentem, mulierem et virum in paradiso. Tertia est in quam cecidit, scilicet ignorantia veri, impotentia boni, et concupiscentia mali. Quarta est per quam resurgit, scilicet fides, spes, charitas. Item est trinitas per quam ad gratiam reparamur, scilicet triplex substantia quæ est in Christo [3], scilicet divinitas, anima, et caro. Est autem alia per quam regeneramur, scilicet spiritus, aqua, et sanguis : spiritus, inquam sanctificationis, aqua ablutionis, sanguis redemptionis. Hanc nobis Joannes [4] in epistola sua recitat. Est quoque trinitas alia, per quam ad gloriam reformamur, ut sunt tres dotes animæ, scilicet cognitio, dilectio, comprehensio. Est et multiplex trinitas in creaturis, quæ est vestigium beatæ et increatæ Trinitatis; et de hoc habes in titulo supra [5], quod *Trinitas personarum et unitas essentiæ est.*

[1] Vid. sup., c. VI. — [2] Bern., *de Consid.*, lib V, c. VIII. — [3] Idem habet Doctor noster in *Itiner. mentis in Deum*, c. VI, n. 70. Vid. hac de quæstione Labb. *Conc.*, tom. VI, col. 1298, in Conc. Tolet. XIV, necnon ea quæ dissertata sunt in opusculo gallico *Affaire de Louvain*, 1862, pag. 118 et 153. — [4] I *Joan.*, V, 8. —

CAPUT XII.

Æqualitas personarum est.

Æqualitas personarum in tribus consistit; unde Augustinus [6] : « Nullus alium præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. » Quod æqualitas secundum hæc tria sit in Deo, sic ostenditur : quia in istis inferioribus tria sunt hæc, scilicet substantia, qualitas, et quantitas : igitur unitas in substantia causat identitatem; unitas autem in qualitate causat similitudinem; sed unitas in quantitate causat æqualitatem : in divinis autem est æqualitas tantummodo secundum triplicem quantitatem, prout quantitas in Deo esse dicitur, licet improprie : primo secundum quantitatem virtutis, quæ est potentia; alio modo, secundum quantitatem durationis, quæ est æternitas; tertio modo, secundum quantitatem magnitudinis, qua ipse est intra omnia et extra omnia, quæ continet et locat omnia.

Æqualitas personarum aliter in istis tribus ostenditur : quoniam in creaturis triplex magnitudo reperitur, scilicet temporalis, dimensionis, et virtutis. Prima magnitudo est in rebus mutabilibus; secunda, in corporeis; tertia, in spiritibus creatis. Istis tribus respondent in Creatore alia tria, in quibus etiam personæ divinæ sunt æquales, scilicet æternitas in esse, magnitudo in immensitate, et virtus in posse. Hæc tamen, licet secundum rei veritatem sint in Deo, secundum differentiam rei in ipso non habent esse, sed secundum quod nostrum respiciunt intellectum. Dicendum est ergo, quod tanta est æqualitas in Trinitate, quod, secundum Augustinum [7], « nec est majus aliquid, vel duo, vel omnes, quam unus; nec majus aliquid omnes, quam singuli. »

Coæternæ quoque sunt personæ divinæ, quia in divinis non est ponere nisi duo genera, scilicet, substantiæ, et ad aliquid : quantitas vero et qualitas transeunt in genus substantiæ, sicut æqualitas et similitudo dicunt relationes : sed substantia communis est tribus personis; relativorum autem proprium est simul esse : ergo nullo modo Pater est prior Filio, nec secundum id quod ad aliquid est, nec secundum id quod

[5] Vid. sup., c. X. — [6] Imo Fulgentius, *de Fid. ad Petr.*, c. I, n. 4. — [7] Aug., *cont. Maximin.*, lib. III, al. II, c. X, n. 2.

Digitized by Google

absolutum est. Idem ostenditur per exemplum in natura : quia, licet splendor sit a Sole, tamen esset Soli coæternus, si Sol esset æternus.

CAPUT XIII.

Inter Essentiam, et Personam, differentia est.

Apud Græcos quatuor sunt vocabula, scilicet usia, usiosis, hypostasis, prosopon (*a*) : hæc apud Latinos æquipollent istis quatuor, videlicet essentia, substantia, subsistentia, persona. Inter hæc talis est differentia : quia usia, sive essentia, dicit naturam, ut humanitas; usiosis, sive substantia, dicit habens naturam, sive substans naturæ, ut homo ; hypostasis dicit distinguibile, non tamen distinctum determinata proprietate, ut aliquis homo; prosopon, sive persona, dicit distinctum cum determinata proprietate ad dignitatem pertinente, ut Petrus, ut sicut homines particulares distincti sunt propriis qualitatibus, ita Pater et Filius et Spiritus sanctus propriis notionibus. Sicut autem Græci dixerunt Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, scilicet tres hypostases, id est, tres res ; ita et nos dicimus tres subsistentias, id est, tres res non indigentes alia re ut sint. Considerata igitur essentia divina in se, omnino indistincta est; persona vero in se distincta est suis proprietatibus. Considerata autem essentia in personis, vel persona in essentia, modum medium tenet, scilicet unitatem et distinctionem; et hoc patet in appropriatis quæ omnibus personis conveniunt, ut potentia, sapientia, bonitas; sed ad unam magis determinantur. Nota quod semper substantia sumitur pro essentia, et quod essentia nunquam transfertur ad significandam personam.

Tres sunt diffinitiones personæ : « Persona est creaturæ rationalis individua substantia ; » hæc sumitur penes naturam rei. Secunda Hugonis de Sancto Victore talis est : « Persona est subsistens per se solam juxta quemdam singularem modum : » hæc sumitur juxta etymologiam nominis : dicitur enim persona quasi *per se una*. Tertia est diffinitio magistralis sic : « Persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. » Nota etiam quod ista quatuor, prout supra sunt exposita et exemplificata, scilicet essentia, substantia, subsistentia, persona, differunt in creatura, re et nomine; sed in divinis differunt ratione.

CAPUT XIV.

De Immensitate Dei.

Non est in Deo quantitas dimensionis, sed virtutis; nec ubique est Deus mole corporis, sed præsentia majestatis, et per hunc modum dicitur immensus. Sed nota quod immensitas quatuor in Deo complectitur, scilicet infinitatem, incomprehensibilitatem, incircumscriptibilitatem, æternitatem. Si enim consideratur Deus in se, sic est infinitus; Psalmus [1] : *Magnitudinis ejus non est finis.* Si vero consideratur in comparatione ad intellectum, sic est incomprehensibilis; Apostolus [2] : *O altitudo divitiarum*, etc. Et propter hoc etiam dicitur [3] *sedere super Cherubim*, id est super plenitudinem scientiæ et super omnem intellectum. Si in comparatione ad locum, sic est incircumscriptibilis; Ambrosius [4] : « Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum Trinitas habet; non loco clauditur, non terminatione concluditur, non ætate variatur. » Sed si consideratur in comparatione ad durationem, sic est æternus; Apostolus [5] : *Regi sæculorum immortali*, etc. De his quatuor dicendum est in sequentibus per ordinem.

Tenendum est certissime quod in Deo non est proprie longitudo, nec latitudo, nec sublimitas, nec profundum; sed hæc metaphorice sunt in Deo. Est enim in Deo latitudo charitatis, qua nos ab errore revocat; Hieremias [6] : *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans tui.* Est et longitudo patientiæ, qua malos portat, *dissimulat* namque [7] *peccata hominum propter pœnitentiam.* Est in eo sublimitas sapientiæ, qua omnem sensum superat; Apostolus [8] : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Est etiam in eo profundum justitiæ, qua peccatores damnat, in Matthæo (*b*) [9] : *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

CAPUT XV.

De Infinitate Dei.

Dubitandum vero non est Deum esse infinitum, quia, cum in Deo idem sit potentia et essentia, patet quod essentia ejus est infinita, sicut et potentia. Unde sicut potentia Dei non

[1] *Psal.* CXLIV, 3. — [2] *Rom.*, XI, 33. — [3] *Psal.* LXXIX, 2. — [4] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 13. — [5] I *Tim.*, I, 17. — [6] *Jerem.*, XXXI, 3. — [7] *Sap.*, XI, 24. — [8] *Hebr.*, IV, 13. — [9] *Matth.*, XXV, 41.

(*a*) *Lege* οὐσία, οὐσίωσις, ὑπόστασις, πρόσωπον. — (*b*) *Cæt. edit.* Matthæus.

Digitized by Google

ita potest in tot, quin possit in plura, sic et essentia Dei non est ita in aliquibus rebus, quin possit esse in pluribus; imo si mundi essent infiniti, omnes repleret. Præterea, cum Deus sit rerum causa efficiens, formalis et finalis; sicut non est dicere de Deo, in quantum est causa efficiens, quod sit effecta, nec in quantum est causa formalis, quod sit formata, eadem ratione non est dicere, cum sit causa finalis, quod sit finita. Nullo ergo modo dicendum est, Deum esse finitum secundum substantiam, nisi finitum dicatur completum et perfectum.

Sane triplex dicitur infinitum, scilicet negative, privative, contrarie seu disparate. Infinitum negative dicitur per abegationem finis; et sic dicitur infinitum illud, quod non finitur : et hoc modo infinitum est, quod non est natum finiri. Infinitum privative est, quod natum est finiri, non tamen finitur. Infinitum contrarie est, quod habet contrariam dispositionem ad finiendum. Primo modo essentia divina est infinita, quia non habet finem, nec est nata finiri. Similiter, si dicatur infinitum tertio modo. Si vero dicatur infinitum privative, sic non potest dici finita, quia non est nata finiri, imo est finiens omnia.

Item finis dicitur tripliciter : dicitur enim terminus, et secundum hoc quod quantitas continua est potentia infinita, quia est divisibilis in infinitum : et hoc ideo, quia in continuo non est terminus in divisione, sicut nec in numero est terminus in additione. Alio modo dicitur finis idem quod perfectio. Tertio modo dicitur finis, id propter quod unumquodque finitur. Primo modo Deus est infinitus, non secundum quantitatem dimensivam, quæ in Deo non est; sed secundum quantitatem virtualem, quæ in ipso est. Sed quia in Deo omnimoda est indivisio virtutis et essentiæ, non potest esse infinitas virtutis, quin etiam sit essentiæ. Secundo modo materia dicitur infinita, quia caret perfectione. Tertio modo malum culpæ dicitur infinitum, quia non est ordinatum ad finem.

CAPUT XVI.

De Incomprehensibilitate Dei.

Creator a creatura cognosci non potest ad plenum in via, vel etiam in patria, quia finiti nulla est proportio ad infinitum. Trinitas sibi soli nota est, et homini Christo. Unde Bernardus [1] : « Nihil Deo præsentius, et nihil incomprehensibilius : quid nempe cuilibet rei præsentius quam esse suum? Sane esse omnium dixerim Deum : non quod illa sint quod est ipse, sed quia [2] *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Est enim intelligentia nostra ad illam *lucem* [3] *inaccessibilem* multo minus, quam visus noctuæ vel vespertilionis ad lucem : unde dicitur in Psalmo [4] : *Ambulavit super pennas ventorum*, hoc est, super intelligentias etiam angelicas. Verumtamen comprehenditur Deus aliquo modo per fidem (*a*) in via, Augustinus : « Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei emundetur. » Ad idem Bernardus [5] : « Ita Deus est in irrationalibus creaturis, ut non capiatur ab ipsis. A rationalibus tamen capi potest omnibus per fidei cognitionem; sed a bonis tantum capitur per amorem. » Dicamus ergo quod de Deo scire possumus quid non sit, non quid sit. Augustinus [6] : « Intelligimus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu vel ambitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. »

Comprehenditur quoque Deus per speciem pro dignitate meritorum in patria. Augustinus : « Videbimus tuæ majestatis essentiam; et unusquisque eo perspicacius, quo hic vixerit purius. » Et est exemplum in mari, quod se offert visui, et tamen secundum ambitum totum videri non potest : et hoc est tam propter maris latitudinem, quam propter ipsius nostri visus ad tantam superficiem improportionabilitatem. Hoc igitur tenendum est, quod in via Deum cognoscere possumus quia est, et in patria sicut est, nunquam tamen, nec hic, nec ibi, quid est.

Visus corporalis impeditur tripliciter, scilicet per tenebras, per falsam lucem, per aversionem a re visibili. Eodem modo impeditur visus spiritualis circa cognitionem Dei. Primo, per tenebras peccati, vel erroris; Joannes [7] : *Qui facit peccatum in tenebris est.* Ad Corinthios [8] :

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XIV, circa fin. — [2] *Rom.*, XI, 36. — [3] I *Tim.*, VI, 16. — [4] *Psal.* CIII, 3. — [5] Bern., super *Missus est*, hom. III. — [6] Aug., *de Trinit.*, lib. V, c. I, n. 2. — [7] I *Joan.*, II, 9. — [8] II *Cor.*, III, 15.

(*a*) *Edit. Ven.* finem.

Digitized by Google

Adhuc cum legitur Moyses, velamen positum est super corda ipsorum. Secundo, per falsam lucem : hoc autem fit, quando quis metitur æterna secundum naturalia. Exemplum habetur in ligno putrido, quod in nocte quamdam lucem videtur habere, sed cum dies venerit, nihil est. Tertio, per aversionem a re visibili, sive cognoscibili; hoc est, quando quis, spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhæret : talium oculis, cum sint ægri, odiosa est lux, et puris est amabilissima. Deus cognoscitur interius, et exterius. Interius dupliciter : quia quandoque per inspirationem, quod paucis datum est; Apostolus ad Corinthios [1] : *Scio hominem in Christo Jesu*, etc. Quandoque per ratiocinationem; per quem modum plures philosophi de Deo notitiam habuerunt; ad Romanos [2] : *Invisibilia Dei*, etc. Exterius etiam cognoscitur dupliciter, scilicet : per creaturas; Apostolus : *Videmus nunc per speculum*, scilicet creaturarum, quæ modo sunt speculum Creatoris in præsenti : sic e converso ipse Deus erit speculum creaturarum in futuro, in quo omnia videbimus, quæ ad gaudium nostrum pertinebunt. Item per doctrinam ; Apostolus (*a*) [4] : *Fides ex auditu.* Sicut cognoscitur vinum quandoque ex auditu, quandoque visu, quandoque gustu, sic Deus quodammodo cognoscitur auditu : cognoscunt enim Deum, qui audiunt verbum Dei, et per illud credunt. Visu cognoscunt theologi, qui legunt Deum in Scripturis; et philosophi, qui speculantur eum in creaturis. Gustu cognoscunt soli boni; Psalmus [5] : *Gustate et videte, quoniam suavis*, etc. Et iste ultimus modus perfectissimus est, et certissimus. Dionysius dicit [6], quod tribus modis cognoscitur Deus, scilicet : per remotionem sive abnegationem, ut cum dicitur : « Deus non est hoc, vel illud, » unde Dionysius : « Negativæ de Deo sunt veræ : affirmativæ vero incompactæ. » Item per eminentiam, ut, cum in creatura inveniatur potentia, attribuenda est Deo summa potentia, et sic de aliis. Item per causam, secundum quod per effectus venitur ad cognitionem causæ, vel per cognitionem motuum ad cognitionem moventis. Item nota quod anima sensu percipit corpora, quia formam in materia, tantum præsente corpore : imaginatione vero corporum similitudines, hoc est formas abstractas a materia, etiam præsente corpore, vel absente; ratione autem corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia vero spiritum increatum.

Sciendum est etiam quod cognoscibilia quædam sunt infra rationem, quædam juxta, quædam supra. Infra rationem sunt, quæ sensu percipimus, ut alba, nigra, et hujusmodi. Juxta rationem sunt quæ ratione percipimus, ut vera, falsa, justa, vel injusta. Supra rationem sunt, quæ sola divina revelatione comprehenduntur, aut auctoritate Scripturarum creduntur, ut tres esse personas, unum Deum.

CAPUT XVII.

De Incircumscriptibilitate Dei.

Ubique Deus est, et tamen nusquam est, quia nec abest ab ullo loco, nec ullo capitur loco. Augustinus : « Deus est in mundo, non inclusus; extra mundum, non exclusus; supra mundum, non elatus; infra mundum, non depressus. » Ex his patet quod Deus est intra omnia; et hoc, quia omnia replet, et ubique præsens est. Item extra omnia est, quia omnia continet, nec usquam valet coarctari.

Sed nota quod hæc præpositio *extra* dicit ibi non actualem præsentiam ad locum, sed potentialem, quæ est Dei immensitas, quæ infinitos mundos potest replere, si essent. Item ipse est supra omnia, quia omnibus præstat, nec aliquid ei æquatur. Item infra omnia est, quia cuncta sustinet, et sine ipso nihil subsisteret. Dicimus etiam quod ubique est, non ut indigeat rebus, quod in eis sit, sed potius res sui indigeant, ut per eum subsistant. Deus enim ante mundi constitutionem fuit ubi nunc est, scilicet in se, quoniam ipse sufficit sibi. Sciendum est ergo, quod aliquid est in loco circumscriptive et diffinitive, ut corpus; aliquid diffinitive, non circumscriptive, ut angelus; aliquid nec sic, nec sic, ut Deus : et hoc ideo, quia non individuatur per materiam, ut corpus, neque per suppositum, ut angelus. Aliquid est etiam in loco, partim circumscriptive, partim diffinitive, ut corpus Christi in sacramento, quod est totum sub tota hostia, ita quod non excedit, et secundum hoc est circumscriptive; est quoque sic sub hostia, quod non ubique, et sic est ibi quodammodo diffinitive. Corpus autem Christi, licet non sit ubique, cum sit creatura, nec æ-

[1] II *Cor.*, XII, 2. — [2] *Rom.*, I, 20. — [3] I *Cor.*, XIII, 12. — [4] *Rom.*, X, 17. — [5] *Psal.* XXXIII, 9. — [6] Dion., *de Div. Nomin.*, c. VII.

(*a*) *Cæt. edit.* doctrinam Apostoli.

Digitized by Google

quari possit in hujusmodi Creatori, in pluribus tamen locis est, id est sub diversis hostiis : et hoc est propter unionem carnis ad Verbum, unde merito habet amplius, quam alia creatura, scilicet, quod in locis pluribus possit esse. Ex prædictis patet, quod esse ubique simpliciter soli convenit Creatori; sed in loco uno esse, convenit creaturæ. In pluribus vero locis esse, sed non ubique, convenit corpori Jesu Christi.

Nota quod Deus est multipliciter in rebus, scilicet : per naturam, et sic est ubique potentialiter, præsentialiter, essentialiter. Item per gratiam, sic est in bonis [1] : *Qui manet in me, et ego in eo, hic*, etc. Item per gloriam, sic est in rationali virtute animæ, ut veritas; in concupiscibili, ut bonitas; in irascibili, ut potestas. Item per unionem; sic fuit in utero Virginis unitus humanæ naturæ, et in sepulcro unitus carni, et in inferno unitus animæ Christi. Item Deus dicitur esse alicubi per occultorum revelationem; in Genesi [2] : *Vere Deus est in loco isto.* Item per vestigiorum ejus excellentem repræsentationem; sic dicitur esse in cœlo, quia ibi maxime relucet sua potentia, sapientia, bonitas. Item per naturæ identitatem, sicut est Filius in Patre, et Pater in Filio, et Spiritus sanctus in utroque. Item per miraculorum operationem; in Exodo [3] : *Digitus Dei est hic.* Item per conservationem et gubernationem, sic est in mundo. Item Deus est in seipso ut α et ω, secundum illud :

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset.
Tunc ubi, nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse.

Per quod patet solutio quæstionis quorumdam simplicium, qui quærunt, ubi Deus fuerit priusquam mundus esset, ubi tunc esset, etc. Item ipse est in mundo, sicut rex in regno. Bernardus : « Deus ubique regnat, ubique imperat, ubique majestas ejus omnia replet, et complectitur universa. » Item in angelo, ut decor; in quantum veritas, in anima, et sicut sapor, in quantum bonitas. Item in Ecclesia est, sicut paterfamilias in domo; unde illud [4] : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Item in electis, ut liberator a malis, adjutor in bonis; et hoc est quod dicit Bernardus [5] : « Deus est in creaturis mirabilis; in hominibus amabilis; in angelis desiderabilis; in seipso incomprehensibilis; in reprobis intolerabilis. » Item in damnatis, ut terror et horror; Augustinus : « Qui te dimittit, quo it, nisi a te placato ad te iratum? Non enim manum Domini possumus effugere. Psalmus [6] : *Si ascendero in cœlum, tu*, etc. Si vero dubitatur, utrum Deus sit in diabolo, sciendum quod quædam nomina sunt, quæ important naturas, prout naturæ sunt : in his concedendum est quod Deus insit, sunt alia per quæ intelliguntur deformitates, ut diabolus : de quibus non est dicendum quod Deus insit, nisi addatur : « in quantum spiritus est, » vel aliquid tale. Deus est in anima fideli, ut sponsus in thalamo, rex in regno, turris in castro; item sicut magister in scholis, fons in hortis, lux in tenebris; item sicut thesaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro; item sicut manna in arca, sigillum in charta, medicina in apotheca; item sicut cithara in convivio, imago in speculo, mel in favo; item sicut fructus in arbore, oleum in lampade, lilium in convalle.

CAPUT XVIII.

De Æternitate Dei.

Sicut Deus ubique est, et tamen nullo loco circumscribitur, vel continetur; sic æternus est, et tamen nullo tempore mensuratur. Non enim ei competit tempus præsens, nec præteritum, nec futurum. Nam tempus præsens manens esse non habet, quia pertransit; Deus autem semper manet idem. Unde Hilarius : « Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, et manens causa. » Similiter tempus præteritum modo non est, nec habet esse subsistens; sed de Deo dicitur in Psalmo [7] : *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Similiter tempus futurum non est, sed expectatur; Deus autem semper est. Unde Mercurius : « Sola monas est α et ω sine α et ω, hoc est, quia Deus est principium sine principio, et finis sine fine. Cum enim simplex sit omnino, non habet in se principium contrarietatis, quod est causa corruptionis. Quid autem sit æternitas secundum rem, sciendum quod proprie dicitur diuturnitas sine principio, et sine fine et mutabilitate : et secundum hoc convenit æternitas soli divinæ naturæ, in qua est diuturnitas immensa. Æternitas vero secundum etymologiam dicitur quasi *extra terminos*, quia termino caret, tam initiali, quam finali : sed secundum diffi-

[1] *Joan.*, XV, 5. — [2] *Gen.*, XXVIII, 15. — [3] *Exod.*, VIII, 19. — [4] *Matth.*, XXVIII, 20. — [5] Bern., *Medit.*, c. I. — [6] *Psal.* CXXXVIII, 8. — [7] *Psal.* CI, 27.

Digitized by Google

nitionem Boetii, in libro *de Consolatione* [1] : « Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. »

Ad hujus diffinitionis intelligentiam notandum, quod in quibusdam est determinabilitas simpliciter, quia ex parte ante et ex parte post, ut sunt generabilia et corruptibilia, ad quorum differentiam ponitur *interminabilis*. Et bene ponitur illud per negationem, quia simplicia, et præcipue divina, nullo modo melius manifestantur quam per remotionem, ut ait [2] Dionysius. Et hujus ratio est, quia simplicium esse non potest intellectus perfecte comprehendere, et ideo ex negationibus eorum, quæ ab ipsis removentur, manuducitur intellectus ad ea aliqualiter cognoscenda. Item in quibusdam est interminabilitas essentiæ, sed non vitæ, ut in corporibus cœlestibus : ad quorum differentiam additur *vitæ*. De Deo autem dicit Apostolus [3], quod *solus habet immortalitatem*. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit in ea aliquid non esse, quod prius erat. Unde et homo, quando nascitur, quodam modo incipit mori. In quibusdam autem est interminabilitas vitæ, sed tamen cum miseria et infelicitate, ut in dæmonibus et damnatis : ad quorum differentiam additur *possessio*, in cujus intellectu est jucunditas felicitatis, quia tunc possessio alicujus rei jucunda dicitur, quando ad libitum habetur. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio, sed non tota, ut in hominibus beatis ante judicium, quorum est beatitudo secundum partem animæ, et non corporis : ad quorum differentiam dicitur *tota*, quia totum est quod non est diminutum, vel cujus nihil est extra. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota, ut in angelis beatis ante judicium, quia secundum totam sui substantiam habent felicem et interminabilem vitam, sed non simul, cum aliqua sit in eis successio revelationum et gaudiorum : ad quorum differentiam ponitur *simul*. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota simul, sed tamen non perfecta, eo modo quo dicimus perfectum nullo indigens, sicut est in angelis, et in hominibus beatis post judicium : ad quorum differentiam additur *perfecta*, id est, nullo indigens ad suum beatum esse.

Patet igitur ex prædicta diffinitione, quod tres ponuntur ibi conditiones, quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata, quæ Deus est, scilicet interminabilitas, ibi : *Interminabilis vitæ possessio ;* item invariabilitas, ibi : *tota simul :* nihil enim variabile est in Deo, sed totum simul. Item simplicitas, ibi : *perfecta :* illud enim summe perfectum est, cui non est possibilis aliqua additio. Per primum separatur Deus ab omni corruptibili ; per secundum, ab omni variabili ; per tertium, ab omni composito. Item nota quod illud quod caret principio et fine, dicitur æternum, ut Deus, cujus esse interminatum est. Sed quæ principium habent, et carent fine, dicuntur perpetua, ut angelus et homo. Quæ vero principium et finem habent, dicuntur temporalia, ut sunt corruptibilia, sicut vegetabilia, bruta, sensibilia, et hujusmodi.

CAPUT XIX.

De Incommutabilitate Dei.

Immutabilis est Deus, et impermutabilis, et incommutabilis. Immutabilis, quia non cadit in eo motus accidentalis, scilicet accidentium. Leo Papa : « Simplici naturæ divinitatis nihil addi, vel diminui potest, quia semper est quod est. » Item, nec diminutio ; Malachias [4] : *Ego Deus, et non mutor.* Item nec alteratio ; Jacobus [5] : *Apud quem non est transmutatio*, etc. Item nec secundum locum mutatio, quia ubique præsens ; Hieremias [6] : *Cœlum et terram impleo.* Impermutabilis autem est, quia non cadit in eum motus substantialis, qui est de non esse ad esse generatio, quia initium non habuit, nec ille qui est de esse ad non esse, (*a*) quia finem non habebit : illud enim solum in nihil est vertibile, quod est de nihilo. Incommutabilis est etiam Deus, ex eo quod non cadit in eum motus ex operatione : nam soli Deo convenit in operatione quietum esse. Unde Boetius [7] :

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Unde quando Deus facit aliquam rem, non fit in ipso Deo aliqua mutatio, sed in re circa quam operatur. Quod autem fecit Deus prædicare subversionem Ninive, et prædicere mortem Ezechiæ, quorum neutrum accidit, in talibus non mutavit Deus consilium, quod ab æterno secum habuit, sed sententiam, quæ res-

[1] Boet., *de Consol.*, lib. V, pros. 6, — [2] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII, § 3. — [3] I *Tim.*, VI, 16. — [4] *Mal.*, III, 6. — [5] *Jac.*, I, 17. — [6] *Jerem.*, XXIII, 24. — [7] Boet., *de Consol.*, lib. III, matr. 9. — (*a*) *Cæt. edit. præmitt.* ut.

Digitized by Google

pectum habuit ad ipsa negotia : quia Ninive subvertenda erat secundum merita, et Ezechias moriturus erat secundum causas inferiores : sed hæc non imposuerunt necessitatem divinæ potentiæ.

Item tres distinguuntur motus, scilicet naturalis, voluntarius, et violentus. Naturalis est, quo naturaliter res tendunt ad locum proprium. Motus autem violentus est, quando coguntur res esse extra locum proprium. Sed motus voluntarius est in hominibus, vel in angelis : nam bruta naturaliter moventur, quando currunt, vel moventur, vel operantur : et iste motus est medius inter naturalem et violentum, quia partim est naturalis, scilicet in quantum voluntas conjungitur suo actui, sicut causa suo effectui; et partim est violentus, in quantum scilicet moventur membra contra motum suum naturalem : propter quod etiam lassantur, quæ ex motu naturali nunquam lassarentur.

Igitur primo modo motus non est in Deo, scilicet naturalis : et hoc probatur per quatuor rationes. Prima est, quia omnis motus est ad quietem, et propter indigentiam, sicut dicit Philosophus : sed Deus nullius eget. Secunda est, cum sit ubique, non habet necesse de loco ad locum moveri. Tertia est, quia non est in eo gravitas vel levitas, propter quam sursum et deorsum moveatur. Quarta est, quod cum Deus in seipso semper maneat, non habet necesse locum proprium et sibi naturalem extra se quærere, sicut (*a*) creaturæ. Item secundo modo non movetur, scilicet motu violento, quia non fit ei violentia ; Job [1] : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Item tertio modo non movetur, scilicet motu voluntario, quia in opere non lassatur, ut animalia. Præterea nostra mens est instabilis, quia modo proficimus, modo deficimus, modo reminiscimur, modo obliviscimur, modo volumus, modo nolumus, modo diffusis cogitationibus, atque affectionibus, et consiliis huc atque illuc vagamur : Deus autem semper se habet æqualiter et immobiliter.

Item alius est motus circularis, alius rectus, alius obliquus. Circularis est corporum superiorum, prout firmamentum movetur secundum formam quidem, ut dicit Philosophus, non secundum substantiam. Hoc est dicere, quod non movetur ad locum, sed in loco. Motus autem rectus sursum est, vel deorsum, secundum quod corpora inferiora moventur propter levitatem, vel gravitatem. Motus obliquus compositus est ex recto et circulari : unde quod reflectitur, habet a motu circulari; quod vero linealiter procedit, habet a recto. Nullo autem istorum modorum movetur Deus, quia proprietates istorum motuum non conveniunt ei. Possumus autem dicere, quod isti motus Deo conveniunt mystice, ut dicatur moveri motu circulari, omnia regendo et gubernando; item motu recto, bonos remunerando; item motu obliquo, perversos a peccato mundando. Eodem modo posset dici, quod Deus movetur motu naturali, quo solita scilicet bonitate omnibus creaturis pro captu earum se communicat; item motu violento, quo peccatores juste damnat; item motu voluntario, quo cuncta in esse conservat. Sic potest exponi dictum Philosophi, qui assignavit motum a centro, et ad centrum, et circa centrum; quoniam Deus movetur ad centrum in incarnatione, et a centro in ascensione, et circa centrum in prædicatione. Propter hæc et his similia, dicitur in libro Sapientiæ [2] : *Spiritus sanctus est mobilis, et stabilis :* mobilis, quia facit sanctos mobiles ad bene operandum, et in bono proficere; stabilis autem, quia dat in bono perseverare : vel mobilis in via, stabilis in patria : vel mobilis in activis, stabilis in contemplativis : vel mobilis in aliis sanctis, stabilis in Christo; Isaias [3] : *Requiescet super eum spiritus Domini,* etc. Sciendum quod quædam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem et essentiam, ut scire; quædam secundum causalitatem, et non essentiam, ut comedere et currere; quædam secundum essentiam, et non causalitatem, ut creare et justificare; quædam auctoritate, ut docere et prædicare; quædam nec sic, nec sic, ut peccare, et mentiri, et hujusmodi.

(*a*) *Cæt. edit. præmitt.* aliæ.

CAPUT XX.

De Simplicitate Dei.

Simplex est Deus, et angelus et anima, sed differenter : quia in Deo idem est quod est, et quo est : et hæc est perfecta simplicitas. Bernardus [4] : « Hæc sola increata natura hanc sibi vendicat simplicitatem, ut non aliud et aliud, alibi et alibi, modo et modo inveniatur in ea : nempe quod habet et quod est, semper et uno

[1] *Job*, IX, 19. — [2] *Sap.*, VII, 22, 23. — [3] *Isa.*, XI, 1. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. LXXX, post med.

Digitized by Google

modo est. Sed in angelo et in anima differunt quod est, et quo est : et ideo est ibi quædam alteritas et compositio quantitatis. Unde Mercurius : « In supercœlesti est unitas, in cœlesti alteritas, in subcœlesti pluralitas. » Simplex est itaque Deus in essentia, quia nihil ei accidens esse potest ; imo perfecta simplicitas ibi est, cum non sit ibi possibilis additio ; quia quidquid est in Deo, Deus est. Unde Leo Papa : « Simplici divinitatis naturæ nihil addi, vel minui potest : quia semper est quod est, cui proprium est sempiternum esse, cui idem est vivere et intelligere. » Verumtamen multiplex est in donis : Apostolus [1] : *Alii datur sermo sapientiæ*, etc. Jacobus [2] : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum*, etc. Non enim in Deo est compositio partium integralium, ut in domo ; nec partium potentialium, ut in anima ; nec generis et differentiarum, ut in specie ; nec materiæ et formæ, ut in corporibus ; nec coacervationis unitatum, ut in numero ; nec quod est, et quo est, ut in angelo ; nec substantiæ et accidentis, ut in individuo ; nec corporeæ substantiæ, et incorporeæ, ut in homine. De his Bernardus [3] : « Non partibus constat Deus, ut corpus ; nec affectibus distat, ut anima ; nec formis substat, ut omne quod factum est. » Hoc etiam ostenditur ratione, quia cum omne compositum sit posterius omnibus suis componentibus, nec primo principio quidquam sit prius, oportet Deum, qui est primum principium, non esse compositum. Præterea nullum compositum est totum suum esse : Deus igitur, cum sit suum esse, non erit compositus. Unde Bernardus : « Non est formatus Deus ; forma est : non est effectus Deus ; omnium efficiens causa est : non est compositus Deus ; simplex est. »

CAPUT XXI.

De Excellentia Dei.

Divinæ dignitatis excellentia tanta est, quod mens de Deo cogitans deficit, cum sit incomprehensibilis : sensus eum non percipit, cum sit invisibilis : lingua ipsum non explicat, cum sit ineffabilis : locus eum non capit, cum sit incircumscriptibilis : scriptura eum non explicat, cum sit inæstimabilis : tempus eum non mensurat, cum sit immensurabilis : virtus eum non attingit, cum sit inaccessibilis : desideria et vota transgreditur, cum sit insuperabilis, vel incomparabilis : et breviter omnis creatura ad Deum comparata, defectum habet, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Ecce patet quod divina excellentia nullius eget, quia sibi sufficit. Non enim indiget corpore, ut sit ; nec loco, ut alicubi sit ; nec tempore, ut aliquando sit, nec causa, ut aliunde ; nec forma, ut materia sit : nec subjecto, in quo subsistat, vel cui assistat.

Sunt et alia quæ soli divinæ majestati conveniunt, et nulli alii (*c*) creaturæ, in quibus excellentiæ suæ dignitas apparet : sicut est esse omnipotentem, omnibonum, omniscientem ; quia cognoscit omnia præsentia, præterita, et futura ; et omnia singularia simul actu solus cognoscit ; ea quæ subsunt libero arbitrio, et cogitationes hominum solus cognoscit per seipsum. Item ad ipsum solum pertinet ubique præsentem esse, de nihilo res creare, in instanti operari, in operatione quietum esse, mirabilia facere ex auctoritate, de qualibet creatura facere quod vult, voluntatem hominis cognoscere (*a*), in ictu oculi mortuos suscitare, essentiæ animæ illabi, peccata dimittere, gratiam infundere, in igne perpetuo corpus servare.

Quando aliquid creaturæ convenit quod competit Creatori, tamen excellentius de Deo dicitur, ut si in creatura est potentia, in Deo sit summa potentia ; si sapientia, in Deo sit summa sapientia, et sic de aliis. Unde et hujusmodi dicuntur de Deo in superlativo : propter quod Deus dicitur potentissimus, sapientissimus, justissimus, optimus, pulcherrimus, et sic de aliis. Augustinus, in libro de Trinitate [4] : « Oportet ut Deum (*b*) et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, nec mori, nec corrumpi, nec mutari posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur. » Potest etiam præter auctoritatem ratiocinari : quia bona sunt excellentius in Deo, quam in creatura, quia semper est aliquid nobilius in causa, quam in causato : videmus etiam quod aqua purior est in fonte, quam in rivo. Radii quoque solis lucidiores sunt in ipso sole, quam in aere, et dulcedo major est in melle, quam in mellito.

[1] *I Cor.*, XII, 8. — [2] *Jac.*, I, 17. — [3] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. VII. — [4] Aug., *de Trin.*, lib. XV, c. IV, n. 6.

(*a*) *Al.* cogere. — (*b*) *Cæt. edit.* Oportet Deum ut est. — (*c*) *Suppl.*, id est.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De Notionibus Dei.

Notiones Dei sunt quinque, scilicet paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, et communis spiratio. Prima est Patris, secunda Filii, tertia Spiritus sancti, quarta Patris, quinta Patris et Filii. Tres primæ notiones dicuntur personales, eo quod personas faciunt, et eas proprie distinguunt : et illæ solæ sunt tres unitates trium personarum, quibus personæ dicuntur tres : unde licet Pater plures habeat proprietates, tamen Pater paternitate tantum unus est, indivisus est in se, et divisus ab aliis. Innascibilitas autem est in Patre, et sumitur privative, eo quod Pater sit a nullo : et tamen Patrem notificat, sicut ovis non signata per hoc ipsum distinguitur a signatis. Similiter communis spiratio est una notio, et illa unitas est idem in Patre et Filio, et est distincta ab omni alia notione. Notandum igitur quod, proprie loquendo, tres sunt proprietates personales, scilicet, paternitas, filiatio, et processio : quia personalis proprietas est quæ uni soli personæ convenit, et eam ab omni alia re distinguit.

Relationes vero sunt quatuor, quia una est Patris ad Filium, scilicet, paternitas; alia Filii ad Patrem, scilicet, filiatio; tertia est Patris et Filii ad Spiritum sanctum, scilicet communis spiratio; quarta Spiritus sancti ad Patrem et Filium, scilicet processio.

Notiones autem sunt quinque, quia quælibet relatio est notio, et præterea innascibilitas, quæ Patri convenit per privationem relationis ad aliquod principium, non est relatio. Notiones habent multa nomina : dicuntur enim *notiones*, quia notificant personas; dicuntur etiam *distinctiones*, quia personas distinguunt; dicuntur *relationes*, quia personæ per eas ad se invicem referuntur; dicuntur quoque *proprietates*, quia proprie personis insunt.

Nota regulas notionum. Nulla notio de alia prædicatur. Item : Quælibet notio est essentia divina, quæ Deus est. Item : Omnes notiones sunt una essentia. Item : Nulla notio inest divinæ essentiæ distinguens eam, quia ipsa non distinguit, nec distinguitur. Item : Notiones sumptæ abstractive prædicantur de essentia, sed sumptæ concretive, non : unde bene dicitur : Essentia est paternitas; sed non dicitur essentia generans. Item : Notio semper importat dignitatem. Item : Supposita notione, non ponitur persona, quia aliquid convenit notioni, quod non convenit personæ. Notioni enim convenit proprie distinguere; sed personæ distingui.

CAPUT XXIII.

De Nominibus Divinis.

Omne nomen quod de Deo dicitur, aut essentiale, aut personale, aut notionale est. Essentialium quædam sunt substantiva, ut *Deus Creator*, et similia; quædam vero adjectiva, ut *bonus*, *æternus*, *immensus*, et hujusmodi. Personalia, ut *Pater*, *Filius*, et *Spiritus sanctus*. Notionalia sunt, ut *Paternitas*, *filiatio*, *innascibilitas*, et hujusmodi. De his notandum, quod nomen substantiale, vel essentiale, substantivum et abstractum, nullo modo potest trahi ad supponendum pro persona : unde falsæ sunt hæ : « Essentia genuit essentiam, » vel « Divinitas divinitatem : » actus enim generationis semper ponendus est in concreto. Sed concreta, licet sint essentialia, trahi tamen possunt ad supponendum pro persona, et hæc per verba notionalia, vel per propositiones notionales. Unde veræ sunt hæ : « Deus genuit Deum, Creator Creatorem, » vel : « Deus de Deo. » Similiter de nominibus quæ media sunt, ut « lumen de lumine. » Item hoc nomen *sapientia*, licet sit abstractum, ut « sapientia de sapientia, » tamen potest ex usu sumi ut non abstractum. Essentialium autem adjectivorum quædam prædicant pure divinam substantiam, ut *bonus*, et *ens*; quædam essentiam divinam, connotando privationem principii et finis, ut *æternus*; vel certæ mensuræ localis, ut *immensus*; quædam principaliter significant essentiam divinam, et connotant effectum in creatura actu, ut *creat*, *justificat*; vel in habitu, ut *justus*, et *misericors*, vel in potentia, ut *omnipotens*. Sunt quædam verba, quorum nec significatio, nec modus significandi, Deo convenit, ut *currere* et *ambulare* : nam modus est varia inclinatio animi varios ejus effectus demonstrans. Modus significandi nihil aliud est, quam dispositio vocis, quæ constituit intellectum sub tali modo intelligendi, et per consequens ipsam rem. Cum ergo dicitur de Deo *ambulare*, vel *currere*, et hujusmodi, significatio horum, prout sunt actu, Deo non convenit. Modus autem significandi quamdam importat imperfec-

Digitized by Google

tionem, dico quoad motum, qui quidem motus necessitatis convenire non potest. Quædam sunt quorum significatio Deo convenit, sed non modus significandi, ut *creare, facere*. Quædam sunt quorum significatio, et modus significandi Deo convenit; ut patet in hoc verbo Exodi[1]: *Qui est, misit me ad vos.*

Et notandum, quod omnia quæ sunt perfectionis, de Deo vere dicuntur; quæ autem sunt imperfectionis, non dicuntur : vel (*a*), cum dicuntur, aut secundum assumptionem humanæ naturæ, aut translative dicuntur.

Item in divinis tantum sunt duo modi prædicandi, scilicet per modum substantiæ, et per modum relationis : sed substantia continet unitatem, et relatio multiplicat Trinitatem.

Quædam sunt nomina quæ de Deo dicuntur æternaliter, ut *Dominus* et *Misericors*, quæ connotant effectum in creatura secundum habitum; quædam vero temporaliter, ut *Dominator* et *Miserator*, quæ connotant effectum in creatura secundum actum; quædam pluraliter, ut *personæ*; quædam singulariter, ut *Deus*; quædam proprie, ut proprietates personarum; quædam appropriate, ut potentia, sapientia; quædam positive, ut *justus*; quædam privative, ut *immortalis* : et hæc magis proprie dicuntur de Deo, quam positiva, quia melius dicitur de Deo, quid non sit, quam quid sit. Quædam translative, sicut *leo*; quædam (*b*) symbolice de Deo dicuntur, ut *agnus, leo*. Duplex est enim theologia, symbolica videlicet, et mystica. Symbolica nominat Deum ab inferiori; mystica, a superiori. Symbolica nominat Deum per convenientiam rerum, cum dicitur *leo, agnus*, et hujusmodi; mystica vero, id est occulta, nominat Deum per hoc, quod in occulto de ipso sentit per intellectualem visionem, sive contemplationem, ut quando nominat Deum suavem, dulcem, dilectum, et hujusmodi. Utrobique tamen per creaturas nominatur; sed in symbolica per exteriores, in mystica per interiores et digniores affectus, quos anima supra se recipit : et ita imponit per donum sapientiæ, cujus proprium experimentum est cognoscere qualis sit Deus. Quædam dicuntur collective, ut *Trinitas, trinus*; quædam relative, ut æqualis, similis; quædam respective ad creaturas, ut *Creator, refugium*. Et hæc nomina non dicunt relationem Dei ad aliud, sed aliorum ad Deum.

(*a*) *Cæt. edit. non habent* vel. — (*b*) *Cæt. edit.* quæ. — (*c*) *Item* sine.

Duo sunt principalia nomina Dei, scilicet *Qui est*, et *Bonum*. Per primum significatur Dei esse absolutum in se, et sic consideratur ut infinitum, quia *Qui est* dicit substantiam infinitam, cum sit nomen infinitum. Per secundum notatur esse divinum, ut causa : fecit enim Deus omnia propter bonitatem suam. In theologia supponitur quid, et hoc per nomina essentialia, ut *Deus, divinitas, potentia, essentia, natura*. Item supponitur quis, ut cum supponitur persona. Item supponitur quæ, ut cum supponitur ratio. Præterea per neutrum genus dicitur substantia divina; per masculinum persona; per femininum, notio : et per hoc patet, quod non debet cantari in hymno : *Unus Patri cum Filio*, quia Pater et Filius non sunt unus in persona, sed unum in substantia : unde magis cantandum est : *Unum Patri cum Filio*.

CAPUT XXIV.

Deus est ineffabilis.

Nihil digne vel proprie de Deo dicitur, propter ejus excellentiam. Non enim per nomina propria de Deo loquimur, quia nomina significant substantiam cum qualitate, et ita intelligitur ibi compositio formæ cum materia, quæ in Deo non est; nec per pronomina, quia de Deo dicta cadunt a demonstratione : non enim potest esse ibi demonstratio ad sensum, cum sit incorporeus; nec demonstratio ad intellectum, cum sit incognoscibilis. Si ergo dicis, quod hujusmodi pronomina secundum Priscianum, si cadunt a demonstratione, cassa essent et vana, dicendum est quod ibi est demonstratio ad fidem. Nec per verba quæ cum modis et formis, cum tempore, sive (*c*) casu agendi, vel patiendi, significantia sunt : sed talia non cadunt in Deum. Neque per participia, quæ sequuntur naturam nominis et verbi. Nec per alias partes orationis, quæ non sunt subjicibiles, vel prædicabiles. Ex his patet, quod Deum non possumus notificare per diffinitionem, sed qualitercumque per circumlocutionem. Unde Bernardus[2] : « Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Quid est Deus? Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beati-

[1] *Exod.*, III, 13. — [2] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. VI et VII.

Digitized by Google

tudo, invisibilis, inaccessibilis in se, in suis spectabilis, et solus mirabilis. »

Multis modis asseritur aliquid de Deo : primo, per naturalem rationem, quæ dictat, quod unus Deus est remunerator bonorum, et punitor malorum; secundo, per fidem, qua dicimus Deum unum esse in substantia, et trinum in personis; tertio, per sacram Scripturum; quarto, per rationes probabiles; quinto, per exteriores prædicationes. Sed in his duobus ultimis modis non est innitendum, nisi firmitatem habeant (*a*) ab aliquo prædictorum trium. Est enim regula, quod quicumque asserit aliquid de Deo, quod non est sibi certum per naturalem rationem vel per fidem, vel per sacram Scripturam, præsumit et peccat.

CAPUT XXV.

De Ideis et Libro vitæ.

Ideæ rerum, et exemplar, et rationes sic in Deo sunt, quod idea importat causam efficientem conformem effectui; sed exemplar, causam formalem; ratio vero, causam finalem. Deus enim omnium rerum est principium, a quo sunt; forma et exemplar, ad cujus imitationem sunt; et finis ad quem sunt. Hæc tria sic a se differunt, quod exemplar unum est, quia exemplar connotat causalitatem; causata vero in causa sunt unum; sed rationes et ideæ sunt plures, quia istæ (*b*) respectu rerum dicuntur. Sunt itaque plures ideæ, quæ connotant cognitionem : cognoscibilia enim (*c*) distinguuntur in cognoscente. Similiter et rationes in Deo plures sunt, quia singula causata sunt suis rationibus. Absurdum enim est dicere, ut ait Augustinus [1], equum creatum esse ea ratione, qua hominem.

Sciendum autem est, quod duplex est pluralitas : una quidem est rerum, et secundum hoc non sunt plures ideæ, sive exemplaria in Deo; imo una res est, quæ omnium est exemplar, scilicet essentia divina, quam omnia imitantur, in quantum bona sunt; alia vero est secundum intelligentiæ rationem, et secundum hoc plures ideæ sunt in Deo, quia omnes res, in quantum sunt, divinam imitantur essentiam, prout est imitabilis, non tantum uno modo, sed diversimode, et secundum diversos gradus. Sic igitur divina essentia, secundum quod est imitabilis hoc modo ab hac creatura, est propria ratio hujus creaturæ; et similiter de aliis. Unde secundum hoc plures ideæ in Deo sunt, quia intelligitur divina essentia secundum diversos respectus, quos res habent ad ipsam, eam imitantes diversimode : hujusmodi autem non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab increato ipsius Dei. Sic enim Deus et ab æterno scivit, quod diversæ creaturæ diversimode ipsius essentiam essent imitaturæ; et secundum hoc ab æterno fuerunt in mente divina plures ideæ, secundum quod intelliguntur sicut rationes propriæ rerum intellectæ in Deo : hoc enim importat nomen ideæ, ut sit scilicet quædam forma intellecta ab agente, ad cujus exemplum exterius opus producere intendit. Dicendum est ergo, quod licet rationes in Deo et ideæ sint una veritas, una lux, et una essentia, dicuntur tamen plures rationes et ideæ, propter pluralitatem ideatorum : cujus exemplum habemus in naturis. Videmus enim quod omnes lineæ circuli uniuntur in centro; remotæ autem a centro differunt ab invicem. Item ideæ sunt, ut dicit Augustinus [2], « formæ principales rerum, quæ divina intelligentia continentur. » Dicendum est igitur, quod sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideæ rerum ante mundi constitutionem in mente Creatoris erant : non enim aliquid extra se aspiciebat, secundum quod mundum faceret. Ex hoc patet quod omnis creatura prius in Deo existit, quam in seipsa : unde cum ab ipso per creationem processit, ab ipso quodammodo distare cœpit : unde rationalis creatura ad ipsum redire debet, cui primo conjuncta fuit, antequam esset, et hoc per ideas, quæ non aliud, quam ipse Deus sunt, et erunt. Sic autem [3] *ad locum unde exeunt, flumina revertuntur.*

Res, prout sunt in Deo, dicuntur *vita*, quæ importat rationem boni [4] : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Dicuntur etiam *lux*, quæ importat rationem veri; Augustinus, *super Genesi* : « Creaturæ in Deo sunt lux. » Hæc ideo dicuntur, quia in Deo non sunt mala, neque falsa.

Differentia est inter *exemplar*, et *librum vitæ*, et *speculum*. Exemplar enim dicitur respectu rerum, ut redeuntium tanquam ad causam primam, quia connotat creaturam, ut supra dictum est. Speculum dicitur respectu rerum euntium. De libro vitæ dicit Hugo de Sancto Victore, quod

(*a*) *Cæt. edit.* habeat. — (*b*) Ista. — (*c*) autem.

[1] Aug., *de div. Quæst. LXXXIII*, q. XLVI, n. 2. — [2] Id., ibid. — [3] *Eccle.*, I, 7. — [4] *Joan.*, I, 4.

Digitized by Google

liber vitæ est cujus origo æterna, incorruptibilis essentia, cognitio vera, scriptura indelebilis, inspectio desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas imperscrutabilis, verba innumerabilia, tamen unum Verbum omnia. Idea vero, moraliter loquendo, multipliciter est in Deo, scilicet sicut ramus in arbore, apis in flore, navis in littore, sessus in thalamo, thesaurus in agro, scriptura in libro, avicula in nido, piscis in rivo : quælibet res in sibi proprio, stella in firmamento, imago in speculo, cera in sigillo, gemma in auro, mel in favo.

CAPUT XXVI.

De Appropriatis divinis Personis.

Quamvis omnia essentialia omnibus personis æqualiter conveniant, appropriatur tamen Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas : et hoc propter exclusionem carnalis intellectus, ne videlicet Pater ratione antiquitatis credatur impotens, Filius ratione juventutis credatur insipiens, Spiritus sanctus ratione impetuositatis credatur crudelis. Hæc ratio pertinet ad simplices; alia pertinet ad sapientes, scilicet, quod potentia naturaliter præcedit sapientiam, et utraque bonam voluntatem. De attributis itaque est loqui dupliciter : aut secundum rem, et sic omnino idem sunt, nec appropriantur; aut secundum rationem, et sic eorum quædam appropriantur, quædam non : nam appropriatio nihil aliud est quam specialis attributio ratione alicujus conformitatis cum proprio illius personæ : sicut potentia habet similitudinem cum Patre, qui est principium universale; et sapientia, cum Verbo; et bonitas, cum amore. Prædictam appropriationem habet consuetudo Scripturarum, quæ opera manifestativa potentiæ attribuit Patri, sapientiæ Filio, bonitatis Spiritui sancto. Alia est appropriatio Hilarii [1] : æternitas in Patre, qui non habet principium incœptionis in se, nec principium essendi ab alio; species in imagine, id est, in Verbo, quia summe pulchrum; usus in munere, hoc est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum est. Istud per alia verba sic insinuat Augustinus [2] : « In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. » Convenit autem Patri unitas, quia, sicut unitas a nullo descendit, et omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus Pater a nullo est, et aliæ personæ ab ipso sunt. Præterea, sicut unitas de se gignit unitatem, ita de se Pater gignit alterum se, id est, Filium. In Filio vero dicitur esse æqualitas, quæ æquatu Patri non solum in potentia, et sapientia, et bonitate; sed etiam in hoc, quia sicut Pater da suam bonitatem alteri personæ, sic et Filius. In Spiritu sancto autem unitatis æqualitatisque concordia, seu connexio, quia est amor amborum, id est, Patris et Filii. Item quarta appropriatio est, quod in Patre est ratio principiandi et originandi, quia summe primum; in Filio vero ratio exemplandi, quia summe pulchrum; sed in Spiritu sancto ratio faciendi, quia summe bonum.

[1] Hilar., *de Trin.*, lib. II, n. 1, in fine. Vid. tom. I, pag. 503, huj. edit. — [2] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. v. — [3] Aug., *ad Volus.*, epist. III, al. CXXXVII, c. II, n. 8. — [4] Id., *Enchirid.*, c. XXXII, n. 9.

CAPUT XXVII.

De Potentia Dei.

Potentia Dei duplex est, scilicet absoluta, et ordinata. Multa vero potest primo modo, quæ non potest secundo modo, quia multa subsunt suæ potentiæ, quæ non congruunt sibi ut nunc facere, posset tamen facere ea congruentia, et sic posset ea facere. Deus omnia potest omnibus modis, quia potest perducere de non esse in esse, et hoc per creationem; item potest ex incompleto completum facere, et hoc per propagationem; item potest mutare unum completum in aliud completum, sicut patet in transsubstantiatione panis in corpus Christi. De talibus dicit Augustinus [3] : « Demus Deo aliquid posse, et nos intelligere non posse. » Potentia Dei apparet in mundi initio, medio, ac fine : in principio quidem, quia res creavit de nihilo; in medio autem, quia res, ne in nihilum vertantur, sua potentia continet; in fine vero, quia mortuos mira celeritate suscitabit. Apparet quoque potentia Dei in rebus spiritualibus, quia cum diabolus potestatem habeat in nobis immutandi sensum et phantasiam, angelus autem habeat potestatem super hoc et super intellectum, solus Deus non solum habet potestatem super tria prædicta, sed etiam potest mutare voluntatem. Augustinus dicit [4], quia Deus nos prævenit, ut velimus, et subsequitur, ne frustra velimus. Licet Deus sit omnipotens, tamen non attribuuntur ei actus culpabiles, mentiri, et male velle;

Digitized by Google

nec pœnales, ut metuere, et dolere; nec corporales, ut comedere, et dormire, nisi forte transumptive; nec actus inconvenientes, qui possunt esse tripliciter : primo, si aliquis actus contradicit divinæ potentiæ, ut est facere majorem se; secundo, si contradicit ejus veritati, ut est facere aliquid simul esse et non esse, vel quod præteritum sit futurum; tertio, si contradicit ejus bonitati, ut damnare Petrum et salvare Judam. De his Anselmus : « Quodlibet inconveniens, etiam minimum, impossibile est apud Deum. » Horum autem hæc est ratio : quia potentia Dei cum sit perfectissima, nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec eget aliquo : unde non potest deficere peccando, nec succumbere patiendo, nec egere subsidio in temporalibus quærendo, ac per hoc nec culpabilia, nec pœnalia, nec materialia potest.

Dicendum quoque quod Deus potest omnia per se, vel per creaturam. Illa dico omnia posse, quæ sunt potentiæ : hoc autem ideo dicitur, quia posse peccare non est potentiæ, sed infirmitatis : Deo autem competit perfectum posse, et perfectum dominium, de quo Dionysius [1] : « Dominatio est non pejorum excessus tantum, sed omnium pulchrorum et bonorum omnimoda et perfecta possessio firma, et non valens cadere fortitudo. » Notandum ergo quod quædam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem, et secundum essentiam, ut scire; quædam secundum causalitatem, et non secundum essentiam, ut comedere, currere; quædam secundum essentiam, et non secundum causalitatem, ut justificare, creare; quædam nec sic, nec sic, ut peccare.

CAPUT XXVIII.

De Virtute miraculorum.

Quoniam per divinam potentiam fiunt miracula, ideo de miraculis est agendum. Augustinus autem [2] illud vocat miraculum, quidquid arduum, aut insolitum, supra spem, vel facultatem admirantis apparet. Ad hoc quod aliquid sit miraculum, quatuor requiruntur, vel concurrunt : primum est, quod sit a Deo; secundum, quod sit præter naturam; tertium, quod sit evidens; quartum, quod sit ad fidei corroborationem. Unde si aliquid istorum quatuor defuerit, mirum dici potest, non miraculum.

Nota quod quædam sunt supra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Supra naturam sunt illa, quibus non est simile in natura, nec in potentia naturæ, sicut est virginem parere. Contra naturam sunt, quæ fiunt usu contrario naturæ, tamen terminantur ad conformitatem naturæ, sicut cæci illuminatio. Sed præter naturam sunt, quæ fiunt ordine simili naturæ, non tamen per principium naturæ, ut in mutatione virgarum in serpentes : quia illud potuisset fieri ordine naturæ per longam putrefactionem, ut patet per ea, quæ fiunt secundum rationes seminales : verumtamen quia non fuit ibi operatio naturæ, miraculum fuit.

Res quandoque producitur ab agente simili successive, hoc attribuitur naturæ, et dicitur naturale; quandoque producitur ab agente dissimili repente, et hoc attribuitur angelis, et dicitur mirabile; quandoque producitur res ab agente dissimili in instanti, et hoc attribuitur Deo, et dicitur miraculum. Sciendum, quod quandoque potentia aliqua, et ejus actus, est naturalis, sicut visus et videre; quandoque potentia est miraculosa, et actus ejus naturalis, ut quando cæcus illuminatus videt; quandoque utrumque est miraculosum, ut partus Virginis. Nota quod miracula vel mira fiunt quandoque in ente, ut statio solis, et ejus retrocessio; quandoque fiunt in vegetabili, sicut quando virga Aaron floruit; quandoque in sensibili, sicut fuit in locutione asinæ Balaam; quandoque in rationali (*a*), sicut fuit in ambulatione claudorum, suscitatione mortuorum, in partu Virginis.

Ut autem sciamus quando aliquod miraculum sit (*b*), nota differentiam inter rationes causales, seminales, et naturales : quia ratio causalis est potentia passiva creaturæ, absque omni dispositione naturæ, ut solummodo Deus ex ea faciat quod vult, sicut fuit in partu Virginis : et in talibus simpliciter est miraculum. Ratio autem seminalis est potentia passiva creaturæ, sed cum dispositione remota, sicut fuit in virgis, de quibus facti sunt serpentes : et hoc factum fuit in instanti : natura autem fecisset idem, sed non nisi paulatim per longam putrefactionem. Unde patet, quod ea quæ fiunt secundum rationes seminales, partim sunt naturalia, partim miraculosa. Ratio naturalis est

[1] Dion., *de Div. Nom.*, c. XII, § 2. — [2] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXVI, c. III.

(*a*) *Cæt. edit.* ratione. — (*b*) fit.

Digitized by Google

potentia cum dispositione propinqua, sicut patet in materia, quando est in ultima sui dispositione, ut formam recipiat : et secundum hunc modum est ratio naturalis in grano seminato ad productionem segetis : et hoc non est miraculum.

CAPUT XXIX.

De Scientia Dei.

Scit Deus omnia præsentialiter, et simul, perfecte quoque, et immutabiliter. Præsentialiter dico, hoc est, ita limpide, ac si cuncta essent præsentialiter existentia. Simul etiam scit omnia, quia videndo se, qui sibi præsens est, omnia videt. Perfecte quoque, quia cognitio ejus nec potest augeri, nec minui. Scit et immutabiliter, quia noscit omnia per naturam sui intellectus, qui est immutabilis. Dicendum ergo quod Deus cognoscit temporalia æternaliter, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præsentialiter, dependentia independenter, creata increate; alia vero a se, in se, et per se. Nota differentiam inter scientiam Dei, Christi, angeli, et hominis : quia Deus scit omnia simul : videt enim multa in uno, id est, in seipso : unde in visione Dei non differt id quod videt, et per quod videt, quia videt se per se, et in se videt omnia. Christus autem, secundum quod homo, scit omnia, quæ scit Deus scientia visionis; licet non ita limpide sicut Deus. Angelus vero deiformem habet intellectum, id est, illa quæ scit illa scientia, quæ est in Verbo, scit simul actu, sicut Deus; licet nesciat omnia quæ scit Deus. Sed homo unum solum scit actu, quia licet videat multa, illa tamen non videt uno actu videndi, sed multis, id est, per multas rerum similitudines.

Sapientia Dei, licet in seipsa non diversificetur, diversa tamen sortitur nomina : in quantum enim sapientia Dei cognoscitiva est possibilium, dicitur scientia, sive cognitio; item in quantum est cognoscitiva omnium quæ fiunt in mundo, dicitur esse visio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ bene fiunt, dicitur approbatio; in quantum est cognoscitiva futurorum, dicitur prævisio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ ab ipso Deo facienda sunt, dicitur dispositio; in quantum est cognoscitiva præmiandorum, dicitur prædestinatio; in quantum est cognoscitiva damnandorum, dicitur reprobatio.

Cognitio divina cum sit perfectissima, omnia cognoscit distinctissime sub omnibus conditionibus, quas res habent; et propter hoc futura scit futura, præsentia præsentia, et bona approbanda, malaque reprobanda. Si autem scire volueris qualiter Deus cognoscit mala, notandum quod contingit aliquid cognosci dupliciter : aut per speciem propriam; aut per speciem alienam. Primo modo cognoscitur habitus; secundo modo, privatio. Item primo modo cognoscitur lux; secundo modo, tenebræ. Eodem modo dicendum est, quod primo modo cognoscitur bonum ; secundo modo, malum, scilicet per speciem oppositi habitus. Nihil enim est malum, nisi boni privatio. Unde dicendum est, quod Deus cognoscit bonum per unicum medium, scilicet per propriam essentiam; mala autem, per duplex medium : nam per essentiam suam cognoscit habitum oppositum malitiæ, et illo habitu mediante, ut est in ipso Deo cognoscente, cognoscit defectum ejus : et ideo dicitur mala a longe cognoscere.

CAPUT XXX.

De Prædestinatione.

Prædestinationis diffinitiones assignantur ab Augustino quatuor. Prima est : Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei. Secunda est : Prædestinatio est alicujus ad gloriam præordinatio. Tertia est : Prædestinatio est propositum miserendi. Quarta est : Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. In prima diffinitione notatur divina cognitio; in secunda, electio; in tertia, voluntas; in quarta, directio in finem. Prædestinationis causa efficiens Deus est quantum ad effectus notatos in nomine prædestinationis. Materialis autem causa est ille qui prædestinatur; sed formalis est modus, vel ordo prædestinationis, quia primo datur gratia, et post hoc gloria. Causa finalis est duplex, scilicet [1], *ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei.* Nota differentiam inter hæc, quæ ponit Apostolus, scilicet vocationem, justificationem, prædestinationem, et magnificationem. Vocatio enim retrahit a malo; justificatio respicit initiale donum gratiæ; prædestinatio respicit gratiæ bonum finale; magnificatio vero est bonum gloriæ futuræ. Vel

[1] *Ephes.*, I, 4.

Digitized by Google

dicas, quod prædestinatio gratiam præparat; vocatio gratiam offert; justificatio illam confert; sed magnificatio illam per gloriam multiplicat. Sciendum quod prædestinatio non infert rebus necessitatem : sicut, verbi gratia, Deus scit si iste sit comesturus hodie, vel non; nihilominus iste habet potestatem comedendi, et manum ad os porrigendi : quia si prædestinatio rebus necessitatem imponeret, multa sequerentur inconvenientia. Nam frustra proponerentur bonis præmia, et malis supplicia. Item injuste remunerarentur boni, et punirentur mali. Item malorum nostrorum Deus auctor esset. Item nec sperandi aliquid, nec supplicandi ulla esset ratio. Item evacuaretur libertas arbitrii, quæ se habet ad utrumque. Item nec bona facientes essent laudabiles, nec mala facientes vituperabiles. Sciendum tamen quod hoc est dupliciter : « Si Deus prævidet hoc, hoc necessario eveniet : » quia conjunctim est vera, divisim falsa : et est ibi necessitas consequentiæ, non consequentis, quia licet ibi sit habitudo, sive illatio unius categoricæ ad aliam, non tamen necesse est, quod ipsius termini sint actu. Verbi gratia : « Si homo est, animal est : » necessitas est consequentiæ, non consequentis : nam homo potest non esse, consequentia tamen necessaria manet. Et de hoc habemus exemplum Boetii in libro *de Consequentiis* : « Si aliquis videt aliquem facientem rotam, necesse est quod iste faciat rotam; nec tamen visus ejus est causa illius factionis : sic Deus videt mala illius opera, nec tamen est causa quare male operetur; verumtamen fiet, si prævisum est. » Item Boetii exemplum. Si aliquis haberet oculum tantæ perspicacitatis, ut videret futura, non ideo ligaret res ad eventum. Item artifex in materia nodosa bene videt defectum effectus, nec tamen est causa defectus. Item duæ sunt paginæ libri vitæ : una est præsentis justitiæ, a qua potest quis deleri; alia est dispositionis æternæ, de qua nullus delebitur. Differentia est inter prædestinationem et præscientiam : quia prædestinatio est præcognitio bonorum, cum causalitate eorumdem; sed præscientia dicit præcognitionem malorum sine causalitate, quæ potius residet penes liberum arbitrium. Cum dicitur a sanctis, quod prædestinatio orationibus adjuvatur, non est sic intelligendum, quod temporale causet æternum, sed hoc quantum ad effectum prædestinationis juvat oratio, scilicet, quantum ad gratiam et gloriam, quia secundum illa bene cooperatur liberum arbitrium prædestinationi. Unde sicut Deus aliquem salvandum prævidet, sic et modum quo salvari debeat. Propter quod stultus est, qui dicit : « Volo facere quod placuerit, quia si salvari debeo, salvabor; vel si damnari, damnabor. » Sicut stultus esset infirmus, qui diceret : « Volo comedere et bibere quod placuerit, quia si curari debeo, curabor; vel si mori debeo, moriar : » sic enim inutiles essent et medici et medicinæ. Sane si Deus permittit liberum arbitrium, quod se habeat ad utrumlibet, in malum cadere hoc non permittit, nisi juste. Rursus, si per gratiam non præveniat, nulli facit injuriam. Cum ergo Deus malos damnat et reprobat, operatur secundum justitiam; quando vero prædestinat, agit secundum gratiam et misericordiam, quæ non excludit justitiam. Voluntate autem prima *vult* Deus [1] *omnem hominem salvum fieri*, in quantum homo est. Voluntate autem secunda non vult justum hominem reprobum, in quantum ipse est talis. Voluntas igitur antecedens respicit ordinem naturæ in finem, prout a Deo condita est. Voluntas vero consequens respicit ordinem personæ, prout est libero arbitrio suo vel alieno in fine disposita. Hæc de realitate dicta sunt : sed logice loquendo, cum salvatio hominis sit contingens, de necessitate determinari non potest : quod enim potest esse et non esse, contingens est, non necessarium, sicut Philosophus dicit in libro secundo *Peri herminias* [2]. Si vero quæritur, quare Deus hunc prædestinavit, sive elegit, et non illum; hoc inexplicabile est in hac vita mortali. Propter hoc enim exclamat Apostolus ad Romanos [3] : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Si enim dicimus, quod reprobi repellunt gratiam, hoc verum est; sed si essent prædestinati, non repellerent finaliter : unde Augustinus, libro *de Prædestinatione Sanctorum* : « Gratia, inquit, quæ occulte humanis cordibus attribuitur, a nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur, ut duritia cordium auferatur. »

CAPUT XXXI.

De Præscientia, et Reprobatione.

Reprobatio est, ut ait Augustinus, præscientia iniquitatis quorumdam, et præparatio damna-

[1] I *Tim.*, II, 4. — [2] Leg. Περὶ ἑρμηνείας. — [3] *Rom.*, XI, 33.

Digitized by Google

tionis eorumdem. Unde nota quod in reprobatione tria sunt : unum est prævisio iniquitatis ab æterno ; alterum obduratio, id est, subtractio gratiæ in præsenti; tertium est præparatio pœnæ æternæ in futuro. Si ergo quæritur, utrum reprobatio habeat causam ex parte hominis, quantum ad primum meritum hominis non est causa; quoad secundum, causa est meritoria et effectiva; quoad tertium, causa est meritoria, sed non effectiva. E contra in prædestinatione sunt tria contraria ; sed in hoc est differentia, quia prædestinatio præparat gloriam secundum beneplacitum, sed reprobatio præparat pœnam secundum exigentiam meritorum. De obduratione sciendum est, quod translative dicitur, secundum similitudinem obdurationis in corporibus. Duritiam autem corporum sequitur triplex proprietas : primum est inhabilitas ad suscipiendum impressionem; secundum est stabilitas ad permanendum in se; tertium est fortitudo ad resistendum. His modis dicitur cor obdurari tripliciter : uno modo, per inhabilitatem ad suscipiendam gratiam; secundo, per firmam adhæsionem ad peccatum; tertio modo, per rebellionem divinarum inspirationum et mandatorum Dei. Unde quærendum est, utrum præsciti a Deo possint demereri, et e contrario. Ad quod dicendum, quod scientia Dei comparatur ad res creatas, sicut ars ad artificiata : unde sicut ars non solum est cognoscitiva, sed etiam factiva eorum quæ secundum artem fiunt; eorum vero quibus ab artis regulis deviatur, est cognoscitiva tantum : ita et scientia Dei est cognoscitiva et factiva omnium bonorum, malorum autem non ; sive peccatorum, quæ sunt deviationes quædam ab æterna lege ipsius, scientia Dei est cognoscitiva tantum, non autem causativa. Et sic patet quod boni, qui per gratiam justificantur, non solum sunt ab æterno cogniti a Deo, sed etiam ad gratiam habendam electi; peccatores autem neque justificantur per gratiam, nec sunt electi, vel præordinati a Deo ad culpam, sed solum præsciti, quod non sunt gratiam habituri, sed suæ naturæ relinquendi. Quia non omne agens potest id, quod est supra se, natura sibi relicta non potest in actum meritorium, qui est supra facultatem naturæ; potest autem in actum peccati, qui est demeritorius, sicut et in aliquid infra naturam humanam existens : homo enim peccando descendit a dignitate suæ naturæ : et sic patet, quod præsciti possunt demereri facilius, quam mereri.

CAPUT XXXII.

De Voluntate Dei.

Voluntas Dei duplex est, scilicet 1. beneplaciti : et hæc est duplex : antecedens, quæ sæpe non expletur; et consequens, hæc nunquam remanet inexpleta. 2. Alia est voluntas signi, et hæc quandoque remanet inexpleta. Hujusmodi ratio est, quia voluntas Dei potest sumi dupliciter : vel proprie, sic accipitur voluntas beneplaciti; vel metaphorice, et sic accipitur voluntas signi. Primo modo dicitur Deus aliquid velle, et hoc velle ipse Deus est. Secundo modo metaphorice est ad modum volentis se habere, et hoc velle non est Deus. Hæc igitur divisio non rei, sed vocis est, sicut ira potest dici vel proprie motus iræ, vel metaphorice signum iræ. Voluntas beneplaciti Dei consequens est recta, et efficax, et irreprehensibilis : unde quia est recta, nullus est rectus, nisi conformetur ei; item quia est efficax, nihil sine illa potest effici, nihil contra illam potest fieri, per nullum potest impediri ; item quia irreprehensibilis est, nihil præcipit, aut permittit, nisi juste ; nil agit, aut consulit, nisi bene. Signa beneplaciti sunt quinque, scilicet præceptio, prohibitio, consilium, permissio, et operatio : quorum numerus sic accipitur. Voluntas divina, proprie loquendo, aut præsentium, aut futurorum est : si respectu præsentium, aut id est bonum, et sic est impletio; aut malum, et sic est permissio. Si respectu futurorum, sic est triplex : aut est malum, et sic est prohibitio; aut bonum necessarium, et sic est præceptio; aut bonum supererogationis, et sic est consilium. Contra tria prima potest aliquid fieri, quia se habent ut in fieri; sed contra duo ultima, scilicet permissionem et operationem, nihil potest fieri, quia se habent ut in facto esse, et quod factum est, non potest non fieri. De his signis nota, quod præceptum dicit obligationem ad faciendum bonum; prohibitio dicit obligationem ad vitandum malum ; consilium dicit doctrinam, per quam scimus, quod id quod consulitur, si fiat, affert præmium ; si non fiat, non affert supplicium. Permissio dicit privationem cohibitionis, et est signum divinæ voluntatis, non respectu mali quod permittitur, sed respectu boni quod ex malo permisso elicitur. Non enim permittit Deus malum fieri, nisi ex eo aliquod bonum eliciat, ut patet in ten-

Digitized by Google

tationibus diaboli, quæ prosunt multipliciter sanctis. Præterea, si non esset malum, non esset in bono pulchritudo, nisi absoluta; nunc vero, propter comparationem ad malum, clarius elucescit. Operatio notat factionem in re, per quam refertur creatura ad Creatorem.

De conformitate voluntatis nostræ ad Deum sciendum, quod si hanc attendimus in forma volendi, tunc si volumus habere mercedem nostri operis, oportet quod ratio semper conformetur ei in forma volendi. Si autem quæritur utrum absolute teneamur, dicendum est, quod conformitas est quædam in actu, ad quam non tenemur, nisi habita charitate; nec tunc, nisi pro tempore et loco: ut quando quis cogitat Dei veritatem, scilicet articulos fidei, tenetur credere; quando cogitat Dei bonitatem, tenetur diligere. Est alia conformitas in habitu, ad quam non tenetur quis, nisi quando actu Dei bonitatem recogitat, quia tunc tenetur se ad charitatem Dei præparare.

De conformitate autem in volito, sciendum quod voluntate sensualitatis non tenemur conformari voluntati divinæ, nec in volito, nec in forma volendi. Voluntas enim sensualitatis tantum est in brutis. Unde quantum ad hoc nos hac voluntate non peccaremus, si ratio huic voluntati juncta non foret, cujus est animalitatem reprimere. Sed voluntate rationis deliberativa tenemur Deo conformari in volito, quod constat nobis Deum absolute velle, vel congruit nobis velle. Si vero non congruit nobis, quamvis bonum sit in se, non vult Deus id nos velle. Unde hoc non tenemur velle, nisi in quantum est volitum a Deo: unde si scio Deum velle mortem patris mei, tamen possum vitam ejus velle, et laborare ad hoc, quia non vult Deus velle me contrarium. Item voluntate conditionativa non tenemur Deo conformari: ut, quando pluit, vellemus quod non plueret, si Deus vellet; quia volendo conditionaliter, non discordamus a voluntate Dei, quia hoc non est velle simpliciter. Item id quod Deus non vult simpliciter et absolute, ut sententiam comminationis, quam aliquando mutat, quando merita mutantur, non tenemur velle.

Conformitas divinæ voluntatis quadrupliciter potest considerari secundum habitudinem quatuor causarum. Primo secundum causam materialem, quando idem est volitum, quod se habet ut materia circa quam est actus voluntatis; et ideo ista conformitas est secundum quid tantum, et non simpliciter, quia esse simpliciter, non est materia, vel forma. Secundo modo accipitur conformitas secundum causam efficientem, sicut quando aliquis vult hoc, quod Deus vult eum velle, quia Deus hanc voluntatem in eo fecit. Deus enim unamquamque voluntatem in bonum ordinavit: et hoc vult nos velle. Tertio secundum causam finalem, ut quando quis in gloriam Dei sua facta ordinat, propter quam et Deus fecit omnia: et in his duobus essentialiter omnis conformitas consistit. Quarto secundum causam formalem, ut scilicet ex charitate velit quis quod vult, sicut et Deus ex charitate vult omnia: et in isto consistit perfectio conformitatis, ut scilicet actus voluntatis nostræ tanto sit voluntati divinæ conformior, quanto est melior et perfectior.

Ex prædictis collige, quod plena conformitas ad Deum comprehendit quatuor: primo, ut velimus quod Deus vult; secundo, ut velimus quod vult nos velle; tertio, ut velimus [1] propter quod vult: quarto ut velimus eo modo quo vult. Sed conformitas non plena est triplex: primo conformatur quis Deo in volito tantum, sicut et Judæi conformes erant Deo in morte Christi; secundo, si conformatur quis in volito et in fine, sed non in modo, ut quando quid non fit ex charitate; tertio, quando quis conformatur in volito et in modo, sed non in fine, ut cum ad alium finem, tamen bonum, retorquetur intentio.

CAPUT XXXIII.

De Justitia Dei.

Justitia Dei tribus modis sumitur: primo modo, quando redditur alicui quod meruit; secundo modo, quando promissum solvitur; tertio modo, quando imperfectum perficitur. Primo modo remuneratio bonorum, et punitio reproborum, est opus justitiæ. Secundo modo incarnatio Christi opus est justitiæ, quia promissum fuit hoc per prophetas. Tertio modo dicitur opus justitiæ, quando Deus peccatorem justificat, cum se ad gratiam habilitat faciendo quod in se est. Nota quod in omnibus operibus Dei invenitur justitia et misericordia: sed justitia quandoque est occulta, et misericordia manifesta, ut in justificatione impii, et in primo

[1] *Subaudi*, propter id.

Digitized by Google

adventu Christi; aliquando est e contrario, scilicet aperta justitia, et occulta misericordia, ut in punitione parvulorum sine baptismo decedentium, et in secundo adventu Christi; aliquando utrumque est occultum, ut in tribulatione justorum et innocentum, sicut fuit in infirmitatibus parvulorum; aliquando utrumque est apertum, ut in remuneratione justorum, et damnatione reproborum : quia illos remunerat supra meritum, et istos punit citra condignum, quod est misericordiæ : sed utrisque retribuit secundum merita, hoc est, bonis bona, et malis mala, quod est justitiæ. Si vis scire qua justitia puniatur homo pro peccato momentaneo æternaliter, vide primo auctoritates Isaiæ [1] : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Psalmus [2] : *Ibunt in progenies patrum suorum, et usque in æternum non videbunt lumen.* Matthæus [3] : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* In Apocalypsi [4] : *Ascendit fumus* (*a*) *eorum in sæcula sæculorum.* Item Gregorius, in quarto *Dialogorum* [5] : « Si Deus non plus attenderet cor, quam facta, injusta posset dici talis justitia. Sed quia Deus intuetur cor, justum est ut sine fine puniantur, qui nunquam vellent vivere sine peccato. » Rationibus idem ostenditur : quia enim homo peccavit in suo æterno, merito punietur in æterno Dei. Item materia ignis est æterna, scilicet macula peccati : ergo et pœna. Item peccatum est contra illum qui est infinitus : ergo pœna debet esse infinita : sed hoc non potest esse acerbitate : unde oportet quod fiat diuturnitate. Item cum homo peccat, errat in infinitum quodammodo rationalis, irascibilis, et concupiscibilis, quando finitum præponit infinito : illa quidem, judicando; ista, adhærendo, et ultima, appetendo : unde congrue debet esse pœna infinita. Item mala voluntas reproborum æterna est : ergo et pœna. Item ostenditur exemplis, quia venditio momentanea dat jus possidendi perpetuum, et vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam. Item casus in foveam temporalis est, detentio perpetua. Item offensio oculorum temporalis est, et cæcitatem operatur perpetuam. Item crimen læsæ majestatis temporale est, servitus perpetua. Item potio veneni momentanea, mortem operatur perpetuam. Dicit Augustinus, quod reddit Deus mala pro malis, hoc est, pœnam pro injustitia, quia justus est; vel reddit bonum pro malis, hoc est, gratiam injustis, quoniam bonus est; vel reddit bona pro bonis, hoc est, gratiam pro gratia, quia justus et bonus est; nunquam reddit mala pro bonis, quoniam injustus non est. Aliquis punitur in præsenti 1. propter seipsum, ut scilicet peccatum præteritum in eo purgetur. Joannes [6] : *Ecce sanus factus es; vade, et amplius noli peccare.* Item 2. ut propter peccatum perpetuo crucietur, tam hic quam in futuro : exemplum habes de Herode, et de Antiocho. Item 3. ut culpa declinetur, ut de Paulo, ad Corinthios [7] : *Ne magnitudo revelationum extollat me,* etc. Item 4. ut gloria in futuro detur; in Actibus [8] : *Oportet nos per multas tribulationes intrare,* etc. In primis duabus causis exercet Deus justitiam; in duabus sequentibus, misericordiam. Quinto, punitur quis propter Deum, scilicet, ut glorificetur [9] : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus,* etc. Sexto, punitur quis propter proximum, scilicet ut ædificetur : sic fuit punitus Tobias [10], *ut aliis* (*b*) *daretur exemplum patientiæ :* sic puniuntur etiam innocentes pueri, ne videatur inconveniens peccatoribus, si quandoque tribulantur. Justo Dei judicio puniuntur qui vel concessis abutuntur, ut Adam; vel non concessa rapere conantur, ut Lucifer.

CAPUT XXXIV.

De Misericordia Dei.

Misericordia, secundum etymologiam, dicitur tribus modis. Primo dicitur misericordia, quasi *miseriam cordis* dividens, sicut accipitur in illa auctoritate : « Cœli non indigent misericordia, quia in eis nulla est miseria. » Secundum hunc modum misericordia solummodo est in terra. Secundo modo dicitur quasi *mittens seorsum cordis rigorem,* sicut accipitur ibi [11] : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi :* nam veritas per rigorem procedit; sed misericordia hunc rigorem temperat, remunerans supra meritum, et puniens citra condignum : sic est misericordia in cœlo, et in inferno. Tertio modo dicitur misericordia, quasi *mira suavitas rigans corda :* sic misericordia maxime est in cœlo. Licet enim Deus sit justus, sicut et misericors, tamen dicitur ei proprium esse misereri, potius quam esse

[1] *Isa.*, LXVI, 24. — [2] *Psal.* XLVIII, 20. — [3] *Matth.*, XXV, 41. — [4] *Apoc.*, XIV, 11. — [5] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. XLIV. — [6] *Joan.*, V, 14. — [7] II *Cor.*, XII, 7. — [8] *Act.*, XIV, 21. — [9] *Joan.*, IX, 3. — [10] *Tob.*, II, 12. — [11] *Psal.* LXXXIV, 11.

(*a*) Vulg. add. *tormentorum.* — (*b*) Vulg. *posteris.*

Digitized by Google

justum, quia nihil requiritur ad complendum opus misericordiæ, nisi voluntas ejus; sed ad complendum opus justitiæ requiritur etiam aliquid ex parte hominis, exigentia scilicet meritorum. Misericordia Dei patet in effectibus divinorum beneficiorum: dat enim reis veniam, dimittendo tam peccati reatum, quam peccati sequelas. De quibus duobus [1]: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, quoad primum: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, quoad secundum. Item largitur justis gratiam, dando scilicet virtutis habitum, et virtutis motum, ut per primum faciat hominem Deo gratum, ac vita æterna dignum; sed per secundum augeatur ei meritum. De his duobus Psalmista [2]: *Qui coronat te in misericordia*, quoad primum: *et miserationibus*, quoad secundum: et loquitur de corona gratiæ. Item confert sanctis gloriam, et hoc dupliciter, quia nunc in spe, et tandem in re. De his Psalmista [3]: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, quoad primum: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*, quoad secundum. Item ex misericordia Deus patienter expectat peccatores, benigne revocat, ulcisci dissimulat, de multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatam conservat, conservatam in cœlo præmiat. Item ex misericordia Deus peccatorem ad se redeuntem hilariter suscipit, ad pœnitendum cor emollit, offensam cito remittit, injuriæ post remissionem non meminit. Item ex misericordia dat Deus adversa, ut peccatum purget; dat prospera, ut ad amorem provocet; dat sacramenta, ut meritum cumulet; dat præcepta, ut præmio ditet. Item ex misericordia errantes ad se reducit, euntes ad se conducit, cadentes erigit, stantes tenere non desinit, pervenientes in gloriam introducit.

LIBER SECUNDUS

DE OPERIBUS CONDITORIS

CAPUT PRIMUM.

De ipsa rerum Creatione.

Summæ bonitatis triplex est effluxio, scilicet per generationem, per spirationem, et per creationem. Duæ priores emanationes sunt ab æterno; tertia est in tempore, de qua nunc est agendum. Inter creare, generare et facere differentia est: quia res de nihilo exit in esse per creationem; sed exit in esse de aliquo per factionem, quia facere est operari de aliena materia; sed de substantia exit in esse per generationem. Deus est rerum triplex causa, scilicet efficiens, exemplaris, et finalis, sed nullo modo materialis. Inter operari Dei, et creaturæ, differentia est, quia Deus operatur in instanti; angelus autem repente; sed natura paulatim. Prima rerum principia sunt a Deo, et immediate, scilicet materia et forma; effectus vero consequentes sunt ab ipso, mediante natura; nihil autem est a Deo mediate (*a*) tantum.

(*a*) *Cæt. edit.* immediate.

Circa mundi creationem quatuor erant errores. Quidam dicebant mundum æternum. Alii dicebant mundum quidem factum, sed habuisse materiale principium, et non esse de nihilo. Alii dicebant Deum superiores creaturas per se produxisse, sed inferiores per ministerium angelorum. Alii ponebant duo principia, sicut Manichæi, unum scilicet summe bonum, et aliud summe malum, dicentes incorruptibilia esse a bono principio, corruptibilia a malo. Hos omnes errores excludit Moyses [4]: primum, cum dicit: *In principio;* secundum, ibi: *Creavit;* tertium, quando dicit: *Deus;* quartum, cum sequitur: *Cœlum et terram.* Tenendum est etiam quod Deus [5] *omnia simul creavit*, nec aliquam novam speciem postmodum addidit, quam prius non fecerit, vel in se, vel in suo simili, ut hominum animas; vel in ratione seminali, sicut patet in his quæ naturaliter introducuntur in esse: et hoc est quod dicitur [6] Deum die septima

[1] *Psal.* CII, 3. — [2] Ibid., 4. — [3] Ibid., 5. — [4] *Gen.*, I, 1. — [5] *Eccli.*, XVIII, 1. — [6] *Gen.*, II, 2.

Digitized by Google

quievisse, non quidem a labore, vel ab opere, sed, sicut dictum est, a novarum specierum conditione. De operibus vero sex dierum dicunt quidam, nunquam in illis debere intelligi ordinem temporis, sed naturæ, quia dicunt omnia simul tempore fuisse facta creata, et disposita, ac in suis speciebus distincta. Alii dicunt omnia simul creata in materia, sed non in tali forma, sicut in diebus sequentibus receperunt: et hæc opinio magis sequitur ultimam litteram, sed prima magis sequitur rationem. Deus enim dupliciter operatur. Aliqua namque facit mediante natura, et hæc fiunt successive; aliqua facit per se immediate, ut creare, peccata dimittere, gratiam infundere, et hujusmodi, et talia fiunt in instanti, et perfecte, et complete. Cum ergo Deus primordiales res non produxerit mediante natura, sed immediate et per se, videtur quod in instanti fecerit eas perfectas et completas tam in materia, quam in forma. Coævæ sunt quatuor hæ primitivæ rerum creaturæ, cœlum empyreum, angeli, materia mundi, et tempus.

CAPUT II.

De Distinctione Creaturarum in generali.

Creatura mundi triplex est, scilicet corporalis tantum, ut elementa; spiritualis tantum, ut angelus; composita ex his, ut homo. Corporalis quoque natura distinguitur in corpora lucida, ut sidera; et opaca, ut terra, et metalla, et hujusmodi; atque perspicua, sive diaphana, ut aer, et aqua. Creaturæ quædam, secundum Gregorium [1], habent esse tantum, ut lapides; quædam vivere, ut arbores; quædam sentire, ut animalia; quædam intelligere, ut homines et angeli. Distinguitur autem triplex mundus, scilicet, archetypus, id est, Deus: et dicitur archetypus ab archos, quod est princeps, et typus [2], quod est figura, id est, principalis figura, quia ipsa est exemplar mundi sensibilis. Item est mundus qui dicitur macrocosmus [3], id est, major mundus, ut est iste mundus sensibilis. Item est mundus qui dicitur microcosmus [4], id est, minor mundus, ut est homo. De his tribus Joannes [5]: *In mundo erat*: ecce primum. *Et mundus per ipsum factus est*: ecce secundum. *Et mundus eum non cognovit*: ecce tertium. Differentia est inter elementum, et elementatum, et quintam essentiam. Elementum est primum principium componibilium, non tamen compositum: unde nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis primum elementum est et simplex apud nos, quia ista inter se commiscentur, et maxime in ea parte ubi se contingunt. Elementatum est quodlibet corpus compositum ex quatuor elementis. Quinta essentia est corpus per se differens ab omnibus elementis, et elementatis, tam in materia, quam in forma, tam in natura, quam in virtute, non habens in se contrarietatem, unde nec causam corruptionis. Opera sex dierum, prout Moyses distinxit, moraliter sic habentur: significat enim rerum creatio de nihilo impii justificationem; firmamenti operatio, boni propositi confirmationem; aquarum congregatio, cordis adunationem; siderum perfectio, exemplum bonæ operationis; piscium et avium formatio, statum actionis et contemplationis; hominis plasmatio, rectitudinem intentionis. Postea vero sequitur septima dies, æternitatis scilicet requies.

Est locus summus, id est cœlum, ubi sola lætitia est; et est infimus, id est infernus, ubi sola tristitia; et est medius, scilicet mundus, in quo sunt summa speranda, et infima timenda. Diabolus igitur a summo corruit, et in imum detrusus est, quia reparandus non erat. Homo vero a summo non cecidit, et in medio collocatus est, ut esset ei locus quo ascenderet per justitiam, vel descenderet per culpam. Item Hugo de Sancto Victore dicit, quod aliquis locus est in quo solum et summum bonum est, scilicet cœlum; aliquis in quo solum et summum malum est, scilicet infernus; aliquis in quo solum malum est, sed non summum, scilicet purgatorium; aliquis in quo bonum et malum est, sed neutrum summum, scilicet mundus iste.

CAPUT III.

De Distinctione Orbium tam cœlestium, quam elementorum.

Corporalis mundi machina tota consistit in duobus, scilicet in natura cœlesti, et in natura elementari. Cœlestis autem distinguitur in tres cœlos principales, scilicet in cœlum crystallinum, et empyreum, et firmamentum. Intra (a) firmamentum, quod est cœlum stellarum, continentur septem orbes planetarum, qui sunt Sa-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXIX. — [2] Leg. ἀρχὸς..... τύπος. — [3] Μακροκόσμος. — [4] Μικροκόσμος. — [5] *Joan.*, I, 10. — (a) *Forsam legendum* Infra.

Digitized by Google

turnus,' Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Nomine autem cœli crystallini, sive aquei, intelligitur illa pars materiæ primæ, quæ secundum Philosophos formata in duos orbes, quorum superior est primum mobile. Istorum orbium natura est, quod omnes moventur, excepto empyreo, quod quietum est. Natura vero elementaris in quatuor sphæras principales distinguitur, scilicet ignis, aeris, terræ et aquæ. Sphæra ignis tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur igneum, et medium, ac infimum, quod vocatur olympium. Similiter aer tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur æthereum, et medium, ac infimum, quod vocatur aereum, et in supremo est calor et lux propter solis propinquitatem. Similiter est et in infimo, scilicet propter radiorum repercussionem a terra. In medio autem interstitio, ad quod non potest pertingere repercussio radiorum, est frigiditas et obscuritas, et ibi dicuntur habitare dæmones, qui detrusi sunt in hunc aerem caliginosum. Ibi etiam fiunt tempestates, tonitrua, grando, nives, et similia. Ex his collige septem orbes, terram et aquam ambientes, qui omnes possunt vocari cœli; istos autem excellit cœlum Trinitatis, ipse Deus, qui est in omnibus, et super omnes. Distantia dictorum orbium et planetarum hæc est: a Terra usque ad Lunam sunt milliaria 15625, hæc sunt stadia 1260; a Luna usque ad Mercurium sunt milliaria 7612 et semisse; a Mercurio usque ad Venerem, tantumdem; a Venere usque ad Solem sunt 24433; a Sole usque ad Martem sunt milliaria 15625; a Marte usque ad Jovem, 6812; a Jove usque ad Saturnum, tantumdem; a Saturno usque ad firmamentum, 24422. Ex his colligitur quod a Terra usque ad cœlum stellarum sunt milliaria 109375.

CAPUT IV.

De Natura Cœlorum, et superiorum Corporum.

Cœlum est corpus purum, et primum natura simplicissimum, essentia subtilissimum, incorruptibilitate solidissimum, quantitate maximum, qualitate lucidum, diaphaneitate perspicuum, materia purissimum, figura sphæricum, situ locali supremum, amplitudine creaturarum aliarum in se contentivum. Istæ proprietates tam cœlo conveniunt empyreo, quam primo mobili. Sed præter hoc est cœlum empyreum a motu extraneum, beatorum spirituum habitaculum, specialiter sedes Dei nuncupatum. Cœlo autem crystallino specialiter convenit, quod est motu velocissimum, ad inferiora virtutis influxivum. Eodem modo dicendum est de firmamento, quod plurimæ conveniunt ei de proprietatibus supradictis, et insuper est aquarum divisivum, ac stellis decoratum.

Corpora cœlestia dividuntur in lucentia, et non lucentia, ac diaphana. Nam corpus lucens est Sol, qui solus inter sidera lucet. Sed non lucentia sunt cæteræ stellæ, et planetæ quæ lumen suum a Sole mutuantur. Corpora vero diaphana sunt omnes sphæræ cœlestes. Item sphæræ cœlestes cum moventur, non mutant locum, sed moventur in locis suis: superiora influunt in inferiora virtutem motivam, vegetativam, sensitivam, ac omnium generabilium productivam. Item licet careant qualitatibus elementaribus, non enim sunt calida, vel frigida, sicca, vel humida, tamen ista causant in inferioribus, verumtamen non influunt super liberum arbitrium, nec habent virtutem immutandi hominis voluntatem: licet bene immutent, vel disponant complexionem hominis aliquando, quæ voluntatem non habent quidem cogere, sed magis vel minus in diversis hominibus inclinare. Operantur quoque corpora superiora distinctivam significationem dierum secundum lumen Solis, et distinctionem mensium secundum lumen Lunæ, ac distinctionem annorum secundum motum Solis in aliquo circulo, atque distinctionem temporum secundum varium cursum planetarum, distantiam, et cursum, ascensum, et descensum, retrogradationem, et statum. Circulus quidam est in sphæra intersecans æquinoctiale, qui intersecatur ab eodem in duas partes æquales, et una medietas declinat versus Septentrionem, alia versus Austrum: et dicitur ille circulus Zodiacus, a zoe [1], quod est vita: nam secundum motum planetarum sub illa omnis vita rebus inferioribus est: vel dicitur a zodion [2], quod est animal, quia cum dividatur in duodecim partes æquales, quælibet pars appellatur [3] signum, et habet nomen speciale a nomine animalis, propter proprietatem aliquam convenientem tam ipsi, quam animali, vel propter dispositionem stellarum fixarum in illis partibus ad modum animalis. Iste vero circulus dicitur latine *Signifer*, quia fert signa, vel quia dividitur in ea; ab

[1] Leg. Ζωὴ. — [2] Ζώδιον. — [3] *Suppl.* per.

Digitized by Google

Aristotele vero, in secundo *de Generatione*, dicitur circulus obliquus, ubi dicit quod secundum accessum et recessum Solis in obliquo circulo fiunt generationes et corruptiones in rebus. Nomina vero signorum, et ordinatio, et numerus in his versibus notantur :

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora,
[Pisces.

CAPUT V.

De Natura Stellarum in communi.

Stellæ supremæ in firmamento figuntur, et cum illo semper moventur, materia sunt purissimæ, figura sphæricæ, quantitate magnæ, apparentia parvæ, qualitate lucidæ, et radiorum diffusivæ, rerum inferiorum generativæ, a Sole illuminationum receptivæ, tenebrarum expulsivæ; quanto nox obscurior, tanto plus sui manifestativæ; in præsentia Solis, sui luminis occultativæ; tempestatis et serenitatis concitativæ, viarum navigantium directivæ; quanto conjunctiores, tanto in communi lucidiores; sed singulæ minus apparentes, ut patet in galaxia; claritate et quantitate differunt, ac virtute. Galaxia est multitudo parvarum stellarum, quasi contiguarum illi loco orbis, ubi diffunditur lumen Solis. Fit autem eclipsis, cum se Soli Luna subnectit, ut tenebras orbis efficiat. Nota quod omnes stellæ eclipsantur, et hoc a seipsis, vel a terra, vel a planetis. Planetæ dicuntur quandoque retrogradi, quandoque progressivi, quandoque stationarii, prout in epicyclis suis diversimode moventur. Planetæ sunt sidera inter cœlum et terram errantia, firmamento contrarium cursum agentia. Cursu, quem habent ab influxu primi mobilis, moventur directe; sed proprio cursu moventur oblique : non scintillant, singuli suos colores et circulos habent, et, cum circulos aliorum ingrediuntur, etiam illorum participant qualitatem; cum Sole micantes occultantur; quanto Terræ propinquiores, tanto circulos habent breviores; quanto sunt altiores, tanto cursus eorum naturalis videtur esse tardior. Corpora eorum non sunt lucida vel perspicua, sed opaca; alioquin non eclipsarent se invicem.

Motus primi mobilis, scilicet nonæ sphæræ, ab oriente in occidentem, rediens iterum in orientem, dicitur rationalis, ad similitudinem motus rationis in microcosmo, quando fit consideratio a Creatore per (*a*) creaturas, rediens in Creatorem, et ibi sistendo. Secundus motus firmamenti et planetarum est huic contrarius, ab occidente in orientem, rediens in occidentem : qui dicitur irrationalis, sive sensualis, ad similitudinem microcosmi, qui est a corruptibilibus ad Creatorem, et iterum rediens ad corruptibilia.

CAPUT VI.

De Luce.

Lux est, ut ait[1] Philosophus, actus lucidi, secundum quod lucidum. Unde sciendum est quod lux est qualitas activa corporis luminosi, sicut calor ignis. Lux quoque dat coloribus esse intentionale, sicut intellectus agens phantasmatibus dat esse intellectuale. Ipsa est medium deferens omnia, quæ a cœlo ad nos descendunt. Ipsa (*b*) quoque mutuat corpus non lucens a lucido. Ipsa est secundum Philosophum cœli purpura, maleficorum inimica, navigantium directio, oculus noctis, facies omnium rerum, Lux, ait Augustinus, rectum habet incessum, et nullo modo incedit per curvum. Hæc omnibus rebus et decorem tribuit, et absque illa cuncta sunt ignota et abscondita. Motus enim est subitus, quia sine mora replet omnia. Hæc in superficie corporis umbrosi non se perfundit, sed in corpore diaphano : unde secundum corporis grossitiem, vel subtilitatem, magis et minus participatur. Lux enim sine sui diminutione ubique se diffundit. Plures proprietates lucis habes infra de Sole, quæ illi conveniunt in quantum lucet. Sciendum est quod lux vocatur in corpore luminoso lux ; sed lumen, prout est in lucido transparenti ; splendor autem in denso terso, et color, prout est in corpore opaco.

CAPUT VII.

De Planetis in specie.

Saturnus est a nobis remotissimus, frigidus et siccus : hoc intelligas in effectu, sicut in aliis planetis. Ex vicinitate ejus, calor Solis remittitur. Ex conjunctione ejus cum Jove, clarior efficitur, cum naturaliter sit pallidus. Nocivus

(*a*) *Forsan legendum* ad. — (*b*) *Item* ipsa.

[1] Arist., *de Anima*, lib. II, c. VI.

Digitized by Google

est, et ipso dominante tantam habet virtutem, ut si influat in inferiora, fœtus nascitur mortificatus, aut debilis. Plus nocet retrocedendo, quam procedendo. Moratur in quolibet signo triginta mensibus : ex quo sequitur quod cursum suum complet, scilicet (*a*) triginta annis.

Jupiter est clarus, et quasi ad instar lactis candidus : in qualitatibus est bene temperatus, quia calidus est et humidus. In superiori parte suæ absidis temperat malitiam Saturni. Cum ascenderit in circulum Saturni, contrahit pallorem, licet sit clarus. In quolibet signo moratur per annum, et ita complet cursum suum in duodecim annis.

Mars calidus est, et siccus, et ideo nocivus. Ex proprietatibus suis homines incitat, ac provocat ad bellandum; ex interpositione Veneris, et Jovis (*b*), ejus nocivitas reprimitur. Igneus apparet et radiosus. In quolibet signo moratur quadraginta diebus.

Sol dicitur decies major Terra; sed secundum Ptolemæum, est 140 vicibus major Terra; calidus et luminosus, eclipsim patitur; communis est omnibus, nube celatur; solus per se lucet, quod nulli sideri magis competit : unde et nomen accipit [1]. Stellas illuminat, et tamen eas per præsentiam suam apparentia sui luminis privat. Medius est planetarum, odiosus ægris oculis, sed amabilis puris. Tempora distinguit, locis immundis non inquinatur, testea consolidat, gelida resolvit, flores aperit, fructus maturat, corpora diaphana penetrat, non quiescit, visum retundit, vapores elevat, hemisphæria vicissim perlustrat, appropinquans nobis æstatem facit, recedens vero hyemem efficit, oculus est mundi. In quolibet signo moratur triginta diebus, et decem horis; cursum per annum facit motu proprio, sed diem perficit motu primi mobilis.

Venus est lucifer, calidus, et humidus : malitiam Martis temperat : semper comitatur Solem; sed cum præcedit, dicitur Lucifer; quando sequitur, dicitur Vesper : colorem habet candentem, et refulgentem, electro similem. Inter sidera plus splendet : complet cursum suum in 348 diebus.

Mercurius semper cum Sole graditur, nunquam ab eo plus 30 gradibus distans. Colorem habet radiantem; raro, propter vicinitatem Solis, cernitur; eloquentia sub ipso est, aquis dicitur dominari, et præesse seminibus. Cursum complet 338 diebus.

Luna noctem illuminat, lumen mutuat, augmentum patitur et detrimentum. Infima est inter planetas; eclipsim patitur, et efficit; maculas habet propter conjunctionem ejus cum inferioribus. Item corniculata interdum appareat, ex eo quod pars ejus illuminata a nobis absconditur. Item Regina cœli appellatur, quia Sol tanquam medius planetarum participat omnes proprietates omnium, et eas ad Lunam cum lumine suo transmittit : ipsa vero Luna quæcumque a Sole sic recipit, influit. Unde quia per eam tali modo virtutes planetarum recipimus, merito Regina cœli vocatur. His visis patet, quod quando Luna primo incenditur, optimum est semina jacere, quia tunc virtutes planetarum, quas inferioribus influit, incipit colligere. Frigida est et humida : Solem præcedens, minuitur; sed eumdem sequens, crescit, et ab eo elongatur : accessus et recessus maris per eam causatur. Signa autem zodiaci quolibet mense percurrit.

CAPUT VIII.

De quatuor Elementis.

Ignis consumit et incinerat; in similitudinem suam sibi appropinquantia convertit; motum facit de centro ad circumferentiam; ardet, et lucet in materia aliena, sed non in sua sphæra. Inferiora reducit ad superiora, quia resolvit terrea in aquosa, aquosa in aerea, aerea in se. Mollificat dura, et indurat mollia, subtiliat, ut patet in resolutione glaciei, et condensat lutum; depurat, ut in auro, et corrumpit, sicut ea, quæ consumit; frigefacit per accidens, ut patet in aceto. Est et penetrativus, communicativus et divisivus. Item ignis in sphæra sua non relucet, quia compactus non est. Nullum enim corpus diaphanum lucet, sed potius est illuminabile. Si autem ignis in sphæra sua compactus esset, eclipsaret omnes stellas, quæ supra ipsum sunt. Ignis vero hic lucet apud nos propter materiam coadunatam, in qua est : et hoc patet, quia una candela alteri opposita umbram facit.

Aer est subtilis, mobilis, perspicuus; per inspirationem et respirationem, caloris cordis temperativus; decoratur volatilibus; locus im-

(*a*) *Leg.* complet circiter. — (*b*) *Item* Mercurii; *nam inter Martem et Terram Jupiter interponi nequit.*

[1] Quasi vero hujus vocis, *Sol*, etymologia esset nomen adjectivum *Solus*.

Digitized by Google

pressionum, mansio spirituum damnatorum. Est et alterabilis, subtilis, levis, atque rarus : non lucet, sicut nec aliquod corpus diaphanum, sed est illuminabilis.

Aqua super cœlos elevatur, piscibus decoratur, tempestatibus subjicitur; omnes fontes, et flumina ad mare continuantur; ad locum, unde venerunt, revertuntur. Aeri præbet aqua informationem, volatilibus ornamentum, et vegetabilibus nutrimentum; et optime est terminabilis termino alieno, sed minime termino proprio. Aqua corpus est diaphanum, omnibus est communis, in crystallum congelatur, irim in nubibus causat, sordes purgat, hortos irrigat, febricitantes sua frigiditate et humilitate delectat, naves vehit, lumen recipit, ad suum principium recurrit, loca vacua subit, lapides cavat, ignem extinguit, olim mundum purgavit. In mari Rubro populo Dei cessit; de latere Christi fluxit; hanc Christus in vinum mutavit, ac de ipsa baptismi materiam ordinavit.

Terra inter alia elementa est infima, nigra, magis despecta, ponderosa, rotunda, elementis aliis circumdata, mater fructuum, radix plantarum, nutrix animalium, ædificiorum fundamentum, mortuorum receptaculum, machinæ mundialis centrum; concludit in se infernum; frigida, sicca, opaca, corporis humani materia. Servat metalla, centro tenetur, motu ex vaporibus inclusis concutitur, herbis et floribus ac arboribus suis decoratur : circa eam motu circulari cœlum cum sideribus volvitur; ab hominibus et jumentis calcatur : horum quædam Terræ competunt secundum esse suum, quædam secundum situm, quædam secundum contentum, quædam secundum ornatum, quædam secundum utilitatem.

CAPUT IX.

De impressionibus aeris.

Cometes, licet appareat quasi stella, non est tamen aliud quam vapor inflammatus ex vicinitate ignis. Hic comas luminis fundit, et dicitur significare mutationem, aut bella, aut pestilentias. Corona est albus circulus, qui quandoque apparet circa Solem, vel Lunam, aut stellas alias; et causatur ex reliquiis nubium per planetarum radios attractis et illuminatis. Talis autem circulus signum est serenitatis. Albus duplex est, ascendens scilicet, et descendens. Ascendens fit ex partibus vaporis inflammati in supremo areis, et videtur ascendere, sicut si evolarent scintillæ de fornace. Albus vero descendens est ignis retentus in nube, qui tamen expellitur obviante nube frigida, et cadit continue, propter quod videtur quod stella cadens sit longa, quia relinquit vestigia casus post se. Lumen quod videtur de nocte discurrentibus se præcedere, est vapor compactus descendens, cui cum nihil obviet, confricatione sui ipsius accenditur, et aliquandiu stat in aere. Draco dicitur vapor fortis conglobatus, qui est nubes frigida ad latus unum, et calida ad aliud, et tunc propter convenientiam ad calidum, trahitur ad illud, et ita incenditur pars anterior, et hæc videtur quasi spiramen draconis; media vero pars incurvatur ut serpens, et volat semper ad latus ubi calidum circumstat ipsum.

Nubes fiunt, quando a virtute Solis extrahuntur vapores de aquis, et paludibus, et locis humidis; et feruntur sursum. Nebula est id, quod ex nubibus aquam pluentibus relinquitur: et ideo, secundum Aristotelem, signum est serenitatis. Caligo est vapor tenebrosus, quem vulgo appellant nebulam. Iste vapor non elevatur; sed priusquam convertatur in nubes, vel in pluviam, deprimitur, et remanet juxta terram. Ros est id quod descendit ex vapore parvo, et in descensu suo traditur (*a*) in parvis minutiis. Pluvia est aqua descendens ex nubibus resolutis, velocitatem habens suæ descensionis, et hoc guttatim. Pruina est ex vapore rorido, qui (*b*) congelatur antequam ex ipso resolvatur aqua. Nix generatur in nube calidissima, cujus congelatio fit cum conversione in aquam : et ideo partes ejus non inspissantur. Grando generatur ex nube calidissima virtute Solis multum elevata, quæ postquam in aquam resolvitur, tunc demum in medio interstitio aeris congelatur. Tonitruum est vaporis sicci egredientis de nube humida, vel in nube frigida et humida, et scindit quidquid invenit. Coruscatio est illuminatio vaporis sicci incensi in vapore humido. Fulgur generatur ex vapore grosso, elevato, et calore siccato : quia cum sit igneæ naturæ, vi ventorum contra naturam descendit, et urit, et nihil ei resistit, æstate præcipue, et in montibus percutit frequenter. Fulmen est vapor terrestris et inflammatus, qui quando tangit nubem, quæ jam est in conversione ad aquam, congluti-

(*a*) *Forsan legendum* contrahitur. — (*b*) *Cæt. edit.* quæ.

Digitized by Google

natur, sicque decoquitur fortissimo calido, et induratur in lapidem, qui vocatur cœlum tonitrui, et scindit quidquid invenit.

Iris est lumen Solis receptum in nube concava et aquosa, ac Soli ex adverso opposita. Glacies est aqua congelata. Ventus est vapor terreus aeris superiora transcendens, et aerem fortiter percutiens et impellens. Venti sunt quatuor principales, scilicet Subsolanus ab oriente, temperatus, habens a dextris Vulturnum desiccantem, a sinistris Eurum nubes gerentem. Item a meridie est Auster calidus, qui fulmina gignit et pluvias largas, habens a dextris Africum calidum, a sinistris Notum temperatum quidem, sed pestilentias inducentem. Item a septentrione est Aquilo frigidus, habens a dextris Draciam nives facientem et grandines, et a sinistris Boream nubes constringentem, ac pluvias prohibentem. Item ab occidente est Zephyrus flores producens, habens a dextris Circium, tempestates et pluvias ac tonitrua generantem, a sinistris Favonium oriente (*a*) nubila, sed serena in meridie facientem. Turbo est ventus egrediens de nube, in se ipsum reflexus, vel duo venti lateraliter sibi concurrentes, seseque juxta terram orbiculariter involventes. Terræ motus est vapor grossus extractus de profundo terræ, non potens exire extra superficiem terræ propter illius soliditatem; sicque coarctatus in interioribus concavitatibus, terram concutit.

CAPUT X.

De Tempore.

Tempus est mensura motus primi mobilis et rerum mutabilium. Et hoc patet, quia hic est tempus, et non in cœlo, secundum suam substantiam : quia hic mutantur omnia, et non ibi : hic est enim nunc hyems, et nunc æstas, nunc pax, nunc discordia, nunc tranquillitas, nunc tempestas. Mutabilitas rerum ostenditur in hoc, quod ea quæ præcipue mundus amplectitur, scilicet sapientia et potentia, in Oriente incœperunt, et terram habitabilem percurrerunt usque ad Occidentem, in signum quod omnia tendunt ad occasum. Nam studium sapientiæ cœpit in Ægypto, postea fuit in Græcia, post hoc Romæ, deinde in Francia et Anglia. Similiter regna primo fuerunt in Oriente, post in Græcia, post apud Romanos; nunc potestas imperii residet in Germania. Propterea Jacobus comparat [1] vitam nostram et hæc mutabilia vapori; Isaias [2], somno, et baculo arundineo; et liber Regum [3], aquæ dilabenti. Differentia autem est inter tempus, et ævum, et æternitatem : nam tempus habet principium et finem; ævum caret fine, sed non principio; æternitas caret utroque termino, quia est mensura interminata.

Istæ sunt ætates mundi. Prima est ab Adam usque ad Noe, habens, juxta Hebræos, annos 1656; sed secundum LXXII interpretes, habens 2242. Secunda est a Noe usque ad Abraham, habens secundum Hebræos annos 292; sed secundum LXXII, 1072. Tertia est ab Abraham usque ad David, habens annos secundum Hebræos 972; sed secundum LXXII, 1130. Quarta est a David usque ad transmigrationem Babylonis, habens annos secundum Hebræos 473; secundum LXXII, 485. Quinta est a transmigratione Babylonis usque ad Christum, habens annos, secundum Hebræos, 585; sed secundum LXXII, 578. Igitur ab exordio mundi usque ad Christum, secundum Hebræos, habemus annos 3932, sed secundum Hieronymum est hæc computatio, secundum vero LXXII, quos Græci sequuntur, 5508. Eusebius autem, quem Orosius secutus est, inter utrosque incedens, numerat annos 5198 : quos pene omnes Latini sequuntur. Sexta ætas est a Christo usque ad finem mundi. Septima est quiescentium, et concurrit cum sexta. Octava est resurgentium. Porro, secundum Hebræos, in prima ætate sunt generationes 12; in secunda, 10; in tertia, 14; in quarta, 17 (quas tamen Matthæus, gratia mysterii, 14 ponit in capite 1); in quinta, 14. Ætates hominis sunt istæ : prima est infantia, a nativitate usque ad septem annos; secunda est pueritia, usque ad annos 14; tertia est adolescentia, a quinto decimo anno usque ad 28; quarta est juventus, a 28 usque ad 49; quinta est senectus, a 50 usque ad 78; sexta est decrepita, ab anno 78, quousque vita finiatur. Dignitas Dominicæ (*b*) diei notatur in hoc, quod fuit prima dierum. Item, ut dicitur, erit ultima dies. Item nox illam non præcessit. Item nox illi non successit. Item cœlum et terra in ea sunt creata. Item Angelus in ea conversus est ad Deum. Item primo data sunt in ea filiis Israel mandata, ut dicit Origenes. Item in ea Christus natus est. Item Christus in ea resurrexit. Item in

[1] *Jac.*, IV, 15. — [2] *Isa.*, XXXVI, 6. — [3] II *Reg.*, XIV, 14. — (*a*) *Suppl.* Sole. — (*b*) *Al.* Dominici.

Digitized by Google

ea Spiritus sanctus datus est Apostolis. Item omnes in ea resurgemus, atque judicabimur. Item in ea perpetuo continuandum est in laude Dei.

CAPUT XI.

De Angelis in communi.

Angelus est, secundum Damascenum [1], substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens secundum gratiam, non naturam (*a*). *Substantia* ponitur in hac diffinitione pro genere, et ponitur ad differentiam accidentis. Intelligitur etiam hic substantia qualitercumque composita, scilicet, ex eo quod est, et quo est. *Intellectualis* dicitur potius, quam rationalis; quia ratio est virtus collativa causæ et causati, et ideo composita, ut : « Omnis homo est animal : Socrates (*b*) est, » etc. Syllogismus enim nihil aliud est, quam discursus a causa in causatum. Intellectus autem de ratione sui non habet compositionem et collationem ; sed est sine inquisitione et compositione; et ideo competit naturæ magis simplici pro differentia, ut est angelus. Ratio autem differentiæ est naturæ minus simplicis, scilicet hominis. *Semper mobilis*, non dico, de loco ad locum; sed mobilitas dicit hic triplicem mobilitatem in angelo, scilicet naturæ, intelligentiæ, et voluntatis. Mobilitatem enim habet naturæ, quia omne creatum vertibile est in nihilum, nisi manu omnipotentiæ divinæ contineatur. Similiter angelus mobilitatem intelligentiæ habet, quia licet in angelo non sit vicissitudo intelligentiæ quoad scita in Verbo, cum deiformem habeat intellectum secundum Dionysium, potest tamen in eo quoad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiæ, et quoad discenda : et hoc est quod dicit Augustinus, quod omne creatum habens intellectum, intelligit unum post aliud. Item in voluntate mobilis est angelus, quia non simul vult hoc et illud. Item potest dici semper mobilis motu dilectionis. *Arbitrio libera* : hoc non dicitur propter deflectionem ad bonum indifferenter, et ad malum, sed propter liberam electionem eorum quæ voluerit : unde angelus bonus semper libere eligit bonum, et angelus malus libere, et sine coactione eligit malum. *Incorporea substantia* dicitur, quia angelus habet proprietatem corporis, non naturam, scilicet in loco contineri. Cum enim corpus sit in loco circumscriptive et diffinitive, angelus tantum diffinitive est in loco. *Deo ministrans* : ministerium hic ponitur pro quocumque obsequio ; et secundum hunc modum tam assistentes, quam ministrantes, quam etiam dæmones ministrant. *Immortalitatem suscipiens secundum gratiam, non naturam*, quia rediret in nihilum, nisi per gratiam conservationis contineretur. Angelo attribuuntur quatuor, scilicet essentiæ subtilitas, intellectus perspicacitas, liberi arbitrii facultas, discretio personalis. In primis tribus convenit anima cum angelo ; in quarto non, quia anima non est persona. Habet et alia tria angelus, scilicet virtuositatem in operando, officiositatem in ministrando, immutabilitatem post electionem, sive in bono, sive in malo. Differentiæ quatuor assignantur inter angelum et animam. Prima et principalis penes esse naturale, quia anima est unibilis corpori, etiam actu separata, angelus non. Secunda est penes esse logicum, id est, diffinitionem, quia anima rationalis est, sed angelus intellectualis. Anima enim apprehendit inquirendo; et conferendo ; angelus vero, intuendo. Tertia est penes esse metaphysicum, id est separatum a materia, et a motu, quia angelus non habet passibilitatem, nisi respectu superiorum ; anima vero, respectu inferiorum, quia immutatur a sensibilibus. Quarta est penes esse theologicum, quia anima vertibilis est a bono in malum, et e contrario ; angelus vero non, quia manet in eo ad quod se convertit, sive bonum sit illud, sive malum : angeli enim sunt omnes similes in eo quod immortales, invisibiles, et indissolubiles, simplices, discreti personis, incommutabiles, incommunicabiles sunt alteri naturæ, sed dissimiles sunt in donis gratiæ, et naturæ. Præterea dicit Dionysius quod in omni natura spirituali creata aliud est essentia, aliud est virtus, aliud est operatio.

CAPUT XII.

De Distinctione cœlestium Hierarchiarum.

Hierarchia triplex est, scilicet supercœlestis, cœlestis, et subcœlestis. Supercœlestis est in tribus personis; cœlestis est in ordinibus angelicis ; subcœlestis in hominibus sanctis. Porro hierarchia cœlestis dividitur in superiorem,

[1] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. III, non longe a princip.

(*a*) Al., *scilicet ex interpretatione Jac. Billii*, natura immortalitatem divinitus consecuta. — (*b*) *Al.* Sortes.

Digitized by Google

mediam, et inferiorem. Superior continet tres ordines, scilicet Cherubim, Seraphim, Thronos, quorum primi considerant Dei bonitatem, secundi veritatem, tertii æquitatem. Item in primis Deus amat, ut charitas; in secundis noscit, ut veritas; in tertiis sedet, ut æquitas. Media continet Dominationes, Principatus, et Potestates : quorum primi regunt officia angelorum; sequentes capitibus præsunt populorum; ultimi potestatem coercent dæmonum. Item in primis Deus dominatur, ut majestas; in sequentibus regit, ut principatus; in ultimis tuetur, ut salus. Inferior hierarchia similiter continet tres ordines, scilicet Virtutes, Archangelos, Angelos : ad quorum priores pertinet miraculorum operatio; ad secundos, majorum negotiorum denuntiatio; ad tertios, humanæ custodiæ sollicitudo. In primis Deus operatur, ut virtus; in secundis Deus revelat, ut lux; in tertiis mittit, ut inspirans. Hæc dicta sunt secundum beatum Gregorium [1], et secundum Bernardum; sed secundum Dionysium, Virtutes sunt medius ordo secundæ hierarchiæ, et Principatus primus ordo tertiæ hierarchiæ. Hic attendendum quod in qualibet trium hierarchiarum præmissarum notatur trinitas divinarum personarum, ut patet in cœlesti hierarchia, tam superiori, quam media, quam etiam inferiori.

CAPUT XIII.

De proprietatibus Angelorum.

Angeli, secundum Isidorum [2], sunt spirituales facti, ante omnem creaturam creati, natura mutabiles conditi, sed contemplatione immutabiles facti, animo impassibiles, mente rationales, felicitate securi, futurorum præscii, jussi mundum regunt, missi corpora aerea assumunt, in cœlestibus commorantur. Bernardus de eodem [3]: « Investigemus investigabilia : et primo spiritus esse potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personis, dispositos in dignitate, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, unanimitate indivisos, pace securos, divinis laudibus et obsequiis deditos. » Item secundum Bernardum, in angelis est dignitas creationis, gratia confirmationis, amor Creatoris, visio Divinitatis. Est etiam in angelis potentia, sicut supra dictum est, essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicacitas, liberi arbitrii facultas, agilitatis velocitas. Prompte omnes obediunt; majores sine elatione præsunt, minores sine vitio subsunt; qui ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione non recedunt. Omnem virtutem inferiorum superiores participant, non e contra. Qui excellunt in natura, præcedunt in gratia et gloria. In eodem ordine creduntur alii esse aliis digniores. Duplicem habent visionem, scilicet matutinam, et vespertinam. Illuminationes, quas a superioribus recipiunt, aliis tribuunt.

CAPUT XIV.

De proprietatibus et officiis singulorum ordinum.

Proprium est Seraphim in amore Dei ardere, et alios ad incendium divini amoris promovere, et in Deum ordinare, et Deum ordinate diligendi formam tribuere. Isti immediate Deo junguntur : et ideo purius, et perfectius in ipsos operantes theophaniæ deferuntur : ad aliud quoque extra amatum non divertunt. Cherubim quoque primo et principaliter relucent divini luminis radio, pro eo quod vicinius primæ veritati junguntur. Horum officium est promovere homines ad divinam cognitionem : ideo præ cæteris dicuntur lucere, quia plenitudinem luminis, quam suscipiunt, aliis inferioribus communicando transfundunt. Throni dicuntur, eo quod in eis Dominus sedeat, et judicia sua per eos determinet. In his ergo præcipue relucet rectitudo divini judicii. Hi quoque virtutem Dei, quam supra se accipiunt, ad inferiores transfundunt. Dominationes dicuntur, eo quod cæteris angelis dominantur, et ab omni oppressione sunt liberi, et nulli inferiori subjiciuntur. Horum officium, secundum Gregorium [4], est in bello spirituali instruere, qualiter oporteat prælationis officium exercere, et qualiter debeat subditis dominari. Horum etiam officium est, secundum Dionysium, timore servili deposito, in Deum moveri, et incessanter ei famulari. Principatus subditis angelis præsunt, et eos ad ministerium divinum explendum disponunt : ad hos pertinet, secundum Dionysium, universale regimen, unius regni gentes ducere ad Dei similitudinem. Ministerium quoque eorum est, secundum Gregorium [5], docere homines exhibere reverentiam unicuique secundum gradum

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XII. — [3] Bern., *de Consid.*, lib. V, c. IV. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV. — [5] Ibid.

Digitized by Google

suum. Horum etiam officium est promovere homines, ut non propter utilitatem propriam, sed propter solius Dei amorem et honorem, faciant justitiam. Potestatibus, secundum Isidorum [1], virtutes adversæ subjectæ sunt, ne mundo tantum noceant, quantum cupiunt. Horum officium, secundum Gregorium [2], est illos, qui in spirituali certamine desudant, confortare, et ne spirituale regnum amittant, defendere. Et secundum Dionysium, ad ipsos spectat angelos inferiores, quantum possibile est, divinæ potentiæ conformare. Virtutes sunt infatigabiles ad executionem faciendorum, et robustæ (*a*) ad præceptionem munerum. Horum officium est, secundum Dionysium, docere prælatos ut facile et perseveranter, quæ ad officium prælationis pertinent, exequantur, et ipsius onera sustineant patienter. Item per istos miracula fiunt, et virtutes faciendi mirabilia perfectis conceduntur. Archangeli summi nuntii nuncupantur, et summa nuntiant. Horum officium est, secundum Gregorium [3], de his quæ pertinent ad promotionem fidei, ut de nativitate Christi et factis ejus, homines erudire, et dæmones ab hominibus removere; secundum Dionysium [4], prophetias revelare. Isti illuminationes, quas a superioribus suscipiunt, inferioribus annuntiant, et per eosdem nobis angeli sunt in cœlesti dispositione ultimi, et hominibus magis propinqui. Angelus nomen est officii, non naturæ. Isti minima nuntiant, et homines ad divinam cognitionem ducunt, et ut juste vivant, instruunt. Hi sursum extenduntur per dilectionem Dei, in seipsis firmantur per custodiam sui, ac sub se progrediuntur ad auxilium proximi. Nos autem assimilari debemus Seraphim per charitatem, Cherubim per cognitionem, Thronis per æquitatem, Dominationibus carnem spiritui subjugando, Principatibus reverentiam majoribus nostris exhibendo, Potestatibus tentationibus diabolicis resistendo. Item debemus assimilari Virtutibus per compassionem, Archangelis per instructionem, Angelis per obsequii exhibitionem.

CAPUT XV.

De cognitione et motu Angelorum.

Angeli cognitionem habent matutinam, hoc est, cognitionem rerum in Verbo; item vespertinam, id est, cognitionem rerum in se. Item meridianam, id est, apertam Dei visionem. Est et alia cognitio angelica, videlicet, prout majores indicant minoribus, quæ per divinas theophanias perceperunt. Theophania vero est ostensio alicujus cognoscibilis de Deo per illuminationem de Deo venientem: et hoc potest esse vel in symbolis, vel facie ad faciem. Nota quod angelus in cognitione rerum in propria natura, cognoscit plura habitu, et non actu. Circa incarnationem et passionem Christi sciverunt angeli substantiam facti, sed non omnes circumstantias, ut quare, vel quomodo. Præterea quæcumque angeli cognoscunt, cognoscunt remota sicut propinqua: quia cognitio eorum non per sensum, sed per intellectum est.

Status autem angeli triplex est, scilicet innocentiæ, gratiæ, et gloriæ. Distinguitur motus Angelorum tripliciter secundum Dionysium, scilicet circularis, rectus et obliquus. Circularis est ab eodem in idem, et circa idem centrum immobile: hunc motum habent angeli, qui immediate recipiunt illuminationes a Deo, et per illas revertuntur ad Deum. Istud autem convenit superiori hierarchiæ tantum. Item motu recto moventur, quando procedunt ad providentiam subjectorum recte omnia transeuntes, et non revertuntur ab eodem in idem, sed de uno in aliud. Item est in angelis motus obliquus, quando scilicet cognitionem inferiorum, quibus providet, reflectunt in Deum, principium et finem boni et pulchri.

Nota differentiam inter assistere et ministrare: quia assistere est faciem Dei contemplari: sic assistunt omnes boni angeli. Item assistere est immediate recipere illuminationes a Deo: sic tantum assistunt tres primi ordines. Item assistere est appropinquare Deo, et extraneum esse ad exterius missioni: sic assistunt quatuor primi ordines. Ministrare vero est nuntiare pro temporis opportunitate, vel operari secundum officium: est enim ministerium nuntii, et officii.

Erratum est circa motum angelorum tribus modis. Dicebant enim quidam philosophi, quod angeli nunquam moventur, sed movent sphæras, et per eas voluntates hominum. Item dixerunt alii, quod angelus sit in pluribus locis, et etiam ubicumque, si (*b*) voluerit. Item dixerunt alii, quod angelus sic venit de fine spatii,

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XII. — [2] Greg., ubi sup. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV. — [4] Dion., *de Cæl. Hier.*, c. IX.— (*a*) *Cæt. edit.* robusti.— (*b*) *Edit. Ven.* sit. *Forsan legendum* sic.

Digitized by Google

quod non transit media, sed transilit. Illud quoque prætermittendum non est, quod unusquisque ordo ab eo denominatur, secundum quod respectu inferiorum ordinum excellentias accipit in munere.

CAPUT XVI.

De prælatione Angelorum.

Præsunt quidam angeli regionibus, ut dicitur in Daniele [1]: *Princeps Græcorum, et Princeps Persarum*, etc. Quidam vero præsunt Ecclesiis; in Apocalysi [2]: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.* Item alii præsunt personis; in *Actis* [3] angelus Petri credebatur ad ostium stare. Quidam etiam maligni spiritus dicuntur vitiis præesse; unde vocatur aliquis spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ, et hujusmodi. Quæ autem prælationes permaneant, vel quæ cessent post hanc vitam: sciendum est quod hierarchiæ semper stabunt quantum ad instantiam (*a*) beatitudinis, et quantum ad gradum dignitatis, et nobilitatem doni gratuiti, ac naturæ. Cessabunt autem prælationes angelicæ super homines et angelos quoad actum regiminis, secundum gubernationem mundi et electorum, secundum viam ad patriam. Prælatio autem est in dæmonibus quoad officium insultandi et irridendi, et secundum quod unus provocat alterum in malitia: et hoc non destruetur; Psalmista [4]: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Nec destruetur quantum ad malitiam et naturam; cessabit autem eorum prælatio quoad officium tentandi eos qui sunt in via. In hominibus etiam prælationes evacuabuntur, quia non erunt decani, centuriones, chiliarchæ, et hujusmodi. In creaturis similiter cessabit prælatio, quia superiora non movebunt tunc inferiora, sicut modo.

CAPUT XVII.

De confirmatione Angelorum.

Confirmationem habet angelus ex tribus, scilicet ex natura, gratia, et gloria. Ex natura quidem, quia natura spiritualis semel tantum vertibilis est, vel in bonum, vel in malum, nisi ex unione unius cum altero, sicut patet in anima, quæ dum est in corpore, potest mutari sæpius de bono in malum, et contra; soluta vero, non. Hujus autem ratio est, quia natura spiritualis, propter suam simplicitatem, se totam convertit ad id quod elegit; quod non facit natura unita, quia habet corpus retrahens. Ex gratia similiter habet confirmationem, quia si aliquid connectitur stabili æterno vinculo perpetuo, illa connexio semper manet. Sic angeli colligati sunt stabili æterno, scilicet Deo, et hoc vinculo indissolubili, scilicet charitatis; Apostolus [5]: *Charitas nunquam excidit*, etc. Ex gloria quoque habent eam, quia cum Deum habeant per gloriam, quæ (*b*) est forma completiva angelici desiderii, non vagantur extra ipsum, ut quærant aliquid illo melius, vel desiderabilius atque jucundius. Nihil enim in creaturis inveniunt, quod possit eos a fonte divinæ dulcedinis avertere.

Tenendum itaque quod angeli boni ex libertate arbitrii ad Deum conversi, statim fuerunt per gratiam et gloriam in voluntate confirmati, fideles ac felices effecti, atque in ratione illuminati, ut non solum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in arte, hoc est, in Verbo. Filius enim dicitur ars Patris, per quam operatur. Acceperunt insuper perfectionem in virtute operativa, sive exequantur illam assumpto corpore, sive alias, atque perfectionem in virtute contemplativa, qua, quocumque mittantur, intra Deum currunt.

(*a*) *Forsan legendum* præstantiam *vel* substantiam. — (*b*) *Edit. Ven.* qui.

CAPUT XVIII.

De custodia Angelorum.

Angeli nobis ad custodiam deputati tenent nos stantes, ne cadamus, et cadentes nos adjuvant, ut surgamus: nec unquam nos deserunt etiam peccantes, quin semper sint parati auxiliari, si velimus. Hoc tamen fallit in obstinatis, a quorum custodia desistit angelus actualiter: paratus est tamen custodire, si redire voluerint, quia nunquam deseritur homo ex toto ab angelis.

Nota quod Christus non habuit angelum sibi deputatum, quia anima ejus superior fuit omni angelo; sicut et habebit unum Antichristus, quem licet propter nimiam obstinationem non sit habiturus ad promotionem suam, habebit tamen ad accusationem.

Effectus autem angelicæ custodiæ multiplex est. Primus est impedimenta boni, et occasiones mali, et actiones peccandi removere; Exo-

[1] *Dan.*, x, 13, 20. — [2] *Apoc.*, ii, 1. — [3] *Act.*, xii, 15. — [4] *Psal.* lxxiii, 23. — [5] 1 *Cor.*, xiii, 8.

Digitized by Google

dus [1] : *Mittam angelum præcursorem, qui ejiciat Jebusæum.* Secundus est tentationes mitigare ; Daniel [2] : *Angelus Domini descendit in fornacem*, etc. Tertius est contra hostes visibiles adjuvare; in libro *Regum* [3] : Elisæus *vidit castra angelorum.* Quartus est orationes nostras et eleemosyas Deo præsentare, et pro nobis orare ; in Tobia [4] : *Quando orabas cum lacrymis*, etc. Quintus est viam ostendere ; in Tobia [5] : *Ego sanum ducam, et reducam*, etc. Sextus est in agendis docere; Zacharias [6], de angelo qui instruxit eum de quatuor fabris. Septimus est, seipsum et alia secreta revelare; in Tobia [7] : *Ego sum Raphael angelus.* Octavus est a peccatis excitare; in Actis [8] : *Surge velociter.* Nonus est, ad fervorem excitare; in libro Regum [9] : *Surge, comede; grandis enim tibi restat via.* Decimus est consolari; in Tobia [10] : *Forti animo esto; in proximo est ut a Deo cureris.* Undecimus est de peccatis increpare; in libro *Judicum* [11], dixit Angelus populo Israel : *Cur* contra Deum *fecistis?* Duodecimus est contrarias potestates arcere, ne tantum nocere valeant, quantum vellent; in *Tobia* [12], qualiter Angelus Asmodæum ligavit.

Angeli serviunt nobis propter tria, scilicet : propter ruinæ suæ reparationem, quia homines salvandi intrabunt in locum cadentium angelorum; item propter meriti accidentalis cumulationem, quod augetur in eis usque ad diem judicii; item propter amoris erga nos demonstrationem.

Dionysius attribuit angelo tres actus, scilicet purgare, illuminare, et perficere. Purgant itaque angeli removendo phantasmata quæ impediunt illuminationem, quam angelus intendit facere in nobis. Unde tria removent ab anima, scilicet ignorantiam, et nubila phantasiarum, ac falsas opiniones philosophicarum rationum revelationi contrariarum. Illuminant vero animam tripliciter, scilicet ad sensum, ut patet quando aliquid manifestant (*a*) in assumpto corpore; item ad imaginationem, scilicet cum fumositates, quæ per spiritum animalem ad cerebrum elevantur, transmittunt in diversa phantasmata : et hanc potestatem habet etiam diabolus. Item ad intellectum, et talis illuminatio solum perfecta est. Notandum autem quod angelus non illuminat intellectum efficiendo novam cognitionem in anima, quia non potest in intellectu novam speciem imprimere, nec habitum novi luminis dare, sed nec ejus intentionem quo vult convertere, quia hoc est contra naturam liberi arbiirii. Hæc enim tria requiruntur, ut intellectus noster intelligat aliquid, scilicet species qua cognoscatur, et lumen in quo cognoscatur, et intentio qua convertatur intellectus super speciem. Illuminat autem angelus intellectum nostrum excitando, et disponendo, et lumen divinum in nos transferendo. Facit enim, ut dictum est, in phantasia transmutationem specierum, componendo et dividendo, secundum exigentiam rei quam vult revelare. Item irradiat lumen intellectus sui super illas species, ut moveant intellectum nostrum, et sic plura et subtiliora videre possimus (*b*) in lumine duplicato. Item excitat intentionem animæ aliquo motu, ut ipsa convertat se super illa phantasmata, abstrahendo se ab aliis. Perficiunt autem, id est, promovent ad melius.

Sed utrum angelus accendere possit affectum humanum, tripliciter potest intelligi, scilicet vel efficiendo, vel excitando et adjuvando, vel movendo. Primo modo solus Deus potest inflammare affectum, scilicet per effectum. Secundo modo ipsum desideratum inflammat affectum, scilicet excitando et juvando. Tertio modo potest angelus affectum nostrum incendere per motum. De his habemus exemplum in naturis; quia primo modo ignis accendit ligna, secundo modo ligna incendunt ignem, et tertio modo, qui ligna igni apponit, ignem accendit. Differentia autem est inter immittere cogitationem, et incendere, et mentem illuminare : quia cogitationem immittere est, ut dicit Beda, intus creare, et facere cogitationem ; sed incendere est cogitationem jam factam inflammare ; illuminare vero est dare revelationem de aliquo occulto intelligibili.

CAPUT XIX.

De locutione Angelorum.

Verbum triplex est, scilicet, mentis, oris, et operis. Verbo mentis loquitur Deus angelo, et e converso; item Deus animæ, et e converso; item diabolus Deo : cujus tamen intentio Deum latere non potest. Verbo autem oris loquitur homo homini in corpore unito animæ; angelus

[1] *Exod.*, XXXIII, 2. — [2] *Dan.*, III, 49. — [3] IV *Reg.*, VI, 17. — [4] *Tob.*, XII, 12. — [5] *Tob.*, V, 15.— [6] *Zach.*, I, 20.— [7] *Tob.*, XII, 15.— [8] *Act.*, XII, 7.— [9] III *Reg.*, XIX, 5.— [10] *Tob.*, V, 13.— [11] *Judic.*, II, 2.— [12] *Tob.*, VIII, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* manifestatur. — (*b*) possunt.

Digitized by Google

vero homini, corpore assumpto; sed verbo operis loquitur Deus diabolo, et angelus diabolo. De locutione itaque angelorum, nota quod angelus loquitur Deo, cum ex visis in motum admirationis exurgit, vel cum affectus suos ei præsentat, quos tamen eum latere minime dubitat. Angelus vero loquitur angelo verbo mentis suæ, species ostendendo mediante illuminatione quadam spirituali irradiante ab ipso. Item angelus facit aliquid coram angelo, quo facto intelligit quod non intelligebat ante. Et sic loquuntur omnes omnibus, id est, superiores inferioribus, et e converso. Item loquitur angelus angelo per communicationem divini luminis ipsum instruendo : sic non loquuntur omnes omnibus, nec omnia, sed tantum superiores inferioribus de his quæ per divinas theophanias perceperunt.

Loquitur autem angelus homini dupliciter. Primo modo, verbo vocali in assumpto corpore; sed tunc, sicut non profert sonum in organis materialibus secundum naturam, ita nec circulariter immutat medium, quemadmodum in voce naturali : unde non auditur, nisi ab illo ad quem ordinatur : et est simile in apparitionibus angelorum, quos quidam vident, et alii æque propinqui non vident, ut apparet [1] in Elisæo, et puero ejus. Dicunt tamen aliqui, quod angelus nunquam apparuit, vel apparet, aut loquitur homini in subjecta creatura; sed intentionem, sive similitudinem ponit in oculo ejus, vel intentionem vocis ponit in aure ejus, et ibi recipit sensus communis species illas, ac deinde perveniunt ad imaginationem, post hæc ad intellectum : et hoc est quod angelus dicitur apparere, aut loqui homini.

Secundo modo loquitur angelus homini per impressionem rerum sensibilium, moto instrumento imaginationis, et sic loquitur vigilantibus et dormientibus.

Item loquitur angelus diabolo, species sui intellectus ei sine aliqua illuminatione ostendendo.

Item loquitur diabolus homini dupliciter : primo modo, sensum immutando, et hoc vel imaginationem alicujus rei imprimendo instrumento visus, vel objiciendo visui similitudinem alicujus rei; secundo modo loquitur diabolus homini per impressionem rerum sensibilium in instrumento imaginationis, et hoc facit quandoque vigilantibus, quandoque dormientibus : et sic immittit cogitationem mali. Cogitationem vero malam non potest immittere, quæ tantum per consensum mala fit (*a*).

Est et locutio animarum : quia anima loquitur Deo per desiderium, cujus affectiones nudæ sunt et apertæ oculis Dei. Anima similiter angelo loquitur, et hoc per voces corporis, quas bene percipit angelus, sicut et alia sensibilia. Unde anima existens in corpore alia spirituali potestate loquendi ad angelos non indiget; sed hanc habebit exuta a corpore. Item anima loquitur diabolo, quia similitudines affectionum imprimuntur sensibus, ubi diabolus legit eas.

CAPUT XX.

De specialibus nominibus Angelorum.

De his nominibus, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, sciendum est, quod hæc sunt propria nomina Archangelorum, licet eorum interpretationes aliis sunt communes; sed eorum propria sunt, quia his horum nominum interpretationes conveniunt excellentius. Michael interpretatur, *Quis ut Deus?* hic est de ordine Principatuum, et attribuuntur ei quatuor, scilicet esse præpositum paradisi, id est, Ecclesiæ, sicut et olim fuit princeps Synagogæ. Item deferre animas in paradisum; sed hoc intelligas, quod gloriosius deferat quam alii. Item, pugnare cum dracone, id est, diabolo, sicut legitur [2] in Apocalypsi. Item, venire in adjutorium populo Dei.

Gabriel interpretatur *fortitudo Dei*. Hic est de ordine Archangelorum, et merito, quia magna annuntiavit.

Raphael interpretatur *medicina Dei*, et est de ordine Virtutum, quia mirabilia magna fecit.

CAPUT XXI.

De casu Angeli.

Omnes angelos fecit Deus bonos; non tamen summos, sed medios inter summum bonum et bonum commutabile, quod est creatura, ita quod si converterentur ad amandum Deum, qui supra se erat, ascenderent ad statum gratiæ et gloriæ; si vero converterentur ad bonum commutabile, quod fuit infra se, hoc ipso ruerent in malum culpæ et pœnæ, quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ.

[1] IV *Reg.*, VI, 17.— [2] *Apoc.*, XII, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* sit.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De spirituali casu Dæmonis.

Casus diaboli duplex fuit, scilicet spiritualis, et localis. Spiritualis, quia cecidit de naturæ puritate, de flexibilitate liberi arbitrii ad bonum, de luce in tenebras, de scientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de felicitate in pœnam, de dilectione in odium. Post casum enim factus est impœnitens, et obstinatus in malo, et excæcatus a vero, et deordinatus in bono, et infirmatus in virtute, et exclusus a Dei contemplatione. Præterea voluntas ejus impia conversa est ad hominis odium, et invidiam : unde toto conamine nititur ad ejus subversionem per tentationem multiplicem. In tantum autem excæcatus est, quo potius vult esse, quam non esse, ut pugnet contra Deum, licet ex hoc sciat sibi malum semper evenire : quia quolibet facto suo, quod ex libero suo arbitrio procedit, peccat mortaliter.

CAPUT XXIII.

De locali casu Diaboli.

Casus etiam diaboli localis fuit, quia vel in infernum, vel in caliginosum aerem, qui est in medio interstitio aeris, corruit. Dæmones enim non sunt in superiori parte aeris, ne lumine gaudeant; nec sunt in parte inferiori, ne nimis contra nos sæviant. Unde notandum est, quod in dæmonibus est tria considerare, scilicet naturam, officium et peccatum. Et naturæ quidem convenit locus summus, id est cœlum, in quo tanquam in loco congruo sunt creati; et postmodum in natura, si stetissent, perficiendi. Ex officio vero quod habent exercendi homines, convenit locus medius, id est aer caliginosus, ubi et satis propinqui sunt nobis ad tentandum, et tamen non habent lumen ad gaudendum : sed peccato convenit locus infimus, scilicet infernus. Unde et dæmones post finem mundi, quando cessabit eorum officium, detrudentur simul [1] in infernum. Dicunt quidam quod Angelus cecidit secunda die; sed communior est opinio quod prima die subito post creationem suam ceciderit. Dicitur communiter, quod decimus chorus angelorum cecidit : sed hoc non dicitur quod decem ordines angelorum fuerint, sed quod tot de singulis ordinibus ceciderunt, quot poterant facere chorum unum. Unde novem sunt ordines angelorum : quilibet ordo habet suas legiones : legio autem angelorum habet 6666 unitates. Tot autem in singulis ordinibus sunt legiones, quot in legione sunt unitates.

[1] *Matth.*, XXV, 41. — [2] Aug., *Enchirid.*, c. XXIX; *de Civit. Dei*, c. I. — [3] Greg, *in Evang.*, hom. XXXIV. —

CAPUT XXIV.

De restauratione ruinæ Angelorum.

Angelorum ruina restaurabitur per salvandos. Dicit autem Augustinus [2], quod tot salvabuntur homines, quot angeli ceciderunt. Gregorius [3] vero dicit, quod tot homines salvabuntur, quot angeli perstiterunt. Dixerunt etiam quidam, quod duo parietes erunt in cœlo, scilicet unus hominum, et alius angelorum; et quod ruina angelica restaurabitur per virgines; et de alio pariete tot erunt salvandi, quot in alio pariete sunt virgines et angeli.

CAPUT XXV.

Cur peccatum Diaboli sit irremissibile.

Quare peccatum diaboli sit irremissibile, assignantur plurimæ rationes. Prima, quia secundum Augustinum [4], nullo suggerente peccavit, et ideo nullo reparante redibit. Secunda est secundum Damascenum [5], quia contra deiformem intellectum peccavit : quanto autem nobilior est cognitio, tanto pejor est error [6] : *Servus enim sciens voluntatem Domini*, etc. Tertia secundum eumdem Damascenum est, quia angelus non est susceptibilis pœnitentiæ; unde nec veniæ. Quarta est, quia in diabolo extincta est synderesis quantum ad boni promotionem. Quinta est, quia natura spiritualis semel tantum vertibilis est, eo quod tota se convertat : quod non facit homo, quia caro semper repugnat spiritui. Status autem angeli mali triplex est, ut patere potuit ex prædictis : primus scilicet innocentiæ; secundus, culpæ; tertius, pœnæ et miseriæ.

CAPUT XXVI.

De proprietatibus Dæmonum.

Dæmones sunt spiritus impuri, humani generis inimici, mente rationales, in nequitia sub-

[4] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de Mirabilib. Script.*, lib. I, c. II. — [5] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. III. — [6] *Luc.*, XII, 47.

Digitized by Google

tiles, cupidi nocendi, per superbiam tumidi, semper in fraude novi; immutant sensus, inquinant affectus, vigilantes turbant, dormientes per somnia inquietant, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis angelos [1] se transformant, semper infernum suum secum portant, in idolis sibi cultum divinum usurpant, super bonos dominari appetunt; magicæ artes per eos fiunt; bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur.

Triplici acumine scientiæ vigent dæmones: primo, subtilitate naturæ, et hoc per cognitionem vespertinam; secundo, experientia temporum; tertio, revelatione superiorum spirituum. Primo modo intelligunt naturalia præsentia; secundo modo, naturalia futura; tertio modo cognoscunt etiam voluntaria.

Multipliciter vero diabolus nominatur, per quod et proprietates suæ cognoscuntur. Vocatur enim *diabolus*, quod interpretatur *defluens*, quia defluit, id est corruit spiritualiter et localiter, sicut dictum est. Græce interpretatur diabolus *clausus ergastulo;* et hoc sibi convenit, quia non permittitur tantum nocere, quantum vellet. Præterea secundum etymologiam diabolus dicitur a *dia*, quod est duo, et *bolus*, quod est morsellus, quia duo occidit, scilicet corpus et animam. Item vocatur *dæmon*, id est, sanguineus, et hoc propter peccatum; vel sciens, quia viget triplici scientia, sicut dictum est. Item *Belial*, quod interpretatur *absque jugo*, vel *absque domino*, quia pro posse contra eum pugnat, cui deberet esse subjectus. Item *Beelzebub*, quod interpretatur *vir muscarum*, id est, animarum peccatricum, quæ reliquerunt verum sponsum Christum. Item *Satanas*, id est, *adversarius*; unde Petrus [2]: *Adversarius vester diabolus*, etc. Idem *Behemoth*, id est, bestia, quia facit homines bestiales. Item *Leviathan*, id est, additamentum eorum qui peccata peccatis cumulant [3].

CAPUT XXVII.

De malitia diaboli contra nos.

Diabolus nocet homini multipliciter: quia per violentiam; et hoc, quandoque exterius corpus lædendo, sicut fecit Job; quandoque intra membra ligando, sicut in obsessis: et propter hoc datur parvulis angelus bonus, ne diabolus in his lædat eos, vel exedat. Item nocet per impressionem imaginum mala suggerendo, vel per commotionem sanguinis ad peccatum accendendo, vel sensus exteriores per objectionem falsarum formarum decipiendo. De his et similibus dicit Gregorius [4]: « Aut opprimendo rapit, aut insidiando circumvolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut desperando frangit, aut promittendo decipit. »

Diabolus decipit homines quatuor modis: primo suadendo bonum, sed hoc propter malum, ut cum homini instabili suadet ingressum religionis, et hoc ut postmodum apostatet; secundo, suadendo malum, et hoc sub specie boni, ut pejerare pro rebus alterius conservandis; tertio, dissuadendo bonum tanquam nocivum, ut cum dissuadet bono viro religionis ingressum, ne de hoc pœniteat, et egrediens confundatur; vel quando dissuadet alicui orationem vel eleemosynam, ne per hoc incurrat vanam gloriam; quarto, dissuadendo malum, ut ducat ad pejus, ut quando dissuadet intemperantiam (*a*) in victu et somno, ut per hoc inducat ad indiscretam abstinentiam, quod pejus est.

Impeditur diabolus in effectu suæ malitiæ multis modis: quandoque scilicet per terminum suæ potestati (*b*) a Deo impositum; item quandoque per resistentiam bonorum spirituum. Habet enim quælibet anima duos angelos : unum bonum, ad custodiam; alium malum, ad exercitium. Item per arbitrium hominis non consentientis; item per peccati abominationem, quia quandoque dæmones nobilioris naturæ peccata vilia detestantur; item propter cautelam quandoque omittit facere mala, ut pejus fiat, sicut modo non vexat excommunicatos, ut minus timeant tales sententias.

Utrum autem virtus tentandi minuatur in diabolo, quando vincitur, diversæ sunt opiniones. Dicunt enim quidam quod superatus in uno vitio, ipsum victorem non possit amplius tentare de eodem vitio, sed alius diabolus potest. Alii dicunt quod superatus in uno vitio, nullum amplius de illo vitio possit tentare. Origenes dicit, quod superatus ab uno, neminem possit tentare de cætero.

Data est potestas dæmonibus exercendi magicas artes multiplici ratione. Primo, ad fallendum fallaces, sicut Ægyptios et ipsos magos. Unde etiam quæ ipsi per talem modum acturi

[1] II *Cor.*, XI, 14.—[2] I *Petr.*, V, 8.—[3] De his singulis nominibus, sat quidem male interpretatis, vid. Lexicographos hellenistas, et sacræ Scripturæ interpretes, ac præsertim Cornel. a Lapide.—[4] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. VIII. — (*a*) *Cæt. edit.* temperantiam. — (*b*) *Item* potestatis.

Digitized by Google

sunt, quasi divinando prædicunt. Secundo, admonendum fideles, ne scilicet tale quid pro magno desiderent, cum videant etiam malos facere hujusmodi. Tertio, ad probandam et exercendam patientiam et fidem justorum.

CAPUT XXVIII.

De Lucifero.

De Lucifero sciendum est, quod fuit de supremo ordine superioris hierarchiæ, ac in illo ordine supremum gradum tenuit: cui tanquam principi de singulis ordinibus magna multitudo adhæsit, quos omnes secum traxit. Dictus est autem *Lucifer*, quia præ cæteris luxit, suæque pulchritudinis consideratio eum excæcavit. Primum hominem tentavit, et vicit. Christum tentavit, et victus est. Potestatem tunc amisit, quam ultimis temporibus recuperabit. Nunc religatus est, et in fine solvetur. Peccatum Luciferi fuit, quod se et suum privatum bonum dilexit. Excæcatus de altitudine habita præsumpsit, ac propriam excellentiam ambivit, quasi habiturus fuerit a se, non ab alio, et sine meritis habere voluit. Stare vel sperare cum posset, quousque gratia apponeretur, noluit. Dei similitudinem concupivit, non quidem causa imitationis, sed potestatis, id est, subditos habere voluit, et nulli subjectus esse concupivit.

CAPUT XXIX.

Quid sit Anima secundum diffinitionem.

Post naturam corpoream, et incorpoream, dicendum est de natura ex utrisque composita: sed primo ex parte mentis; secundo ex parte corporis; tertio ex parte totius hominis. De anima igitur videndum est quid sit secundum diffinitionem. Porro a quibusdam diffinitur ut spiritus; a quibusdam, ut anima; a quibusdam vero, ut spiritus et anima. In quantum igitur anima naturam habet spiritus, diffinitur ab Augustino sic in libro *de Motu Cordis*: « Anima est substantia incorporea, intellectualis, illuminationis capax, ultima revelatione perceptiva. » Ex hac diffinitione cognoscimus quod spiritus humanus, qui est anima, inter omnes creaturas immediate post angelos illuminationis divinæ sit perceptivus. Anima vero, in quantum anima, sic diffinitur a Remigio: « Anima est substantia incorporea, regens corpus. » Ex hac diffinitione habemus quod anima est quasi corporis rector et motor. Item anima, in quantum anima, diffinitur a Philosopho in libro *de Anima* [1] sic: « Anima est entelechia corporis physici organici potentia vitam habentis. » Entelechia hic dicitur actus primus, sive perfectio. Ex hac diffinitione habemus quod anima unibilis est corpori, non omni, sed soli organico et physico, id est, naturali, ad susceptionem animæ rationalis disposito. Item anima, in quantum est spiritus et anima, sic diffinitur ab Augustino [2]: « Anima est omnium similitudo. » Hæc diffinitio data est per comparationem animæ ad creaturas. Anima enim ex sui natura ad suscipiendas omnium rerum, tam corporalium, quam spiritualium similitudines apta est. Item animæ descriptio talis est: « Anima est deiforme spiraculum vitæ. » Hæc descriptio sumitur a *Genesi* [3], et datur secundum quod anima comparatur ad Deum, prout non ex traduce, vel seminali ratione propagatur, sed a Deo corpori creando infunditur, et infundendo creatur. Item Seneca sic diffinit animam: « Anima est spiritus intellectualis ad beatitudinem in se et in corpore ordinatus. » Hæc diffinitio datur in relatione animæ ad finem, secundum quod non solum separata beatificatur in se, sicut angelus, imo et in corpore glorificato ipsius beatitudo ampliatur.

CAPUT XXX.

Quid sit Anima secundum rem.

Quid sit anima secundum rem, diversas videntur sententias philosophi protulisse. Plato enim dicit animum numerum seipsum moventem; Aristoteles, entelechiam; Pythagoras, harmoniam; Hippocrates, spiritum tenuem; Heraclitus, lucem; Democritus, spiritum ex atomis compositum; Hypomenes, igneum vigorem. Parmenides dicit eam esse de terra et igne; Epicurus autem, ex aere et igne. Inter has diversitates nos sequimur dicta sanctorum, et catholicorum magistrorum dicentium, quod anima est substantia spiritualis et rationalis, ad vivificandum corpus humanum de nihilo creata. Creata est in quantum anima perfectibilis et imperfecta quantum ad scientiam et virtutes, perfectissima tamen est quantum ad potentias

[1] Arist., *de Anim.*, lib. II, text. 5.— [2] Imo ab auctore, quisquis ille sit, lib. *de Spir. et Anim.*, c. VI, inter Oper. S. Aug., tom. VI, append. — [3] *Gen.*, II, 7.

Digitized by Google

naturales. Et quia incorporea est, sensui non est subjecta, neque secundum dimensionem extensiva. Quantitatem enim habet anima, ut dicit Augustinus [1], non dimensivam, sed potestativam et virtualem. Et quia simplex est anima, ideo nec augmenti, nec decrementi est susceptiva, quia nec in corpore majori major, nec in minori minor reperitur, ut dicit [2] Augustinus. Multitudo quoque potentiarum in anima non ponit majoritatem in animæ natura, sed multiplicitatem effectuum. Anima etiam est vita perpetua, scilicet per memoriam, intelligentiam et voluntatem ad imaginem Dei facta, capax virtutis et vitii, susceptibilis pœnæ vel præmii; arbitrio libera, potentiis et habitibus, ac affectionibus decorata. Caret pondere, figura, et colore. Passibilis et mutabilis est: eo magna, quo capax est æternitatis; eo recta, quo naturaliter appetens est bonitatis; eo bona, quo particeps est divinitatis.

CAPUT XXXI.

Quid sit Anima secundum nomen.

Anima dicitur, in quantum corpus animat et vivificat; *mens*, in quantum recolit; *animus*, dum vult; *ratio*, dum rectum judicat; *spiritus*, dum spirat, vel quia spiritualem naturam habet; *sensus*, dum sentit; *memoria*, dum recordatur; *voluntas*, dum consentit. Hæc nomina diversa sunt animæ, non propter essentiæ pluralitatem, sed propter effectuum multiplicitatem, et operationum (*a*). Dicitur *anima* ab *a*, est *sine* [3]; et æma [4], quod est *sanguis*, eo quod sit sine sanguine. Vel dicitur ab *a*, et *nemein*, quod est *tribuere*, eo quod anima vitam tribuit. Vel dicitur anima quasi anemos [5], id est ventus, quod spiritus sit.

CAPUT XXXII.

De triplici Anima.

Actus animæ triplex est, scilicet vegetare, sentire, et ratiocinari: secundum hoc distinguitur animæ potentia triplex, scilicet vegetabilis, et sensibilis, et rationalis. De quibus dicit Ambrosius, quod anima vegetabilis appetit esse, sensibilis bene esse, rationalis autem optime esse: et ideo nunquam quiescit, donec optimo conjungatur: propter hoc vi amoris in Deum movetur tanquam ad centrum, ut in ipso summe delectetur. Hæ autem tres potentiæ in diversis substantiis tres animæ dici possunt. Nam vegetabilis est anima in plantis, sensibilis in brutis, rationalis in hominibus. In homine autem tres prædictæ animæ una sunt essentia, sed differunt in potentiis: nec obstat quod in homine successive, ac diversis temporibus manifestantur: hoc enim est a virtute formativa, quæ rationabiliter prius disponit ad vitam quam ad sensum, et prius ad sensum quam ad rationem, præsertim cum natura non in instanti, et subito, sed paulatim et successive operetur. Cum autem anima rationalis infunditur corpori, tunc prædictæ primo infunduntur, non habentes actiones suas deinceps a virtute formativa, sed ab ipsa anima. Anima quoque duas primas potentias, scilicet vegetabilem et sensibilem, exercet tantum in corpore; tertiam vero habet etiam exuta a corpore. Animæ vegetabilis et sensibilis non debent dici animæ in homine, nec dividi ut animæ, sed ut potentiæ; nec anima vegetabilis in sensibili dicenda est anima, sed potentia. Anima autem vegetabilis in vegetabili dicenda est anima, non potentia.

[1] Aug., *de Quant. animæ*, c. XVII. — [2] Ibid. — [3] Scilicet *a* privativum apud Græcos. — [4] Αἷμα. — [5] Ἄνεμος.

CAPUT XXXIII.

De potentiis (b) Animæ vegetativæ.

Anima vegetabilis tres potentias habet, scilicet generativam, augmentativam, et nutritivam. Prima est ad speciei conservationem; secunda est ad conservationem individui; tertia est ad perfectionem subjecti. Virtuti autem nutritivæ quatuor deserviunt, scilicet, virtus attractiva, quæ assumit necessaria in nutrimento; item digestiva, quæ separat conveniens ab inconvenienti in alimento; item retentiva, quæ cibum tandiu retinet in uno loco, donec debitam recipiat alterationem; item expulsiva, quæ expellit quod superfluum est in nutrimento: sed ante omnes has est appetitiva.

CAPUT XXXIV.

De potentiis apprehensivis Animæ sensibilis.

Anima sensibilis duplicem habet potentiam, scilicet apprehensivam, et motivam. Apprehensiva dividitur in apprehensivam de foris, et apprehensivam de intus. Vires apprehensivæ

Juxta alios, vox *anima* oritur a græco ἄω, *spiro*.
(*a*) *Cæt. edit.* operationem. — (*b*) Item *potentia*.

Digitized by Google

de foris sunt quinque sensus particulares, sive exteriores, scilicet visus, auditus, etc. Vires autem apprehensivæ de intus sunt quinque potentiæ interiores animæ sensibilis, quæ sunt sensus communis, imaginatio, æstimatio, phantasia, et memoria. Tradunt Peripatetici omnes vires istas organicas esse, et quod per instrumenta corporalia suas operationes perficiunt, eo quod sint circa particularia tantum. Omnis enim forma particularis in materia aliqua est : quoniam forma sine omni materia accepta, universalis est circa quam operatur intellectus. Ista facile est videre in sensibus particularibus : quoniam illi non apprehendunt, nisi per rei sensibilis præsentiam. De virtutibus autem interioribus, quæ sunt imaginatio, æstimatio, phantasia, idem est : quoniam in illis omnibus est apprehensio formæ singularis secundum situm partium ejus, et lineamenta, et quantitatem. Omnes istæ potentiæ passivæ sunt, et patiuntur a formis et individuis, quæ sunt principia cognitionis sensibilis. Sciendum autem quod nulla apprehensiva sensibilis retinet id quod apprehendit; imo quod una apprehendit, alia retinet. Notandum ergo quod alia virtus est quæ bene tenet, alia quæ bene recipit : et ista quæ bene tenet, perficitur sicco et frigido; sed illa quæ bene recipit, perficitur humido.

CAPUT XXXV.

De sensibus particularibus.

Sensus particularis in quinque dividitur, scilicet in visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum : qui in multis conveniunt, et in multis differunt. Conveniunt enim quinque sensus in hoc quod sunt vires passivæ. Sentimus enim intra suscipientes, non extra mittentes; sensibile autem positum supra sensum non sentitur. Omnes sensus sunt perceptibiles singularium, non universalium. Ad quemlibet sensum extenduntur nervi duo : unus ad sentiendum quid agitur circa exteriora; et alius ad motum voluntarium, qui agit ut vis animæ interior, et ad organum dirigit intentionem.

In omni sensu oportet esse proportionem sensibilis ad sensum, quia in mediis delectantur, et in extremis corrumpuntur. Ad sentiendum autem aliquid, oportet esse objectum præsens, et medium deferens, et organum sanum atque conveniens, et animæ intentio actualis. Omnes sensus unam habent originem, scilicet sensum communem, a quo, velut a centro, quasi lineæ quædam exeunt. Differunt etiam sensus particulares in multis. Nam quilibet habet speciale instrumentum. Differunt etiam in objectis, differunt in medio deferente, quia tactus et gustus habent medium intrinsecus, et alii extrinsecus. Differunt in apprehendendi velocitate : quia visus citissime etiam remota apprehendit. Differunt situ, quia visus est supremus; post, auditus; deinde alii per ordinem. Differunt utilitate, quia gustus et tactus maxime sunt necessarii ad conservationem individui et speciei. Gustus enim discernit cibum, per quem servatur animal a nocivo; et tactus discernit qualitates sensatorum, sicut calidum et frigidum, et hujusmodi, ut animal declinet extrema talium qualitatum, ne corruptionem incurrat. Differunt generalitate, quia tactus est generalior, cum non habeat organum determinatum, sed in omnibus membris sit. Differunt etiam in impressionum retentione : sensus enim grossiores fortius retinent suas impressiones, sicut patet in tactu. Nota quod videmus visu et oculo, sed differenter : nam visu videmus effective, sive formaliter; sed oculo videmus instrumentaliter. Eodem modo dicendum est de cæteris sensibus. Anima autem alienatur a sensibus tripliciter : primo, in somno; secundo, in ecstasi magis; tertio, in morte maxime.

CAPUT XXXVI.

De sensu communi.

Sensus communis est potentia quæ omnium sensuum particularium objecta apprehendit. Omnes enim sensus exteriores a sensu communi, velut a centro, particulariter exeunt, et sensatorum suorum similitudines ad sensum communem reducunt, quo mediante de singulorum proprietatibus judicant et discernunt. Unde sciendum, quod sensus communis est fons ex quo omnes sensus oriuntur, et ad quem omnis motus sensibilium refertur, sicut ad ultimum finem. Hæc potentia quædam habet in quantum est sensus, et quædam in quantum communis est. In quantum enim sensus est, habet recipere rerum species sine materia, et tamen præsente materia; in quantum communis est, habet duo, quorum unum est judicium sensibilium, per quod nos apprehendimus videre, quando videmus, et audire, quando audimus, et sic de aliis. Si enim hoc judicium non

Digitized by Google

esset in animalibus, non satis esset videre et audire utile, et secundum alios sensus apprehendere. Secundum est multa sensata comparare, dicendo unum esse dulce, et aliud dulcius esse: et hoc ideo sensus communis habet, quia ad ipsum referuntur omnium propriorum sensuum sensata. Hæc virtus in anteriori parte cerebri ponitur, in loco ubi concurrunt nervi sensitivi quinque sensuum, qui locus medullosus est et humidus.

CAPUT XXXVII.

De vi imaginativa.

Virtus imaginativa est potentia apprehensiva, in qua imagines rerum sensibilium reservantur. Hæc virtus plus abstrahit quam sensus, quia sensus non accipit formam nisi præsente re: ista autem reservat formam, etiam re absente. In hoc etiam imaginatio differt a sensu communi, quia sensus communis præsentia rei exterioris indiget, sicut sensus particularis. Ista autem virtus, scilicet imaginatio, thesaurus formarum vocatur, quia in ea, sicut dictum est, formæ a particularibus sensibus receptæ retinentur et immobilitantur. Hæc potentia in anteriori parte cerebri, seu interiori, sicut et sensus communis, ponitur: et hic major est durities ex frigiditate cerebri proveniens, ubi et imaginativa retinet impressiones a sensu communi receptas.

CAPUT XXXVIII.

De vi æstimativa.

Æstimativa virtus est, quæ a forma acquisita intentiones elicit, quæ sensu non percipiuntur, secundum quam ovis fugit lupum, et lupus miseretur suo filio: hoc autem non posset fieri, nisi lupus haberet cognitionem ejus individui, et quod hoc individuum sit natus ejus, sicut et ovis apprehendit lupum sibi nocivum: ista vero non possunt fieri per sensum. Æstimativa differt ab imaginatione: quoniam imaginatio solum retinet formas apprehensas per sensum communem, et ad imaginationem solam non sequitur affectus miseriæ, vel tristitiæ, vel fuga, vel insecutio; ad æstimationem autem statim sequitur quodlibet istorum. Unde sicut intellectus practicus se habet ad speculativum, ita se habet æstimativa ad imaginativam: et propter hoc æstimativa non solum apprehensiva est, sed etiam motiva, per hoc quod determinat ad quid moveri debeat animal, et a quo fugere. Cum enim animal movetur ad cibum, oportet æstimationem cibi in animali esse. Sed æstimatio non solum movet, imo etiam apprehendit. Oportet igitur animal habere æstimationem, qua moveatur. Officium igitur æstimativæ est apprehendere intentiones, non quidem rationis, sed naturæ. Unde non apprehendit quid sit syllogismus, aut nomen, aut verbum, vel amicitia, vel inimicitia, commodum vel incommodum, sicut dictum est. Hæc virtus ponitur in prima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida est ex motu multi spiritus ad ipsam.

CAPUT XXXIX.

De Phantasia.

Phantasia est virtus vel potentia componens imagines cum imaginibus, et intentiones cum intentionibus, et imagines cum intentionibus. Componit, inquam, phantasia imagines cum imaginibus, ut est apprehendere aliquid esse album, vel nigrum, vel diversas formas componere, et fingere chimæras. Componit etiam intentiones cum intentionibus, ut patet in ove, quæ apprehendit nato suo præbenda esse ubera, et alienum esse repellendum. Componit etiam imagines cum intentionibus, ut cum apprehendit ovis formam lupinam esse fugiendam. Per phantasiam major habetur cognitio, quæ potest haberi in anima sensibili: per hanc enim non solum scit præsentia, sed etiam providet sibi in futurum. Per hanc enim quædam animalia faciunt sibi casas, et de cibo provident in longinquum; per hanc etiam de illo scit quod sit idem, et de alio quod sit aliud: et sic de eo omni, de quo sententia profertur per modum affirmationis, et negationis. Per hanc quoque videmus aliquid eligere animalia, et aliquid refutare. Ad electionem autem et refutationem præexigitur scientia, et discretio: et ideo multi dixerunt, quod phantasia est aliquid rationis. Sed dicimus non esse veram electionem animæ sensibilis, sed aliquid simile. Hæc a vulgo in homine vocatur cogitativa, cum tamen cogitare proprie sit rationis. Phantasia operatur in somno, sicut in vigilia. Quod autem in somnis res videntur esse præsentes, hoc est, quia fit reversio ad sensum communem. Ista potentia quando conjuncta est rationi, sicut est in homine, tunc accipit agendi, et operandi

Digitized by Google

regimen a ratione. Sed quia ratio diversificatur secundum diversitatem eorum, de quibus ratiocinatio fit, ideo operationes phantasiæ multiplicantur in homine valde. Ubi autem phantasia non est cum ratione, ut est in brutis, tunc regitur solum secundum instinctum naturæ. Et quia natura uno modo est in habentibus speciem unam, ideo conceptio phantasiæ operatur in talibus uno modo. Et inde est quod omnis hirundo facit uno modo nidum suum. Dixerunt autem quidam philosophi, quod istæ virtutes in brutis potius aguntur, quam agant, sed in homine potius agunt, quam agantur : quia bruta moventur secundum impetum et impulsum appetitus naturalis; motus autem humani regulantur secundum regimen rationis.

Notandum autem quod melancholici, et infirmi, et amentes, multas habent phantasias ; sed hoc non est ex illustratione, quæ fit per imaginationes rerum sensibilium, sed ex passionibus naturæ, et confusione spirituum ascendentium ad cerebrum, et caput turbantium. Tales enim spiritus diversarum imaginationum involutiones faciunt, generant horribiles visiones et conceptiones. Præterea sciendum, quod bruta citius recipiunt influxus primi motoris, quam homines, sicut patet in formica, quæ quando cibum colligit, intra tres dies non pluit, et gallus cantum suum per tempus variat; quia mutationem auræ ex influxione primi motoris præsentiunt. Hujus dicti hæc est ratio, quoniam homines multum occupantur circa conceptiones suas, conferendo, et componendo, et dividendo : quare et influxiones primi motoris non percipiunt ita cito sicut bruta, quæ non sic occupantur in suis conceptionibus, nec secundum illas operantur, sed tantum secundum instinctum naturæ. Ista vis, scilicet phantasia, plurimum impedit intellectum, eo quod nimis occupat animam compositione et divisione imaginum, non solum acceptarum a sensibus, sed etiam fictarum; maxime autem impedit intellectum, quando aliquid de cœlestibus et divinis imprimitur ei : et hoc ideo, quia conceptiones tales intellectus, ut frequenter, non sunt similes imaginationibus et fictionibus phantasiæ. Phantasia vero ponitur in medio mediæ cellulæ cerebri, tanquam centrum, inter memorativam, et imaginativam : quia phantasia convertit se tam super formas, quas accipit imaginativa per sensum, quam super intentiones, quas reservat memoria : et tunc istas formas ac intentiones dividit ac componit.

CAPUT XL.

De Memoria.

Memoria est repositorium præteritorum. Reservat enim memoria intentiones per æstimationem a figuris rerum elicitas. Anima per memoriam, mediantibus rebus sensibilibus, redit in ipsas res sensibiles, quæ sunt extra ipsam : et propter hoc oportet actum memoriæ duas præcedere operationes, quarum una est hoc esse receptum, et hæc est operatio sensus communis, et in hoc memoria incipit; secunda est, hoc esse conservatum apud nos, quod fit per imaginativam. Oportet etiam quod ante memoriam quædam virtus operetur, quæ ex figuris rerum dividat rerum intentiones singulares. In hoc autem differunt imaginatio et memoria, quia ista conservat species rerum, hæc conservat intentiones specierum. Sciendum quoque quod memoria differt a reminiscentia : quia memoria discrete et distincte revertitur ad res, componendo intentiones distinctas cum imaginibus; reminiscentia autem, sive recordatio, est motus quasi interceptus, et abscissus per oblivionem, et est cum collatione temporis, et loci, et hujusmodi. Reminiscentiæ enim motus non est uniformis; sed causatur ex pluribus principiis circumstantibus illud, cujus proprie est reminiscibilitas, cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio, quod eædem res prius fuerint in se vel in sensibus aliis cognitæ; patet quod si quis res totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum. Sed si oblitus est in parte, tunc per id quod remansit, potest reminisci se quandoque scivisse : unde per collationem reminiscentiæ potest etiam ad id, quod oblitus fuerat, redire cum illius adjutorio, quod remansit memoriæ. Alia etiam est differentia inter memoriam et reminiscentiam : quia memoriam multa participant animalia; sed reminiscentia solius hominis est, quia reminiscentia est quædam investigatio, quæ sine ordine rationis non est, ac sine deliberatione, per quæ antecedens ordinatur ad consequens. Sane cum quis reminisci voluerit ea quæ non eo modo quo per sensum, sed per intellectum apprehendit, hoc non fit per memoriam, quia memoria talia non reservat;

Reminiscentia.

Digitized by Google

sed intellectus convertit se super ea quæ habet apud se, et ea reducit ad actum, quæ habet in habitu : iste autem habitus manet actualiter apud intellectum possibilem, qui est locus specierum universalium : unde et universalia prius speculata remanent apud ipsum tanquam in loco suæ generationis, etiam quando actu (*a*) illa non considerat. Intellectus autem possibilis ad has species, quas sic habet apud se, convertitur, vel ab eis avertitur, quando voluerit. Ultimo notandum est quod memoria ponitur in posteriori parte cerebri, qui locus est siccus propter nervos motivos, qui oriuntur ex ipso.

CAPUT XLI.

De vi sensibili motiva (*b*).

Sequitur de vi sensibili motiva : hæc movet quandoque spiritualiter, quandoque corporaliter. Primo modo dicitur appetitiva, quæ movet dupliciter, aut diligendo, aut odiendo ; et dividitur in concupiscibilem, et irascibilem, per quas appetit anima bonum, vel insurgit contra malum. Ab his vero duabus, scilicet irascibili et concupiscibili, oriuntur quatuor affectiones, scilicet gaudium, spes, dolor et timor. Nam si præsens est quod concupiscimus, gaudemus ; si absens est, speramus. Similiter, si præsens est de quo irascimur, dolemus ; si absens est, timemus.

Sensualitas autem est vis animæ sensibilis motivæ, et ad idem movet, ad quod concupiscibilis, et irascibilis. Sensualitas enim appetit quæ delectabilia sunt corpori, ac nociva refugit. Differt tamen sensualitas a concupiscibili, et irascibili : quia sensualitas magis conjungitur corpori, et sicut in brutis, ita in homine nulla lege perstringitur, quin semper in appetitus rerum ad corpus pertinentium moveatur. Sed concupiscibilis et irascibilis conjunguntur rationi, et, prout sunt in homine, frænantur ratione, ac reguntur in ipsis. Est enim temperantia in concupiscibili, et fortitudo in irascibili, et sic de aliis.

Secundum quod vis motiva sensibilis movet corporaliter, sic dividitur in virtutem naturalem, vitalem et animalem : quarum prima situm suum habet in hepate ; secunda, in corde ; tertia, in capite, ut in proximo principio : tamen primum principium est cor. Virtus enim naturalis est motiva humorum ; vitalis, motiva pulsuum ; animalis, motiva membrorum. Dicimus ergo quod virtus naturalis est motiva humorum mediantibus arteriis et venis, quæ radicantur in hepate secundum Galenum, sed secundum Aristotelem radicantur in corde, et hoc per spiritum naturalem. Est autem spiritus naturalis, substantia subtilis et aerea, vi caloris in corde generata : hæc sanguinem ad singula membra impellit, ex quo corpus vegetatur. Virtus vitalis est motiva pulsuum mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde. Spiritus autem vitalis est idem qui et naturalis : *idem* dico in substantia ; sed differens in virtute : hic per arterias ad membra corporis se diffundens, vivificat ipsum corpus tanquam instrumentum. Virtus animalis est motiva membrorum mediantibus nervis, qui radicantur in capite, et hoc per spiritum animalem. Est autem spiritus animalis idem qui et naturalis et vitalis ; sed animalis dicitur, cum ad cerebrum devenerit. Hic cæteris subtilior per nervos ad organa sentiendi dirigitur, ut sensus et motus secundum locum exinde generetur in corpore animalis.

Circa vires istas denique sciendum est, quod cum virtutes animales intenduntur, tunc naturales remittuntur ; propter hoc in homine dedito studio, vel meditationibus, minus operatur virtus nutritiva, et generativa, et augmentativa. Ex quo patet quod concupiscentia carnis domatur in viro studioso. Unde ait Hieronymus : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. » Præterea, quando virtutes animales remittuntur, naturales intenduntur : sicut patet in somno, qui describitur esse quies virtutum animalium cum intensione naturalium.

CAPUT XLII.

De potentiis Animæ rationalis.

Tria sunt in anima, ut ait Philosophus, scilicet potentiæ, habitus, et passiones. Et potentiæ quidem sunt innatæ ; habitus autem sunt acquisiti, vel infusi ; passiones vero sunt illatæ, vel innatæ. Habitus enim sunt acquisiti, ut patet in scientia, et virtute politica : nam ex frequenti studio homo acquirit scientiam ; et ex frequenti bene agere fit homo bonus bonitate virtutis politicæ. Sunt et habitus quandoque non per acquisitionem, sed per infusionem : sicut sapientia fuit

(*a*) *Cæt. edit.* actu quando. — (*b*) *Item* sensibili et motiva.

Digitized by Google

infusa Salomoni, et virtutes theologicæ conferuntur quotidie parvulis in baptismo, et etiam pœnitentibus in justificatione : et ex actibus non generantur tales habitus; sed potius, e converso, ex talibus habitibus eliciuntur boni actus ex potentiis. Unde in habitibus acquisitis sequitur : Quales sunt actus, tales sunt et habitus. Sed in habitibus infusis est contrarium, scilicet, quales sunt habitus, tales sunt et actus. Est tamen verum, quod sicut habitus acquisiti generantur per actus, ita et generant actiones, sed non meritorias, in quantum tales passiones sunt illatæ ab extrinseco. Vocat autem passiones Philosophus ipsas receptiones objectorum. Sumuntur et aliter passiones, ut dicantur affectiones, sicut dolor, timor, et spes, et gaudium.

CAPUT XLIII.

De Divisione Potentiarum Animæ.

Nunc ad divisionem potentiarum animæ accedamus. Philosophus ergo principaliter dividit animæ potentias in cogitativam et motivam, quas theologus appellat intellectum et affectum : ipsum autem affectum intelligit voluntatem. Potentia autem animæ tunc dicitur intellectus, dum est apprehensiva ; et dicitur voluntas, dum est motiva. Item : quædam sunt vires animæ separatæ a corpore, ut velle, et intelligere, secundum quas anima non utitur corpore, sed utitur utenti corpore, scilicet phantasia, quæ sic se habet ad intellectum, sicut color ad visum, ut ait Philosophus. Quædam vero sunt vires inseparabiles a corpore, ut vegetabiles et sensibiles, et quantum ad essentiam, et quantum ad operationem, ut in brutis. Sed in homine separantur vires istæ a corpore quantum ad essentiam, licet anima operationes earum exercere non possit extra corpus. In brutis vero simpliciter pereunt quantum ad utrumque. Item anima potentias quasdam habet communes cum brutis, ut est sensualitas, sensus particularis, sensus communis, imaginatio, memoria, et æstimatio ; quasdam habet non communes cum illis, ut est ratio et intellectus, et hujusmodi. Item anima habet vires quasdam quoad se, ut est ratio, voluntas, liberum arbitrium ; quasdam habet quibus corpori permiscetur, ut est vis naturalis, vitalis, et animalis, de quibus dictum est supra. Ex jam dictis patet, quod potentiæ quædam sunt organicæ, quædam non. Item ex prædictis collige, quod anima rationalis omnes potentias habet animæ vegetabilis et sensibilis ; sed non in quantum rationalis est, verum, in quantum rationalis est, addit intellectum et liberum arbitrium, et hujusmodi. Et hoc est quod dicit Gregorius [1] : « Omnis, inquit, creaturæ aliquid homo. Habet namque homo commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. » Quidquid enim virtutis aut nobilitatis habent naturæ inferiores, habent et superiores, sed perfectiori modo et nobiliori ; et quod possunt inferiores, possunt et superiores, sed nobiliori et perfectiori modo. Propter hoc manifestum est, quod omnes vires quibus communicamus cum brutis, differunt specie, prout sunt in nobis, et in brutis.

CAPUT XLIV.

De Potentiis cognitivis.

Quatuor assignantur differentiæ virtutis intellectivæ. Prima assignatur secundum differentiam naturæ, et sic intellectus dividitur in agentem et possibilem. Secunda datur secundum differentiam objecti, et sic dividitur intellectus in speculativum et practicum. Tertia assignatur secundum differentiam dignitatis, et sic dividitur ratio in partem superiorem et inferiorem. Quarta datur secundum comparationem ad actum, et sic dividitur intellectus in habitum et in actum : in habitum quidem, ut possit intelligere quando vult ; in actum vero, cum actualiter ad intelligere se convertit, et ad intelligibile. Differentia vero intellectus in effectu, et ejus qui dicitur adeptus, sumitur secundum majorem et minorem perfectionem ipsius intellectus possibilis. Nam cum intellectus possibilis recipit species cum lumine intellectus agentis, tunc dicitur intellectus in effectu, et etiam in habitu ; intellectus vero, cum recipit perfecte lumen secundum formalem conjunctionem, tunc vocatur intellectus adeptus. Diligenter autem notandum est quod omnes differentiæ intellectuum jam prædictæ sumuntur, vel secundum actum, vel secundum habitum, vel secundum modum intelligendi : et nulla sumitur secundum divisionem potentiæ cognitivæ, nisi prima tantum, secundum quam dividitur in agentem et possibilem.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXIX, ante med.

Digitized by Google

CAPUT XLV.

De modo cognoscendi.

Res aliter cognoscit Deus, aliter angelus, aliter homo. Ipse quoque homo aliter per intellectum Deum cognoscit, et aliter creaturas. Intellectus enim divinus cognoscit res ex seipso; intellectus autem angeli cognoscit res per species sibi concreatas, quæ sunt similitudines rerum; sed intellectus humanus cognoscit res per species abstractas a rebus particularibus per sensum prius cognitis. Unde sciendum, quod sicut sensus cognoscit res præsente objecto, et sicut imaginatio cognoscit absente objecto, et tamen cum appendiciis materiæ; ita intellectus cognoscit sine appendiciis materiæ sub intentione universali. Anima igitur per intellectum aliqualiter cognoscit omnia, et attingit. Cognoscit enim Deum supra se, et seipsam in se, et angelos juxta se, et quidquid cœli ambitu continetur infra se. Quis sit autem modus cognoscendi Deum, nota quod intellectus humanus non cognoscit Deum per abstractionem, sicut alias res: et hoc ideo, quia similitudo abstracta simplicior est illo a quo fit abstractio: Deo autem nil simplicius est. Alia ratio est, quia in abstractione oportet esse universale et particulare: particulare quidem, a quo fit abstractio; universale autem, scilicet ipsum abstractum: sed nihil horum cadit in Deum. Cognoscitur igitur Deus naturali cognitione, quia intellectus possibilis ita informatus lumine intellectus agentis, quod est similitudo primæ lucis, in hac similitudine cognoscit lumen primum, quod est Deus.

Sciendum præterea, quod per sensum cognoscimus particularia, sed per intellectum universalia: et quando se intellectus convertit ad particulare, ut ipsum apprehendat, tunc similitudo abstracta a particulari erit universalis, et non particularis. Item nihil venit in intellectum, nisi per sensum; et hoc fit duobus modis, scilicet vel simpliciter, vel per accidens: simpliciter quidem, ut quando intelligimus sensibilia prius per sensum apprehensa; per accidens autem, quando intelligimus insensibilia per effectum. Notandum est etiam, quod aliud est rem per cognitionem in intellectum venire, et aliud est in re jam intellecta versari: quia tunc cognitio rerum per sensum venit in intellectum, sicut dictum est; sed cum intellectus rem jam apprehendit, tunc delectatur et negotiatur in illa, etiam sine sensus adminiculo.

Ad cognoscendum autem ista plenius, nota utrumque verum esse, scilicet quod per particularia cognoscuntur universalia, et e contra per universalia cognoscuntur particularia. Istud sic patet, quia duplex est universale: unum scilicet, prout est abstractum; et aliud confusum, videlicet secundum quod est in particulari. Dicimus ergo quod ad cognitionem universalis abstracti venimus per particularia, sicut in pueris in quibus prius operatur sensitiva, quam intellectiva, quia prius cognoscunt particularia per sensum, et postea universalia per intellectum. Sic et philosophi invenerunt modum argumentandi per inductionem, quia ex multis propositionibus particularibus, unam concluserunt universalem, hoc modo: Socrates est animal; Plato est animal; Cicero est animal: ergo omnis homo est animal. E contrario est universale (*a*) in confuso (*b*), quoniam per tale universale venimus in cognitionem particularium, sicut patet, quando videmus hominem a remotis, tunc non cognoscimus, nisi ejus substantiam corpoream; sed postea per motum cernitur esse animal; dum vero magis appropinquat, cernitur esse homo; tandem cognoscitur esse Petrus.

Nota, quod secundum Philosophum plura scire possumus, sed unum solum intelligere: quoniam scire dicit habitum, per quem plura scimus; intelligere autem dicit actum, qui non potest esse in intellectu duplicatus. Intellectus enim ad unum solum se potest actualiter convertere: et hoc patet, quod quando quis agit duos actus rationis simul uno tempore, unus est intellectus, et alius memoriæ, sive consuetudinis: verbi gratia, aliquis dicit horas, et cum hoc in libro quærit concordantias, vel numerat denarios: unum illorum, scilicet quærere concordantias, est actus intellectus, sed aliud, scilicet dicere horas, est actus memoriæ: sicut etiam animal brutum sine regimine intellectus vadit ad domum, ad quam sæpe ivit. Item nota, quod ad intelligentiam rei non requiritur præsentia rei intelligibilis, sed præsentia similitudinis ejus tantum: quia res non cognoscitur per essentiam, sed per similitudinem tantum, et e converso: et inde est quod intellectus apprehendit remota, sicut propinqua.

(*a*) *Cæt. edit.* in universali.— (*b*) *Edit. Ven.* confusio.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

De Intellectu agente, et possibili.

Nunc de intellectu agente et possibili specialiter est dicendum. Intellectus igitur agens est, qui abstrahit species ab imaginatione, sive phantasia, et sua irradiatione facit universales, ac ponit res in intellectu possibili. Nam sicut ad visum corporalem exigitur lux abstrahens intentiones colorum, id est similitudines a colorato, et ponit eas in aere, non quidem secundum essentiam, sed secundum intentionem, id est similitudinem; sic intellectus agens, qui est lux animæ, ponit species abstractas a phantasia in intellectu possibili non quidem actualiter, sed secundum intentionem, id est similitudinem. Quare autem inter imaginationem et intellectum possibilem sit potentia media, quæ abstrahit, scilicet intellectus agens, sed inter sensum communem, et imaginationem, non sit potentia media, quæ abstrahat: hujus ratio est, quia sensus communis et imaginatio sunt ejusdem animæ potentiæ, scilicet animæ sensibilis; sed imaginatio et intellectus possibilis non sunt potentiæ ejusdem speciei, quoniam altera est potentia animæ sensibilis, altera animæ rationalis. Intellectus autem possibilis dicitur, quia potest recipere tales species, sed nondum recepit eas; cujus exemplum est tabula nuda nullam habens picturam, potest tamen habere quamcumque. Sane cum intellectus possibilis tales species receperit, tunc, sicut habes supra [1], vocatur intellectus in effectu, vel in habitu: cum vero illustratur multitudine specierum sensibilium, tunc est intellectus adeptus. Qualiter autem istæ species remaneant in intellectu possibili, vel qualiter ad eas fiat per reminiscentiam conversio, et reversio, habes supra [2], in capite *de Memoria*.

Porro intellectus agens, et possibilis, differunt sicut lux et illuminatum, et sicut perficiens et perfectibile: quia, ut ait Philosophus [3], intellectus agentis est omnia facere, et intellectus possibilis est omnia fieri. Et ut plenius innotescat, notandum, quod sicut ad hoc quod per speculum aliquid videatur, tria sunt necessaria, scilicet speculum quod aptum natum est recipere impressionem corporum objectorum, color etiam in corporibus objectis, et lux qua moveatur color et species corporum objectorum, quæ sine luminis influxu, quantumcumque objiciantur, non sunt receptibiles a speculo; sic similiter ad hoc, ut aliquid in intellectu videamus, oportet quod sit intellectus possibilis, qui aptus natus est recipere species, quemadmodum dictum est de speculo, oportet etiam quod sint species speculatæ apud intellectum possibilem, qui habet ipsas in habitu, cum sit locus specierum universalium. Sed sicut color in corpore non movetur, nec species, nisi mediante lumine imprimantur in speculo, sic nec phantasmata erunt actu intelligibilia, nisi intellectus agens irradiet, et diffundat super eum lumen suum, sicut lux super colores, ut sic secundum actum intelligibilia efficiantur.

[1] Vid. sup., pag. 109, col. 2.— [2] Vid. sup., pag. 107, col. 2.— [3] Arist., *de Anim.*, lib. III, c. v.

CAPUT XLVII.

De Intellectu speculativo, et practico.

Sequitur de intellectu speculativo, et practico, qui ambo in cognitione consistunt; sed in hoc differunt, quod intellectus speculativus cognoscit verum in ratione veri, practicus autem cognoscit verum in ratione boni. Item intellectus speculativus vocatur cognitio speculativa; sed practicus dicitur cognitio affectiva. Item finis speculativi est verum; finis autem practici est opus. Item per speculativum intelligimus recte; sed per practicum recte vivimus. Intellectus practicus vocatur operativus, quia dicitur a praxi, quod est operatio. Item intellectus practicus dividitur in rationem, et synderesim. Ratio autem dividitur in partem superiorem, et inferiorem: de quibus per ordinem est dicendum.

CAPUT XLVIII.

De Ratione, et partibus ejus.

Ratio est vis animæ non solum cognitiva, sed etiam motiva. Ratio autem, cum judicat aliquid esse bonum, vel malum, et ibi sistit, tunc dicitur cognitiva. Si autem procedit amplius, et judicat esse bonum, ut fiat, sic dicitur motiva. Si vero adhuc ulterius procedit, ut non solum judicet esse bonum ut fiat, sed etiam id appetat (*a*), sic dicitur, liberum arbitrium: quoniam liberum arbitrium comprehendit rationem et voluntatem. Ratio autem, prout se habet ad bonum particulare, dividitur in partem superiorem, et inferiorem. Superior pars divinis ac æternis in-

(*a*) *Cæt. edit.* appetit.

Digitized by Google

tendit; inferior autem de transitoriis judicat, et ea disponit. Item superior pars accipit rationes per leges divinas, ut : « Hoc est faciendum, quia Deus præcepit. » Pars autem inferior accipit rationes per leges humanas, ut : « Hoc est faciendum, quia honestum est, » vel « quia expedit reipublicæ. » Item superior pars rationis dicitur virtus, quæ licet usque ad contemplationem æternorum se extendat, differt tamen ab intelligentia, quia intelligentia negotiatur in æternis per modum rationis, vel intentionis; ratio autem non sic, sed conferendo et ratiocinando. Differt autem ratio etiam alio modo ab intellectu, quoniam intellectus apprehendit esse rei absolute; ratio autem, cum collatione unius ad alterum. Inferior vero pars rationis dicitur multipliciter : quæ quia circa res corporales versatur, conjuncta est sensualitati, et sæpe allicitur ab ea : videt enim semper sibi porrigi pomum, id est, illecebram vicinam (*a*). Ratio tamen inferior, et superior, idem sunt in essentia; sed differunt in officio. Exemplum in oculo sursum et deorsum aspiciente.

CAPUT XLIX.

De Potentiis Animæ motivis.

Virium motivarum animæ rationalis est divisio. Dividitur enim vis motiva in imperativam, et consiliatricem, et affectivam, et affectivam et consiliatricem simul. Vis imperativa dividitur in liberum arbitrium et synderesim. Consiliatrix est ipsa ratio, quæ dividitur in partem superiorem et inferiorem. Vis autem affectiva est voluntas, quæ dividitur in thelesin et bulesin. Vis quæ simul et consiliatrix est, et affectiva, est ipse intellectus practicus.

CAPUT L.

De Voluntate.

Inter dictas potentias primo dicendum est de voluntate, quæ inter cæteras motivas est præcipua, cum sit generalis motor omnium virium. Cum enim intellectus apprehendit aliquid ut bonum, voluntas imperat viribus affixis ipsis organis, sicut visui ad videndum, auditui ad audiendum, et sic de aliis sensibus. Similiter in motu locali voluntas imperat virtuti animali, quæ est in nervis et in musculis, et ita movet ad ambulandum, vel currendum, et ad hujusmodi similia. Sed fallit istud in potentiis animæ vegetabilis, in quibus voluntas suum imperium non exercet. Nutritiva enim, et generativa, et augmentativa, non secundum nostrum arbitrium, sed naturaliter operantur. Voluntas autem in duas dividitur partes, scilicet in thelesin et bulesin, id est voluntatem naturalem, et deliberativam : quarum prima, scilicet voluntas naturalis, dirigitur per synderesin; secunda vero, scilicet deliberativa, per rationem. Nota quod voluntas proprie et stricte tantummodo rationabilium est, sed large dicitur etiam brutorum esse; improprie vero et quasi metaphorice dicitur etiam esse vegetabilium. Unde voluntas primo modo sumpta, scilicet prout est rationabilium, proprie voluntas dicitur. Secundo autem modo, prout est brutorum, vocatur proprie desiderium. Tertio modo, prout est vegetabilium, vocatur appetitus. Inter potentias autem nulla est liberior quam voluntas; quia nec obligatur organo, sicut imaginatio, æstimatio, et hujusmodi, nec cogitur a bono, sicut intellectus cogitur a vero. Vires etiam affixæ organis immutantur necessario, immutato organo : quibus omnibus voluntas caret. Unde ait Augustinus [1] : « Nihil adeo in nostra potestate est, sicut voluntas. »

Si autem scire volueris, quare voluntas non cogitur a bono, sicut intellectus a vero, hæc est ratio : quia citra primum bonum nihil est ita bonum quod non aliquid imperfectionis habeat; sed aliquid ita verum est, quod nihil falsitatis habet, ut patet in hac propositione : « Quodlibet totum majus est sua parte. » Unde tali vero cogitur intellectus assentiri; sed voluntas nulli bono creato cogitur adhærere. Item voluntas videtur interdum cogi per inordinatum appetitum, prout voluntas quandoque trahit hominem et allicit, ut bonum spernat incommutabile, et rebus mutabilibus adhæreat : sed in hujusmodi coactione libertas quædam est. Unde Augustinus [2] : « Omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum. »

CAPUT LI.

De Synderesi.

Synderesis vis est animæ motiva, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter

[1] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. III, n. 7. — [2] Id., *de ver. Relig.*, c. XIV, n. 27, quoad sensum.

(*a*) *Forsan legend.* vetitam.

Digitized by Google

movens et stimulans ad bonum, et abhorrens malum : et in istis nunquam errat, neque secundum synderesim est peccare. Sciendum etiam quod synderesis nunquam extinguitur totaliter, etiam in diabolo et in damnatis : remanet enim in illis aliquis ejus actus. Synderesis enim, quantum ad instinctum boni, et quantum ad displicentiam mali culpæ absolute consideratæ, extincta est in diabolo et damnatis ; secundum vero quod culpa comparatur ad pœnam, sic non est extincta in illis synderesis, et in hunc modum remanet in eis ad pœnam. Isaias [1] : *Vermis eorum non morietur.* Habent igitur displicentiam mali in comparatione et collatione ad pœnam.

CAPUT LII.

De Conscientia.

Hoc nomen *Conscientia* componitur ab hac præpositione, *con* [2], et hoc nomine, *Scientia ;* unde conscientia dicit duo, scilicet scientiam, et secundum hoc conscientia est habitus naturalis, non solum cognitivus, sed etiam motivus : inclinat enim animam ad prosecutionem boni, et fugam mali. Alio modo conscientia dicit acceptionem (*a*) ex parte rationis, quod notatur hac præpositione *con.* Primo igitur modo, prout conscientia includit scientiam in se, habet se sicut superius, et conjungitur synderesi, et semper est recta. Secundo modo conjungitur magis rationi, et sic se habet sicut inferius : hoc modo recipit errorem et conturbationem. In conscientia enim ex parte inferiori bene potest accidere error. Nam ratio cum conscientia, cum parti inferiori jungitur, habet versari circa particularia, in quibus sæpe contingit errare, sicut patet in syllogismo conscientiæ, in quo synderesis proponit majorem, scilicet : « Nullum malum est faciendum ; » ratio subsumit minorem, sic scilicet : « Hoc est malum ; » conscientia concludit : « Ergo non est faciendum. » Circa primam non est error ; circa secundam quandoque est error ; et ex hoc falsitas in conclusione quandoque oritur. Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem ; secunda, desperationem. Item prima dicit sæpe malum bonum ; secunda e contra, bonum malum. Item prima sæpe salvat damnandum ; secunda e contra damnat salvandum. Nota, quod aliud est conscientia, aliud est timor conscientiæ. Tunc enim est conscientia, quando quis sententialiter judicat aliquid esse faciendum, vel vitandum ; et contra talem conscientiam facere, etiamsi sit erronea, peccatum est. Sed contra timorem conscientiæ facere, non semper est peccatum, quia talis timor non est semper ex diffinitiva sententia rationis, per quam judicet se teneri ad aliquid ; sed ex eo quod vacillat inter dubia, nesciens quid sit melius, vel ad quid teneatur potius, cum tamen non omitteretur quidquid sciret esse placitum divinæ voluntati.

De conscientia quoque sciendum, quod quandoque respicit præteritum, quandoque præsens, quandoque futurum. Nam conscientia accusat de præterito, remurmurat de præsenti, et præcavet de futuro. Præterita namque respicit, ut quando conscientia mentem de hoc, quod sibi conscia est, reprehendit, sicut de malo commisso, vel de bono omisso. Præsentia etiam respicit, contradicendo eis quorum per conscientiam habuimus oppositum. Futura quoque respicit, ut quando instruit et stimulat mentem ad ea facienda vel vitanda, ad quæ ipsa conscientia judicat nos teneri. Quod autem conscientia se extendat, ut dictum est, tam ad facta, quam ad facienda, potest colligi ex diffinitionibus conscientiæ, quæ tales sunt. Dicit enim Joannes Damascenus [3], quod conscientia est lex intellectus nostri. Basilius autem dicit [4] esse rationale judicatorium. Diffinitiones istæ magistrales sunt : « Conscientia est cognitio sui ipsius. » Item : « Conscientia est animi habitus agendorum, et non agendorum. » Item : « Conscientia est habitus mentis boni et mali discretivus. » Item : « Conscientia est credulitas intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum, animi deliberatione firmata. »

Error conscientiæ octo modis causatur. Primo ex ignorantia, quando scilicet nescit quis quid eligendum sit, vel declinandum. De tali errore dicitur [5] : *Cum ignoramus* (*b*) *quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Secundo ex negligentia, ut cum quis negligit conscientiam discutere, vel si nescit se expedire, negligit tamen ab aliis quærere. Tertio ex superbia, ut quando quis non humiliat intellectum suum, ut melioribus et

[1] *Isa.*, LXVI, 24. — [2] *Id. est*, cum. — [3] Damasc., *de Fid. Orth.*, lib. IV, c. XXIII. — [4] Basil. hom. *in princ. Proverb.* — [5] II *Paral.*, XX, 12. — (*a*) *Forsan legendum* acceptationem. — (*b*) Vulg. *ignoremus.*

Digitized by Google

sapientioribus se velit credere. Contra quos Apostolus [1]: *Captivantes (a) omnem intellectum vestrum in obsequium Christi* : hoc est dicere, quod quilibet in credendis plus debet fidei consentire quam sibi, et in agendis plus debet aliis credere quam sibi. Quarto ex singularitate, qua homo sequens sensum proprium non conformat se aliis, nec sequitur vias communes bonorum. De his in Numeris [2] : *Extrema castrorum consumpsit ignis.* Quinto ex affectu inordinato, qui sæpe inclinat conscientiam ad id quod tunc homo appetit, et sic facit eam a sua rectitudine deviare. Seneca : « Perit omne judicium, cum res transit in affectum. » Sexto ex pusillanimitate, qua quis timet non timenda secundum rectum judicium rationis. Isaias [3] : *Dicite pusillanimis : Confortamini, nolite timere.* Septimo ex perplexitate, qua homo se credit esse positum inter duo peccata, quorum alterum sit impossibile declinare. Sed sciendum quod perplexitas nihil est simpliciter; potest tamen quis esse perplexus secundum erroneam conscientiam, qua deposita, erit liberatus. Octavo ex humilitate, et cordis puritate; Gregorius [4] : « Bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est. » Error primis septem modis acceptus reprehensibilis est; octavo vero modo laudabilis est, imo nec error dici debet, sed humilis suorum defectuum recognitio, dummodo non sit nimia.

CAPUT LIII.

De Operationibus Animæ.

Anima, secundum diversas potentias, multas et diversas habet operationes. Ipsa enim cognoscit verum per intellectum speculativum; affectat bonum per intellectum practicum; discernit, conferendo inter bonum et malum, verum et falsum, per rationem; discernit simul et eligit per liberum arbitrium; consentit per voluntatem; invenit medium per ingenium; stimulat ad bonum per synderesim. Anima autem in actibus suis ordinem habet : nam quod sensus percipit, imaginatio repræsentat, cognitio format, ingenium investigat, ratio judicat, memoria servat, intelligentia apprehendit, et ad contemplationem adducit. Anima præterea cognoscit res præsentes per sensum, absentes vero per imaginationem, res autem immateriales per præsentiam sui in semetipsa, ac seipsam per reflexionem sui supra se. Habet etiam alios actus anima pertinentes ad corpus, sicut est vegetare per virtutem naturalem, sentire per virtutem animalem, et vivificare per virtutem vitalem : de quibus omnibus dictum est supra.

CAPUT LIV.

De Quantitate Animæ.

Anima, cum sit simplex, non habet quantitatem dimensivam, sed virtualem : unde patet quod anima secundum essentiam non est in toto corpore, sed in parte corporis determinata, et inde virtutem influit toti corpori : et ad hoc ponit Chalcidius exemplum de aranea, quæ in medio telæ suæ residens, sentit quemlibet motum, sive interius, sive exterius in tela factum. Eodem modo anima in centro cordis posita, sine sui distensione totum corpus sibi unitum sensificat, vivificat, atque movet. Nec contra simplicitatem animæ est, quod tres dicuntur esse animæ, scilicet vegetabilis, sensibilis, et rationalis, cujus intelligentia superius est expressa. Anima quoque, licet sit simplex, tamen secundum Boetium differt in eo quod est, et quo est, sicut et angelus et omne quod est creatum : quæ omnia differunt secundum rationem particularis, et universalis.

CAPUT LV.

De Immortalitate Animæ.

Animam esse immortalem auctoritate ostenditur et ratione. Dicitur enim in libro Sapientiæ [5] : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* Et infra : *Et spes illorum immortalitate plena est.* Item in Evangelio (*b*) [6] : *Quærent homines mortem, et non invenient.* Item Gregorius loquitur de malis inferni [7] : « Ibi mors semper vivit, finis semper incipit, et defectus deficere nescit. » Item Joannes (*c*) [8] : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Item per rationes. Omnis corruptio ex contrarietate causatur : nihil autem est quod substantiæ animæ contrarietur. Præ-

[1] II *Cor.*, x, 5. — [2] *Num.*, xi, 1. — [3] *Isa.*, xxxv, 4. — [4] Greg., Resp. ad interrog. Aug., lib. XII, epist. xxxi, Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1573. — [5] *Sap.*, iii, 1, 4. — [6] *Apoc.*, ix, 6. — [7] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. xxxix, circa med. — [8] *Joan.*, vi, 54.

(*a*) Vulg. *Redigentes.* — (*b*) Leg. *Apocalypsi.* — (*c*) Leg. in Joanne.

Digitized by Google

terea anima capax est beatitudinis : Deus autem, ut ait Augustinus, ingenti liberalitate replet omnes creaturas pro captu earum : ergo confert animæ beatitudinem : ad beatitudinem autem spectat vita æterna, et gloria perpetua. Præterea, si anima moreretur cum corpore, homo non timeretur mortuus, sicut nec lupus nec canis mortuus : ergo relinquitur aliquid vivens post mortem hominis quod timetur : et hoc est anima. Præterea, cum Deus sit justus, habebunt justi præmium, et mali pœnam : sed hoc non fit in hoc mundo, cum mali videantur florere, *deducentes* (*a*) *in bonis dies suos*, ut dicit [1] Job, boni vero tribulentur : ergo fiet alibi. Sed hoc non potest esse, nisi anima sit immortalis. Augustinus : « Transeunt in præsenti tribulationes, et prospera cum tempore ; sed cancellatis manibus more Jacob, eadem redeunt sine fine mansura : ut hic tribulati et afflicti, sine fine gaudeant; jucundati vero, et ditati pœnas æternas sustineant. » Jacobus [2] : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Beda super isto verbo : « Ne indignemini, fratres mei, si mali in mundo florent, et vos patimini : quia non est christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo; sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. » Hieronymus : « Difficile, imo impossibile est ut præsentibus bonis quis fruatur, et futuris; ut hic ventrem, illic mentem reficiat; ut de deliciis ad delicias transeat, ut in cœlo et in terra gloriosus appareat. » Præterea Deus fecit animam ad imaginem et similitudinem suam : sed Deus est immortalis : ergo et anima.

CAPUT LVI.

De Libero Arbitrio.

« Liberum arbitrium, ut ait Augustinus [3], est facultas rationis et voluntatis, qua eligitur bonum, gratia existente ; malum, gratia desistente. » In hac diffinitione simul ponitur ratio, et voluntas : ratio quidem, ut consiliarius; voluntas autem, ut imperator. Nam ratio dicit aliquid esse bonum, vel malum; voluntas dicit : fiat. Nota quod libertas liberi arbitrii est libera a coactione sufficienti, sed non libera a coactione efficienti : nulla enim coactio exterior est causa sufficiens, ut aliquid fiat, licet quandoque sit efficiens, ut patet in multis qui coacti sunt negare Christum per tormenta : quoniam in hujusmodi coacta voluntas, voluntas est, ut ait Augustinus. Quando vero peccator trahitur a gratia, tunc non destruitur libertas liberi arbitrii, quia cæcus, vel fessus, vel claudus in foveam cadens, quando extrahitur, non fit hoc illo invito. Libertas liberi arbitrii triplex est, scilicet a necessitate, a peccato, a miseria. Prima libertas est naturæ ; secunda, gratiæ; tertia, gloriæ. Item prima est bonorum et malorum ; secunda est tantummodo bonorum ; tertia est in cœlo regnantium. Ex his patet, quod libertas malorum est velle peccare, et etiam posse peccare; sed libertas in paradiso fuit posse non peccare, et etiam posse non turbari; libertas vero patriæ est nolle et non posse peccare, nec posse turbari. Patet ergo quod liberum arbitrium liberius est in bonis quam in malis, quia in bonis est tantummodo servitus miseriæ, in malis autem est servitus miseriæ et peccati; sed in patria est liberrimum, quoniam omnis talis servitus destruetur.

Nota quod, licet Deus non possit male facere, et similiter angelus et animæ beatæ, tamen est in eis liberum arbitrium : quia bonum eligunt, et malum declinant, non ex infirma necessitate, sed libera voluntate. Eodem modo dicendum est de diabolo, quod habet liberum arbitrium, bonum tamen semper respuit, et malum eligit : sed hoc non facit in eo violenta coactio, sed voluntaria obstinatio. Liberum arbitrium habet se in quibusdam indifferenter ad bonum et ad malum, ut in primis parentibus ante lapsum ; in quibusdam plus se habet ad malum, quam ad bonum, ut in regeneratis per baptismum; in quibusdam plus se habet ad bonum quam ad malum, ut in sanctificatis in utero; in quibusdam necessario se habet ad malum, ut in infidelibus non regeneratis; in quibusdam necessario se habet ad bonum, ut in confirmatis, sicut fuit beata Virgo post conceptionem filii.

CAPUT LVII.

De Natura Corporis humani.

Homo græce anthropos (*b*) dicitur, et est arbor inversa : habet enim se caput cum capillis ad modum radicis; brachia vero cum cruribus

[1] *Job*, XXI, 13. — [2] *Jac.*, I, 2. — [3] Ex Aug., Mag. Sent., lib. II, dist. XXIV; huj. edit. tom. II, p. 153. — [4] Id., dist. XXV ; ibid., p. 195.

(*a*) Vulg. *ducunt*. — (*b*) Ἄνθρωπος.

Digitized by Google

sunt quasi rami. Solus etiam homo est longi et lati corporis. Solus quoque homo est erecti corporis; et hujus ratio duplex est, scilicet naturalis, et moralis. Naturalis ratio est, quia in aliis animalibus abundat in capite materia terrea deprimens, et deficit calor erigens: quod non est in homine. Est et ratio moralis, ut scilicet rectitudo naturæ corporis attestetur rectitudinem mentis sursum ad cœlestia tendentis. Accidentia animæ transmutant corpus, quia forma delectabilis imaginata movet corpus, sicut tristabilis: ei ideo dicit Avicenna, quod multum tristis, ac lepram timens, erit aliquando leprosus; sicut e converso, quod corporis passiones redundant in animæ turbationem, sicut patet in somno. Item partes corporis humani habent similitudinem totius mundi, quia tanta est distantia inter extremitates duorum longorum digitorum utriusque manus, quanta est a vertice capitis usque ad plantam pedis, sicut tanta est distantia a centro capitis ad oppositum tropicum (*a*) in cœlo, quanta est ab oriente in occidentem. Corpus humanum ex quatuor componitur elementis: sed apparet terra in ossibus et carne; aqua vero in humoribus, scilicet sanguine, phlegmate, cholera, melancholia; aer continetur in pulmone, et hoc patet, quia semper in motu est: nam pulmo ventilabrum cordis est, ne nimio calore dissolvatur. Ignis continetur in corde: et ideo inferius est latum, et superius acutum, quam formam ignis tenet. Membra corporis triplicia sunt. Sunt enim quædam radicalia, hepar, cor, cerebrum, genitalia, inter quæ tria prima sunt de esse individui, in quibus, ut supra dictum est, sedem habet spiritus naturalis, vitalis, et animalis; sed membra genitalia sunt ad conservationem speciei. Alia sunt membra deservientia, ut venæ, arteriæ, et nervi, per quæ vehitur ille triplex spiritus, ut habetur supra. Alia sunt membra officialia, ut manus, pedes, et hujusmodi. Sunt etiam membra tam artificialiter ordinata, ut mutuo sibi deserviant: nam superiora inferioribus administrant gubernationem, ut patet in oculis; item inferiora præbent superioribus supportationem, ut patet in pedibus et cruribus, quæ totum pondus aliorum membrorum sustinent. Item media impartiuntur utrisque defensionem, et necessariorum conquisitionem, ut patet in manibus et brachiis. Item sic sunt ordinata, ut mutuo sibi condoleant. Nam si unum membrum dolet, condolent ei omnia membra, et hoc propter connexionem et colligantiam. Item sic ordinata sunt, ut quando unum membrum deficit, alia ejus defectum suppleant: unde videmus aliquos carentes manibus comedere cum pedibus, et alios carentes pedibus cum manibus ambulare. Item sic ordinata sunt, ut unum membrum periculis se exponat pro alio, ut patet in capite, pro cujus defensione alia membra periculis se exponunt. Item magnus dolor in uno membro, facit minorem in alio non sentiri. Item membra, quorum motus subest libero arbitrio, tam promptam obedientiam servant, ut inter imperium voluntatis et executionem operis quasi nulla mora videatur: et hanc obedientiam videmus servare oculum in videndo, linguam in loquendo, os in comedendo, manus in operando, et hujusmodi.

(*a*) *Forsan legend.* a polo septentrionis ad oppositum polum. — (*b*) *Cæt. edit.* ostendant.

CAPUT LVIII.

De Physionomia Hominis.

Diversæ membrorum dispositiones secundum artem physionomiæ diversos effectus ac mores indicant in homine: non quod ista signa necessitatem imponant moribus hominum; sed ostendunt (*b*) inclinationem naturæ, quæ tamen retineri potest freno rationis. Sequimur igitur in hoc tractatu magnos hujus artis auctores, scilicet Aristotelem, Avicennam, Constantium, Philemonem, Loxum, Palemotium, incipientes a complexionibus. Melancholicos tristes et graves esse dicimus; sanguineos vero horum opposita habere videmus; cholerici faciles sunt ad iram, et phlegmatici pigri sunt et somnolenti. Physionomia sexus est, quod masculus animus vehemens est ad impetus, studiosus, et animosus; feminæ autem misericordes sunt et timidæ. Capilli molles et rari hebes ingenium proloquuntur. Item capilli crispi pronuntiant hominem timidum et lucri cupidum. Capilli nimium depressi, et fronti imminentes, ferum declarant animum: his concordat capitis ursini capillatura. Item capilli flavi, crassi, et albi, indicant indociles. Capilli vero subnigri, si sint moderate tenues, mores indicant bonos, et bonam hominis complexionem. Caput nimis magnum, stolidum indicat. Caput autem globosum et breve, est sine sapientia et memoria. Caput humile superius, et quasi planum, insolentiæ et dissolutionis dat indicium. Caput oblongum

Digitized by Google

aliquantulum, et malleo simile, hominem circumspectum ac providum indicat.

Frons angusta nimis indocilem et voracem declarat; lata vero parvitatem significat discretionis, sed rotunda designat iracundiam. Item humilis et demissa significat verecundum et non admittentem turpia. Item quadrata et moderatæ magnitudinis, magnæ sapientiæ et magnanimitatis est indicium.

Supercilia arcuata, quæ conjunguntur usque ad cornu nasi, significant subtilem et studiosum in omnibus operibus suis. Si autem ibidem coeunt, tristem hominem et parum sapientem demonstrant; si autem arcuositas declinat ad tempora et gibbositatem genarum, significant negligentem. Item supercilia si sint longorum et multorum pilorum, significant ferum et magna meditantem.

Oculi qui tanquam guttulæ liquoris nitidi relucent, mores compositos indicant. Quando varie moventur, ut modo currant, modo quiescant, significant mala revolvi jam in animo, sed nondum esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen micantes, significant audacem et pervigilem ad malitiam. Oculi magni, trementes et obscuri, significant potationem vini, et intemperantiam veneris. Oculi pure nigri, significant imbecillem, et sine virtute animum, et lucri avidum. Quando autem guttulæ rubentes aliquantulum ibi sunt, et tamen nigræ apparent, animum justum, probum et ingeniosum ostendunt. Ubi autem in nigris oculis guttulæ vehementer rubent, et aliquæ tendunt ad quadraturam, et quædam sunt pallidæ, quædam glaucæ, et circuli, qui forinsecus ambiunt pupillas, sunt sanguinolenti, et sunt magni oculi, et nitor pupillæ movetur ut movetur palpebra: tales, inquam, oculi significant animum qui omnium excedit morem ferarum : quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis perpetrabile est, nec etiam a domestico cessabunt sanguine. Oculi nimium prominentes, rubicundi et parvi, linguam declarant effrenatam, et corpus instabile. Oculi acriter intuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in agendis velocem ac providum. Oculi qui frequenter clauduntur, et frequenter reserantur, timidum ac imbecillem declarant. Oculi multæ apertionis significant stultum et inverecundum; si autem multæ clausuræ sunt, significant mobilem et inconstantem in omnibus factis suis.

Aures prominentes et valde magnæ significant stoliditatem, et garrulitatem, et imprudentiam; sed valde parvæ, malignitatis sunt indicia. Aures nimium rotundæ indocilem significant. Aures oblongæ et angustæ invidiæ signa sunt. Aures jacentes et supra caput applicatæ pigritiam designant.

Genæ crassæ significant ignaviam et somnolentiam; nimium autem tenues, malignitatem. Genæ rotundæ invidiæ arguuntur.

Nares patulæ, alacritatis et fortitudinis dant indicium; longæ vero et tenues, mobililatis et levitatis signum habent. Narium autem pars quæ juxta frontem est, si nec alta, nec humili, sed æquali linea descendat, virile signum est, et prudentiam et constantiam demonstrat. Nares minores debito furibus assignantur.

Omnis vultus, cum plenus est et crassus, ignavum et voluptatibus deditum significat; vultus dependens cogitatorem subdolum indicat.

Labia tenuia in ore majori, si superius labium aliquantulum exuperet super inferius, magnanimum indicant et fortem. Tenuia vero, et parvi oris, imbecillem animum et versutum indicant. Labia vero soluta, aliquantulum ab ore dependentia, inertem demonstrant. Nam in asinis et equis antiquis ita invenitur.

Os parvum convenit tam vultibus muliebribus, quam hominibus effeminatis; sed quod ultra modum dilatatur, voracem indicat, et immitem, et impium. Talis enim oris rictus marinis monstris convenit.

Mentum prolixum aliquantulum demonstrat minus iracundum, et minus perturbatum. Qui os parvum et breve mentum habent, immites sunt et invidi : hos enim Plato ad serpentes referebat. Utilius est mentum commensuratum, secundum aliquid ad quadraturam accedens. Mentum si longe in prolixum distendatur, dolis assuetum ostendit.

Vox similis existens voci ovium, aut caprarum, stultitiæ habet indicium. Qui autem in modum avium vocem intendunt, de facili fiunt leves. Vox tenuis, et quasi lugubris, tristem indicat, et suspiciosum. Quorum vox in nares incurrit, ita ut nares consonent, mendaces sunt et malevoli, ac malis alienis gaudentes.

Cervix longa et tenuis eum significat, qui maligna meditatur. Cervix rotunda probat virtutem animi, et corporis humilitatem. Cervix brevis indicium est ejus, qui cum temeritate audax est. Cervix nimis erecta insolentem et contumacem dicit.

Digitized by Google

Pectus quod multis carnibus est congestum, indociles et ignaros indicat. Pectus quod longius est quam venter, prudentem indicat. Pectus si cum ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem instabilem, et animum sine religione ac pietate. Cum autem solum pectus capillos præfert, animosum designat.

Humeri tenues, et qui in acumine erecti sunt, insidiosum indicant hominem.

Brachia quando in tanta prolixitate extenduntur, ut erecto corpore extremitas medii digiti appropinquet ad genu, licet forte a mensura quatuor digitorum deficiat, hujusmodi habiles homines et fortes dicunt; cum autem prolixitas hæc ad femur desinit, vel parum ultra, declarat homines malevolos, et malis alienis gaudentes.

Manus nimium breves et exiguæ, fortes designant et sagaces. Crassæ manus, si digitos breves ultra modum habeant, tergiversorem declarant, insidiosum et furem. Manus intortæ et tenues loquaces significant et voraces.

Ungues albi, plani, et molles, ac tenues, ac rubentes, et bene perlucidi, optimum ingenium indicant. Ungues inflexi, et curvi, impudentes indicant, et rapaces. Ungues breves nimium, declarant malignum.

Digiti collecti et globati avarum dicunt, et malignum. Digiti parvi et tenues stultum demonstrant. Digiti vero parvi et grossi invidum indicant et audacem.

Latera tenuia et angusta timiditatem indicant. Latera referta carnibus et dura ostendunt hominem indocilem : hæc enim ad ranas secundum Platonem referuntur.

Pars cruris quæ sub genu est, quæ vocatur sura, quando plena est, et quasi gravida, intemperatum hominem significat et imprudentem ; molles suræ effeminatis assignantur.

Pedes crassi et breves valde infirmum hominem indicant. Pedes nimium prolixi ad hominem dolosum referuntur. Pedes pertenues et breves produnt hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi esse solent et efficaces. Qui celeriter incedendo se comprimit, et vultum deducit, atque totum corpus implicat, significat timidum, parcum et versutum. Qui breves passus habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur atque imbecillis.

Color cutis niger versutum indicat. Color albus rubeusque fortes animososque ostendit. Color vehementer albus cum palloré, defectum virtutis significat ex nimia victoria phlegmatis. Color ignitus lucentibus oculis ad insaniam vergit. Color medius inter nigrum et album, qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenii, et bonorum morum.

CAPUT LIX.

De Regulis generalibus Physionomiæ.

Generaliter ergo tenendum est, quod membra quæ in proportione sunt naturali quoad figuram, colorem, quantitatem, situm, et motum, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra vero quæ non habent proportionem debitam in figura, quantitate, situ et motu, perversam mentem indicant. Præterea dicebat Plato, quod quæcumque similitudo animalium aliquorum in hominibus est, tales homines etiam imitantur talium mores. Notandum insuper, quod licet per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem, sed ostendunt inclinationem naturæ; nec semper denuntiant affectus hominum, sed frequenter et probabiliter. Item propter signa exteriora de quibus dictum est, non statim proferendum est judicium : quia forte signum est per accidens, et non per naturam : et forte victum est per contrariam consuetudinem, et freno rationis tenetur. Unde narrat Aristoteles [1], quod discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hippocratis; qui pronuntiavit de ipso, quod esset vir luxuriosus. Illis autem indignantibus, et culpantibus Philemonem, quod de optimo viro taliter judicasset, retulerunt hoc Hippocrati : qui confessus est Philemonem hoc recte judicasse, sed ex amore philosophiæ et honestatis dixit se concupiscentias cordis sui vicisse, et accepisse per studium, quod naturæ fuerat denegatum. Denique sciendum est quod signa exteriora non referuntur nisi ad eas passiones, quæ naturaliter insunt homini, sicut est ira, concupiscentia, et hujusmodi; non autem ad eas, quæ sunt animæ solius, sicut est musica, geometria, et similia. Sciendum quoque, quod in oculis principaliter consistit omnis perfectio physionomiæ : et sic oculorum indicium confirmat cæterorum membrorum indicium. Si autem contrariantur, tunc prævalent indicia oculorum : propter quod om-

[1] Factum hoc de Zopyro physiognomone, et de Socrate narrat Cicero, lib. *de Fato*.

Digitized by Google

nes physionomi affirmaverunt oculum esse verum cordis nuntium. Augustinus [1]: « Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. »

CAPUT LX.

De toto Homine.

Postquam expeditum est de homine ex parte mentis et ex parte corporis, nunc dicendum est de ipso prout est compositus ex utroque : ubi specialiter ostenditur Dei potentia, quia naturas tam distantes conjunxit in unam personam perfectam, scilicet corpoream et incorpoream, quæ maxime distant in prædicamento substantiæ. Præterea, cum esset una sola creatura quæ habebat intus cognitionem per intellectum, ut angelus, et alia quæ habebat foris per sensum, ut quodlibet animal brutum, fieri debuit creatura, propter perfectionem universitatis, quæ hac duplici cognitione esset prædita, ut posset legere in libro scripto intus et foris, hoc est in Creatore, et in opere suo. Unita est anima corpori multiplici ratione, licet separata dignior videatur. Prima ratio est, ut per conjunctionem tam disparium naturarum erigeretur mens ad sperandam illam unionem, quæ erit inter animam, et spiritum increatum. Alia ratio est, ut anima, serviendo Deo in corpore, habeat majus meritum: quia ubi major pugna, ibi major victoria, et per consequens major corona. Difficultas enim corporis multum valet ad efficaciam merendi. Tertia ratio est propter complementum universi. Cum enim, sicut est, quædam esset creatura pure spiritualis, quædam pure corporalis, conveniens fuit fieri creaturam mixtam, scilicet partim spiritualem, et partim corporalem. Quarta ratio est, quia sicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ, sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ: quia non solum anima, sed etiam corpus præmiabitur dote sua. Quinta ratio est, quia homo ex defectibus corporis multam habet materiam humiliationis, juxta id [2]: *Humiliatio tua in medio tui.* Sicut enim anima ex conjunctione ad corpus plura consequitur bona, sic et multa contrahit incommoda. Primo, peccati originalis inquinationem [3]: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Secundo, peccati pronitatem [4]: *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.* Tertio, bene operandi difficultatem [5]: *Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum*, etc. Quarto, intellectus hebetudinem [6]: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Quinto, continuam impugnationem; ad Galatas [7]: *Caro concupiscit adversus spiritum*, etc. Sexto, curarum sollicitudinem [8]: *Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid*, etc. Septimo, passionum multiplicitatem [9] : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Octavo, gloriæ retardationem : gloriam enim percipere non possumus, quandiu in corpore detinemur : propter hoc Apostolus cupiebat [10] *dissolvi et esse cum Christo.*

[1] Aug., *Reg.* III, c. II. — [2] *Mich.*, VI, 14. — [3] *Job*, XIV, 4. — [4] *Gen.*, VIII, 21. — [5] *Prov.*, XXIV, 30. — [6] *Sap.*, IX, 15. — [7] *Gal.*, V, 17. — [8] *Matth.*, VI, 25. — [9] *Job*, XIV, 1. — [10] *Philip.*, I, 23. — [11] Ex Greg., *in Evang.*, hom. XXIX, ante med.

CAPUT LXI.

De Proprietatibus Hominis.

Proprietates hominis sunt istæ : discernere inter honestum et turpe; unde solius hominis est honestum prosequi, cum omnia bruta nonnisi utilia et delectabilia prosequantur. Item, passiones ordinare ad limitem rationis; supra mundum per intellectum elevari : et ideo quando quis, per adhæsionem in terrenis, se mundo inferiorem facit, jam quasi honore humanitatis exutus, proprietatem accipit bestiæ, ita ut dicatur fieri per immunditiam porcus, per iram canis, per rapinam leo, et sic de aliis : quod Plato vocavit secundam animarum incorporationem. Amicitiam habet secundum omne genus amicitiæ; et in hoc differt a brutis, quæ non habent amicitiæ speciem, nisi quæ delectationis est vel connutritorum, et hujusmodi. Intellectualibus theorematibus delectari, et speculari talia. Verecundari in turpi perpetrato. Propter quod inemendabiles dicuntur inverecundi, quia in aliquo mutati sunt a rationis honore, pecorinam naturam assumentes. Perfecte esse conjugale animal, eo quod legibus ordinatis faciat honestas nuptias. Civile animal esse, quia distributiones, et cohabitationes, et fœdera, et pugnas perfectas habet ex urbanitatibus ordinatas. Disciplinæ esse perceptibile propter rationis usum. Esse animal mansuetum natura propter civilitatem. Esse animal risibile, gloriabile, propter perfectas gaudendi rationes, quæ soli contingunt homini. Esse microcosmum, id est, minorem mundum, eo quod de omnibus creaturis aliquid habeat homo, videlicet [11] esse

Digitized by Google

cum lapidibus, vegetari cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Ex duplici natura esse compositum, scilicet corporali, et spirituali. Creaturarum esse dignissimam. Esse animal rationale et mortale. Humana fragilitas in hoc consistit, quod in homine est assiduitas deficiendi, impossibilitas standi, facilitas cadendi, difficultas resurgendi, vilitas nascendi, incertitudo moriendi. Defectus humanus est, quia quidquid habemus, aliunde habemus et imperfecte, insuper et amittere possumus. In homine quoque est moriendi necessitas, et hæc est vel illata necessitas, sicut fuit in Adam : vel innata, sicut est in nobis; vel assumpta, sicut fuit in Christo.

CAPUT LXII.

De primis Parentibus.

Summa bonitas volens communicare bonum suum aliis, fecit creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo beata esset. Fecit autem [1] Deus primum hominem formando corpus ejus per ministerium angelorum de limo terræ in agro Damasceno; *et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, hoc est, animam creavit, quam corpori facto univit. Factus est autem homo ad imaginem Dei in naturalibus, et ad similitudinem in gratuitis. Dicitur autem homo factus ad imaginem Dei, potius quam angelus; quia convenientiam habet homo cum Deo intus et extra, quod non habet Angelus. Intus enim habet convenientiam cum Deo secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem, sicut angelus; sed extra, convenientiam habet quam non habet angelus. Nam sicut a Patre est Filius, sic ab homine homo ejusdem naturæ. Præterea, sicut Deus prælatus est omni creaturæ simpliciter, sic homo omnibus in suo universo. Item sicut Deus ubique est, sic anima ubique est in suo habitabili, id est, in corpore, non quidem per essentiam, sed per potentiam. Dignitas humana est in hoc, quod Deus fecit hominem ratione sapientem, vita innocentem, dominio potentem. Primum notatur in hoc, quod homo factus est ad imaginem Dei; secundum, quod ad Dei similitudinem; tertium, quia præpositus est homo cunctis animantibus, et aliis creaturis, quæ omnia sibi serviunt. Ex his nota quod voluntati bonorum hominum non solum subditur creatura, sed etiam ipse Deus omnipotens. Psalmista [2]: *Voluntatem timentium se faciet*, etc. Item angeli, qui deputantur ad custodiam. Item dæmones, qui dantur ad exercitium bonorum. Item homines boni, qui sunt socii tribulationum, et erunt socii consolationum. Item homines mali, qui bonos magis promovent persequendo, quam possent facere serviendo.

Corpus tale dedit Deus primo homini, quod animæ subjectum esset, ut esset obtemperans sine rebellione, esset etiam propagabile sine libidine, esset vegetabile sine mortalitate, esset proportionabile quantum ad complexionem æqualem, esset quoque conforme animæ, ut sicut anima erat innocens, et tamen poterat peccare, sic corpus esset impassibile, ut tamen posset mortalitatem incurrere : et ideo poterat mori, et non mori : poterat habere sufficientiam, et indigentiam : poterat obtemperare, et rebellare : et hoc fuit ratione naturæ defectivæ ex nihilo creatæ, nec per gloriam confirmatæ. Fuit tamen corpus ita conditum, ut in eo nulla esset pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis. Hæc autem immortalitas corporis Adæ principaliter fuit ab anima, sicut ab influente : a corporis æquali compositione, sicut a disponente : a ligno vitæ, sicut a vegetante : a regimine vero providentiæ divinæ, sicut ab interius conservante, et exterius protegente. Factus est itaque homo absque omni culpa et miseria, nec ad culpam habuit fomitis incitamentum. Insuper datum est ei quadruplex adjutorium : primum, ad recte volendum, quod est conscientia; secundum, ad murmurandum contra malum, et ad stimulandum ad bonum, quod est synderesis; tertium fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum Deum suum, sicut seipsum, et mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum. Quartum fuit charitas accendens affectum ad diligendum Deum super omnia, et proximum suum sicut seipsum. Prima duo pertinent ad perfectionem naturalium; alia duo ad perfectionem pertinent gratuitorum, quorum unum fuit gratiæ gratis datæ, scilicet scientia; aliud gratiæ gratum facientis, scilicet charitas. Accepit homo triplicem oculum : primum, carnis, quo videret mundum, secundum, rationis, quo videret animum; tertium, contemplationis, quo videret Deum. Et sic oculo

[1] *Gen.*, I, 28. — [2] *Psal.* CXLIV, 19.

Digitized by Google

carnis videt homo quæ extra se sunt; oculo rationis, quæ intra se sunt; oculo contemplationis, quæ sunt supra se. Notitiam enim Dei habuit, cujus præsentiam quodam interiori aspectu rationis contemplabatur, non tamen ita excellenter ut in patria, nec ita in ænigmate, ut modo in via. Res etiam factas novit, quia animantibus omnibus nomina imposuit. Notitiam quoque sui habuit, quia qualis factus erat, scivit, et quod agere, et quod cavere debet, intellexit. Fuit quoque sine pœnalitatibus, quia nec esurivit, nec sitivit. Item frigus vel æstus, labor aut infirmitas eum non læsit; nec mortem expectavit, quia vivus erat ad gloriam transferendus. Vestibus non eguisset, et nudus verecundiam non sensisset. Natura in eo quoad deformitatem membrorum non errasset. Conceptus fuisset sine pudore, partus sine dolore. Motus membrorum subjecti fuissent voluntati.

CAPUT LXIII.

De Præceptis Adæ datis.

Adam factum Deus in paradisum transtulit, et ibi de costa dormientis Evam sibi sociam formavit. Hanc non fecit de capite, ne viro dominaretur; nec de pedibus, ne contemneretur; sed de latere, ut amoris vinculum probaretur. Duplex bonum illis Deus præparavit : unum temporale; aliud æternum. Primum dedit, secundum promisit. Ideo duplex præceptum primus homo habuit : unum naturæ, ad custodiendum bonum datum; aliud disciplinæ, ad promerendum bonum promissum : et hoc non poterat promereri melius, quam per puram obedientiam, quæ tunc mera est, quando præceptum ex se solo obligat, et non ex alia causa : et tale dicitur præceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ. Unde et disciplinæ præceptum dicitur, quia vitare lignum scientiæ non suadebat natura, sed disciplina. Præceptum vero naturæ duplex fuit : unum de conservatione individui, ut ibi in Genesi [1] : *De omni ligno paradisi comedetis.* Inter quæ ligna fuit in medio paradisi specialiter nominatum lignum vitæ, sic dictum ab effectu, quia corpora primorum parentum debebat continue vegetare. Aliud fuit præceptum naturæ pro conservatione speciei, ut illud [2] : *Crescite et multiplicamini.* Circa præceptum disciplinæ nota, quod aliquid prohibetur, quia malum [3] : *Non furtum facies*; aliquid, quia occasio mali, in Matthæo [4] : *Non jurare omnino :* sicut prælatus multa prohibere potest, quæ tamen non sunt expresse in sua regula; aliquid ad probationem obedientiæ : et tale fuit præceptum de ligno vitæ.

CAPUT LXIV.

De Paradiso.

Homo prædictis fultus auxiliis accepit locum paradisi terrestris in habitationem tranquillam. Fuit autem locus ille, ut ait Damascenus [5], exultationis universæ promptuarium, qui terra excelsior est positus, et temperato ac purissimo aere circumfulget, plantis semper et floribus ornatus est, bono odore plenus, nullumque irrationabilium animalium ibi habitat. Præterea habetur in Genesi [6], quod a Domino paradisus plantatur; fonte, qui dividitur in quatuor capita, irrigatur; ligno vitæ ac scientiæ boni et mali decoratur; per Cherubim et flammeum gladium custoditur. Notandum insuper quod ibi nullæ sunt tempestates. Duæ quoque ibi sunt hyemes, et duæ æstates, et bis fructificant ibi arbores. In utroque solstitio habent hyemem, et in utroque æquinoctio æstatem. Hujus autem ratio est, quia paradisus sub circulo æquinoctiali situs est. Item semper habent æquinoctium.

CAPUT LXV.

De Casu primi hominis.

Invidens ergo diabolus felicitati hominis, in specie serpentis [7] ipsam mulierem, tanquam fragiliorem, aggreditur tentandam : quam cum in responsione dubitantem cerneret, fortius institit : et tandem vincens eam, virum illa mediante dejecit. Processit ergo sic : primo scilicet, quærendo : *Cur præcepit vobis Deus*, etc; secundo, asserendo falsum : *Nequaquam moriemini*; tertio, promittendo : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Processus iste fuit maximæ versutiæ, quia processit experiendo, impellendo, et alliciendo. Experientiam enim accepit interrogatione; impulit in mendacii assertione; allexit in falsa promissione. Allexit au-

[1] *Gen.*, II, 16. — [2] *Gen.*, I, 28. — [3] *Exod.*, XX, 15. — [4] *Matth.*, V, 34. — [5] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XI, statim a princ. — [6] *Gen.*, II, 8, 6, 10, 9; III, 25. — [7] *Gen.*, III, 1 et seq.

Digitized by Google

tem diabolus mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quæ est appetibilis rationi; per excellentiam ad modum Dei, quæ est appetibilis irascibili; per suavitatem ligni, quæ est appetibilis concupiscibili. Igitur vir in uno peccavit, quia lignum vetitum gustavit: unde et pœnam accepit, ut in sudore vultus sui pane suo vesceretur. Mulier autem in duobus peccavit: nam superbivit, et vetitum comedit: unde et duplicem maledictionem habuit, scilicet: *Sub viri potestate eris*, et hoc propter primum; item: *In dolore paries*, et hoc propter secundum. Diabolus vero in serpente tria fecit: invidit, mentitus est, decepit: unde propter primum dictum est ei: *Supra pectus tuum gradieris;* propter secundum: *Terram comedes;* propter tertium: *Ipsa conteret caput tuum.* Si autem scire volueris quis eorum plus peccavit, scilicet vir, an mulier, notandum est quod quantum ad aliqua plus peccavit mulier, et quantum ad aliqua plus vir. Nam mulier plus peccavit quoad pejoris finis intentionem, voluit enim fieri sicut Deus; sed vir intendebat non constristare delicias suas. Item mulier peccavit in plures, quia in se, in Deum, et in proximum. Item damnosius peccavit mulier, quia plures maledictiones recepit. Vir autem peccavit plus quantum ad originem, quia ex certa scientia; item vir peccavit majori ingratitudine.

Quærunt multi cur Deus hominem fecerit qui peccare posset; et ad hoc assignantur plurimæ rationes. Prima est, ut ostendatur divina potentia, qui solus invertibilis est, omnis autem creatura vertibilis est. Secunda, ut declaretur Dei sapientia, quæ de malo scit elicere bonum: quod non potuit fieri, nisi Deus creaturam fecisset vertibilem in malum. Tertia, ut manifestetur Dei clementia, qua Christus per mortem suam hominem perditum liberavit. Quarta, ut ostendatur Dei justitia, qua non solum reddit bonis præmia, sed etiam malis supplicia. Quinta, ut homo non sit pejoris conditionis, quam aliæ creaturæ, quas omnes Deus sic administrat, ut eas propriis motibus agere sinat: unde et hominem in proprio arbitrio relinquere debuit. Sexta est, laus humana: laus enim est viri justi, qui[1] *potuit transgredi, et non est transgressus.* Septima est decor universi, quia opposita juxta se posita magis elucescunt: ita mali bonos commendant, ad invicem comparati. Octava ratio est, quia boni exercitantur et probantur per malos. Adam autem et Eva ob peccatum de paradiso expulsi sunt, sicut Lucifer de cœlo, et in hac valle miseriæ habitantes facti sunt mortales: nam sicut in cœlo est non posse mori, et in paradiso posse non mori; sic in terra est non posse non mori; sic in inferno est semper mori. Ex his patet quod primus status hominis fuit innocentiæ; secundus, gratiæ; tertius, culpæ; quartus, pœnitentiæ; quintus, gloriæ. Dum enim inordinate erexit se supra se, cecidit miserabiliter infra se, scilicet a statu innocentiæ et gratiæ, in statum culpæ et miseriæ. Item, quia factus est inobediens suo superiori, justo Dei judicio factum est, ut sibi fieret inobediens suum inferius, scilicet caro, et maxime circa membra virtuti generativæ deservientia.

[1] *Eccli.*, XXXI, 10. — [2] Greg., *Pastor.*, lib. III, c. I, admon. 30. — [3] Aug., *de Genes. cont. Manich.*, lib. II, c. XIV, n. 20, 21. — (*a*) *Cæt. edit.* impulit.

CAPUT LXVI.

De Ordine Tentationis in nobis.

Ordo tentationis qui fuit in primis parentibus, etiam in nobis completur. Nam sicut serpens ubi suggessit, mulier delectata est, vir comedit; sic in nobis, secundum Gregorium[2], diabolus gerit serpentis officium, sensualitas vero, quæ in carne est, officium mulieris, et ratio tenet locum viri per consensum. Vel dicas secundum Augustinum[3], quod suggestio serpentis est primus motus ex fomite; comestio vero mulieris, delectatio cogitationis, scilicet per inferiorem partem rationis; sed comestio viri est consensus superioris partis rationis. Per hæc enim tria, scilicet suggestionem, delectationem, et consensum, homo in tentationem ducitur: quia tentatio per suggestionem inchoatur, sed per delectationem progreditur, per consensum autem consummatur.

Sunt autem alia tria, per quæ quis in tentatione detinetur, scilicet opus pravum, consuetudo, et desperatio. Sciendum item est quod tentatio est triplex: prima est a diabolo, vel per modum suggestionis, vel per modum afflictionis; secunda est a mundo, qui voluptate vel vanitate allicit, vel persecutione frangit; tertia est carnis, quæ per sensualitatem ac fomitem ad peccatum impellit (*a*), quibus ratio consentiens peccatum perficit. Duæ sunt tentationis species: prima scilicet diaboli, secunda mundi: et sunt

Digitized by Google

extra nos, et non habent peccatum. Unde Augustinus: « Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. » Tertius modus tentandi est intra nos: et est peccatum veniale, cum primus motus est tantum; sed mortale, si consensus advenerit. Contra prædictos tentatores dedit nobis Deus tria remedia: quia contra diabolum habemus spiritus et angelos bonos, qui ad bonum nos stimulant, et contra insultus diaboli defendunt; item contra mundum habemus exempla Sanctorum, quos nec alliciebant mundi blandimenta, nec terrebant supplicia; item contra carnem habemus bona naturalia, scilicet synderesim, et vim irascibilem, quæ naturaliter nos docent non acquiescere carni, sed spiritui. Habemus etiam gratuita, scilicet charitatem, temperantiam, et hujusmodi, quibus carnis vitia mortificamus. Est autem differentia inter tentationes quæ sunt a diabolo, et quæ sunt a carne. Tentationes enim quæ a diabolo sunt, sæpe oriuntur præter rationem, ut cum nuper satiatus famem patitur, et post longam dormitionem somno gravatur. Tentationes vero quæ sunt a carne, frequenter surgunt propter necessitatem, sed interdum excrescunt in superfluitatem: ut si cibus post jejunium immoderate appetitur, vel in comedendo mensura et modus non tenetur.

Tentatio autem multiplex est: quædam est probationis, et hæc est a Deo, secundum quod Dominus tentavit Abraham; quædam examinationis, et hæc est ab homine; quædam præcipitationis, et hæc est a diabolo, qui sic primos parentes tentavit; quædam delectationis, et hæc est a carne; quædam consensus, et hæc est rationis.

Tentationum quatuor sunt species. Prima est aspera: hæc autem fit de laboribus inconsuetis in principio conversionis. Secunda est vana, et oritur de spiritualibus prosperitatibus, ut cum quis de virtutum successibus gloriatur. Tertia est dubia, ut quando quis ambigit quid certum de aliqua re tenere debeat: unde accidit quod lentior quisque ad bonum redditur, quando id quod agit, bonum esse dubitatur; et pronior fit (a) ad malum, quando malum esse nescitur. Quarta fraudulenta (b), ut quando diabolus in angelum lucis se transfigurat, sub specie scilicet virtutum inducens (c) vitium: hæc fit quando suadendo honestatem, inducit (c) superbiam, vel suadendo discretum obsequium, inducit (c) nimium carnis commodum, vel dissuadendo justum judicium, inducit (c) crudelitatem; vel suadendo misericordiam, inducit (c) remissionem et negligentiam; vel suadendo largitatem, inducit (c) prodigalitatem, et sic de aliis. In talibus autem periculosissimum est periculum non videre. Primam appellat Psalmista[1] timorem nocturnum: per noctem enim adversitas designatur. Secundam appellat[2] sagittam volantem in die, quia per diem prosperitas designatur. Tertiam appellat[3] negotium perambulans in tenebris, et hæc propter dubium perplexitatis. Quartam vocat[3] dæmonium meridianum; unde ait: *Non timebis a timore nocturno, a sagitta*, etc. De his quatuor generibus tentationum, idem ait[3]: *Super aspidem*, quoad primum; *et basiliscum*, quoad secundum; *et conculcabis leonem*, quoad tertium; *et draconem*, quoad quartum.

Propter prædictas tentationes vel deceptiones diaboli, non sunt etiam licita facienda, et hoc in quinque casibus. Primus est, si diabolus suadet homini aliquid esse bonum faciendum, quod videtur suis consiliis consentire: unde Christus ipso suadente noluit[4] facere panem de lapidibus, quod tamen opus bonum fuisset. Secundus, si proponatur aliquod opus contra legem Dei, non est faciendum: unde[5] Machabæi nolebant comedere carnes, quas tempore necessitatis comedere licuisset. Tertius, quando bonum fit cum scandalo aliorum[6]: *Peccantes in fratres*, etc.: et loquitur de idolothytis. Quartus est, quando bonum fit per ostentationem[7]: *Si osculatus sum manum meam, quæ est iniquitas maxima.* Quintus, cum impedit obedientiam superioris, quia licet propter mandatum prælati nunquam malum debeat fieri, potest tamen bonum aliquando propter obedientiam prætermitti. Remedia autem contra tentationes sunt memoria dominicæ passionis, mortificatio carnis, utile exercitium, declinatio occasionum, conculcatio principii tentationum.

[1] *Psal.* XC, 5. — [2] Ibid., 6. — [3] Ibid., 13. — [4] *Matth.*, IV, 4. — [5] II *Mach.*, VII, 1 et seq. — [6] I *Cor.*, VIII, 12. — [7] *Job*, XXXI, 27.

a) *Cæt. edit.* sit. — (b) Fraudulentia. — (c) *Suppl.* ad.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

DE CORRUPTELA PECCATI

CAPUT PRIMUM.

De Malo in genere.

Malum triplex est, videlicet culpæ, pœnæ, et damni : quod opponitur triplici bono, scilicet honesto, delectabili, et utili. Nam culpæ opponitur honestum ; pœnæ opponitur delectabile ; damno opponitur utile. Malum est utile multis modis : primo, propter suam ordinationem, quia per vilificationem ponitur in loco inferiori in universitate rerum, unde bene ordinatur; sicut ordinate ponitur diabolus in inferno, et fur in patibulo. Secundo modo utile est propter suam coactionem : amaritudo enim conscientiæ cogit hominem a peccato recedere [1] : *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Item in eodem [2] : *Vide quam malum et amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum.* Tertio est utile per ipsius mali considerationem : ex hoc enim quod homo malum videt, naturaliter proficit, quia sicut homo naturaliter bonum appetit, ita naturaliter horret malum et fugit.

CAPUT II.

De Peccati Diffinitione.

Post malum in genere, sequitur de malo culpæ in specie. Diffinitur autem peccatum multis modis : primo sic ab Augustino [3] : « Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat. » Secundo sic ab eodem [4] : « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. » Tertio sic ab Ambrosio [5] : « Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum. » Quarto sic ab Augustino [6] : « Peccatum est, spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere. » Prima diffinitio datur secundum causam efficientem ; secunda, secundum causam materialem ; tertia, secundum causam formalem ; quarta, secundum causam finalem. In quarta diffinitione nota quod in peccato duo sunt, scilicet aversio a Creatore, et conversio ad creaturam : quorum primum est quasi formale, secundum quasi materiale. Et in actione non est peccatum ratione conversionis, si non sistatur in creatura ; sed ratione aversionis, in qua est deformitas et contemptus. Quod autem ratione conversionis non sit peccatum principaliter, patet, quia potest fieri venialiter quandoque, ut quando quis delectatur in creatura plus debito, sed tamen citra Deum ; quandoque etiam quis potest delectari in creatura sine omni peccato, ut cum delectatio naturalis est tantum, secundum quod visus delectatur in viridi, et gustus in dulci, et sic de aliis ; interdum potest etiam quis delectari meritorie, quando scilicet ad Deum refertur. Unde Psalmista [7] : *Delectasti me, Domine, in factura tua,* etc. Sed tunc sumitur delectatio pro motu, non pro passione.

CAPUT III.

Quid sit Peccatum secundum rem.

Tenendum est de peccato, quod non est substantia vel res aliqua, sed defectus et corruptela. Et dicitur peccatum *nihil* propter tria : primo, propter defectum, quia peccatum non est aliqua res naturalis, sed corruptio boni; secundo, propter effectum, quia peccatum annihilat hominem, et deficere facit a vero esse ; tertio, propter despectum, quia vilem facit hominem et indignum præmio. Circa prædicta temen sciendum est, quod aliud est peccati actus, aliud habitus, et aliud macula peccati, sive reatus. Actus peccati est aliquid, sed, quando amplius non fit, esse desinit etiam sine gratia ; sed peccati habitus qui relinquitur malis ex actibus, etiam aliquid est, et remanet interdum etiam cessantibus actibus, et post infusam gratiam ac peccati remissionem. Peccati vero

[1] *Jerem.*, II, 17. — [2] Ibid. — [3] Aug., *Retract.*, lib. I, c. XV, n. 4 ; *De duab. Anim.*, c. XI, n. 15. — [4] Id., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. XXVII. — [5] Ambros., *de Parad.*, c. VIII, n. 39. — [6] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XVI, n. 34, 35. — [7] *Psal.* XCI, 5.

Digitized by Google

macula secundum rem nihil est, et tamen deformat animam, non per modum positionis, sed privationis, sicut truncatio membri deformat corpus et maculat. Dicit etiam Augustinus [1] quod etiam sicut abstinentia nulla est res, et tamen ex ea corpus languet, ita peccatum non est res aliqua, vel substantia aliqua, et ex eo tamen natura corrumpitur, sed deletur per gratiam. Notandum præterea, quod peccatum quandoque transit actu, et remanet reatu, sicut peccatum actuale; quandoque est e converso, cum peccatum transit reatu, et remanet actu, sicut patet in peccato originali post baptismum; quandoque transit actu simul et reatu, sicut peccatum actuale post pœnitentiam perfectam; quandoque remanet actu et reatu, sicut peccatum originale ante baptismum.

CAPUT IV.

Quid sit Peccatum secundum nomen.

Peccatum habet multa nomina : vocatur enim *macula*, et hoc quia imaginem animæ deformat; item *reatus*, quoniam ad pœnam æternam obligat; item *pollutio*, et hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione; item vocatur *pœna*, in quantum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta fuit; item *delictum*, secundum quod est recessus a dignitate gratiæ habitæ; item vocatur *culpa*, prout respicit pœnam; item *offensa*, et hoc quia contra Deum est; item *prævaricatio*, et hoc in quantum mandatum Dei respicit; item *vitium*, id est defectus bonorum naturalium; item *peccatum*, prout est conversio ad bonum commutabile; item vocatur *scelus* propter injuriam Dei magnam; item *nefas*, prout est illicitum personæ perpetranti; item vocatur *crimen*, prout est dignum accusatione et pœna.

CAPUT V.

De Origine Peccati.

Quamvis peccatum sit contrarium ipsi bono, non tamen habet esse nisi in bono, nec ortum trahit nisi a bono : quod quidem bonum est liberum arbitrium, ac voluntas, a qua peccatum est sicut a prima origine, in qua est sicut in proprio subjecto. Voluntas igitur est causa peccati: causa, dico, non efficiens, sed deficiens. Voluntas enim, secundum quod habet respectum ad suum principium a quo est, scilicet ad Deum, non est nata elicere ex se nisi bonum; sed secundum quod habet respectum ad principium ex quo est, quod est nihil, cum ipsa voluntas sit ex nihilo, tendit ad defectum. Si ergo volumus scire unde sit malum culpæ materialiter, dicemus, quod ex nihilo; si vero volumus scire unde sit formaliter, dicemus quod ex absentia debiti boni, scilicet speciei, modi et ordinis; sed si velimus scire unde sit originaliter, dicemus quod sit a voluntate, sive a libero arbitrio.

De progressu autem peccati nota, quod peccatum initiatur in cogitatione, procedit et crescit in delectatione, perficitur in consensu.

Circa progressum peccati, sciendum, quod quædam antecedunt ipsum peccatum, quædam sequuntur, quædam circumstant. Peccatum antecedunt aliqua ex parte aversionis, aliqua ex parte conversionis. Ex parte avertionis antecedunt ipsum peccatum ista : contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, prævaricatio. Illa vero quæ peccatum antecedunt ex parte conversionis, sunt hæc : cogitatio, libido, concupiscentia, delectatio, perversa intentio, consensus. Alia sunt quæ sequuntur peccatum, sicut est macula, id est, deformatio imaginis Dei; et reatus, id est obligatio ad pœnam æternam. Sunt adhuc alia quæ peccatum comitantur, ut sunt peccatorum circumstantiæ, quæ peccatum aggravant, aut diminuunt : quæ continentur in hoc versu :

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, [quando.

Actio etiam illa per peccatum depravatur, quæ est de genere bonorum, quandoque in principio, quandoque in medio, quandoque in fine : et hoc per malam intentionem, vel per negligentiam, vel per vanam gloriam. Unum peccatum dicitur majus altero multis modis, scilicet : causalitate, ut peccatum Luciferi; vel generalitate, ut peccatum Adæ; vel deformitate, ut peccatum Judæ; vel difficultate remittendi, ut peccatum in Spiritum sanctum; vel periculositate, ut peccatum ignorantiæ; vel inseparabilitate, ut peccatum cupiditatis; vel pronitate, ut peccatum carnis; vel offensione, ut peccatum idololatriæ; vel expurgandi difficultate, ut peccatum superbiæ; vel mentis cæcitate, ut peccatum iræ. Circa peccati gravitatem,

[1] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. xx, n. 22.

Digitized by Google

nota quod nihil est peccatum in viro perfecto, quod non sit peccatum in imperfecto, nisi in his quæ novit (a) : nam perfectio non mutat genus peccati, sed ejus quantitatem auget.

CAPUT VI.

De Divisione Peccati.

Divisio peccatorum multiplex est. Alia enim est secundum causam efficientem secundum se, ut hæc : « Peccatorum aliud est ex impotentia, aliud ex ignorantia, aliud ex malitia. » Alia sumitur secundum causam efficientem ratione annexi, secundum quam sumitur hæc divisio : « Peccatorum aliud est ex amore male accendente ; aliud ex timore male humiliante, » hoc est dicere, quod homo potius vult peccatum committere, quam amato carere, aut malum pœnæ, quod timet, incurrere. Sumuntur etiam peccatorum divisiones secundum causam materialem, circa quam primo sumitur hæc divisio : « Peccatorum aliud est cordis, aliud operis. » Item hæc : « Peccatorum aliud cogitationis, aliud locutionis, aliud operationis. » Secundo modo sumitur sic : Peccatorum aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum. In Deum dividitur sic : Aliud in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum sanctum. Aliis tribus modis peccatur in Deum, scilicet male per infidelitatem de Deo sentiendo ; item, blasphemando ; item, sacra Dei indigne tractando. Alio modo peccat quis in Deum, scilicet ipsum tentando, et hoc fit tripliciter : nam quandoque tentat quis Dei potentiam, ut cum signa petit ; quandoque Dei justitiam, ut cum per candens ferrum, vel per duellum, vel similia quis judicium petit ; quandoque Dei misericordiam, ut cum quis Dei bonitatem examinans, committit se stultis periculis.

In seipsum peccat quis tripliciter, scilicet : necessaria sibi subtrahendo ; item superflua sumendo, item ultra vires quippiam aggrediendo.

Item in proximum peccat quis tripliciter, scilicet : proximo suo auferendo ; item sua sibi in necessitate non communicando ; item malo exemplo illum ad peccatum trahendo.

Sumuntur præterea divisiones peccatorum secundum causam formalem ; et hoc tribus modis : quandoque naturaliter secundum qualitatem, vel secundum quantitatem (b), vel secundum relationem. Secundum qualitatem sumitur hæc divisio : Peccatorum aliud est commissi, aliud delicti : quorum primum est prævaricatio præceptorum negativorum ; secundum vero est prævaricatio præceptorum affirmativorum. Item prædictum peccatum est duplex contra duas partes justitiæ, quæ sunt declinare a malo, et facere bonum. Item alia divisio sumitur secundum qualitatem (c) sic : Peccatorum quædam sunt carnalia, quædam spiritualia ; sed carnalia majoris sunt infamiæ, spiritualia majoris sunt culpæ. Secundum quantitatem sumitur hæc divisio : Peccatorum aliud est mortale, aliud est veniale : quorum primum dicitur perversio, secundum vero inordinatio : quoniam peccatum mortale est aversio totalis a bono incommutabili, et conversio totalis ad bonum commutabile ; sed peccatum veniale est amor voluptatum in creatura, citra Deum tamen. Secundum relationem sumitur hæc divisio : Peccatorum aliud est originale, aliud actuale.

Ultima divisio est secundum causam finalem, et hoc dupliciter, quia vel secundum ipsum appetibile, vel secundum actum hominis appetentis. Secundum ipsum appetibile sumitur hæc divisio [1] : *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* : quorum primum est appetitus voluptatum, secundum appetitus divitiarum, tertium appetitus honorum. Secundum actum hominis appetentis dividitur peccatum in septem vitia capitalia, scilicet superbiam, invidiam, iram, acediam, avaritiam, gulam, luxuriam.

Nota quod quinque sunt genera operum. Nam quædam sunt mala in se, ut illa quæ secundum suam naturam mala sunt, possunt tamen per aliquam circumstantiam fieri bona, ut homicidium ; quædam sunt mala secundum se, ut illa quæ per nullam circumstantiam possunt fieri bona, sicut odire Deum, fornicari, et hujusmodi ; quædam sunt bona in se, ut quæ sunt bona ex genere, et tamen possunt fieri mala ex circumstantia, sicut est dare eleemosynam ; quædam sunt bona secundum se, ut quæ per nullam circumstantiam possunt fieri mala, sicut diligere Deum ex charitate ; quæ-

(a) *Forsan legendum* non novit. — (b) *Cæt. edit. deest* vel secundum quantitatem. — (c) *Cæt. edit.* quantitatem.

[1] *Joan.*, II, 16.

Digitized by Google

dam sunt indifferentia, ut quæ nec bona, nec mala sunt, possunt tamen vel bona, vel mala fieri, sicut est movere pedem sine deliberatione, vel quandoque comedere.

CAPUT VII.

De Effectu peccati.

Multa mala facit homini peccatum ante mortem, in morte, et post mortem. Ante mortem hæc mala operatur : naturalia vulnerat, ut significatur in illo [1], qui incidit in latrones; item intellectus obscuratur in cognitione veri, et affectus tepescit in operatione boni. Gratuitis spoliat [2] : *Dispersi sunt lapides sanctuarii*, etc. Sed ne aliquod bonum pereat, illa bona, quæ quis peccando mortificat, aliis salvandis dabuntur, sicut quando corporali morte quis moritur, fratres et propinqui in bonis ejus succedunt. Animam maculat [3] : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Ad pœnam æternam obligat [4] : *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Conscientiam amaricat [5] : *Vide quam malum et amarum est te dereliquisse Deum tuum.* Indurat [6] : *Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Insensibilem reddit [7] : *Visus est eis quasi ludens loqui.* Simile habes in cane submergendo, qui non sentit lapidem in collo, donec in aquam extra navem projiciatur. Animam occidit, quia vera vita, id est Deo, privat [8] : *Saul irruit in gladium suum.* Sed nota quod peccatum veniale disponit ad mortem; mortale vero infert mortem ; sed obstinatio detinet in morte. Ad alia peccata trahit : exemplum habemus de Cain, qui [9] egressus in agrum, occidit fratrem suum Abel. De hoc dicit Gregorius [10] : « Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. » Exemplum habes etiam in figura : Corvus [11] egressus de arca, interceptus est aquis; et Dina [12] egressa, ut videret, etc., virginitatem amisit; et Judas [13] egressus, Christum tradidit; et post adulterium David [14], secutum est homicidium. Et sic patet quod peccatum est pœna peccati. Peccatum enim, secundum quod in se est culpa, præcedentis peccati dicitur *pœna*, et ita dicitur aliquid simul culpa et pœna; sed ratione actionis dicitur *culpa*, *pœna* vero ratione passionis, quia culpa est quod facimus, pœna vero quod patimur. Licet igitur omnis culpa sit a nobis, non tamen omnis pœna est a nobis, imo quædam est a nobis acta, quædam a Deo inflicta, quædam a primis parentibus contracta. Et quia eum qui facit quod non debet, justum est pati quod debet; ideo omnis pœna est justa, et a divina providentia ordinata. Quod autem unum peccatum nascatur ex alio, sic apparet : superbia enim, quia vult omnes excellere, dolet si aliquis ei æquetur, et sic ex ea nascitur invidia; invidia (*a*) vero, quia de facili irascitur ei cui invidet, ideo ex ea nascitur ira; sed ira, cum non potest se vindicare, tristatur, et ideo ex ea nascitur acedia; acedia vero consolationem quærens in exterioribus, facit avarum; avaritia autem, quia in temporalibus abundat, potest magis exercere gulam; gula vero, propter ventris repletionem, de facili spumat in libidinem, et ita generat luxuriam. Item bona, quæ fiunt, infructuosa reddit, et quantum ad meritum, et quantum ad præmium : sicut ramus præcisus ab arbore, non profert fructum, sed arescit, et habilitatur ad incendium. De talibus dicitur [15] : *Maledictus eris ingrediens, et egrediens*, scilicet ecclesiam materialem ad orandum : quia talium oratio non est meritoria, imo dicit Augustinus, quod si tales cruce se signent, includunt potius in se diabolum, quam excludant, quia jam in eis per effectum habitat. Ex homine infernum facit, quia in peccatore est ignis avaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, dæmones per effectum, et hujusmodi. Vacuum tandem hominem relinquit [16] : *Terra erat inanis et vacua.* Et merito, quia mundo adhærentes sugunt ubera arida, eo quod relinquunt fontem vitæ, et venam aquarum viventium, et paludibus turbidis se satiant. Item fallendo decipit, sicut lignum putridum de nocte lucens, et sicut esca in hamo latens piscem decipit. Stultum hominem demonstrat, quia peccando quis sibi onus ad se deprimendum imponit, et ligna super dorsum suum cremanda colligit, et illi servit, qui eum pro servitio torquebit. Augustinus : « Stultum est in tali statu vivere, in quo quis non audet mori. » Sequitur quod peccatum in morte gravat hominem, quia in morte privatur homo solatio visibilium, quæ dilexit, scilicet

[1] *Luc.*, X, 30. — [2] *Thren.*, IV, 1. — [3] Ibid., 8. — [4] *Gen.*, II, 17. — [5] *Jerem.*, II, 19. — [6] *Prov.*, XVIII, 1. — [7] *Gen.*, XIX, 14. — [8] I *Reg.*, XXXI, 4. — [9] *Gen.*, IV, 8. — [10] Greg., *Moral.*, lib. XXV, c. IX. — [11] *Gen.*, VIII, 6. — [12] *Gen.*, XXXIV, 1 et seq.— [13] *Matth.*, XXVI, 47. — [14] II *Reg.*, XI, 17 et seq. — [15] *Deut.*, XXVIII, 19. — [16] *Gen.*, I, 2. — (*a*) *Cæt. edit.* invidus.

Digitized by Google

cibo, potu, amicis, rebus, lumine, requie et proprio corpore, quod nunquam in tali forma suscipiet, imo vellet non habere, sicut quando pro dimidia parte corrosum est a vermibus, quia stupebit anima peccatoris, quando corpus resumendum videbit. Turbabitur peccator in morte, quando videbit concursum dæmonum ad animam [1] : *Omnes inimici ejus apprehenderunt eam inter angustias.*

Postremo videndum est, qualiter peccatum premat hominem post mortem. Confusionem habebit ex malorum operum denudatione. Propheta [2] : *Revelabo pudenda tua in facie tua.* Exprobrationem Christi audiet in judicio [3] : *Esurivi, et non dedistis mihi,* etc. Requie et luce privabitur [4] : *Ligatis manibus et pedibus, mittite eum,* etc. Unde non valebit ei ille cantus, *Requiem æternam,* etc. Suffragiis Ecclesiæ non gaudebit [5] : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non,* etc. In æternum præcipitabitur : exemplum de lapide molari, quem Angelus in *Apocalypsi* projecit in mare, dicens [6] : *Hoc impetu mittetur Babylon illa,* etc. A Deo, et electis, et omnibus bonis separabitur [7] : *Ite, maledicti,* etc. A statu pœnitendi cadet [8] : *Transiit æstas, finita est messis.* Omnis spes misericordiæ præcidetur [9] : *Non remanebit testa ut portetur ignículus,* scilicet charitatis, *de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea,* scilicet divinæ misericordiæ. Sicut itaque peccatum nocet in peccato existenti, ac in peccato morienti, sic quoque multipliciter etiam nocet peccatum ipsum deserenti, et de illo pœnitenti, quia gloriam primæ innocentiæ nunquam recuperabit. Sicut enim corrupta de cætero virgo non erit, ita semel peccans nunquam se non peccasse gaudebit. Istud multis ostenditur exemplis : nam post sanationem vulneris semper manet cicatrix; item qui semel furatur, semper fur dicitur; item domus ejus *domus discalceati* [10] *de cætero dici potest*; item Simon, quem Dominus a lepra mundavit, post mundationem semper vocabatur [11] *Simon leprosus*; item templum quod reædificatum fuit post destructionem primi, nullo modo fuit simile in pulchritudine templo priori.

Ad temporalem pœnam obligat; unde : [12] *Non exibit inde, donec reddat novissimum quadrantem.* Item regnum cœlorum non intrabit, donec [13] *lignum, fœnum, stipula,* id est, pœna peccatorum tam mortalium, quam venialium, quæ in præsenti soluta non est, super ipsum cremetur. A gloria retardat : quod figuratum est in Absalon, qui [14], postquam patri reconciliatus fuit, tamen mansit duobus annis, quod (*a*) faciem ejus non vidit : quia tandiu differtur quis a gloria, quousque fiat sine omni macula, sicut erat in baptismo. Tempus amissum, et meritum quod sibi conquirere potuit cum præmio, nunquam recuperabit [15] : *Qui vendit, ad id quod vendidit, non revertetur.* Obscurat oculum cognitionis, et hoc propter trabem quæ [16] intus erat, et propter *stercora hirundinum* [17], quæ ipsum excæcaverunt (*b*), ut patet in Tobia. Unde Augustinus [18] : « Oculis ægris odiosa est lux, » sicut noctuis et vespertilionibus. Ad hoc nota de quodam cæco, quem licet Dominus illuminaverit, non statim perfecte vidit, sed vidit homines primo [19] *quasi arbores ambulantes.* Affectum reddit tepidum, sicut in pede vulneratus, etiam sanatus, claudicat, et arbor, de loco suo mota, aliquid virtutis amittit. Unde dictum est homini post peccatum [20] : *Spinas et tribulos germinabit tibi*; et dictum est serpenti [21] : *Supra pectus tuum gradieris.* Fastidium boni generat [22] : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Augustinus [23] : « Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis. » Idem de se dixit, postquam conversus fuit : « Plus valebat malum inolitum, quam bonum insolitum. » Ad bene operandum impedit : uxor Loth [24] respiciens retro, *versa est in statuam salis,* quod scilicet sterilem facit terram. Item [25] : *In dolore paries filios,* scilicet bonorum operum. Ad resistendum tentationibus debilitat : Samson [26] post crinium abscissionem amisit vires; et arbor læsa per securim, cito a vento dejicitur. Fervorem minuit charitatis, sicut eclipsis solis diu postmodum nocet terræ, eo quod modico tempore sibi virtus radiorum solis subtrahitur. *Rex David* [27] *senuerat, et cum operiretur vestimentis, non calefiebat*; et aqua calorem ignis minuit, vel extinguit. Dolorem et timorem de cætero semper infligit : dolorem quidem, quia certus est de perpetrata culpa; timorem autem, quia incertus est de venia. Augustinus : « Pœnitens

[1] *Thren.*, I, 3. — [2] *Nah.*, III, 5. — [3] *Matth.*, XXV, 42. — [4] *Matth.*, XXII, 13. — [5] *Isa.*, LXVI, 24. — [6] *Apoc.*, XVIII, 21. — [7] *Matth.*, XXV, 41. — [8] *Jerem.*, XVIII, 20. — [9] *Isa.*, XXX, 14. — [10] *Deut.*, XXV, 12. — [11] *Matth.*, XXVI, 6. — [12] *Matth.*, V, 26. — [13] I *Cor.*, III, 12. — [14] II *Reg.*, XIV, 28. — [15] *Ezech.*, VII, 13. — [16] *Luc.*, VI, 41. — [17] *Tob.*, II, 11. — [18] Aug., *Confess.*, lib. VII, c. XVI. — [19] *Marc.*, VIII, 14. — [20] *Gen.*, III, 18. — [21] Ibid., 14. — [22] *Num.*, XXI, 5. — [23] Aug., ubi supra. — [24] *Gen.*, XIX, 26. — [25] *Gen.*, III, 16. — [26] *Judic.*, XVI, 19. — [27] III *Reg.*, I, 1.

(*a*) *Leg.* quibus. — (*b*) *Cæt. edit.* excæcaverant.

Digitized by Google

semper doleat, et de dolore gaudeat, non semper doluisse se doleat. » Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrii dupliciter, scilicet in agendo, et suscipiendo : in agendo quidem, quia non potest semper facere quod oportet, vel vitare quod nocet; in suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter, scilicet quantum ad discretionem judicii inter bonum et malum, et quantum ad deliberationem consilii inter expediens et inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter, scilicet in ordine, et in modo, quia nec semper est ordinatus, nec semper moderatus. Peccatum multis nocet, scilicet 1. ipsi facienti [1] : *Peccatum meum contra me est semper.* 2. His qui sunt in purgatorio, quos non possunt peccatores tam efficaciter juvare, sicut si essent in gratia. 3. Ipsis damnatis, et hoc per modum conjunctionis : quanto enim plures sunt in inferno, tanto major est horror et pœna. Fallit enim in inferno regula illa : « Solatium est miseris socios habere pœnarum. » 4. Salvatis, et hoc per modum subtractionis : nam ex consortio et societate glorificatorum habetur gaudium accidentale. 5. Denique ipsis viatoribus nocet, tum pro eo quod acies eorum contra dæmones minuitur in illo qui peccatum perpetrat, tum pro eo quod alios malo exemplo corrumpit et scandalizat. Multa mala similiter eveniunt homini ex eo, quod in peccatum, a quo per pœnitentiam surrexerat, recidivat. Primum est, quia homo fit impotentior ad resurgendum [2] : *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, etc., *et prolapsi sunt, iterum* (*a*) *renovari.* Secundum, quod vitium fortificatur ad impugnandum : Augustinus, de se loquens : « Plus, inquit, valet malum inolitum, quam bonum insolitum. » Tertium est, quod culpa fit difficilior ad remittendum : in Hieremia [3] : *O quam vilis facta es nimis iterans vias tuas !* Unde etiam dicitur, quod vulnus iteratum tardius sanatur. Quartum est, quod Deus fit difficilior ad placandum : (*b*) de Semei [4], qui ad primam petitionem invenit misericordiam, eo tamen pacto, quod staret in Hierusalem; sed quando secundario peccavit, sine ulla misericordia occisus est. Quintum est, quod diabolus difficilior est ad expellendum [5] : *Tunc assumpsit septem spiritus nequiores se, et ingressus habitat ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

Sequitur de corruptione speciei, modi, et ordinis. Unde nota quod bonitas naturalium comparata ad animam quam speciosam facit, dicitur species; sed comparata ad opus quod modificat, dicitur modus; comparata vero ad finem, scilicet Deum, ad quem ordinat, dicitur ordo. Alio modo corruptio speciei est dissimilitudo animæ ad Deum : nam species animæ, similitudo Dei est. Corruptio vero modi est diminutio extensionis virtualis, sive infirmatio potentiæ, quæ ex hoc est, quod animæ non sustentantur cibo spirituali, gustando, quam suavis est Dominus. Corruptio autem ordinis est in anima, cum aspectus et affectus deorsum est ad creaturas extra naturalem situm. Cum enim hæc, quæ sunt quasi caput animæ, sursum sunt ad Deum, in naturali situ et ordine sunt; alioquin homo erit quasi eversus. Aliter privatio speciei est deformitas sive carentia debitæ rectitudinis voluntatis. Rectitudo autem voluntatis est, ut non declinet a suis extremis, scilicet a Deo principio, et a Deo fine, ut videlicet omnia, quæ habet a Deo principio, referat etiam ad Deum finem. Cum enim quis, quod habet, sibi attribuit, aut ponit alium finem quam Deum, curvus est. Item privatio modi est excessus propriæ voluntatis, scilicet cum vult aliquid divinæ voluntati contrarium. Item privatio ordinis est aversio voluntatis a Deo, et conversio ipsius ad creaturam. Item, et aliter, creatura rationalis (*c*) a summo bono est secundum triplicem habitudinem, scilicet efficientis, formalis, at finalis : et ideo nata est agere opera sua a Deo, et secundum Deum, et propter Deum; et hoc secundum modum, speciem, et ordinem sibi insitum. Sed quoniam eadem rationalis creatura de nihilo facta fuit, potuit deficere in suis actionibus, ut scilicet operationes suæ non essent a Deo, ac per hoc nec secundum Deum, nec propter Deum : hoc autem est peccatum ipsius speciei, et modi, et ordinis corruptivum.

CAPUT VIII.

De peccato originali secundum rem.

Expedito de peccato in genere, dicendum est de peccato in specie : et primo de originali,

[1] *Psal.* L, 5. — [2] *Hebr.*, VI, 4. — [3] *Jerem.*, II, 36. — [4] III *Reg.*, II, 41. — [5] *Luc.*, XI, 26.

(*a*) Vulg. *rursus.* — (*b*) *Suppl.* exemplum. — (*c*) *Cæt. edit. repet.* aliter.

Digitized by Google

et post de actuali. Licet igitur anima non sit ex traduce, tamen originalis culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum, mediante carne per concupiscentiam generata : ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, et prona effecta ad libidinem ; ita seminata caro, secum trahens infectionem, vitiat animam. Ex quo patet quod peccatum originale est in carne, et in anima : in carne est materialiter et originaliter ; et in anima formaliter, tanquam in subjecto. Sola enim anima est susceptibilis virtutis et vitii, et tamen (sicut dictum est) ex conjunctione ad corpus contrahit illud vitium, sicut, quando cadit quis in lutum, fœdatur et maculatur. Talis autem infectio animæ non tantum est pœna, sed etiam culpa. Ipsa vero culpa, quæ macula est, deletur in baptismo ; pœna autem, quæ fomes appellatur, sive peccandi pronitas, remanet post baptismum. Licet enim curetur in baptismo culpa quantum ad reatum damnationis æternæ, tamen remanet ipsa pœna quantum ad actum, et motum concupiscentiæ, cum qua nos oportet, quandiu vivimus, pugnare : quia non extinguitur concupiscentia per gratiam communem in aliquo homine : quod dico propter beatam Mariam Virginem, in qua fuit extincta in conceptione Filii [1] per gratiam singularem. Ex prædictis patet quod persona corrumpit naturam, et e contra natura corrupta corrumpit personam. Nam per peccatum primi hominis corrupta est humana natura ; sed natura sic corrupta corrumpit alias personas. Notandum autem quod corruptio personæ est reatus mentis ; corruptio vero naturæ est infectio carnis, prout est principium ad carnem alteram. Denique nullo modo debet imputari Deo infectio animæ, licet eam creando infundat, et uniat cum carne infecta : quoniam ordinatissimum fuit, ut humana natura ita conderetur, quod condita propagaretur, et pro peccato puniretur. Unde sicut in conditione servatus est ordo sapientiæ, et in propagatione servatus est ordo naturæ ; sic in punitione servari debuit ordo justitiæ. Et ita patet quod non est contra divinam æquitatem, si ad posteros culpa transmittitur. Dicendum igitur quod originalis culpæ transfusio , vel transmissio, non est a Deo, nec a natura condita, sed a vitio primi hominis perpetrato. Et hoc est, quod ait Augustinus, quod « peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio , sed libido. » Sic enim conditus est homo, ut spiritus præesset corpori, et corpus subesset spiritui, quandiu scilicet ille obediret suo Conditori ; et contra, si spiritus non obediret Deo , justo Dei judicio corpus inciperet rebellare spiritui. Sicut ergo si Adam stetisset, corpus suum obediens ei esset, et tale ad posteros transmitteret ; sic ex quo Adam peccavit, et caro ejus facta est ei rebellis, oportet quod talem ad posteros transmittat, et quod Deus secundum institutionem primariam animam corpori infundat. Ex quo patet quod pater est causa originalis peccati in filio : sed causam hic intelligas in genere causæ efficientis. Omnes per concupiscentiam generati nascimur filii iræ : propter quod incurrimus multiplicem defectum tam corporis, quam animæ, ad quos subsequitur pœna mortis, et pœna carentiæ visionis divinæ, et amissionis gloriæ cœlestis, non solum in adultis, verum etiam in parvulis non baptizatis, qui pœna mitissima inter cæteros puniuntur, quia (a) solam pœnam damni habent sine pœna sensus.

Originale peccatum sic lavatur et curatur per baptismum in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est et lavatus, transmittitur in prolem, sicut videmus, quod circumcisus generat filium cum præputio, et granum nudum seminatum generat granum cum palea : et hæc est ratio, quia homo generat filium, non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus est in carne ; non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis.

CAPUT IX.

De peccato originali secundum nomen.

Originale peccatum habet multa nomina, et hoc multiplici de causa. Secundum enim quod originale peccatum comparatur ad animam, vocatur *infirmitas*, quia reddit animam impotentem ad resistendum motibus. Item *fœditas*, quia per ipsum anima fœdatur et maculatur. Item *pronitas*, propter continuam inclinationem appetitus ad malum. Item *corruptio*, quia ducit ad nihilum, id est, ad peccatum. Item *vitium*, quia est diminutio bonorum naturalium. Item *languor naturæ*, quia durat in

[1] Vid. dicta in antecessum huj. edit. tom. IV, pag. XIII.

(a) *Cæt. edit.* qui.

Digitized by Google

natura corrupta. Sed secundum quod comparatur ad corpus, vocatur *lex carnis*, eo quod lege divina carni sit inflicta. Item *lex membrorum*, quia movet organa ad opera concupiscentiæ. Item *tyrannus*, propter dominationem quam habet quasi violentam in ipso concupiscibili. Item *fomes*, quia sicut cinis fovet ignem, ita per ipsum fovetur peccatum in carne secundum actum nutritivæ et generativæ. Item *stimulus carnis*, quia stimulat carnem ad primos motus, et animum ad consensum. Sed prout comparatur ad actus delectabiles, vocatur *concupiscentia*, quæ sonat vitium in actu, prout est in adultis. Item *concupiscibilitas*, quæ sonat vitium in potentia, prout est in parvulis. Secundum vero quod comparatur ad primum hominem, a quo contrahitur, vocatur *peccatum originale*, quod est carentia debitæ justitiæ.

CAPUT X.

De primis motibus.

Cum peccatorum aliud sit actum, aliud contractum, ipsum peccatum actuale frequenter a primis motibus habet ortum. Unde sciendum, quod in statu innocentiæ non movebatur sensualitas nisi secundum motum rationis. Ideo stante primo homine in eodem statu, non poterat in eo esse peccatum etiam veniale. Primi motus, etsi particulariter et singulatim possunt declinari, tamen nullo modo omnes possunt caveri, quia sic tot sunt peccata, quot sunt etiam peccati pœnæ : et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso sunt digna venia. Primus motus sic describitur, quod est motus sensualitatis secundum impulsum fomitis impetuose tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis. Dupliciter primus motus distinguitur, quantum spectat ad præsentem materiam, scilicet primo primus, qui est naturalis, et secundo primus, qui est sensualitatis.

Cum ergo loquimur de primis motibus, quod sunt peccata, intelligendum est de secundo primis, qui sunt sensualitatis, quia primo primi non sunt peccata, cum sint naturales, et extra genus moris : quod patet per hoc, quod tales non sequuntur imaginationem, sed solummodo naturalium qualitatum actionem. Motus autem secundo primi sunt peccata, quia sunt actus inordinati in genere moris : quod patet per hoc, quod tales motus sunt sensualitatis, quæ subjacet in talibus dominio voluntatis. Voluntas autem est principium moralium, sicut habetur libro septimo *Ethices*. Hinc est quod ibi genus moris incipit, ubi primo dominium voluntatis invenitur : hoc autem est in sensualitate. Quamvis ergo per rationem prædictam sit in sensualitate peccatum, non tamen hoc erit mortale, sed tantummodo veniale, quia voluntas non habet dominium completum super primos motus, qui sunt sensualitatis, sicut in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt; sed habet in eis dominium incompletum, sicut in illis actibus, qui (a) imperium rationis præcedunt, et tamen voluntas tales motus sensualitatis impedire poterat, et ideo sunt peccata venialia. Primi quoque motus ideo sensualitati ascribuntur, quia talium motuum principium sensualitas est et subjectum. Dicendum quoque quod primi motus secundum prædicta sunt peccata venialia triplici ratione : primo, quia movent ad illicitum; secundo, quia sunt quodammodo voluntarii, non secundum se, sed quia, sicut dictum est, non impediuntur a voluntate, vel etiam propter præcedentem apprehensionem; tertio, propter delectationem annexam. Cum enim anima per delectationem conjungitur creaturæ, obtenebratur, et pejoratur; sicut quando conjungitur Deo, illuminatur et melioratur. Nota quod homo pronior est ad malum, quam ad bonum, et hoc multis de causis. Primo, quia, sicut dicitur[1] : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, trahens illam ad malum, et non sic erigens ad bonum. Secundo, quia, sicut dicit Augustinus, « Plus valet malum inolitum, quam bonum insolitum. » Tertio, quia naturaliter facilius est descendere, quam ascendere; et unus magis trahit deorsum, quam decem sursum. Quarto, quia incitans ad malum præsens est, sed finis virtutum incitans ad bonum absens est; delectabile autem apprehensum per sensum, vel imaginationem, quasi de necessitate movet concupiscentiam. Quinto, quia plures circumstantiæ requiruntur ad bonum, quam ad malum. Sexto, quia tendimus ad nostrum principium, scilicet ad nihilum. Septimo, quia fomes, qui movet ad malum, semper intra nos est; gloria vero, quam quærimus, extra nos est. Octavo, quia vires animæ

(a) *Cæt. edit.* qui non imperium.

[1] *Sap.*, IX, 15.

Digitized by Google

sunt activæ ad diligendum temporalia, sed passivæ et materiales ad ea quæ sunt gratiæ et gloriæ, quia non possunt haberi virtutes per modum acquisitionis, sed per modum receptionis. Unde malum possumus facere per nos, sed bonum non possumus facere sine gratia adjutrice.

CAPUT XI.

De morosa delectatione, et consensu in peccatum.

Delectatio carnalis morosa peccatum est mortale. Sed nulla dicitur morosa, nisi quando ex consensu rationis est : unde non intelligitur ibi mora temporis, sed consensus. Sciendum est ergo quod delectatio si sistit circa consensum, veniale peccatum est; si vero procedit ulterius, ita quod vult interius delectatione voluptuari, nec tamen vult in opus procedere, talis consensus est inter mortalia computandus, quod maxime debet intelligi in peccatis carnalibus. Verumtamen ille consensus in illecebram duplex est : quia consensus in illecebram aliquis est subitus, non per præhabitam deliberationem, sed ex sola corruptione carnis, quem (*a*) præcedit appetitus sensualitatis in primo motu : talis autem consensus dicitur subreptio, et est peccatum veniale; alius consensus est in delectationem (*b*) motuum carnis, qui est cum deliberatione rationis, et iste est peccatum mortale, ut dictum est. Si autem ratio consentit cum deliberatione quæ sit (*c*) per rationes divinas, hoc modo, quia omne lege Dei prohibitum est vitandum, tunc dicitur peccatum esse in superiori parte rationis. Sed si deliberatio sit per rationes humanas vel naturales, hoc modo : « Omne in quo transgreditur medium virtutis, est vitandum, » tunc dicitur peccatum esse in inferiori parte rationis. Et si adhuc procedit consensus ulterius, quando scilicet proponit opus consummare, tunc voluntas pro facto reputatur, etiamsi facultas desit perficiendi ipsum opus. Si vero consequitur consensus et opus in his quæ divina lege sunt prohibita, peccatum est mortale consummatum.

Ex prædictis collige distinctionem, quia delectatio duplex est, scilicet naturalis, et voluntaria. In delectatione pure naturali, nec est meritum, nec demeritum. Voluntaria duplex est, quia alia est in Creatore, alia in creatura. Delectatio, quæ in Creatore est, bona est, de qua Psalmus [1] : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, etc. Quæ autem in creatura est, duplex est : quædam enim est propter Deum, et hæc bona est ; sed hic sumitur delectatio pro opere rationis, non pro passione : de qua Psalmista [2]: *Delectasti me, Domine, in factura tua;* quædam est contra Deum, et hæc similiter duplex est : quia quædam est non contra Deum, sed præter Deum, et hæc est peccatum veniale; quædam vero est contra Deum simpliciter, qua frangitur Dei præceptum, et hæc est peccatum mortale.

(*a*) *Cæt. edit.* quam. — (*b*) Delectatione. — (*c*) flt.

CAPUT XII.

De peccato veniali.

Peccatum veniale minoris est culpæ. Nam in parvulis post baptismum primo surgunt venialia, postea mortalia. Veniale autem peccatum est, ut ait Augustinus, quod hominem usque ad reatum perpetuæ mortis non gravat, sed pœnam meretur, et facile indulgetur. Peccatum veniale semper est a voluntate ad hoc movente, vel permittente, vel non prohibente. Peccatum aliquod est veniale tribus modis : primo modo ex genere, sic verbum otiosum est veniale; secundo ex eventu, secundum quod per pœnitentiam de mortali fit veniale; tertio ex causa, ut quando fiunt quædam ex infirmitate vel ignorantia, quæ licet quandoque sint mortalia, tamen dicuntur venialia, sive remissibilia, ex comparatione ad peccatum quod fit ex certa malitia, quod est irremissibile. Sciendum quod peccatum veniale nunquam potest fieri mortale, videlicet, si intelligatur idem secundum substantiam, quod prius fuit veniale, mortale fieri nunquam potest : et hoc nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam. Ratio hujus est, quia nulla res potest mutare suam speciem: peccatum autem veniale et mortale sunt diversæ species peccati. Verumtamen actus qui ex se est de genere venialis, potest fieri mortalis quatuor modis. Primo, ex conscientia, quia quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, etiamsi fiat contra conscientiam erroneam : et hæc est ratio, quia cum in peccato duo sint, scilicet aversio et conversio, penes primum judicatur peccatum, quoniam aversio a Deo est quasi formale, et conversio ad creaturam quasi materiale. Quamvis ergo levare

[1] *Psal.* LXXVI, 4. — [2] *Psal.* XCI, 5.

Digitized by Google

festucam vel calamum dextera videatur esse leve et indifferens, tamen quando fit contra conscientiam, peccatum est mortale : quia spernitur bonum incommutabile, et ita fit aversio a Creatore. Secundo, ex complacentia; unde Augustinus : « Nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum placet. » Tertio, ex dispositione, quia frequenter per lapsum in venialia, disponitur homo ad mortalia; et hoc secundum illud Gregorii [1] : « Vitasti saxa grandia, vide ne obruaris arena. » Et hoc ideo dicit, quia sæpe de minimis peccatis venitur ad magna, sicut de modica scintilla quandoque surgit magnus ignis [2] : *Qui minima spernit, paulatim decidet.* Quarto, ex progressu, quia quando insurgit veniale, si non prohiberetur, posset progredi usque ad mortale : non quia ipsum veniale in substantia posset fieri mortale, sed quia ex ipso occasionaliter fieret progressus ad mortale. Et istud patet in primis motibus, qui inter venialia computantur; sed quando delectatio convalescit in tantum quod consensus accedit, jam peccatum est mortale.

Differentia est inter peccatum mortale et veniale, quia peccatum veniale est libido sive voluptas in creatura citra Deum; mortale autem est libido sive voluptas in creatura supra Deum, vel æque Deo. Rectus autem ordo est, ut bonum incommutabile præferatur bono commutabili, et honestum utili, et voluntas Dei voluntati nostræ, et ratio sensualitati : et quando iste ordo pervertitur, tunc peccatum committitur.

Utrum aliquis possit esse, vel vivere sine peccato veniali, dum est in hac vita præsenti? Dicendum est, quod si loquimur de tota vita hominis, qui pervenit jam ad ætatem adultam, de excellenti et speciali gratia est, quod talis sine veniali peccato sit, sicut B. Augustinus dicit [3] de Beata Virgine. Si autem loquimur de aliqua particula vitæ præsentis, sic potest aliquis esse sine peccato veniali. Istud patet per exemplum : quia nauta potest singula foramina navis in numero obstruere, ne aqua intret, sed non potest simul omnia obstruere, ut aqua nusquam intret. Unde charitas etiam perfecta non facit quod peccatum veniale non adveniat, sed facit quod non duret; quemadmodum caminus ignis non facit ut gutta aquæ sibi non apponatur, sed facit tamen ut apposita citius extinguatur. Perfecta enim charitas statim inflammat hominem, ut de peccato veniali doleat, et pœniteat, quod non facit charitas imperfecta : unde in imperfectis aggregantur multa venialia, per quæ fit ad prostrationem major dispositio.

[1] Est apud Augustinum, *Enarr. in Psal.* XXXIX, n. 22. — [2] *Eccli.*, XIX, 1. — [3] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. XXXVI, n. 42.

CAPUT XIII.

De effectu peccati venialis.

Effectus peccati venialis multiplex est. Primus, quia ad pœnam obligat : non autem determinate, neque præcise obligat ad pœnam æternam, vel purgatoriam, vel præsentis satisfactionis; sed ad aliquam illarum pœnarum : quoniam secundum forum Ecclesiæ præsentis satisfacit homo leniter; sed secundum forum purgatorii punietur gravius; secundum vero forum inferni punietur gravissime pro veniali, quia æternaliter, si cum mortali et veniali decesserit. Exemplum habemus de hoc : quia mensura vini quæ in uno loco valet sex denarios, si ducatur ulterius, valet solidum unum, et si ducatur adhuc ulterius, valet duos solidos. Pœna tamen illata pro veniali in inferno, incomparabiliter minor est, quam illata pro mortali. Unde solet dici quod pœna illata in inferno pro mortali est sicut soliditas, illata vero pro veniali est sicut superficies; illata pro veniali in purgatorio est sicut linea; illata pro veniali in præsenti est sicut punctum. Unde sicut ista quatuor sunt improportionabilia, ita inter prædictas pœnas magna est differentia. Secundus effectus est, quod peccatum veniale animam maculat, et ponitur tale exemplum : aliquando enim denigratur aliqua imago depicta in tantum, ut videri non possit; aliquando vero sic obscuratur, ut videri quidem possit, sed non plene discerni : et ideo propter talem differentiam dicit Gregorius, quod veniale obscurat, mortale vero obtenebrat. De macula autem ista dicitur, quod in salvandis omne peccatum veniale deletur in præsenti a gratia finali, et hoc quantum ad culpam, et non quantum ad pœnam; imo illa solvetur in purgatorio. Delet autem gratia finalis peccatum veniale in ipsa dissolutione corporis et animæ ex virtute suæ complexionis et sui status, quamvis non sit motus contritionis ad illud directus, secundum quod intelligitur verbum Augustini, qui dicit,

Digitized by Google

quod in purgatorio potest esse absolutio a pœna, et non a culpa. Hoc ab antiquis dictum est; sed nunc communiter tenetur, quod peccatum veniale cum hinc deferatur a multis, etiam quantum ad culpam in purgatorio purgatur : quia etiam hoc, quod Dominus dicit de quibusdam peccatis, quod non remittentur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, exponit Gregorius [1], quod venialia remittentur in futuro : quod si intelligatur quantum ad pœnam tantum, tunc expositio Gregorii nulla est, quia etiam mortalia confessa quantum ad pœnam purgantur, quæ hic soluta non sunt. Tertius effectus est, quod minuit fervorem charitatis, sicut aqua in igne projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Quartus est, quod potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut, quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Quintus est, quod retardat a gloria, quia homo qui decedens alioqui posset statim evolare ad cœlum, post mortem cogitur propter venialia ad tempus in purgatorio expectare. Nunquam enim ab aliquo facies Dei videbitur, donec solvat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per pœnam. Oportet enim quemlibet ita mundum esse ante introitum Paradisi, sicut fuerat in innocentia baptismali. Sextus est, quod bona gloriæ cœlestis diminuit: non quidem illa, quæ jam debentur, et quæ jam habemus ibi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia non fierent, quia in eo tempore possent aliqua bona fieri, quando illa fiunt. Propterea post perpetrationem venialium oportet nos opera quædam convertere ad solutionem hujusmodi debitorum, per quæ nobis deberet crescere cumulus æterni præmii. Septimus effectus est, quod venialia sæpe sunt occasio mortalium peccatorum, et hoc quatuor modis, sicut habes supra capite proximo, ubi dicitur, quod actus qui ex se venialis est, potest fieri mortalis quatuor modis. Hoc est etiam singulariter advertendum, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi cum voluntate in posterum abstinendi, sic quoque peccatum veniale in præsenti non dimittitur, nisi actu et proposito deseratur.

[1] Greg., *Dial.*, lib. IV, c. XXXIX. — [2] *Eccli.*, X, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* superbia.

CAPUT XIV.

De septem vitiis capitalibus in specie.

Peccatorum actualium mortalium unum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput. Unum initium dicimus superbiam (*a*), juxta illud [2] : *Initium omnis peccati superbia.* Duplex vero radix est, scilicet timor male humilians, et amor male accendens. Omnis autem timor ortum habet ab amore : nullus enim timet aliqui perdere, nisi quia amat illud habere. Triplex peccati fomentum sunt tria quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Septiforme caput sunt superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, et luxuria : inter quæ sunt duo carnalia, quinque vero spiritualia. Sufficientia horum vitiorum sic potest colligi. Voluntas nostra deordinatur, aut quia appetit non appetendum, aut quia refugit non refugiendum. Si primo modo, aut est interius, et sic est vana gloria; aut exterius, et sic est avaritia; aut inferius, et sic est delectabile. Sed illud delectabile, aut est ad conservationem individui, et sic est alimentum quod appetitur inordinate a gula; aut est ad conservationem speciei, et sic est coitus, qui appetitur inordinate a luxuria. Si autem voluntas nostra deordinatur quia refugit quod non est refugiendum, hoc potest esse tripliciter : aut enim refugit, quod non est refugiendum, secundum perversum instinctum rationalis, et sic est invidia; aut secundum instinctum perversum irascibilis, et sic est ira; aut secundum perversum instinctum concupiscibilis, et sic est acedia. Ex his patet quod sunt quatuor appetibilia, et tres sunt vires secundum quarum instinctum est fuga : et ideo tantum sunt septem capitalia peccata.

Peccata quædam sunt, quæ quandoque se publice ostendunt, ut quando directe fiunt; quandoque vero sub quadam specie boni palliata decipiunt. Unde superbia quandoque dicit : « Ad hoc volo præesse, ut possim prodesse. » Ita dicit : « Non debent illata mala tolerari, ne consuescant inferri. Invidia dicit : « Aliis bona non cupio, ne in successibus eleventur. » Acedia dicit : « Ad hoc in laboribus mihi parco, ne temeritate indiscretionis arguar. » Avaritia dicit : « Ad hoc sunt multa congreganda, ne propter inopiam committatur furtum vel rapi-

Digitized by Google

na. » Gula dicit : « Ad hoc est corpus cibis et potibus delicatioribus nutriendum, ut sit fortius ad Deo serviendum. » Luxuria dicit : « Ad tempus debet quisque ad libitum vivere, ut possit postea fortiter pœnitere. »

Septem vitia comparantur septem bestiis. Superbia comparatur leoni ; invidia, cani ; ira, lupo ; acedia, asino ; avaritia, ericio ; gula, urso ; luxuria, porco. Alio modo comparantur septem infirmitatibus : superbia comparatur inflationi ; invidia, lepræ ; ira, phrenesi ; acedia, lethargiæ ; avaritia, hydropisi ; gula, epilepsiæ ; luxuria, febri. Septem vitia Christi passione curantur : capitis inclinatio in cruce curat superbiam ; oratio pro inimicis, iram ; apertio lateris, invidiam ; portatio crucis, acediam ; traditio spiritus Patri, corporis cruci, matris discipulo, vestium crucifixoribus, hæc curant avaritiam ; flagellatio, luxuriam ; potatio fellis, gulam.

CAPUT XV.

De Superbia.

Nunc dicendum est de septem vitiis capitalibus in specie, et primo de superbia, quæ est regina omnium vitiorum et mater. Est autem superbia, ut ait Augustinus [1], « perversæ celsitudinis appetitus. » Unde, sicut idem Augustinus ait [2], superbia omnibus invidet, scilicet superioribus, quia eis non æquatur ; inferioribus, quia eis æquari timet : paribus, quia eis æquatur.

Superbia dicitur initium omnis peccati triplici ratione. Primo, propter causam quæ invenitur in omni peccato : quia in omni peccato invenitur contemptus Dei, qui est quædam causa peccati. Iste autem contemptus est aversio a Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili : quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Abstrahe superbiam, et habebis gratiam, quia [3] *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*. Convexum enim, in quantum hujusmodi, non est receptivum ; sed concavum. Secundo, quia primum peccatum fuit : hoc enim genere peccavit diabolus in cœlo, et primus homo in paradiso. Tertio, quia ex ea nascuntur alia vitia secundum prius et posterius, hoc est mediate et immediate, sicut habetur supra [4], capite *De effectu vitiorum*. Est autem inter superbiam et vanam gloriam differentia, quia licet utrobique sit appetitus propriæ excellentiæ, tamen superbus sibi apparet magnus intus, sed vaniglorius appetit in ore aliorum per laudem apparere extra.

Diversa peccata dicuntur radices et initia, sive causæ aliorum peccatorum, sed diversis respectibus. Superbia enim dicitur initium omnis peccati propter tres causas superius enarratas. Libido etiam dicitur causa omnis peccati, sicut ait Augustinus, et hoc propter delectationem creaturæ, quæ inordinate trahit animam et avertit a summo bono. Est enim libido improba voluptas, qua movetur anima rationalis ad hoc quod delectetur in creatura. *Cupiditas* etiam dicitur [5] *radix omnium malorum : quam quidam appetentes erraverunt a fide*, sicut dicit Apostolus : et hoc propter eamdem rationem, sicut libido : est enim cupiditas ex amore inordinato ad creaturam. Luxuria etiam, secundum Cassianum [6], dicitur radix omnis peccati, quia carnales delectationes nobis sunt naturales ; ad naturalia autem prompti sumus, et difficulter resistimus.

Inanis gloriæ septem sunt filiæ secundum Gregorium [7]. Prima est inobedientia, qua vaniglorius in nullo vult videri inferior : quod fieret, si faceret mandatum. Secunda est contentio, quia vult vincere cum clamore, et per hoc apparere. Tertia est jactantia, qua quis enumerat bona sua, ut laudabilis appareat. Quarta est hypocrisis, quæ quærit in exterioribus apparere. Quinta est pertinacia, quæ factum suum, vel dictum, malum defendit, ne errasse videatur. Sexta est discordia, quæ contra omne dictum sustinet vel assumit contrarium, propter vanam gloriam. Septima est novitatum præsumptio, qua quis nova, vel dicit, vel invenit, ut laudetur.

Quatuor sunt species superbiæ, quas assignat Gregorius [8]. Prima est, cum homo a seipso æstimat habere bonum quod habet. Secunda, si desuper datum credit, pro suis tamen meritis accepisse se putat. Tertia, cum jactat se habere bonum, quod non habet. Quarta, quando, cæteris despectis, singulariter vult videri. Per primam et secundam speciem injuriatur homo Deo in se, quia per primam ponit se homo totam

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII. — [2] Id., *de Gen. ad litt.*, lib. XI, c. XIII. — [3] *Jac.*, IV, 6. — [4] Vid. sup., c. VII, pag. 127, col. 2. — [5] *I Tim.*, VI, 10. — [6] Cassian., *de Instit. Cœnob.*, lib. VII, c. II. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII. — [8] Ibid., lib. XXIII, c. IV, non longe a princ.

Digitized by Google

causam sui boni ; sed in secunda ponit se causam principalem ; in tertia vero specie injuriatur homo Deo in proximo ; in quarta autem injuriatur homo Deo in eo, quod non habet.

Gradus superbiæ, secundum Bernardum [1], sunt duodecim, qui sunt : curiositas, mentis levitas, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, peccatorum defensio, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Numerus istorum sic accipitur. Homo per superbiam injuriatur Deo, et homini : Deo, cui debet esse inferior ; homini, cui debet esse par. Sex primi gradus determinantur secundum injuriam quæ fit homini cui debet esse par ; quatuor alii, secundum injuriam quæ fit homini superiori ; duo ultimi determinantur proprie quantum ad injuriam quæ Deo immediate fit : hoc ideo dicimus, quia et superiores gradus in Deum redundant, sed mediante proximo. Gradus autem vocantur, quia fit a minori progressus ad majus. Primus enim malus est, secundus pejor est, et sic scandendo invenitur, quod ultimus est pessimus. Unde injuria quæ est respectu paris, est minor ; illa vero quæ est respectu superioris, est major ; sed illa quæ est respectu Dei, est maxima. Propter quod isti gradus taliter ordinantur. Superbia multa mala facit. Primo id, quod Dei est, usurpat, scilicet gloriam [2] : *Gloriam meam alteri*, etc. In bonis enim operibus, quæ facimus, duo sunt, scilicet honor, et utilitas : sed primum Dominus sibi reservat, aliud nobis tribuit. Unde debemus Deo suam partem relinquere, si nostra parte nolumus spoliari. Secundo perfectos viros impugnat : superbia est enim quasi turris Babel, quæ usque ad cœlos, id est usque ad viros cœlestes, debebat pertingere. Augustinus [3] : « Superbia etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. » Unde superbia inexpugnabilis est, sicut castrum in alto monte situm. Tertio gratia Dei hominem denudat [4] : *Superbis Deus resistit*, etc. [5] *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Unde secundum naturam convexum non est receptivum, sed concavum. Quarto hominem Deo privat ; Hugo de S. Victore : « Superbia offert mihi Deum, invidia proximum, ira meipsum. » Superbia Deo est odibilis [6] : *Tria sunt quæ odit Deus : Pauperem superbum*, etc. Deum impugnat, quia vexillum inimici sui, id est diaboli, ponit in castro suo, et deponit vexillum Christi, scilicet crucem, quam semper homo debet portare, juxta illud [7] : *Qui vult venire post me*, etc. Diabolo hominem assimilat : *Ipse est* enim [8] *rex super omnes filios superbiæ.* Unde, sicut Dominus ait de charitate [9] : *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem* ; ita potest diabolus dicere de superbia : « In hoc cognoscent, » etc. Hominem stultum demonstrat, quia ancillam ornat, et dominam nudam relinquit ; item, quia magna pro modico vendit, id est pro laude humana ; item, quia credit se posse cum superbia illuc attingere, ubi diabolus jam existens non potuit cum superbia remanere. Hominem dejicit, quia scandentes in altum de facili cadunt ; et qui se elevant sub ostio humili, facile caput lædunt.

CAPUT XVI.

De Invidia.

Invidia est, ut ait Augustinus [10], odium felicitatis alienæ. Secundum Joannem Damascenum [11], invidia est tristitia de alienis bonis. Dicitur autem invidia a *non videndo*, quia non potest videre bona aliorum. Unde displicentia boni, quæ est invidia, potest notari per visionem interiorem et exteriorem, sicut vult Seneca, dicens : « Quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. »

Invidia quinque filias habet secundum Gregorium [12] : prima est odium, quod est velle malum alicui, et nolle bonum ; secunda est exultatio in adversis proximi ; tertia est afflictio in prosperis proximi ; quarta est susurratio, quæ est detractio latens ; quinta est detractio : hæc autem fit in aperto, quia intendit melior apparere illo cui detrahit.

Invidia multa mala facit. De lumine cæcatur, quia proximi bona videre non potest. Unde invidus comparatur noctuæ et vespertilioni. Augustinus [13] : « Ægris oculis odiosa est lux, quæ puris est amabilis. »

De vita moritur. Gregorius : « Panis vitam fortium roborat, parvulorum necat. » Unde invidus comparatur febricitanti, cui etiam boni cibi sunt contrarii. Deo contrariatur, quia tam bonus est Deus, ut ait Augustinus, ut etiam de

[1] Bern., *de grad. humilit.*, § 1. — [2] *Isa.*, XLII, 8. — [3] Aug., *Reg.* III, c. V. — [4] *Jac.*, IV, 6. — [5] II *Reg.*, I, 21. — [6] *Eccli.*, XXV, 4. — [7] *Marc.*, VIII, 34. — [8] *Job*, XLI, 25. — [9] *Joan.*, XIII, 35. — [10] Aug., *Enarr. in Psal.* CIV, n. 17. — [11] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XIV. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XI. [13] Aug., *Confess.*, lib. VII, c. XVI.

Digitized by Google

malis bonum eliciat; sed e contra tam mali sunt isti, ut de bonis malum eliciant. Item divina bonitas omnia sua communicat; isti vero non. Item Deo placet bonum hominis, ac malum displicet; isti autem e contra bonum gratiæ et naturæ pervertunt. Unde sicut omnia munda mundis, sic istis omnia sunt immunda. Et sicut bonis mala cooperantur in bonum : ita invidis bona cooperantur in malum. Unde tales aurum convertunt in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, gaudium in mœrorem, rosam in paliurum, balsamum in sterquilinium, electuarium in venenum. Tales maledicit Isaias [1] : *Væ qui dicitis bonum malum*, etc. Stultum efficit : nimis errat, qui idcirco sibi vult unum oculum erui, ut aliis etiam unus eruatur : sic facit invidus et diabolus, qui per hoc quod aliis invidet, sibi magis nocet. Auctorem suum torquendo lædit; Seneca : Utinam invidi in omnibus civitatibus oculos et aures haberent, ut, de omnium profectibus torquerentur. » Proximum fraudulenter decipit : unde invidus comparatur cani, qui blanditur in facie et mordet a tergo; item Judæ, qui osculo Christum tradidit; item homini perfido, qui lædit hominem, qui eum nunquam molestavit.

CAPUT XVII.

De Ira..

Ira est, ut ait Augustinus [2], ulciscendi libido, et secundum Cassianum, ira est motus animi concitatus ad pœnam. Hæc est definitio iræ per vitium, non per zelum; de qua est hic agendum. Ira igitur duplex habet esse, scilicet esse naturæ, et esse moris. Prout ergo deordinat ab optimo, habet esse morale, quo vitium est, quia ira non est peccatum ratione puræ passionis, imo pœna: sed cum hoc dicit quamdam actionem per quam deordinat hominem, et quantum ad Deum, et quantum ad proximum. Vult enim a se expetere vindictam, quam non debet expetere nisi a Deo, vel a judice sub Deo constituto.

Utrum autem teneatur quis remittere injuriam inimico petenti? Nota distinctionem, quia ex injuria solent oriri tria : primum est rancor in affectu; secundum est rancoris signum in effectu; tertium est actio contra injuriantem. Primum tenetur quis statim remittere, etiamsi non rogetur; secundum tenetur remittere veniam veraciter petenti, id est parato emendare secundum facultatem suam; tertium non tenetur remittere. Si vero volueris scire utrum ille, cui facta est injuria, debeat amicitiam quærere, sciendum quod duplex est debitum : primum est necessitatis, sine quo non est salus; secundum est perfectionis. Quantum ad primum debitum, non tenetur quis reconciliationem quærere, sive amicitiam; sed de secundo dicit Chrysostomus, quod debet quærere reconciliationem, ut duplicem coronam consequatur : unam, quia injuriam passus est; aliam, quia prior rogavit. Dominus autem ponit tres gradus circa reatum iræ, cum dicit [3] : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit, racha, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* De his dicendum est, quod ubi crevit gradus culpæ, crevit et ordo pœnæ. Unde recte ira sine voce punienda est judicio; ira cum voce, concilio; ira cum voce contumeliæ gehennæ ignibus mancipatur. Secundum Augustinum enim in primo est ira tantum; in secundo, ira et sermo; in tertio ira est et certa expressio irrisionis.

Dicit autem Gregorius [4], quod judicium est causæ discussio; concilium, sententiæ diffinitio, gehenna ignis, sententiæ executio.

Notandum quod reddere malum pro malo, est fragilitatis, sicut fecit Joab [5], quando interfecit Abner, scilicet interfectorem fratris sui Asael. Sed reddere malum pro bono, est perversitatis, sicut fecit Judas tradendo Christum. Reddere bonum pro bono, est æquitatis, sicut fecit Assuerus, quando Mardochæum honoravit. Reddere bonum pro malo, est perfectionis, sicut fecit beatus Stephanus, quando pro inimicis oravit.

Filiæ iræ, secundum Gregorium [6], sunt sex : prima est rixa, hæc est audax voluntas vindicandi injuriam factam, per se; secunda est tumor mentis, hæc est vindicandi causa fugiens adversantem, ne cum eo colloquium habeatur propter æstimatas inimicitias; tertia est contumelia, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum; quarta est clamor, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, ad aliorum aures perveniens; quinta est indignatio, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ

[1] *Isa.*, v, 20. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XVI. — [3] *Matth.*, v, 22. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. IV. — [5] II *Reg.*, II, 27. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII.

Digitized by Google

exterius declaratum; sexta est blasphemia, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo vel sanctis illatum.

Ex ira veniunt multa mala. Hospitium Spiritus sancti turbat; Gregorius: « Dum ira animum pulsat, Spiritui sancto hospitium suum turbat. »Nam sicut [1] *in pace factus est locus Dei*, sic in discordia locus diaboli. Tales sunt incendiarii domus Dei; unde Psalmista [2]: *Incenderunt igni sanctuarium tuum, Domine; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Unde isti sunt similes draconi, qui emittit ex ore ignem. Quod Dei est, sibi usurpat, scilicet vindictam; Propheta [3]: *Mihi vindictam, et ego retribuam.* Talis se facit judicem, et Deum vult esse tortorem, sicut dicit Augustinus. Dicit enim malus in orationibus suis: « Domine, occide malum inimicum meum. » Respondet ei Dominus: « Quem vestrum? Ambo estis mali. » Imo talis vult esse actor, et judex in eadem causa. Sed stultum se demonstrat, qui per cor suum immittit gladium, ut lædat tunicam inimici sui. Imo si sapienter faceret, prius se de ipso vindicare deberet, iram, scilicet zelum, adversus iram suam propter vitium assumendo; sed e converso limam purgationis convertit in rubiginem depravationis. Adversitates enim quæ ipsum deberent a peccato purgare, per impatientiam magis inquinant, et fornax probationis mutat ei aurum in cuprum, et flagellum ex grano facit paleam. Unde duram sententiam talis in judicio expectabit. Cum enim Dominus improperaturus sit quibusdam [4]: *Nudus fui, et non cooperuistis me*, quid dicturus est illis, qui non solum nudos non vestiunt, sed vestitos spoliant? Bellum mundi, carnis et diaboli contra se instaurant; sed sapientes sedant minores guerras propter majores, quæ imminent. Malam faciunt commutationem, quia auferendo pallium bonæ famæ, dant tunicam innocentiæ. Remedia iræ sunt: silentii observatio [5]: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*: quia sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, ita ex amaris verbis aliquorum ira concitatur [6]: *Responsio mollis frangit iram, et sermo durus excitat furorem.* [7] *Quasi qui apprehendit canem auribus*, etc. Dominicæ passionis consideratio; Gregorius: « Si passio Domini ad memoriam revocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. » Hoc figuratum est, ubi respicientes serpentem æneum sanabantur. Item præmii tolerantiæ animadversio; unde consideratio præmii minuit vim flagelli.

[1] *Psal.* LXXIII, 3. — [2] Ibid. 7. — [3] *Deut.*, XXXII, 35; *Rom.*, XII, 19. — [4] *Matth.*, XXV, 42. — [5] *Prov.*, XXVI, 20. — [6] *Prov.*, XV, 1. — [7] *Prov.*, XXVI, 17.

CAPUT XVIII.

De Acedia.

Acedia est de virtutum laudabili exercitio utriusque hominis languida dejectio. Item acedia est diffidentia, de propriis viribus et auxilio Dei, implendi ardua. Duo nomina sunt hujus vitii, scilicet *tristitia* et *acedia*. Horum autem nominum hæc est ratio, quia in isto peccato est aversio a spirituali bono, quod æstimatur grave, sicut est jejunare, et hujusmodi, et ratione hujus dicitur *tristitia;* est etiam ibi conversio ad creaturam, scilicet ad quietem, quæ æstimatur levis, et ratione hujus dicitur *acedia*. Patet ergo ex his, quod hoc vitium, prout vocatur tristitia, opponitur lætitiæ spirituali, quæ est in exercitio spirituali; sed prout vocatur acedia, opponitur fortitudini, quæ consistit in aggrediendis arduis, et sustinendis adversis.

Acedia denominatur ab acedine, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili.

Acedia secundum Gregorium [8] habet sex filias. Prima vocatur malitia, quæ secundum Augustinum est voluntas machinandi malum alicui. Cum enim quis injuriatur alii, tunc irascitur, et postea tristatur. Secunda est desperatio, quia diffidentia meritorum mater est diffidentiæ præmiorum, ex qua iterum oritur tristitia. Tertia est pusillanimitas, quæ nascitur ex diffidentia proveniente ex consideratione propriæ infirmitatis, vel operis arduitatis. Quarta est rancor, qui est inveteratum odium: sicut enim ex charitate sunt opera bona, ex quibus est confirmatio charitatis, ita ex ira est acedia, ex acedia vetustas iræ. Quinta est torpor circa præcepta, id est quædam insuasibilitas, propter quam homo non potest induci ad executionem mandatorum Dei. Sexta est evagatio mentis circa illicita. Hæc autem evagatio quandoque est particularis, et certam habet materiam, et sic convenit omnibus vitiis; quandoque est generalis et incerta, et hæc est proprie evagatio acediæ. Qui enim est absorptus tristitia, non habens in se unde delectetur, evagatur ad omnia, quærens delectationem.

[8] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII.

Digitized by Google

Ex acedia eveniunt multa mala. Præceptum Domini negligit [1] : *In sudore vultus tui*, etc. Maledictionem Dei incurrit : exemplum de ficu, cui Dominus maledixit, quia folia tantum habuit. Discrepat a cæteris creaturis : exemplum enim est in corporibus inanimatis, sicut in sole et luna, qui quotidie surgunt et perficiunt cursum suum. Item patet in corporibus animatis, sicut sunt arbores et herbæ, quæ licet in hyeme nudæ sint, tamen virtutem servant, et in tempore suo redeunt ad consueta. Idem ostenditur in sensibilibus [2] : *Vade ad formicam, o piger.* Pretiosum tempus perdit, quo nihil pretiosius est, quia brevi hora posset quis obtinere veniam, gratiam et gloriam. Et tamen, ut ait Bernardus [3], nihil vilius reputatur, quia dicunt homines otiosi [4] : « Venite, deducamus tempus. » Spirituale lucrum negligit, quia qui non mercatur in nundinis, postea non habebit. [5]*Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.* Incitamenta vitiorum colligit [6] : *Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverant urticæ, et cooperuerant superficiem ejus spinæ.*

Nota quod aqua corrumpitur quiete, et ferrum contrahit rubiginem, et porcus mactandus permittitur in quiete pinguescere. Locum diabolo præparat; quia homo otiosus est quasi pulvinar diaboli; et in olla tepida libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet; unde legitur in *Collationibus Patrum* [7], quod monachum operantem dæmon unus pulsat, otiosum vero innumeri. Est enim homo acediosus quasi urbs absque murorum ambitu, et quasi signum positum ad sagittam. Mores pervertit, quia vult metere, et non seminare, sicut catus qui libenter pisces comedit, sed eos non libenter capit. Seneca : « Incertum est, quo loco, quomodo mors te excipiat : et ideo tu illam in omni loco et tempore expecta. » Furem fodientem parietem non repellit, quia mors fur est, et quotidie tollit unum asserem, id est unum diem. [8] *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret*, etc. Receptaculum sordium se facit; Bernardus [9] : « Omnium tentationum sentina est otium. » Ipsum enim est occasio luxuriæ [10] : *Factum est eo tempore, quo solent reges ad bella procedere*, etc. Item occasio est nugarum [11] : *Athenienses ad nihil aliud vacabant*, etc. Item occasio curiositatis [12] : *Discunt circuire domos.* Stultitiam ostendit, quia tonitrua audiens non surgit : tonuit autem Christus in cruce, et in prædicatione; tonabit etiam in die judicii. Item stultus est, qui immunditias de oculo non ejicit [13] : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.* Ad cœlestia venire negligit, quia vix ad locum quis veniet, qui unum pedem hodie movet, et post annum, alium. Sic et illi quorum motus est pes intellectus, et non pes affectus, cum tamen sit affectibus ambulandum.

CAPUT XIX.

De Avaritia.

Avaritia, ut ait Tullius, est immoderatus amor habendi. Item secundum Bernardum [14] : « Avaritia est quarumlibet rerum insatiabilis et inhonesta cupido. » Secundum Apostolum [15] : *Avaritia est idolorum servitus*, quia homo avarus exhibet creaturæ, quod debet Creatori, scilicet fidem, spem et delectationem (*a*) : hæc enim avari exhibent pecuniæ. In hoc ergo specialiter reprehenduntur isti, quia rei vilissimæ amorem suum exhibent, pecuniæ, quæ de terra tollitur, quam natura infimam ordinavit. Dicitur in Ecclesiastico, quod [16] *avaro nihil est scelestius;* hoc propter quatuor causas: primo, quia fere omnia scelera per avaritiam perpetrantur, ut furta, perjuria, homicidia, et hujusmodi; secundo, quia est contra legem naturæ [17] : *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines*, etc.; tertio, quia est contra legem scriptam [18] : *Estote misericordes, sicut et pater vester*, etc.; quarto, quia est contra legem universalem, quæ est in omnibus rebus, quæ compelluntur se dare : avarus enim quasi captivas detinet res, ne se communicare possint.

Utrum autem cuiquam liceat thesauros congerere : notandum quod est uno modo thesaurizare ex affectu avaritiæ absque intentione necessitatis propriæ vel alienæ, et hoc modo thesaurizare omnibus est prohibitum; alio modo est thesaurizare ex providentia, et hoc vel

[1] *Gen.*, III, 19. — [2] *Prov.*, VI, 6. — [3] Bern., super *Ecce nos*, longe post med. — [4] *Sap.*, II, 6. — [5] *Prov.*, XX, 4. — [6] *Prov.*, XXIV, 30, 31. — [7] Cassian., *de Instit. Cœnob.*, lib. X, c. XXIII. — [8] *Matth.*, XXIV, 43. — [9] Bern., *de Vit. Solit. ad Frat. de Monte Dei*, longe ante med. — [10] II *Reg.*, XI, 1. — [11] *Act.*, XVII, 21. — [12] I *Tim.*, V, 13. — [13] *Luc.*, VI, 42. — [14] Bern., *ad Henric. Senon. Archiep.*, epist. XLII, post med. — [15] *Ephes.*, V, 5. — [16] *Eccli.*, X, 9. — [17] *Luc.*, VI, 31. — [18] Ibid., 31. — (*a*) *Forsan legendum* dilectionem.

Digitized by Google

ex consideratione necessitatis, et sic conceditur parentibus sæcularibus ob necessitatem filiorum educandorum, vel filiarum conjugio tradendarum, non autem ditandarum, sed servato modo vel statu personæ; alio modo est thesaurizare ex consideratione publicæ utilitatis, scilicet regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi, et sic concessum est regibus thesaurizare. Personis autem ecclesiasticis proprie nunquam thesaurizare licet, nec pecuniam tenere intentione servandi. Ambrosius [1] : « Aurum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget. »

Ex prædictis patet, quod duplex potest esse amor pecuniæ sive temporalium, scilicet respectu necessarii, vel respectu superflui. Contra primum prohibet Dominus præfocantem sollicitudinem; contra secundum prohibet thesaurizationem.

Ex avaritia sequuntur multa mala. Primo, quia a Deo maledicitur : Augustinus [2]: « Maledictus dispensator avarus, cujus largus est Dominus. » 2. Semper eget Hieronymus : « Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. » 3. Stultus mercator est qui regnum cœlorum, imo ipsum Christum vendit pro paucis denariis : et propter hoc sæpe pejor est avarus homo, quam ipse Judas, qui vendidit Christum triginta denariis; iste autem interdum pro uno denario. 4. Corpus eviscerat, quia divitiæ aquiruntur cum labore, possidentur cum timore, amittuntur cum dolore. Unde ipsi laborant, et alii in labores eorum sæpe intrant, scilicet fures, raptores, vel latrones, vel certe filii mali. Isti similes sunt araneæ, quæ faciendo telam pro capienda musca, seipsam eviscerat. 5. Mentem suffocat; Augustinus : « Naufragium fugis, et plumbum amplecteris. » Unde Socrates, massam argenti projiciens in mare, dixit: « Mergam te; ne mergas me. » 6. Inquinat: [3] Filii Israel serviebant in luto et latere. 7. Excæcat: exemplum de Tobia, qui fuit excæcatus stercore hirundinum. 8. Cor dilacerat : unde divitiæ comparantur [4] spinis. 9. Insatiabilis est: unde comparatur [5] sacco pertuso, et inferno, qui [6] *nunquam dicit* : *Sufficit* ; et mari [7], cui omnia flumina influunt, et tamen non redundat; et hydropico, qui quanto plus bibit, tanto plus sitit.

Filiæ avaritiæ sunt septem secundum Gregorium [8]. Prima est obduratio cordis, quæ fit omittendo eleemosynam : istam filiam vocat Isidorus inhumanitatem. Secunda est violentia: hæc fit nocendo alicui palam per facta mala : quam vocat Isidorus rapacitatem. Tertia est inquietudo, hæc est appetitus lucri. Quarta est perjurium, quod sæpe incidit in emptione et venditione. Quinta est fallacia, quæ fit per verba decipientis in occulto. Sexta est fraus, hæc est deceptio perfecta : et hoc in præsentia illius, qui decipitur. Septima proditio, quæ est idem quod deceptio quæ fit in absentia decepti.

CAPUT XX.

De Gula.

Gula, ut ait Augustinus, est immoderata cibi aviditas. Item gula est vorax edacitas, naturæ finibus non contenta.

Quinque modis peccatur circa gulam, ut dicit Gregorius [9] : primo, cum quis horam comedendi prævenit, et hoc fit per impatientiam expectandi tempus debitum; secundo, cum quis quærit cibaria pretiosa et delicata, de quibus Ovidius :

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Sed contra hoc fecit dives ille [10], *qui epulabatur quotidie splendide*. Tertio, quando quis mensuram excedit, scilicet nimis comedendo. Sciendum tamen : Quod uni est medium et mensura debita, hoc alteri est excessus. Unde non consistit mensura in cibi quantitate, sed in comedentis qualitate. Verumtamen quidam jejunium suum recompensant postmodum nimietate superflua; sed hoc quid aliud est, quam dare duos obolos pro uno denario? Quarto, quando nimis ardenter ac festine quis comedit : non enim usus ciborum, sed concupiscentia in vitio est. Quinto, quando quis cibaria sua nimis studiose præparat. Unde Bernardus [11] : « Non sapor, sed fames excitet appetitum. » In omnibus his sumenda sunt non quæ voluptas, sed quæ requirit necessitas. Contingit etiam peccatum esse circa diminutionem cibi, sicut circa superfluitatem.

Filiæ gulæ sunt quinque secundum Grego-

[1] Ambros, *de Offic.*, lib. II, c. XXVIII, n. 137. — [2] Hieron., *ad Paulin.*, epist. CIII, prope fin. — [3] *Exod.*, I, 14. — [4] *Luc.*, VIII, 15. — [5] *Agg.*, I, 6. — [6] *Prov.*, XXX, 15. — [7] *Eccle.*, I, 7. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, post med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. XIII, circa med. — [10] *Luc.*, XVI, 19. — [11] Bern., *de Formul. honest. vitæ.*

Digitized by Google

rium [1]. Prima est scurrilitas, quia gula movet ad verba scurrilia. Secunda, multiloquium, scilicet detractio, vituperia, et alia verba inania. Tertia, inepta lætitia, id est lascivia carnis, sive gestus corporis inordinatus, lasciviam mentis demonstrans. Quarta, immunditia quæ solet provenire ex gula, ut est vomitus, et eructationes fœtidæ, ac luxuria. Quinta est hebetudo mentis, id est subversio rationis. Gula duo complectitur, scilicet comessationem et ebrietatem : et proprie loquendo parcimonia opponitur comessationi, et ebrietati sobrietas.

Gula nocet multipliciter. 1. De paradiso ejicit hominem : exemplum in Adam. 2. Spiritualia bona perdit : exemplum in Esau, qui pro cibo vendidit primogenituram. 3. Diabolo domum præparat [2] : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos.* 4. Servum contra dominum animat [3] : *Qui delicate nutrit servum suum, sentiet eum contumacem.* Luxuriam inducit : exemplum de Loth [4]. 5. Homicidia perficit : exemplum de Joanne Baptista, qui [5] in convivio periit. 6. Inducit mortem naturæ [6] : *Propter crapulam multi perierunt.* [7] *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* 7. Inducit mortem culpæ [8] : *Vidua in deliciis vivens, mortua est.* 8. Inducit mortem gehennæ : dives epulo [9] *sepultus est in inferno.*

Remedia gulæ sunt quatuor. Primum est spiritualium ciborum frequens sumptio [10] : *Non in solo pane vivit homo,* etc. Secundum, futuræ carnis nostræ consideratio ; Hieronymus [11] : « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. » Tertium est æternæ cœnæ meditatio [12] : *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Quartum est famis Christi, et suorum pensatio [13] : *Recordare paupertatis meæ, absinthii et fellis.*

CAPUT XXI.

De Luxuria.

Luxuria est ex immundis desideriis veniens lubrica mentis et carnis prostitutio. Item luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus : et intelligas hic appetitum qui est ex consensu rationis, quia talis appetitus est peccatum mortale ; et dicitur peccatum mortale, quando ratio non cohibet hujusmodi appetitum, cum posset.

Differentiæ luxuriæ sunt octo. Prima est fornicatio, quæ est soluti cum soluta. Secunda, meretricium, quod fit dupliciter, scilicet per vagam libidinem cum diversis peccando, vel cum publice venali concumbendo. Tertia est adulterium, quo conjugalis thorus vitiatur. Quarta est stuprum, quo virginalis integritas corrumpitur. Quinta sacrilegium, quo continentia Deo dicata læditur, ut in clericis et religiosis sacris ordinibus sublimatis, et in his qui emiserunt votum continentiæ. Sexta est incestus, quo vinculum consanguinitatis, vel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur. Septima est peccatum contra naturam, sive sodomia, quo naturalis usus pervertitur. Notandum autem quod aliud est contra naturam speciei, aliud contra naturam generis. Primo modo omne peccatum mortale est contra naturam speciei, quia in rationali creatura remurmurat synderesis contra omne peccatum. Sed secundo modo peccatum sodomiæ est contra naturam generis, quia non solum in homine, sed etiam in brutis diversi sexus in coitu conveniunt. Unde si isto modo fit, contra naturam generis est. Octava est libidinosus coitus conjugalis, qui multipliciter accipitur. Coitus enim conjugalis alius licitus est, alius fragilis, alius impetuosus. Licitus tripliciter : ut quando causa prolis fit, vel ad ampliandum cultum Dei, vel causa reddendi debitum, vel causa vitandæ fornicationis non in se, sed in conjuge. Primus est pietatis ; secundus justitiæ ; tertius cautelæ. In his nullum dicitur peccatum esse. Fragilis est, quando fit causa delectationis, et tunc distinguitur : quia si amor illius delectationis præponitur Deo, mortale peccatum est ; si vero postponitur, veniale. Impetuosus est, qui ex sola libidine proveniens, metas honestatis et rationis transcendit ; quod fit quinque modis : primo, causa satiandæ libidinis per meretricias blanditias ; secundo, cum fit contra naturalem modum ; tertio, cum fit tempore prohibito ; quarto, quando fit in loco prohibito ; quinto, quando acceditur ad mulierem prægnantem et vicinam partui, vel quæ est in fluxu menstruo.

Filiæ luxuriæ sunt octo secundum Gregorium [14]. Prima est cæcitas mentis, quia, secundum Augustinum, in opere luxuriæ tota ratio absorbetur. Secunda est inconsideratio, mortis scilicet et inferni. Tertia, inconstantia, scilicet

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII. — [2] *Matth.*, VIII, 31. — [3] *Prov.*, XXIX, 21. — [4] *Gen.*, XIX, 33, 34. — [5] *Marc.*, VI, 27. — [6] *Eccli.*, XXXVII, 34. — [7] *Gen.*, II, 17. — [8] I *Tim.*, V, 6. — [9] *Luc.*, XVI, 22. — [10] *Matth.*, IV, 4. — [11] Hieron., *ad Paulin.*, epist. CIII, in fin. — [12] *Luc.*, XIV, 16. — [13] *Thren.*, III, 19. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII.

Digitized by Google

ad cogitandum desiderandumque nunc istud, nunc illud. Quarta, amor sui, scilicet quo aliquis desiderat longam vitam ad hoc, ut expleat voluptatem suam. Quinta, præcipitatio, qua quis præcipitanter currit ad peccandum, exponens se periculo mortis propter luxuriam faciendam. Sexta, odium Dei, quia Deus abstrahit se ab eis, et punit eos qui sequuntur carnis delicias ad quas inclinat luxuria. Septima, affectus præsentis sæculi, scilicet appetitus honorum, divitiarum, sanitatis, fortitudinis, et hujusmodi, per quæ luxuriosus finem suum consequitur. Octava est desperatio futuri sæculi, quæ est diffidentia gloriæ, vel veniæ consequendæ, et hæc est filia luxuriæ consummatæ.

Luxuria nocet multipliciter. 1. Deo est contumeliosa, quia templum ejus inquinat. 2. Dæmonibus placita [1] : *Behemoth dormit in locis*, etc. 3. Subjecto proprio nociva [2] : *Qui fornicatur, in corpus*, etc. 4. Proximum scandalizat [3] : *Facti estis speculationi, et rete expansum super*, etc. 5. Animam propriam damnat [4] : *Non recedet gladius de domo tua :* hoc dictum fuit ad David propter peccatum (*a*) Bethsabee. 6. Vilissimo domino se subjicit, scilicet carni et sensualitati [5] : *Quia obedisti voci uxoris tuæ, maledicta*, etc. 7. Mentem infatuat [6] : *Vinum et mulieres auferunt cor.*

Remedia luxuriæ sunt hæc : 1. Occasiones fugere [7] : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem*, etc. [8] *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* [9] *Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.* 2. Mortis extrema cogitare [10] : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* 3. De se non præsumere; quia cecidit David sanctissimus, Salomon sapientissimus, Samson fortissimus. 4. Frequenter se occupare; Hieronymus [11] : « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. » 5. Tentationi in principio resistere [12] : *Ipsa conteret caput tuum.* 6. Carnem domare [13] : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.*

CAPUT XXII.

Quomodo superbia sit mortale, vel veniale.

Omnia prædicta, quamvis semper sint peccata, non tamen semper sunt mortalia. Unde videndum est, quando unumquodque mortale sit, et quando veniale. Vana igitur gloria ex suo genere est veniale, quia genus operis sumitur ex objecto : vanum autem secundum se non est objectum peccati mortalis, sed venialis. Unde cum vana laus sit hujus peccati objectum, patet quod non semper est peccatum mortale. Erit tamen vana gloria mortalis dupliciter, scilicet ratione finis, propter quem laus appetitur : opus namque tale est, quale est id propter quod appetitur; item ratione operis in quo laus quæritur.

Circa primum dicendum est, quod quadruplici fine laus appetitur : primo, ad vitandum malum infamiæ, sicut Samuel se laudavit [14]; secundo, propter aliquam utilitatem spiritualem, ut est gloria Dei, vel ædificatio proximi, sicut Paulus [15] se commendavit; tertio, propter lucrum avaritiæ, sicut Pharisæi, qui devorabant (*b*) domos viduarum, longas orationes simulantes. Quarto, propter aliquem actum venialis peccati, sicut quando quis laudari vult, eo quod venialiter in laude delectatur. Primum est providentiæ; secundum est charitatis; tertium est peccatum mortale : et idem intelligendum est, quandocumque mortale peccatum finis alicujus operis ponitur; quartum est veniale.

Sequitur secunda causa, quare vana gloria sit peccatum mortale, scilicet ratione operis, per quod laus quæritur. Hoc autem potest fieri tripliciter, quia laus quandoque quæritur per opera illicita, quandoque per opera ex se indifferentia, quandoque per opera virtutum. Si primo modo, sic tale est peccatum, quale et illud illicitum, scilicet mortale, aut veniale. Si secundo modo, sic est peccatum veniale, ut habere divitias, vel vestes pretiosas, cum abusu talium in laudem. Verumtamen si talia sunt de se ordinata, ut sint occasio peccati mortalis, secundum quod mulier cum ornatu meretricio præparat se ad animas capiendas, vel si factum illud est illicitum ex prohibitione superioris, ut torneamenta, et hujusmodi, cum excedunt (*c*) præceptum Ecclesiæ, sic sunt peccata mortalia. Si tertio modo, id est, si laus quæratur per opera virtutum, hoc est dupliciter : vel quia appetitus laudis adjungitur operi virtutis tan-

[1] *Job*, XL, 16. — [2] I *Cor.*, VI, 18. — [3] *Ose.*, V, 1. — [4] II *Reg.*, XII, 10. — [5] *Gen.*, III, 17. — [6] *Ose.*, IV, 11. — [7] *Job.*, XXXI, 1. — [8] *Eccli.*, XIII, 1. — [9] *Eccli.*, XXVI, 10. — [10] *Eccli.*, VII, 40. — [11] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV. — [12] *Gen.*, III, 15. — [13] *Marc.*, IX, 28. — [14] I *Reg.*, XII, passim. — [15] II *Cor.*, XI, passim. — (*a*) *Suppl.* cum. — (*b*) *Cæt. edit.* devorant. — (*c*) Excederet.

Digitized by Google

quam incidens, sicut contingit in cantu vel in prædicatione quandoque, et tunc est veniale; vel laus est finis principaliter præstitutus operi virtutis et operanti, ita quod ibi constituit finem ultimum, et sic est mortale, quia tunc inhæret ei, ut fini ultimo. Nota quod majus est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quam de temporalibus, quia minus habent motivum, eo quod minus appareant extra, quam temporalia.

CAPUT XXIII.

Quomodo invidia sit mortale, vel veniale.

Invidia ex suo genere est peccatum mortale, quia cum invidia, secundum Remigium, sit dolor de alieno bono, contrariatur directe charitati, quæ non æmulatur, sed congaudet veritati. Charitati vero nihil est contrarium, nisi peccatum mortale. Tamen illud quod ex genere est mortale, potest esse veniale, vel prout in primo motu consistit, vel extra suam rationem trahitur. Dolor autem de alieno bono est quadruplex: vel quia est primo primus motus ex natura veniens, sicut quidam naturaliter invidi sunt: et hoc nullum peccatum est, cum nullo modo sit in potestate nostra. Vel est secundo primus motus, quando scilicet appetitus sine completa deliberatione tali passione afficitur, et sic est veniale peccatum. Vel est actus voluntarius deliberative, et sic est mortale peccatum. Vel trahitur per intentionem extra suam rationem, ut quando dolor de alieno bono surgit cuiquam ex causa bona, sicut quando dolet aliquis de bono temporali alterius, quia videt illud redundare in detrimentum animæ illius, vel etiam in detrimentum communitatis: talis dolor bonus est, quia majus bonum magis est appetendum. Notandum vero quod per dolorem boni comprehenditur gaudium de malo, quod ex ipso causatur.

CAPUT XXIV.

Quomodo ira sit peccatum mortale, vel veniale.

Ira ex suo genere est peccatum mortale, quia, secundum Isidorum, ira est animus concitatus ad pœnam provocanti inferendam. Talis autem motus contrariatur charitati, quæ [1] *non irritatur, nec cogitat malum.* Ira igitur vel dicit iram zeli, quæ est detestatio vitii, et hæc non est peccatum, sed est perfectionis. Potest etiam quis sibi per hunc modum irasci, sicut dicit Glossa super illud Psalmi [2]: *Irascimini, et nolite peccare.* « Quid est, inquit, homo pœnitens, nisi irascens sibi? » Vel dicit remissionem affectus circa proximum, per quem homo non dolet de malo proximi, nec gaudet de bono ejus, licet etiam non doleat de bono, nec gaudeat de malo ejus, sed est indifferens ei: et sic non est mortale, sed imperfectio charitatis. Vel dicit actualem impatientiam absque appetitu vindictæ: et talis motus etiam deliberatus est peccatum veniale, quia habet incompletam rationem iræ, sicut ex supradicta patet diffinitione. Vel dicit impatientiam cum appetitu vindictæ, et hoc est tripliciter: quandoque enim hoc a natura, sicut in melancholicis, in quibus secundum Philosophum continue mordetur natura, propter quod semper sunt turbulenti: et sic nullum est peccatum, cum sit motus naturalis; quandoque hoc est ab appetitu indeliberato, et sic est veniale, sicut alii primi motus; quandoque est a voluntate deliberativa, et tunc est peccatum mortale.

CAPUT XXV.

Quomodo acedia sit mortale, vel veniale.

Acedia ex suo genere est peccatum veniale, quia, secundum Augustinum, acedia est tædium interni boni: hoc autem non opponitur charitati, sed dicit diminutionem fervoris charitatis, in quo consistit omne veniale. Istud ergo tædium, vel est motus naturalis, et sic nullum est peccatum; vel est motus appetitus contristati de opere spirituali laborioso, et sic est veniale, quamvis etiam appetitus ille naturalis sit deliberativus, quia consensus in veniale non est nisi veniale, acedia vero ex genere et per se venialis est; vel hoc tædium redundat in omissionem eorum quæ sunt necessaria saluti, ut frangere præcepta Dei vel Ecclesiæ sine causa rationabili, et tunc est mortale. Si autem tædium illud ex omissione boni, et difficultate aggrediendi bonum, ducit in desperationem, tunc jam accedit ad peccatum in Spiritum sanctum. Et si tædium illud crescit, quod etiam ducit in tædium vitæ in tantum, quod injiciat sibi manus, tunc jam similis est Judæ, qui laqueo se suspendit.

[1] I *Cor.*, XIII, 5. — [2] *Psal.* IV, 5.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Quomodo avaritia sit mortale, vel veniale.

Avaritia, secundum Marcum Tullium Ciceronem, est immoderatus amor habendi. Hæc igitur consistit in appetendo, vel in acquirendo, vel in retinendo.

Si primo modo, hoc est quinque modis: primo, quia appetit aliena appetitu completo, qui procederet in opus, si adesset facultas, et sic est peccatum mortale; secundo, quia appetit illicita voluntate incompleta, ut si aliquis indignus conatur beneficium ecclesiasticum adipisci, sic iterum est mortale; tertio, si appetit talia, sive sint illicita, sive aliena, cum voluntate conditionata, scilicet si posset habere sine offensa Dei ac injuria proximi, et tunc vel nullum, vel veniale est, si talem conditionem actualiter, vel habitualiter addat, vel intendat; quarto, si simpliciter appetit habere superflua, et hoc appetitu suffocante mentem, scilicet a cura sui, et consideratione divinorum, et hoc est peccatum mortale; quinto, si superfluo amore inhæret temporalibus, tamen infra Dei amorem, hoc est veniale.

Si autem avaritia consistit in acquirendo, hoc est tripliciter, quia vel acquirit injuste quocumque modo, et tunc est mortale; vel acquirit res per tale opus, aut artem, aut officium, quod per se est peccatum mortale, si etiam esset sine lucro, et tunc est mortale; vel acquirit talia per operam illicitam, quæ est veniale peccatum, ut cum aliquis verba jocosa componit ad lucrum, salva tamen honestate, et hoc est veniale, nisi aliquis propter delectationem dissolutionis totaliter se dedat talibus, tunc enim mortale est. Dico autem *propter delectationem*, quia si quis propter necessitatem per talia sibi sustentationem acquireret, cum aliam artem lucrosam nesciret, non reputarem eum in statu damnandorum.

Si autem avaritia consistit in retinendo, hoc potest esse quinque modis: primo, quia retinet scienter ea quæ restituere tenetur, et animo retinendi, sic est peccatum mortale; secundo, quia retinet ea, quæ ad necessitatem suam et suorum pertinent, vel ad conservationem status sui, et suorum, secundum quod decet dignitatem suam, et hoc non est peccatum; tertio, quia retinet superflua respectu utriusque jam dictorum, et hoc tempore extremæ necessitatis alicujus, sic est peccatum mortale; quarto, quia retinet superflua, etiam citra extremam necessitatem, ex insatiabili cupiditate, sic est peccatum mortale: præcipuum autem signum talis effectus est, quod quis res potius sinit putrescere penes se, quam utiliter aliis dispenset; quinto, quia retinet superflua quædam ex inordinato amore temporalium, per quem modum deficit a medio largitatis, salvo tamen statu virtutis, et sic est veniale. Nota quod avaritia ex suo genere est mortale: quam Apostolus[1] idololatriæ comparat: non quia sit de specie illius peccati, cum non habeat actum ejus; sed quia facit aliquid simile idololatriæ, serviendo creaturæ potius, quam Creatori.

CAPUT XXVII.

Quomodo gula sit mortale, vel veniale.

Gula ex genere suo est peccatum veniale, quia appetitus comedendi ex sua ratione non subjacet dominio voluntatis, sed natura nobis inest: quod potest esse quinque modis.

Primo, si est ibi solus appetitus cibi; et hic nunquam est peccatum: nec etiam delectatio cibum consequens est peccatum, in quantum ordinatur contra defectum sibi contrarium: hæc enim sunt pure naturalia, in quibus non est meritum, nec demeritum. Secundo, si appetitui necessitatis adjungitur appetitus delectationis et voluptatis in cibo; et hoc est peccatum veniale. Tertio, si est ibi transgressio præcepti, ut cum aliquis sine necessitate solvit jejunium Ecclesiæ, vel quando religiosus comedit carnes, cum hoc in suo ordine sit prohibitum sub præcepto; sic est mortale peccatum. Quarto, si appetitus edendi est cum libidine, ut quando nimio et finali affectu inhæret delectationi cibi; et hoc est peccatum mortale. Quinto, si ducitur in consuetudinem talem, quæ facit totam vitam hominis delectationibus hujusmodi deputari; hæc tam vicina sunt peccato mortali, quod ebrietas ab Apostolo[2] inter peccata mortalia computatur. Ebrietas tamen quandoque est peccatum veniale, ut quando ultra necessitatem quis accepit, secundum mensuram tamen imperceptibilem. Quando vero quis egreditur a mensura perceptibili secundum rationem bene ordinatam ad discernendum, et hoc in tali mensura, ex qua evertitur status mentis effrenata

[1] *Ephes.*, v, 5. — [2] *Rom.*, xiii, 13.

Digitized by Google

libidine, quando hoc Deo præponit, tunc peccat mortaliter. Si quis autem inebriat alium, ita videlicet invitans eum ad potum, ut intendat statum mentis ejus evertere, et hoc facit in ejus nocumentum, peccat mortaliter, quia aufert ei plus, quam si auferret aliquod bonum temporale, quia usum rationis tollit ei.

CAPUT XXVIII.

Quomodo luxuria sit mortale, vel veniale.

Luxuria ex suo genere est peccatum mortale, quia est contra illudpræceptum [1] : *Non mœchaberis.*

Concupiscentia luxuriæ distinguitur septem modis. Primus est, cum concupiscentia consistit in primo motu tantum; et sic est peccatum veniale. Secundus est, cum sequitur consensus usque in delectationem, licet non in opus; et sic est mortale peccatum. Tertius est, cum consentitur etiam in opus; et sic est iterum mortale. Quartus est, cum concupiscentia non solum tenetur corde, sed etiam pascitur visu, et sic iterum est mortale [2] : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, id est, si hoc fine et animo attendat mulierem, ut eam concupiscat : quia, secundum Augustinum [3], hoc non est tantum titillari, sed plene consentire libidini. Bene autem dicitur *ad concupiscendum eam*, quia si aliquis videret mulierem ut rem pulchram, et ulterius non procederet, tunc nullum peccatum esset, vel solum peccatum curiositatis. Quintus modus est in stultiloquio, ut cum quis mulierem precatur, vel propter libidinem habet cum ea familiaria colloquia, et est mortale. Sextus modus vocatur [4] ab Apostolo *turpitudo*; Glossa : « ut in osculis et in amplexibus : » hoc est etiam peccatum mortale, et tanto gravius præcedentibus, quanto magis libido per talia accenditur propter nimiam approximationem ad ignem. Notandum vero quod tangere mulierem præter intentionem, non est peccatum; similiter cum intentione tangere, sed ex necessitate, non est peccatum. Sed tangere ex libidine, vel osculari ad se non pertinentem, peccatum mortale est. Septimus modus est, quando concupiscentia procedit in opus, et constat esse mortale.

Nota quod differentia est inter primos motus generativæ, et nutritivæ : quia primus motus in generativa semper est peccatum, nisi per sacramentum matrimonii excusetur; sed non semper in nutritiva, quoniam potentia concupiscibilis non tantum corrupta est in nutritiva, sicut in generativa. De hac materia require supra titulo proximo [5], ubi agitur de speciebus luxuriæ.

CAPUT XXIX.

De peccato in Spiritum sanctum.

Quamvis generaliter omne peccatum sit contra Deum trinum et unum, appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum sanctum. In Patrem enim peccatur ex impotentia; in Filium, ex ignorantia; in Spiritum sanctum, ex malitia certa, hoc est, quando voluntas potest et scit resistere alicui malo, et tamen ex sola malitia illud eligit.

Peccatum in Spiritum sanctum procedit ex libera et improba voluntate liberi arbitrii, et directe impugnat gratiam Spiritus sancti; et ideo non habet colorem excusationis, quia, quantum est de se, directe impugnativum est medici, et remedii per quod fieri habet remissio peccati. Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile in hoc sæculo et in futuro, non quia dimitti non possit, sed quia raro aut vix dimittitur in hoc sæculo quantum ad culpam, aut in futuro quantum ad pœnam; item quia non legitur dimissum, propter quod dicitur irremissibile, sicut Melchisedech dicitur *sine patre*, quia non legitur de ejus patre; item quia adversatur fonti remissionis, scilicet Spiritui sancto; item propter impotentiam hominis, quia vix potest se præparare ad gratiam, quem tanta moles peccati premit.

Sciendum autem est, quod accipitur hoc nomen *irremissibile* tripliciter, scilicet negative, ut quia nullo modo potest remitti : hoc modo peccatum angeli et damnatorum est irremissibile. Item privative, ut quia non habet congruentiam de se, ut remitti debeat, licet ex congrua bonitate Dei possit omne peccatum remitti : hoc modo omne peccatum mortale est irremissibile. Item contrarie, secundum quod habet aliqua culpa contrariam dispositionem ad remittendum (hoc modo peccatum in Spiritum sanctum est irremissibile, quia contrariatur gratiæ

[1] *Exod.*, xx, 14. — [2] *Matth.*, v, 28. — [3] Aug., *de Serm. in Monte*, lib. I, c. xxiii. — [4] *Ephes.*, v, 4. — [5] Vid. sup., c. xxi, pag. 141.

Digitized by Google

remittendi peccatum) : et per hoc desperationem, vel præsumptionem, vel alias species hujus peccati.

Sex sunt species peccati in Spiritum sanctum, videlicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia charitatis fraternæ, obstinatio, finalis impœnitentia. Horum numerus sic accipitur. In remissione tria sunt, scilicet ipse remittens, et ille cui remittitur, ac dispositio remittendi in eo cui remittitur. In ipso remittente duo sunt, scilicet misericordia, et justitia. Contra primum est desperatio; contra secundum, præsumptio. In eo cui remittitur, duo sunt, scilicet dolor de commisso, et propositum de non committendo. Contra primum est obstinatio; contra secundum, finalis impœnitentia. Præterea dispositio remittendi in eo, cui remittitur, duplex est, scilicet cognitio veri, et amor boni. Contra primum est impugnatio veritatis agnitæ; contra secundum, invidentia fraternæ gratiæ. De finali impœnitentia, nota quod sicut dicit continuationem peccati usque in finem, sic in omni peccato, in quo quis scienter decedit, et finalis impœnitentia; prout autem est una species peccati in Spiritum sanctum secundum quod hic sumitur, sic dicitur propositum non pœnitendi.

CAPUT XXX.

Dinumeratio peccatorum cordis.

Peccata cordis sunt hæc : cogitatio, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas perversa, infidelitas, indevotio, præsumptio, timor male humilians, amor male accendens, suspicio, ira, invidia, odium, timere serviliter, exultatio in adversis proximi, contemptus pauperum vel peccatorum, personarum acceptio, perfidia, affectus parentum carnalis, inepta lætitia, sæculi tristitia, impatientia, avaritia, superbia, perplexitas, obstinatio mali, tædium boni, acedia, inconstantia, pœna pœnitentiæ, dolor quia non facit plus malum, hypocrisis, amor placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor privatus, sensus singularis, ambitio dignitatum, vana gloria de bonis naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, verecundia de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, immisericordia.

CAPUT XXXI.

De peccatis oris.

Peccata oris sunt hæc : crebra juratio, perjurium, blasphemia, nomen Dei irreverenter assumere, veritatem impugnare, de mendacio et vanis alios instruere, contra Deum murmurare, irreverenter horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordiæ, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, invertere facta bona, in ecclesiis placitare, ad iram hominem provocare, reprehendere proximum in aliquo quod ipse facis, vaniloquium, stultiloquium, proferre verba otiosa, vel superflua, vel curiosa, jactantia verborum, superflua politio, peccatorum defensio, clamor, risus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantare cantilenas sæculares, in cantu divino magis studere vocem frangere, quam devote psallere, murmurare, verba scurrilia proferre, in injusta causa advocare; malum commendare.

CAPUT XXXII.

De peccatis operis.

Peccata operis sunt hæc : gula, luxuria, ebrietas, simonia, sortilegium, violatio dierum solemnium, sacrilegium, indigne communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in divino officio, scandalizare suo malo exemplo, proximum corrumpere, lædere hominem vel in rebus, vel in persona, vel in fama, furtum, rapina, usura, deceptio, ludus, venditio justitiæ, exactio indebita, telonea injusta, auscultare mala, joculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, ultra vires proprias quiddam aggredi, consuetudo peccandi, recidivatio, simultatio, tenere officium ad quod non sufficit, vel quod sine peccato non agitur, choreizare, novitatem invenire, majoribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, odoratu, gustu, et tactu, lucta, osculis, muneribus, itineribus, nutibus, mendaciis, scripturis, circumstantias aggravantes omittere (quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ætas), tentationem prævenire, seipsum ad peccatum cogere.

Digitized by Google

CAPUT XXXIV.

De peccatis omissionis.

Peccata omissionis sunt hæc : de Deo non cogitare, ipsum non timere vel amare, gratias de beneficiis non agere, opera quæ quis facit ad ipsum non referre, de peccatis sicut debet non dolere, ad gratiam recipiendam se non præparare, gratia accepta non uti, nec eam servare, ad inspirationem divinam se non convertere, voluntatem suam voluntati divinæ non conformare, ad orationes dicendas non attendere, orationes debitas omittere, ea ad quæ tenetur ex voto, vel præcepto, vel officio, negligere, communionem et confessionem semel in anno non expedire, parentes non honorare, seipsum non recognoscere et reprehendere, conscientiam negligere, ecclesias et prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias injunctas negligere, aut negligenter facere, et quæ statim facienda sunt, differre, bonis proximi non gaudere, et malis non condolere, injurias non remittere, fidem proximo non servare, et beneficiis ejus non respondere, delinquentes non corripere, lites non sedare, ignorantes non instruere, afflictos non consolari, admonitionibus non acquiescere.

LIBER QUARTUS

DE CHRISTI HUMANITATE

CAPUT PRIMUM.

De Incarnatione Christi.

Sicut Deus est rerum principium effectivum in creatione, sic est refectivum in redemptione, et perfectivum in retributione : quoniam sicut Pater omnia creavit per Verbum increatum, sic omnia recreavit et renovavit per Verbum incarnatum. Porro circa incarnationem Christi talis fuit ordo : salutatio angelica, responsio Virginis, sanctificatio materna, conceptio divina : de quibus nunc per ordinem est agendum.

CAPUT II.

De Salutatione Angelica.

Missus est angelus Gabriel, qui est de ordine Archangelorum, ad beatam Virginem, cui ad sensum apparuit visione corporali, quamvis ei loqueretur locutione spirituali. Ad illud nobile sacramentum nuntius debuit esse angelus propter tria : primo propter cognationem virginitatis ad naturam angelicam; secundo propter ordinem perditionis humanæ, quia sicut ibi venit diabolus in serpente ad mulierem, ita hic Deus venit per angelum ad Virginem : ut sic ex opposito medicina respondeat morbo, et reparatio lapsui, et remedium nocumento. Tertio, quia sicut illa gratia fuit reparatio naturæ humanæ, sic fuit et ruinæ angelicæ : unde communi beneficio utraque natura communiter debuit ministrare, angelica scilicet, et humana.

Dividitur autem salutatio beatæ Virginis in tres partes. Primam partem incœpit Angelus, cum dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Secundam subjunxit Elisabeth, cum ait : *Et benedictus fructus ventris tui.* Tertiam apposuit Ecclesia, ut in reverentia nomen Mariæ haberetur : nam *Maria* non est de textu. Ista salutatio commendabilis est propter quatuor : primo propter auctorem, quia *missus est Angelus a Deo.* Secundo propter nuntium : non enim homo dignus fuit hoc nuntiare, sed angelus; nec quilibet angelus, sed Gabriel. Tertio ab ea quæ salutatur, quia virgo; nec quælibet virgo, sed Maria. Quarto, ab ipso modo salutandi, qui indicat innocentiam Virginis, cum dicitur : *Ave;* vel gratiam conversationis, cum dicitur : *gratia plena* ; item excellentiam conceptionis, cum dicitur : *Dominus tecum;* item privilegium prærogativæ singularis, cum dicitur : *Benedicta tu in*, etc. Salutationes autem quædam inveniuntur optativæ

Digitized by Google

salutis [1] : *Salve, rex* ; quædam gratiæ, Apostolus in pluribus locis [2] : *Gratia vobis et pax* ; quædam gaudii [3] : *Gaudium tibi semper sit* ; quædam benedictionis [4] : *Benedicat tibi Dominus.* Hæc autem salutatio Angeli ex omnibus prædictis conflata videtur. Continet enim salutem, cum dicit : *Ave;* item gratiam, cum dicit : *gratia plena* ; item gaudium, cum dicit : *Dominus tecum* ; item benedictionem, cum dicit : *Benedicta tu in*, etc. Præterea in hac salutatione notatur triplex prærogativa beatæ Virginis, scilicet naturæ, cum dicitur : *Ave* ; gratiæ, cum dicitur : *gratia plena* ; gloriæ, cum dicitur : *Benedicta tu*, etc.

Nota denique sex in angelica legatione : primo quam reverenter beatam Virginem salutavit, cum dixit : *Ave, gratia plena;* secundo, quam excellenter commendavit, ibi : *Benedicta tu in mulieribus* ; tertio, quam dulciter confortavit, ibi : *Ne timeas, Maria* ; quarto, quum diligenter legationem suam complevit, ibi : *Ecce concipies et paries filium* ; quinto, quam eleganter modum exposuit, ibi : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc.; sexto, quam convenienter prolem nasciturum describit, ibi : *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

CAPUT III.

De Responsione Virginea.

Duos legimus in Scriptura dialogos : unum inter Evam et diabolum, quo mors concludebatur ; alterum inter Mariam et Archangelum, quo vita oriebatur. Vide autem tria, quæ fecit beata Virgo in salutatione Angeli, scilicet cogitationem, seu deliberationem, quia *cogitabat qualis esset ista salutatio* ; interrogationem, quia quærebat : *Quomodo fiet istud?* consensum, quia respondit : *Ecce ancilla Domini*, etc. Nec in deliberatione fuit subita, sicut Eva ; nec in interrogando dubia, sicut Zacharias ; nec in consentiendo tarda, sicut Sara. In responsione consensus beatæ Virginis quatuor verba invenies, quæ quatuor virtutes maxime redolent. Ait enim : *Ecce*, quod est obedientiæ promptæ ; *Ancilla Domini*, quod est humilitatis perfectæ ; *Fiat mihi*, quod est charitatis inflammatæ ; *Secundum verbum tuum*, quod est fidei indubitatæ.

Septem verba hæc locuta est beata Virgo in Evangelio. Primum fuit : *Vinum non habent.* Secundum : *Fili, quid fecisti nobis sic?* Tertium : *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quartum, quando salutavit Elisabeth. Quintum : *Quomodo fiet istud*, etc. Sextum : *Ecce ancilla Domini.* Septimum : *Magnificat anima mea Dominum.* Verbum primum fuit pietatis ; secundum, charitatis ; tertium, instructionis ; quartum, consolationis ; quintum, discretionis ; sextum, humilitatis ; septimum, orationis et gratiarum actionis. Et nota quod verba prædicta fuerunt brevia, præter ultimum.

[1] II *Reg.*, XVI, 16. — [2] *Rom.*, I, 7. — [3] *Tob.*, V, 11. — [4] *Ruth.*, III, 10.

CAPUT IV.

De Sanctificatione Materna.

Sanctificatio triplex est : quædam communis, quæ fuit per sacramenta ; quædam specialis, quæ fit per gratiam specialem ; quædam specialissima, quæ fit per gratiam singularem. Prima removet culpam, et confert gratiam remanet tamen fomes et pronitas ad peccandum : et talis est in baptizatis. Secunda removet culpam et pronitatem peccandi mortaliter : et talis fuit sanctificatio Joannis Baptistæ, et Hieremiæ in utero. Tertia removet culpam originalem et pronitatem ad peccandum tam venialiter, quam mortaliter : et talis fuit in beata Virgine. Et licet gratia sanctificationis in utero sit quantum ad essentiam major, quam sacramentalis ; tamen, quantum ad aliquos effectus, major est gratia sacramentalis : quia baptismus imprimit characterem, et aperit januam cœli, et habilitat hominem ad alia sacramenta ; quorum nihil facit sanctificatio in utero ex se. Verumtamen gratia sanctificationis in utero præcellit in hoc gratiam baptismalem, quia taliter sanctificatus non potest mortaliter peccare, et ad veniale minus inclinat eum fomes : propter quod minora et pauciora venialia committit : et talis gratia fuit in Joanne Baptista : et ideo ne in vanum gratiam Dei reciperet, fugit hominum societatem, et arctissimam in se pœnitentiam tenuit,

> Ne levi saltem maculare vitam
> Famine posset.

Patet igitur quod in sanctificatione in utero confertur gratia media inter gratiam sacramentalem, et gratiam plenæ confirmationis in patria, quæ habet conjunctum sibi finem ultimum. Ad confirmationem enim perfectam tria perti-

Digitized by Google

nent : primum est inseparabilis adhæsio, et conjunctio rationis ad Deum; secundum est indeflexibilis subjectio inferiorum potentiarum animæ sub imperio rationis; tertium est indiscontinuabilis conversio actualis totius hominis in Deum, quando homo divina dulcedine affectus, ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus semper actu tendit in Deum, et in quodcumque aliud in quo relucet Deus. Primum horum habet gratia sanctificationis simpliciter, ut scilicet nullus, qui particeps ejus fuerit, possit peccare mortaliter. Secundum habuit beata Virgo, et ideo nec venialiter unquam peccavit, sicut dicit [1] Augustinus. Tertium autem non potest convenire gratiæ viæ, eo quod illud ex fruitione Dei causetur, quæ tantum est in patria.

Tres autem fuerunt sanctificationes matris Dei. Prima fuit sanctificatio in utero; et hæc tres habuit effectus, scilicet originalis culpæ expiationem, et gratiæ infusionem, et fomitis tantam restrictionem, ut non posset in aliquod mortale peccatum duci, licet tamen ipse fomes maneret secundum essentiam. Secunda sanctificatio fuit in Spiritus sancti obumbratione, et Filii Dei conceptione; quæ tribus præmissis duo superaddit, scilicet omnimodam fomitis extinctionem, et confirmationem in bono, ita quod quæ prius tantum poterat non peccare mortaliter, jam non posset peccare. Hos autem duos effectus expressit Angelus : *Spiritus sanctus superveniet in te*, quoad primum : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quoad secundum. Ista confirmatio non fuit liberi arbitrii ablatio, sed ejus per gratiam completio. Præterea Spiritus sanctus supervenit in eam non solum ad sanctificandum, sed etiam ad fœcundandum : cujus virtute [2] *Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo permansit.* Tertia sanctificatio fuit in Filii Dei inhabitatione, qui novem mensibus in utero ejus mansit, et his omnibus prædictis duos effectus addidit. Unus fuit, quod omnes dispositiones fomitis sublatæ fuerunt, sicut, quando morbus est curatus, adhuc interdum remanent reliquiæ curandæ. Secundus fuit dedicatio ad divina, ita quod etiam licitis usibus mundanis, scilicet matrimonialibus, eam aptare esset impossibile : quia tunc non solum mens, sed etiam corpus luce divinitatis resplenduit, ut significatum est. Ex prædictis collige quod fomes et personam inficit, et naturam : personam quidem, quia ad malum pronam facit, et stimulat ad peccatum; naturam vero, quia carnem inficit, prout est principium ad alteram carnem. Sed beata Virgo in prima sanctificatione, quæ fuit in utero, mundata fuit ab originali peccato, in quantum fomes respicit personam suam, quia nihil in persona sua purgandum remansit. In secunda vero sanctificatione, quæ fuit quando Spiritus sanctus supervenit in eam, purgata fuit a fomite, prout ipse fomes respicit naturam in comparatione ad prolem propagandam, non opere naturæ, sed operé Spiritus sancti. Remotus enim fuit essentialiter : propter quod pars ab ea separanda in corpus Christi, nihil habuit de fomite, sicut nec mater.

Nota similiter ex prædictis, et ex sequentibus, quod beata Virgo, ex prima sanctificatione, excellebat puritate omnes baptizatos; ex sanctificatione secunda, excellebat puritatem Adæ, quam habuit ante peccatum; per confirmationem, excellebat puritatem angelorum : quoniam illi nec crescere possunt in præmio substantiali, sive essentiali, sicut nec decrescere; sed beata Virgo proficere potuit in merito, et non deficere.

Puritas matris Dei fuit quadruplex, in qua nulla creatura sibi poterit comparari. Prima est puritas sanctificationis in utero. Omnis enim rationalis creaturæ puritas, vel est naturæ, ut in angelis; vel est gratiæ gratis datæ, ut fuit innocentia primi status hominis; vel est gratiæ gratum facientis, et ista est major aliis duabus. Unde cum in illa specie gratiæ sanctificatio matris Dei fuerit suprema, patet quod vincit puritatem omnis puræ creaturæ. Secunda est puritas innocentiæ in vita, in qua similiter omnes excellit : quia beata Virgo vixit sine omni peccato, et hoc oportuit esse maximæ gratiæ, quæ non solum ipsius naturam perficeret, sed eam supra legem naturæ corruptæ extolleret. Tertia est puritas virgineæ castitatis, in qua excellit et angelos, et homines : angelos quidem, quia, secundum Hieronymum [3], hoc retinuit per virtutem castitatis, quod in angelis est necessitatis naturæ; item excellit homines in hoc, quia primum exemplar fuit hujus integritatis [4] : *Adducentur regi virgines post eam*, etc. Præterea ostenditur istud alia ratione : quia summa est

[1] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. XXXVI. — [2] Verba Liturgiæ. — [3] Hieron., *ad Paulin. et Eustoch.*, epist. X. — [4] *Psal.* XLIV, 15.

Digitized by Google

hæc puritas, quæ potius potest suum contrarium secum pati, quam possit violari : et talis fuit virginitas Dominæ nostræ, quæ

Gaudium (*a*) matris habet cum virginitatis honore :

et ideo,

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Quarta est puritas sanctificationis ex superventione Spiritus sancti, et præsentiæ Dei, in qua excellit omnem creaturam. Cum enim esse matrem Dei, sit dignitas superior quæ puræ creaturæ communicari possit, necesse est gratiam ad hoc disponentem esse majorem omni gratia puræ creaturæ. Oportet ergo privilegium sanctificationis suæ in hac parte omnem aliorum sanctificationem excedere.

CAPUT V.

De Conceptione Divina.

Mox ut Virgo beatissima assensum Angelo præbuit dicens : *Fiat mihi secundum verbum tuum;* Spiritus sanctus super eam venit, ac Filium Dei concepit. Hæc autem tria simul fuerunt tempore, non natura. Tunc impleta sunt præambula figurarum, et documenta scripturarum, et desideria prophetarum : propter quod etiam adventus Christi dicitur [1] *plenitudo temporis.*

Quare autem Christus, nec prius, nec posterius venerit, nonnullæ sunt rationes. Prima est, ut ordinem universi non turbaret. Singula namque suis fiunt temporibus; quanto magis in maximo Dei opere, scilicet Filii Dei incarnatione? Secunda, ne fides et spes, promissa incarnatione et nimis tardata, perirent : si enim tardasset venire, quotidie decrevissent homines in fide, et tepuissent. Sed prius venire non fuit necesse, quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis. Tertia est, ut supremæ infirmitati culpæ immediate succederet melioratio, sicut summum statum acutæ febris sequitur crisis et sanatio. Quarta, ut homo de lege naturali et scripta prius convinceretur, sicut ait Augustinus, quia si Christus statim venisset, diceret homo quod per legem naturæ salvari poterat, et superfluum crederet adventum Christi : similiter dicere poterat de lege scripta. Sed comperto quod nec sic, nec sic salvari poterat, cum omnes ad inferos descenderent, tunc venit ipse, quia tunc erat tempus miserendi ejus. Quinta, ut sicut primus homo conditus fuit sexta die ad totius mundi complementum, sic Deus homo fieret in sexta ætate, ad totius creaturæ perfectionem. Sexta enim ætas apta est ad exercitium sapientiæ, ad remissionem culpæ, ad meritum vitæ æternæ, ad transitum de statu miseriæ ad statum gloriæ : et ista notantur in sexta ætate ratione perfectionis senarii. Sexta, quia Christus non debuit venire in principio temporis, quia adventus ejus nimis fuisset festinus : nec in fine ultimo, quia tunc nimis fuisset tardus : sed decebat Salvatorem inter tempus morbi, et tempus judicii, introducere tempus remedii. Septima, quia decebat Ductorem perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad bravium, hoc est in fine temporum, et tamen ante terminum, ut per timorem judicii stimulati, per spem præmii attracti, et per exempli perfectionem animati, sequi possemus efficaciter ducem nostrum. Octava, quia decebat Mediatorem quædam membrorum suorum præcedere, quædam sequi. Incarnationem Christi multæ figuræ præcesserunt, et prophetæ : de quibus aliquas assignemus. Abraham *descendit* [2] *in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. Lapis* [3] *præcisus est de monte sine manibus. Fluvius* [4] *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Sapientia* [5] *ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Thronum* [6] *fecit sibi Salomon de ebore grandem. Novum faciet* [7] *Dominus super terram : femina circumdabit virum. Jonas* [8] *in mare projicitur, et mare sedatur. Stillabunt* [9] *montes dulcedinem. Descendi* [10] *in hortum meum, ut viderem poma convallium.* Vellus [11] Gedeonis rorificatur. Manna [12] servatur in urna aurea. Virga Aaron [13] floret. *Flos* [14] *de radice ejus ascendet.* Emittitur [15] columba de arca Noe. Mittitur [16] lignum in aquas Marath. Paradisus [17] plantatur. Moyses ponitur [18] in fiscellam scirpeam. Israel induit [19] Joseph tunica polymita. *In sole* [20] *posuit tabernaculum suum.* Duo viri ferunt [21] in vecte botrum de terra promissionis. Mittitur [22] Joseph in cisternam. *Urbs fortitudinis nostræ* [23]

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] *Gen.*, XII, 10. — [3] *Dan.*, II, 45. — [4] *Gen.*, II, 10. — [5] *Prov.*, IX, 1. — [6] III *Reg.*, X, 18. — [7] *Jerem.*, XXXI, 22. — [8] *Jonn.*, I, 15. — [9] *Joel.*, III, 18. — [10] *Cant.*, VI, 10. — [11] *Judic.*, VI, 38. — [12] *Exod.*, XVI, 32. — [13] *Num.*, XVII, 8. — [14] *Isa.*, XI, 1. — [15] *Gen.*, VIII, 8. — [16] *Exod.*, XV, 25. — [17] *Gen.*, II, 8. — [18] *Exod.*, II, 3. — [19] *Gen.*, XXXVII, 3. — [20] *Psal.* XVIII, 6. — [21] *Num.*, XIII, 25. — [22] *Gen.*, XXXVII, 22. — [23] *Isa.*, XXVI, 1.

(*a*) Forsan legendum *gaudia.*

Digitized by Google

Sion, Salvator ponetur in ea murus. Emitte [1] *agnum, Domine. Rorate* [2], *cœli, desuper,* etc. *Ascendet* [3] *Dominus super nubem levem. Misericordia* [4] *et veritas obviaverunt sibi. Gemma carbunculi* [5] *in ornamento auri. Simul* [6] *in unum dives et pauper. Ego primus* [7] *et novissimus. Charitate perpetua* [8] *dilexi te.* Mittitur [9] Daniel in lacum leonum. Apparet in camino [10] quartus similis Filio hominis. Umbra [11] descendit in horologio Achaz decem gradibus. Ignis apparet [12] in rubo non comburens. *Solem* [13] *nube tegam. Quid* [14] *lucidius Sole? et hic deficiet.* Psalmus [15] : *A summo cœlo egressio ejus.*

CAPUT VI.

De rationibus Incarnationis.

Per Verbum igitur incarnatum facta est humani generis reparatio : non quia aliter salvari non poterat, sed quia nullus alius modus fuit ita congruus ipsi Reparatori, et reparabili, ac reparationi. Congruebat, inquam, iste modus Reparatori, quem decebat suam potentiam, sapientiam, et bonitatem ostendere. Quid autem potentius, quam conjungere extrema summe distantia, hoc est, Creatorem et creaturam? Magna potentia fuit in conjunctione disparium elementorum; major in conjunctione illorum ad spiritum creatum; maxima in conjunctione illorum omnium ad spiritum increatum, ubi et maxima disparitas est. Quid vero sapientius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret conjunctio primi et ultimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium principium, et humanæ creaturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum? Quid autem benevolentius, quam quod Creator rerum communicare se voluit rebus creatis? Et hæc benignitas magna fuit in communicatione sui omnibus rebus per præsentiam; major, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia communicavit se homini per unionem, et per consequens generibus singulorum in unitate personæ.

Fuit etiam iste modus congruentissimus ipsi reparabili, quia homo per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam et malitiam, per quæ ineptus factus est ad virtutem divinam imitandam, et ad veritatem cognoscendam, et ad bonitatem diligendam. Ideo Deus factus est homo, per quod se reddidit homini imitabilem, cognoscibilem, et amabilem. Fuit etiam iste modus congruentissimus nostræ reparationi, quia Dominus in forma servi procuravit salutem servi.

Sunt et aliæ rationes quare conveniens fuit Deum incarnari. Prima est, quia prævaricator abstulit nobis Deum : unde conveniens fuit ut Reparator redderet nobis Deum. Secunda, quia humilitas decuit eum : sed non potuit humiliari usque ad pœnas in natura divina : oportuit ergo quod in alia. Tertia, ut prophetias impleret [16] : *Ego qui loquebar, ecce adsum.* [17] *Apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet :* ut scilicet doceret potius vincere per justitiam, quam per potentiam. Quarta, propter vitandum inconveniens, quia si Deus incarnari non potuisset, vel nescivisset, vel noluisset, videretur ei inesse impotentia, vel ignorantia, vel invidia, quod absit. Quinta, ut tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuit superbia in prævaricatore : quia tanta fuit superbia, ut homo vellet esse ut Deus : unde humilitas tanta debuit esse, ut Deus fieret homo. Sexta, ut nostrum amorem excitaret, et nostram spem erigeret. Septima, ut exemplum imitandæ virtutis nobis daret in forma visibili et humana. Quamvis autem opera Trinitatis sint indivisa, ita ut (*a*) quod aliquid operatur una persona, operetur et alia, tamen solum Filius accepit carnem, et non Pater, vel Spiritus sanctus. Et habemus simile in tribus domicellis induentibus tertiam ipsarum, de quibus potest dici : « Quidquid facit una, facit alia; » una tamen sola induitur. Eodem modo dicendum quod incarnationis opus quandoque attribuitur Patri, ut ibi [18] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Quandoque attribuitur Filio, ut ibi [19] : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Quandoque attribuitur Spiritui sancto, ut in Symbolo : *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Sed hæc ideo dicuntur, quia opus incarnationis fuit maximæ potentiæ, sapientiæ, et bonitatis : quæ tribus personis attribuuntur.

Sunt autem multæ rationes quare Filius incarnatus sit, et non Pater, vel Spiritus sanctus.

[1] *Isa.*, XVI, 1. — [2] *Isa.*, XLV, 8. — [3] *Isa.*, XIX, 1. — [4] *Psal.* LXXXIV, 11. — [5] *Eccli.*, XXXII, 7, — [6] *Psal.* XLVIII, 3. — [7] *Apoc.*, XXII, 13. — [8] *Jerem.*, XXXI, 3.— [9] *Dan.*, VII, 16. — [10] *Dan.*, VII, 13. — [11] IV *Reg.*, XX, 11. — [12] *Exod.*, III, 2. — [13] *Ezech.*, XXXII, 7. — [14] *Eccli.*, XVII, 36. — [15] *Psal.* XVIII, 7. — [16] *Isa.*, LII, 6. — [17] *Habac.*, II, 3. — [18] *Gal.*, IV, 4. — [19] *Joan.*, XVI, 28.— (*a*) *Cæt. edit. deest* ut.

Digitized by Google

Prima, ut per eamdem sapientiam, quæ mundum condiderat, fieret reparatio. Secunda, ut qui filius est in divinitate, esset filius in humanitate. Tertia, ne idem esset pater et filius, si Pater de homine nasceretur. Quarta, quia congruentius mittebatur qui est ab alio, quam qui est a nullo. Quinta, propter confirmationem hæreditatis nobis promissæ, ne scilicet possemus dicere Patri : « Domine, tu habes Filium, cui competit hæreditas quam homini promisisti. » Sexta, ut Patris erga nos ostenderetur charitas [1] : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Septima, ut ostendatur, quod Deus Pater nihil habet quod non sit nobis paratus dare, cum Filium suum unigenitum dederit. Octava, ut sicut Dei Filius factus est homo, sic homo fieret filius Dei. Apostolus ad Galatas [2] : *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Nona, ut esset occasio salutis, qui dicitur occasio ruinæ, quia homo appetendo scientiam divinam, quæ Filio appropriatur, cecidit. Decima, quia imago debuit per imaginem reparari. Undecima, quia sicut verbum mentis mediante grossiori natura emittitur, scilicet per vocem, sic Verbum æternum per assumptionem naturæ. Duodecima, quia medius inter personas debuit esse mediator Dei et hominum. Decimatertia, quia sapientia Patris reparare debuit appetitorem sapientiæ [3] : *Eritis sicut dii, scientes,* etc. Quartadecima, quia decentissime conjungitur humilitas cum sapientia [4] : *Ubi humilitas, ibi et sapientia :* unde Filium Dei præcipue decuit incarnatio. Quintadecima, quia ideæ non sunt nisi sapientia Dei, quæ Filio Dei appropriatur : unde cum singulæ ideæ singulorum ideatorum sint causæ, tunc demum omnia perfecta et completa erunt, cum per unionem ad suum principium redierint. Sextadecima, quia si Pater fuisset incarnatus, tunc nulla persona fuisset sine principio. Decimaseptima, quia oportuit incarnatam personam tanquam sacerdotem supplicare Patri pro natura assumpta : sed magis decuit Filium supplicare Patri, quam e converso. Decimaoctava, quia si Spiritus sanctus fuisset incarnatus, tunc duo essent Filii. Decimanona, quia nullum magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo Pater se declarat, quod est unibile carni, sicut et verbum voci. Vigesima, quia nullum magis decet reducere hominem ad filiationem adoptivam, quam filium naturalem.

[1] *Joan.*, III, 16. — [2] *Gal.*, IV, 4, 5. — [3] *Gen.*, III, 5. — [4] *Prov*, XI, 2. — [5] *Tit.*, III, 5. — [6] *Psal.* LXXIII, 12.

CAPUT VII.

De modo Incarnationis.

In communi reparatione omnium decens erat, ut fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica, et humana : unde in mysterio incarnationis fuit concursus Angeli nuntiantis, Virginis concipientis, et Verbi Dei carnem assumentis. Cum Filius Dei mittitur in mundum, non fit loci mutatio, sed naturæ humanæ assumptio, quia ipsius mitti, est esse ubi prius fuit, sed aliter ibi esse, quam prius fuit : et hæc alteritas non est ex parte ejus qui est, cum sit immutabilis; sed ex parte ejus in quo est, quia unitur nostræ carni : unde mutatio non fuit ex parte Filii, sed ex parte assumpti. Præterea in mutatione loci exigitur non esse quis ubi prius erat; sed nec hoc est in Filii missione, quia post incarnationem fuit in Patre sicut semper.

Christus assumpsit naturam nostram quinque modis, scilicet 1. misericorditer; Apostolus [5] : *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* 2. Utiliter, scilicet pro salute nostra [6] : *Operatus est salutem in medio terræ.* 3. Sapienter, quia assumpsit bonum naturæ, reprobando malum culpæ [7] : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* 4. Fortiter, quia sic assumpsit naturam humanam, quod nunquam deposuit eam : quia post mortem unita fuit divinitas carni in sepulchro, et animæ in inferno. 5. Mirabiliter, quia conjuncta sunt in incarnatione summum et imum, hoc est Deus et limus.

Verbum [8] *caro factum est* quinque modis, scilicet 1. secundum carnem, quia secundum veritatem carnis [9] : *Vere languores nostros ipse tulit.* 2. Præter carnem, quia præter operationem carnalem [10] : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* 3. Supra carnem, quia meritis nostris non exigentibus; Apostolus [11] : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos.* 4. Propter carnem, quia ad salvandam carnem, et hoc quantum ad fideles efficaciter, licet quantum ad omnes sufficienter [12] : *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum.* 5. Contra carnem, quia ad majorem damnationem infi-

[7] *Isa.*, VII, 15. — [8] *Joan.*, I, 14. — [9] *Isa.*, LIII, 4. — [10] *Matth.*, I, 20. — [11] *Tit.*, III, 5. — [12] *Matth.*, I, 21.

Digitized by Google

delium [1] : *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.*

Opus assumptionis humanæ naturæ, non *animatio*, sed *incarnatio* nominatur, cum tamen a digniori res consueverit nominari : hoc autem est propter quatuor rationes, scilicet : 1. ut expressior fiat nominatio; et 2. ut profundior explicetur dignatio miserentis ; et 3. quia nobis magis nota est pars carnis; 4. ut major humiliatio exprimatur, eo quod magis a Deo distat caro quam anima, et quia caro est a parentibus propagata, anima a Deo creata.

CAPUT VIII.

De unione et carne assumpta.

Sicut in divinitate una est essentia et tres personæ, ita in Christo est e converso una persona, et tres essentiæ, scilicet deitas, anima et caro, hoc est æternum, novum, et antiquum, quia deitas est æterna ; anima est nova, quia in assumptione carnis creata ; caro vero antiqua, quia ab Adam propagata : et Christus secundum naturam divinitatis est genitus, secundum animam vero creatus, et secundum carnem factus.

Unio fuit triplex in Christo, scilicet deitatis ad animam, et e converso ; et deitatis ad carnem, et e converso ; et animæ ad carnem, et e converso. Duæ primæ uniones semper manserunt; tertia separata fuit in morte. Unio ergo deitatis ad humanam naturam non est in unitate naturæ, sed personæ : non dico personæ humanæ, sed divinæ; hoc est non assumptæ, sed assumentis : nec personæ cujuslibet, sed solius Verbi. Quia enim impossibile est, quod natura divina concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertii, vel quod ipsa transeat in aliam; vel alia in ipsam, propter simplicitatem et unitatem ipsius perfectissimam : propterea divinitas et humanitas non uniuntur in unitate naturæ, sed personæ; et sic intelligitur illud in Symbolo Athanasii : « Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. » Ibi namque ponitur similitudo quantum ad unitatem personæ, et non naturæ : quia caro et anima differunt in homine quantum ad essentiam, et constituunt tamen unam personam. Eodem modo inter divinitatem et humanitatem Christi est differentia, et tamen est una persona : et quia divina natura in nullo supposito potest subsistere, præterquam in propria hypostasi, ideo unio illa non potest esse in propria persona hominis, sed Dei : et propterea Deus in una personarum suarum facit seipsum suppositum humanæ naturæ : unde tantum una est ibi personalitas, et unitas personalis, scilicet ex parte assumentis. Ad esse namque personæ triplex exigitur distinctio : scilicet singularitatis, et naturalis incommunicabilitatis, ac excellentiæ sive dignitatis. Propter primum, nullum unibile est persona. Propter secundum, anima non est persona : sed propter tertium, Christus secundum quod est homo, non est persona. Ex his patet quæ sit vera, vel falsa, inter has quatuor propositiones. Prima : Persona assumpsit personam. Secunda : Natura assumpsit personam. Tertia : Natura assumpsit naturam. Quarta : Persona assumpsit naturam. Primæ duæ simpliciter sunt falsæ; tertia uno modo est falsa, alio modo est vera. Si enim sumatur natura prout est communis tribus personis, sic est falsa; si vero sumatur prout est in persona Filii, sic est vera. Quarta autem propositio simpliciter est vera.

Ad intelligentiam autem horum, nota quod tres fuerunt opiniones de incarnatione Christi. Prima autem opinio dicebat quod Filius Dei assumpsit hominem; secunda dicebat, quod assumpsit humanam naturam; tertia dicebat, quod assumpsit hominem ut vestem. Prima opinio non tenetur, quia ponit quod in Christo sunt duæ personæ, quod est falsum. Secunda communis est, et vera, ac celebris : quia ponit quod Christus est unum solum, licet sit aliquid secundum quod homo. Item ponit, quod assumens non est assumptum. Item, quod ille homo divina est essentia, et e converso. Item, quod omnis proprietas Filii Dei inest ei, et e converso. Tertia opinio tanquam hæretica reprobatur : quia ponit non esse in una persona Christi duas naturas, et quod duæ substantiæ, humanæ naturæ scilicet, et divinæ, non personalitatem Filii constituunt, sed extrinsecus se habent ad ipsam. Dicimus ergo quod tanta est ibi unio, ut quidquid dicitur de Filio Dei, dicatur de Filio hominis, et e converso, his tamen exceptis in quibus exprimitur unio, aut clauditur negatio. Si enim sit vocabulum in quo aliqua repugnantia includitur, sicut est *uniri, incarnari, assumi, assumere,* in quibus includitur respectus

[1] *Joan.*, xv, 22.

Digitized by Google

unionis unius naturæ ad alteram, tunc non tenet prædicta regula. Similiter non tenet, quando in vocabulo includitur negatio alicujus, cujus oppositum alteri competit, sicut *incipere esse, creari,* etc.

Nota quod, proprie loquendo, compositio et corporis et animæ, unio est divinæ naturæ ad humanam : tamen unum quandoque ponitur pro reliquo.

Quinque fuerunt status primi hominis, et de quolibet statu accepit Christus aliquid : primus status fuit innocentiæ, de quo Christus accepit peccati immunitatem; secundus gratiæ, de quo accepit plenitudinem gratiæ; tertius culpæ, de quo accepit recompensationem pœnæ; quartus pœnitentiæ, de quo accepit passionem doloris et tristitiæ; quintus gloriæ, de quo accepit plenam fruitionem.

Corpus Christi, secundum Damascenum, formatum fuit ex sanguine beatæ Virginis, non ex carne. Nam veræ matris est, secundum Philosophum, materiam tantummodo ministrare; sed dare virtutem formativam, quæ active naturam seu materiam formet, est patris, et non matris. Cum igitur beata Virgo proprietatem veræ matris habeat, oportet quod materiam contulerit, quæ secundum naturam sit materia conveniens humano corpori, et tamen integritatem virginalem non polluat. Talis autem materia non est caro, quia dicit Philosophus, quod id quod est actu pars, non est materia generationis, cum non sit potentia totum : caro autem est actu pars : unde non est materia generationis. Talis quoque materia non fuit semen virgineum, vel femineum, quia hoc puritati Virginis non conveniebat, nec etiam, secundum Philosophum, est necessarium ad generationem, quia aliquæ mulieres concipiunt sine seminatione. Talis ergo materia fuit sanguis, quia ipse, secundum Philosophum, est etiam in nobis materia generationis. Quod autem dicit Apostolus [1] : *Qui factus est ei ex semine David,* intelligendum est originaliter, non materialiter. Virtus autem formativa in beata Virgine non fuit ex patre carnali, sed ex virtute Altissimi.

CAPUT IX.

De utilitate Incarnationis.

Amisimus per peccatum propriam excellentiam, mentis innocentiam, ac Dei amicitiam. Hæc autem recuperare oportuit per beneficium Salvatoris. Excellentiam enim (*a*) recuperare non potuimus, nisi per excellentissimum recuperatorem : quia si per aliquam meram creaturam reparati essemus, tunc oporteret nos esse subjectos illi creaturæ. Innocentia etiam (*b*) reparari non poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum, qui videlicet esset Deus et homo : Deus quidem, qui pro homine satisfacere posset; homo vero, de genere Adæ qui peccaverat. Ille namque congrue satisfacit, qui potest et debet : sed non potest, nisi Deus; nec debet, nisi homo. Amicitia similiter non poterat reformari, nisi per mediatorem convenientissimum, qui scilicet utrique parti conformis esset, et utrique parti amicus : hoc vero Christo convenit, qui est Deo patri similis per divinitatem, et homini lapso per humanitatem. Venit ergo Deus in carnem, tanquam Dominus ad servos, ut eos corrigeret; tanquam magister ad discipulos, ut eos instrueret; tanquam medicus ad ægrotos, ut eos sanaret. Per primum ostendit Deus potentiam; per secundum, sapientiam; per tertium, bonitatem.

Quatuor fructus incarnationis ponit Bernardus, dicens : « Manna de cœlo descendit, ut gaudeant esurientes; vineæ cœli botrus erupit, ut gaudeant sitientes; oleum effusum est, ut gaudeant ægrotantes; lapis sine manibus de monte præcisus est, ut timeant negligentes.

Christo homini plures actus conveniunt, nobis multum salutiferi : propter quod diversis rebus naturalibus et artificialibus comparatur. Ipse namque Christus dicitur *Caput* nostrum, propter sensum et motum spiritualem, quem suis membris influit; *Mediator,* quia participat proprietates divinæ et humanæ naturæ, et ideo inter Deum et nos efficaciter potest mediare; *Fundamentum,* propter fidem, qua in nobis illuminat intellectum; *Ostium,* propter charitatem, qua perficit affectum; *Pastor,* in quantum incorporat nos Ecclesiæ per sacramentorum participationem; *Hostia,* quia solvit obligationem contractam per peccatum originale, et actuale; *Sacerdos,* quia ipse se rogat, ipse se exaudit, ipse servus rogat se Dominum, et ipse Deus exaudit se hominem; *Via,* exemplo; *Vita,* in præmio.

Item Bernardus [2] enumerat quatuor utilitates adventus Domini, dicens : « Venit Medicus ad

[1] *Rom.*, I, 3. — [2] Bern., *in Vigil. Nativ.*, serm. III, in princ.

(*a*) *Cæt. edit.* etiam. — (*b*) enim.

Digitized by Google

ægrotos, Redemptor ad venditos, Via ad errantes, Vita ad mortuos. » Ostenduntur adhuc multæ utilitates incarnationis Christi : quia scilicet Deus factus est homo, ut fieret homo Deus ; Dominus factus est servus, ut fieret servus dominus ; Deus de cœlo ad terras descendit, ut homo de terris ad cœlos ascenderet ; Deus factus est filius hominis, ut homo fieret filius Dei ; immortalis factus est mortalis, ut mortales fierent immortales ; dives innocens factus est pauper, ut pauperes fierent divites ; obscurata est lux, ut nos illuminaret : esurivit panis, ut nos reficeret ; sitivit fons, ut nos inebriaret ; tristata est lætitia, ut nos lætificaret ; pavebat fiducia, ut nos confortaret ; lassata est via, ut iter nostrum ad cœlestia dirigeret. »

CAPUT X.

De mirabilibus circa incarnationem Domini.

Excellebat incarnatio Christi nostram conceptionem in pluribus : per quæ apparet, quod ibi natura perdidit sua jura. Inveniuntur enim multa tam ex parte matris, quam ex parte prolis, quam etiam ex parte modi, quæ non secundum viam (*a*) naturæ, sed secundum potentiam virtutis infinitæ, quæ solius est Dei. Mira igitur fuerunt in matre, quæ, secundum Bernardum [1], sine corruptione fœcunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Ibi portavit stella Solem, palmes vitem, rivus fontem, filia patrem, creatura Creatorem. Fuit, inquam, mater Patris, filia nati. Fuit quoque prole posterior, contento minor, mater et virgo fuit, cum Deo filium communem habuit. Maledictionem legis evasit, ubi maledictæ fuerunt virgines et conjugatæ : virgines quidem, quia non genuerunt ; conjugatæ vero, quia in dolore peperunt. Sed utrumque beata Virgo evasit, quia Virgo genuit, et dolorem non sensit. Augustinus : « Speculum non rumpit radius Solis : et ita integritatem Virginis ingressus aut egressus Dei vitiare non potuit. »

Mirabilia quoque fuerunt in prole, quia in instanti fuit ibi sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, animatio, deificatio. Et quod ista non fuerint successiva, patet ex Scriptura [2] : *Femina circumdabit virum.* Patet etiam ex virtute agentis, scilicet Spiritus sancti, cujus est subito operari. Quamvis autem membra corporis Christi fuerint in conceptione completa et perfecta usque ad animæ susceptionem, ipsorum tamen membrorum distinctio, secundum Augustinum [3], tam parva et tenuis fuit, quod humano visui vix posset subjici : quia in tanto fuit minus corpus illud, quam alius conceptus cum formatur, quantum augeri posset in utero infra quadraginta sex dies. Unde miraculosum fuit quod in tam parvo corpore recepta fuit anima : sed hoc ideo factum fuit, ut conceptio Christi quantum ad tempus manendi in utero non esset nostræ conceptioni dissimilis. Præterea ab instanti suæ conceptionis scivit omnia etiam secundum quod homo. Item in fruitione perfecta fuit anima ejus : unde quantum ad hoc non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Item mundus fuit ab omni peccato, et plenus omni gratia et virtute. Habuit quoque Patrem in cœlis, et matrem in terris : sed Patrem sine Matre, et matrem sine patre. Item per incarnationem ipse Dominus factus est servus, æternus factus est temporalis, immensus factus est parvulus. Summus fit imus, incomprehensibilis fit localis, simplex fit compositus. Dicit Augustinus [4] : « Videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, immortalis occiditur. » Item Augustinus : « Quis unquam existimare posset, ut portaretur manibus femineis portator orbis, panis angelorum aleretur, virtus cœlorum infirmaretur, vita omnium moreretur ? »

Hic quoque notandum est, quod sicut in divinis est trinitas personarum in unitate essentiæ, sic in Christo est trinitas essentiarum, seu naturarum, in unitate personæ : quia sicut in divinis per diversas personas non distinguitur essentia, sic in Christo per diversas naturas non distinguitur persona. Denique Christi incarnatio fuit mirabilis ex modo, quia cum tres modi producendi hominem præcessissent, primus videlicet nec de viro, nec de muliere, sicut in Adam ; secundus de viro sine muliere, sicut in Eva ; tertius de viro et muliere, sicut in omnibus concupiscibiliter natis : ad complementum decuit universi quartum modum introduci, ut scilicet homo de muliere fieret sine viro per virtutem summi Operatoris. In conceptione ergo Filii Dei simul concurrerunt virtus innata, infusa et increata : virtus innata materiam ministravit ; virtus infusa purificando ad unionem

[1] Bern., serm. ex verb. *Apoc.*, ante med. — [2] *Jerem.*, XXXI, 32. — [3] Est expositio Magistri *Sent.*, lib. III, dist. III. Vid. tom. IV, p. 55, huj. edit. — [4] Similia leguntur serm. VIII de tempore, al. CXVIII Append. tom. V, Oper. Augustini. — (*a*) *Al.* vitam.

Digitized by Google

Verbi adaptavit (adaptatione dico congruentiæ naturæ); virtus increata subito perfecit, quod natura non potuit nisi successive.

CAPUT XI.

De nativitate Christi.

Nativitas Christi triplex est, scilicet divina, humana, gratuita: prima est ex Patre; secunda, ex matre; tertia fit in mente. De Patre nascitur æternaliter; de matre, temporaliter; in mente, spiritualiter. Et istæ tres nativitates sumuntur secundum tres substantias, quæ sunt in Christo, scilicet deitas, caro, et spiritus. Nam ex Patre nascitur Deus; ex matre, caro; in mente nascitur spiritus, scilicet per gratiam. Ex Patre nascitur semper; ex matre nascitur semel; in mente nascitur sæpe. Secundum nativitatem divinam Christus habet patrem sine matre; secundum humanam habet matrem sine patre; secundum gratuitam habet patrem et matrem, secundum illud [1]: *Qui fecerit voluntatem Patris*, etc. Has tres Christi nativitates repræsentat Ecclesia in die nativitatis ejus. Primam, scilicet divinam, in Missa quæ cantatur in nocte; est enim hæc nativitas nobis occulta [2]: *Generationem ejus quis enarrabit?* Secundam, in Missa quæ cantatur in aurora; quia nativitas humana partim fuit occulta, partim manifesta: occulta quidem quantum ad modum, quia natus est de virgine; sed manifesta quantum ad factum. Tertiam, scilicet gratuitam, in Missa quæ cantatur in die; quia nativitas gratuita est manifesta, in qua Christus per effectum concipitur, per affectum nascitur, et per amorem perfectum nutritur [3]: *A timore tuo concepimus, et peperimus*, etc. De divina itaque generatione habetur in primo libro; sed nunc de humana prosequendum est.

Nota itaque quod, secundum verba Apostoli, ubi ait [4]: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos*, etc., nativitas Christi fuit gratiosa, gloriosa, copiosa, fructuosa: gratiosa, id est gratis, non meritis nostris exhibita: *Apparuit* enim *gratia*; gloriosa, quia *Dei Salvatoris nostri*; copiosa, quia *omnibus hominibus*; fructuosa, quia *erudiens nos*. Iste fructus nativitatis Christi duplex est, scilicet respectu temporis præsentis, et futuri. Item respectu temporis præsentis duplex est fructus: primus est declinatio mali, ibi: *Ut abnegantes impietatem*, quoad malum quod est contra fidem; *et sæcularia desideria*, quoad malum quod est contra bonos mores; secundus fructus est operatio boni, ibi: *sobrie*, quoad nos; *juste*, quoad proximum; *et pie*, quoad Deum. Item respectu futuri temporis duplex est fructus: primus est spei in resurrectione, ibi: *Expectantes beatam spem*; secundus, gaudii in glorificatione, ibi: *et adventum gloriæ magni Dei*. Apparuit in nativitate Christi benignitas et humanitas Salvatoris de triplici latibulo, scilicet de sinu Patris, in quo celabatur; de umbra legis, in qua figurabatur; de ventre matris, in quo formabatur. Iste namque agnus solvit [5] signacula libri signati.

Nativitas Christi fuit utilis, honesta, et jucunda. Quid autem utilius salute hominis? *Vocabis*, inquit [6], *nomen ejus Jesum, quia salvum faciet populum suum*, certe a formidine timoris, ab immanitate languoris, a detentione carceris, a subjugatione hostis. Quid honestius partu Virginis, ubi Virgo est quæ generat, Deus est qui generatur, Spiritus sanctus qui operatur in generatione? Quid jucundius nativitate Dei et hominis? Gavisi sunt, qui præcesserunt, ut Abraham, qui [7] *exultavit ut videret diem* Domini. Item, qui sequuntur [8]: *Gaudete in*, etc. Item, qui præsentes erant, ut angeli decantantes, et pastores videntes, et Joannes eum in utero sentiens, et Simeon amplexans, sed maxime Virgo ipsum generans [9]: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Protulit in navitate nobis beata Virgo fructum, qui fuit seminatus in conceptione, germinavit in nativitate, collectus in pannorum involutione, ad Dominum allatus in purificatione, flagellatus in stipite, ventilatus in falsorum testium accusatione, commolitus in passione, purgatus in resurrectione, comeditur in quotidiana Eucharistiæ susceptione et in cœlesti fruitione. Beata itaque Virgo est cœlum, quod Christum roravit; ipsa nubes, quæ Christum pluit; ipsa terra, quæ Salvatorem germinavit. In nativitate Domini fuit beata Virgo terra, de cujus limo formatus est novus Adam; terra, de qua orta est veritas; terra, de qua ortus est fructus terræ sublimis; terra bona, in qua semen cecidit; terra fluens lacte et melle; terra germinans herbam virentem; terra

[1] *Matth.*, XII, 50. — [2] *Isa.*, LIII, 8. — [3] *Isa.*, XXVI, 18, secundum LXX; Vulg. *Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus Spiritum.* — [4] *Tit.*, II, 12, 13. — [5] *Apoc.*, V, 5. — [6] *Matth.*, I, 21. — [7] *Joan.*, VIII, 56. — [8] *Philip.*, IV, 4. — [9] *Luc.*, I, 47.

Digitized by Google

de qua oriebatur fons irrigans universam superficiem terræ.

CAPUT XII.

De circumcisione Domini.

Circumcisionem accepit Christus multiplici ratione : primo, ut legem, quam dedit aliis, ipse compleret ; secundo, ut humilitatem ostenderet, quia cæremonialibus, ad quæ non tenebatur, se subjecit : ipse namque dominus legis fuit ; tertio, ut sanguinem suum pro nobis non solum in ætate virili, sed etiam infantili funderet ; quarto, ut nos circumcidendos fore spiritualiter ostenderet ; quinto, ut hæreticos confunderet, qui dixerunt eum non verum corpus, sed phantasticum habuisse ; sexto, ut Judæis satisfaceret, qui scandalizati fuissent, si circumcisionem non accepisset ; septimo, ut legem veterem approbaret, quæ usque ad ipsum observanda fuit. Legalia enim, secundum Augustinum [1], fuerunt ante passionem viva ; post passionem Domini, mortua ; sed postquam per mundum claruit Evangelium, sepulta.

Circumciditur Jesus non solum circumcisione legali, sed etiam circumcisione spirituali. Unde possumus Domini circumcisionem quadruplicem assignare. Primo circumcidit eum Pater cultello paupertatis in nativitate ; secundo circumciderunt eum parentes ejus octavo die cultello legis ; tertio circumcidit seipsum in omni vita sua cultello humilitatis ; quarto circumciderunt eum Judæi in passione cultello crucis, et hoc per milites Pilati. Circumciditur etiam Jesus in suis quadrupliciter : primo, per detractores, qui auferunt amicos et famam ; secundo, per raptores, qui auferunt bona temporalia ; tertio, per hæreticos, qui auferunt animam ; quarto, per tyrannos, qui auferunt corpus.

Circumcisio nostra spiritualis duplex est : prima mentis in præsenti a culpa : secunda corporis in futuro a pœna. Prima figurata fuit per circumcisionem solemnem, quæ facta est in Ægypto : et hæc triplex est, scilicet incipientium, a vitiis, et hoc cultello justitiæ ; item proficientium, a superfluis, cultello misericordiæ ; item perfectorum, a necessariis, cultello charitatis perfectæ. Secunda figurata est per circumcisionem factam in Galgalis in terra promissionis, quia in octava resurrectionis per petram Christum circumcidemur ab omnibus miseriis. Ex quo patet quod circumcisio nostra spiritualis efficacior est, quam Judæorum carnalis et legalis : quia illorum circumcisio, licet peccatum originale tulerit, tamen januam paradisi non aperuit ; sed nostra utrumque facit.

In hac materia duo nobis tanguntur : primum est Christi humilitas in circumcisione, secundum ejus sublimitas in nominis impositione : *Vocatum est*, inquit [2], *nomen ejus Jesus.* Dignitas autem hujus nominis multiplex est. Est enim ab æterno consecratum, ut dicit sanctus Bernardus ; ab antiquis præfiguratum, scilicet in Josue ; a prophetis desideratum [3] : *Nomen tuum in desiderio animæ ;* a sanctis Patribus prophetatum, Bernardus : « Dulce nomen Jesu prophetatum Salomonis oraculo ; » a Deo nominatum, Apostolus [4] : *Dedit illi nomen*, etc. ; ab Angelo prænuntiatum, ut dicitur [5] : *Vocabis*, etc. (*a*) ; a beata Virgine prædicatum [6] : *Sanctum nomen ejus ;* ab apostolis magnificatum [7] : *Ibant apostoli gaudentes*, etc. ; a martyribus testificatum quia pro nomine isto passi sunt ; a confessoribus collaudatum [8] : *Laudate, pueri, Dominum*, etc. ; *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini ;* a sanctis virginibus prægustatum [9] : *Oleum effusum nomen tuum ;* Bernardus [10] : « Jesus est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Ab omnibus sanctis exaltatum [11] : *Magnificate Dominum mecum, et exaltate nomen ejus in idipsum ;* Petrus [12] : *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri,*

In hoc nomine, Jesus (*b*), sunt quinque litteræ quæ possunt esse initia istarum dictionum : Jucunditas mœrentium, Æternitas viventium, Sanitas languentium, Ubertas egentium, Satietas esurientium. Et hoc nomen, Jesus (*b*), Christo convenit tripliciter : primo, ratione naturæ, ut qui ex divina natura erat Salvator auctoritate, ex humana natura fieret Salvator ministerio, et vendicaret sibi nomen Salvatoris ; secundo, ratione decentiæ, quia decuit ut ex re nomen haberet. Unde quia salvat a peccato, diabolo, et ab inferno, merito nomen habet illi beneficio congruens. Tertio, ratione efficaciæ, quia Christus nos sua passione salvavit.

[1] Aug, *ad Hier.*, epist. XIX, al. LX XII, n. 16. — [2] *Luc.*, II, 21. — [3] *Isa.*, XXVI, 8. — [4] *Philipp.*, II, 9. — [5] *Luc.*, I, 31. — [6] Ibid., 49. — [7] *Act.*, V, 41. — [8] *Psal.* CXII, 1, 3. — [9] *Cant.*, I, 1. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. I, post med. — [11] *Psal.* XXXIII, 4. — [12] *Act.*, IV, 12. — (*a*) Cæt. edit. non habent *Vocabis*, etc. — (*b*) *Cæt. edit.* Jesu.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De baptismo Christi.

In baptismo Domini notatur ipsius humilitas, et nostra utilitas. Ipsius humilitas notatur in quatuor : primo, quia venit Jesus, scilicet dator salutis, et non indigens salute ; secundo, quia ad Jordanem, ubi Creator elementorum subjecit se humili elemento aquæ ; tertio, quia ad hominem, id est Joannem, scilicet Dominus ad servum, Rex ad scutiferum, Sol ad luciferum ; quarto, quia venit ut baptizaretur ab eo, scilicet fons a rivo, plenitudo a stilla, auctor baptismi a baptismi ministro.

Utilitas nostra notatur in quatuor, quæ circa Christum baptizatum evenerunt. Primo, quia Christus confestim cum baptizatus fuit, *ascendit de aqua* : per quod notatur in nobis gratiæ infusio : homo enim per baptismum liberatus a culpa, ad virtutes statim ascendit. Secundo, *apertum est cœlum* [1] ; per quod notatur hominis post baptismum ascendentis evolatio. Tertio, *descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum* : per quod notatur quod baptismus facit hominem Spiritus sancti templum. Quarto, *vox Patris facta est : Hic est filius meus dilectus* ; in quo notatur quod per baptismum de filio iræ fit filius gratiæ. In baptismo Christi notantur substantialia baptismi nostri, scilicet baptizans, baptizatus, materia, forma, et intentio. Baptizans fuit Joannes, in quo ministri sanctitas designatur. Baptizatus fuit Christus, nostrum baptismum consecrans, quia tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Materia fuit aqua, magis conveniens et communis cæteris liquoribus ad baptismum existens. Forma notatur per testimonium Trinitatis : fuit enim ibi Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columbæ specie. Intentio consequitur formam : « Voces enim, ut ait Philosophus [2], signa sunt earum, quæ sunt in anima, passionum. »

Per vocem Patris, quæ audita est in baptismo Christi, notantur quinque dignitates et excellentiæ ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Cum enim dicitur : *Hic est*, commendatur Christus a vera essentia, qui solus Deus habet verum esse. Omne enim esse a forma est : Deus autem forma est sine materia, ut dicit Boetius. Cum dicitur : *Filius*, commendatur Christus a similitudinis paternæ convenientia : ex eo namque dicitur Filius, quia sit ut ille : propter quod Filius sic dicitur *imago Patris*, potius etiam quam Spiritus sancti, propter rationem quam habes supra in libro primo [3]. Cum dicitur : *Meus*, commendatur a substantiæ indifferentia ; dicitur enim *meus*, id est, *mihi consubstantialis*. Cum dicitur : *dilectus*, commendatur ab amoris benevolentia [4] : *Pater diligit Filium, et omnia quæ habet, dedit in manu ejus*. Cum dicitur : *In quo mihi complacui*, commendatur a speciali complacentia. Sed nota quod placitum est quieta voluntas : unde *complacui*, id est, cum Spiritu sancto in Filio secundum naturam assumptam quievi.

[1] *Matth.*, III, 16, 17 ; *Luc.*, III, 21, 22. — [2] Arist., *de Interpr.*, lib. I, c. 1. — [3] Vid. sup. lib. I, c. VI, p. 65, col. 2. — [4] *Joan.*, V, 20 ; XVI, 15.

CAPUT XIV.

De plenitudine gratiæ Christi.

Post hoc considerandum est Verbum incarnatum quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium, quæ sunt plenitudo gratiæ in effectu, plenitudo sapientiæ in intellectu, ac plenitudo meriti in opere et effectu.

Circa primum notandum est quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo gratiæ quantum ad gratiam personæ singularis, et quantum ad gratiam capitis, et quantum ad gratiam unionis : et hæc triplex gratia est eadem in essentia ; sed differunt in effectu. Gratia enim personæ singularis est gratia habitualis, quam habuit Christus completissime et plenissime, excepta fide et spe, quas virtutes non habuit, sed quod eis in patria succedit : quia fidei succedit cognitio, spei vero succedit comprehensio rei. Sciendum autem quod prædicta gratia personæ singularis exuberat in Christo, ita quod influit in membra corporis sui mystici sensum et motum spiritualem, secundum fontalem plenitudinem omnis gratiæ in ipso habitantis.

Dicitur gratia capitis Christo inesse ; unde nota quod Christus secundum utramque naturam dicitur caput Ecclesiæ, quia non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo influit sensum et motum spiritus et gratiæ in omnes qui adhærent ei, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramentum. Sed in quantum homo, influit eam per modum meriti ; et meritum quod non solum ex congruo, sed etiam ex condigno meruit membris gratiam, hoc habuit

Digitized by Google

ex unione ad Verbum. Ex prædictis collige quod Christus, in quantum homo, dicitur caput Ecclesiæ triplici ratione : primo, propter influentiam gratiæ, sicut dictum est; secundo, propter conformitatem naturæ, quam habet caput ad membra, quialicet Christus excellat (a) membra sua quantum ad naturam divinitatis, tamen conformis est illis in natura humanitatis; tertio dicitur *caput* metaphorice, quia sicut corpus Christi verum constat ex purissimis membris, ita corpus ejus mysticum ex puris fidelibus. Nam de plenitudine ejus omnes accipiunt beneficium gratiæ et spiritus, qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramentum. Alia ratione Christus, secundum quod homo, dicitur caput Ecclesiæ, scilicet propter naturæ conformitatem, quam caput habet ad totum corpus. Nam sicut corpus Christi naturale constat ex purissimis membris, ita corpus ejus mysticum ex puris fidelibus. Præterea, secundum quod eadem gratia singularis personæ quæ habilitavit humanam naturam Christi ad unionem Verbi, ut videlicet digna esset uniri tantæ celsitudini, vocatur gratia unionis, per quam Christus ipse non tantum felicitate gloriæ, verum etiam adoratione latriæ dignus fuit : dicendum quod verum est, secundum quod est constructio transitiva, cum dicitur gratia unionis : tunc enim aliud est gratia, aliud est unio. Sed secundum quod est constructio intransitiva, ut sit sensus, gratia unionis, id est unio humanæ naturæ ad divinam, quæ gratis et sine meritis data est humanitati Christi, sic differt gratia unionis a gratia personali, et a gratia capitis, sicut unio differt a gratia habituali : propter quod dicitur in *Joanne* [1] quod Spiritus sanctus datus est ei *non ad mensuram* : quod dupliciter exponitur : primo sic : *Non ad mensuram*, id est totaliter, non particulariter, ut quidquid potuit Deus ei de Spiritu sancto dare, dedit ei; secundo sic : *Non ad mensuram*, id est super omnem proportionem respectu aliorum hominum.

De hoc quoque, quod dicit Joannes [2] *plenum gratiæ et veritatis*, nota quod quintupliciter distinguitur plenitudo. Prima est sufficientiæ, quæ in quolibet justo reperitur. Secunda est copiæ, quæ fuit in apostolis [3] : *Repleti sunt omnes*, etc., et in Stephano [4] : *Stephanus plenus gratia et fortitudine*. Tertia est universitatis, quæ est in Ecclesia, cui nullum donum deest. Quarta est excellentiæ, quæ fuit in beata Virgine, quæ omnes sanctos excedebat in gratia [5] : *In me omnis gratia*; [6] *Ave, gratia plena*. Quinta, superfluentiæ, quæ fuit in Christo [7] : *Plenum gratiæ et veritatis*.

Circa innocentiam Christi hoc sciendum est, quod habuit immunitatem omnis culpæ quantum ad actum, et quantum ad posse : quia nec peccavit, nec peccare potuit, nec peccatum originale a patre traxit, quia patrem non habuit carnalem, nec a matre habuit peccatum, quam Spiritus sanctus totaliter a fomite liberavit.

CAPUT XV.

De plenitudine sapientiæ Christi.

Sicut in Christo fuit omnis plenitudo gratiæ, ita et omnis plenitudo sapientiæ, non solum quantum ad cognitionem, verum etiam quantum ad modos et differentias cognoscendi, qui sunt quinque. Primus est cognitio sempiternalis ex parte divinitatis : et hoc modo cognoscit omnia simul, scilicet finita et infinita, quia apud Deum omnis infinitas est finita. Deus enim videt multa uno, scilicet seipso : unde non differt ibi quod videt, et per quod videt, quia videt se per se, et in se videt omnia, non solum quæ fecit, sed etiam quæ facere potest, quæ sunt infinita. Secundus modus est cognitio sensualitatis ex parte carnis, et iste modus est cognitio per experientiam, qua Christus non sensit omnia simul, quia sensus non est perceptivus rerum, nisi ad præsentiam objecti. Tertius modus est spiritualis ex parte mentis : et iste triplex fuit, scilicet per naturam, per gratiam, et per gloriam. Per naturam est igitur tertius modus cognoscendi, quo Christus cognovit omnia, quæ spectant ad universi constitutionem, sed longe excellentius, quam Adam, etiam existens in natura instituta. Quartus modus est per gratiam : hoc modo Christus cognovit omnia quæ spectant ad humani generis redemptionem, longe tamen excellentius, quam aliquis prophetarum, vel etiam angelorum. Non solum enim habuit Christus scientiam per habitum innatum, ut Adam et angeli, sed etiam per habitum infusum, velut sancti per gratiam illuminati. Cognitionem vero non habuit per habitum acquisitum, qui propter imperfectio-

[1] *Joan.*, III, 34. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] *Act.*, II, 4. — [4] *Act.*, VI, 8. — [5] *Eccli.*, XXIV, 25. — [6] *Luc.*, I, 28. — [7] *Joan.*, I, 14.

(a) *Al.* excedat.

Digitized by Google

nem in ipso non fuit. Quintus modus est per gloriam : hoc modo cognovit omnia Christus : finita quidem, cognitione actuali; infinita vero, non nisi cognitione habituali vel excessiva. Anima enim Christi per gloriam comprehensionis capiebat quæcumque capere potest natura finita unita infinito.

Sciendum ergo quod res dupliciter habent cognoscendi in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio artem contemplante. Utroque modo cognovit Christus res : primo modo, per naturam divinitatis; secundo modo, per gloriam comprehensionis. Patent igitur ex præmissis quinque differentiæ cognitionis quæ erant in Christo. Per primum enim modum habuit cognitionem, ut Deus; per secundum, ut homo; per tertium, ut viator; per quartum, ut illuminator; per quintum, ut comprehensor.

Christus secundum utramque naturam dicitur *lux*, quia secundum divinitatem illuminat intus animam, et secundum humanitatem informat exterius vitam : et hoc tripliciter, scilicet miraculis, prædicationibus, et exemplis. Primum est potentiæ; secundum, sapientiæ; tertium, bonitatis. Nota præterea, quod scientia Christi hominis limpidissima est inter scientias creatas, quia nihil habet admixtum de suo contrario, vel actu, vel potentia, præsertim cum non possit aliquid ignorare propter sui unionem ad Verbum : et tamen, quia anima Christi creatura est, non est scientia ejus ita limpida sicut Dei, quamvis sciat omnia quæ scit Deus. Quod dicitur [1] : *Jesus proficiebat sapientia et ætate coram Deo et hominibus*, non est intelligendum quod in se profecerit, quia ab instanti conceptionis sapientia plenus fuit; sed potius in aliis, qui doctrina sua et exemplo profecerunt, et hoc *coram Deo*, id est, ad gloriam Dei; *et hominibus*, id est, ad utilitatem hominum. Proficiebat tamen Jesus etiam in se cognitione experimentali et sensuali, quia, secundum Apostolum [2], *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.*

CAPUT XVI.

De merito Christi.

Simul fuit Christus viator et comprehensor ab instanti conceptionis suæ : ex tunc enim cœpit mereri et frui. Meruit autem in quantum viator, non in quantum comprehensor. Perfectio autem et plenitudo meriti Christi notatur in istis.

Primo, quantum ad eum qui merebatur, quia non tantum erat homo, sed etiam Deus.

Secundo, quantum ad tempus quo merebatur, quia ab instanti conceptionis suæ usque ad horam mortis.

Tertio, quantum ad id, per quod merebatur, quia per habitum perfectissimæ charitatis, et per exercitium perfectissimæ virtutis.

Quarto, quantum ad eum cui merebatur, quia non tantum sibi, sed etiam nobis. Omnibus enim operibus suis, quæ procedebant ex libero arbitrio, meruit sibi vitam æternam jam habitam, et nobis habendam.

Quinto, quantum ad id quod merebatur nobis, quia veniam, gratiam, et gloriam, stolam quoque carnis, et apertionem januæ cœlestis. Ante incarnationem Christi diabolus habuit manum attrahentem, et manum impellentem : attrahentem dico potenter in culpam; impellentem autem sine obstaculo ad limbum in pœnam. Sed Christus primam manum suo merito debilitavit; secundam vero penitus amputavit. Igitur in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria pœnæ, sive meritoria vitæ æternæ, quia nec ab offensa Creatoris digni sumus absolvi, nec immensitatem præmii, quod Deus est, digni sumus assequi, nisi per meritum hominis Dei.

Sexto, quantum ad id quod merebatur sibi, quia licet non mereretur glorificationem mentis, quam jam habebat, meruit tamen sibi per humilitatem passionis accelerationem resurrectionis, glorificationem sui nominis, et dignitatem judiciariæ potestatis, sicut ait Apostolus [3] : Christus *factus est pro nobis obediens usque ad mortem*, et sequitur : *Propter quod et Deus exaltavit illum*, quoad primum; *et dedit illi nomen*, etc., quoad secundum; *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, quoad tertium.

Septimo, quantum ad modum quo merebatur. Dicitur enim mereri quis tripliciter, scilicet de indebito faciendo debitum, vel de debito magis debitum, vel de debito uno modo, faciendo debitum alio modo. Primo, vel secundo modo, meruit nobis, et non sibi, quia non poterat facere sibi de indebito debitum vel de debito magis debitum, cum a principio fuerit sanctissimus, nec in sanctitate proficere potuerit. Tertio vero modo meruit sibi, quia bonum

[1] *Luc.*, II, 52. — [2] *Hebr.*, V, 8. — [3] *Philip.*, II, 8, 9.

Digitized by Google

gloriæ, quod sibi fuit debitum per gratiam unionis, fecit sibi debitum alio modo, scilicet per meritum bonæ operationis : meruit enim sibi vitam æternam jam habitam, sicut nobis habendam.

CAPUT XVII.

De voluntate Christi.

Voluntas in Christo duplex fuit, scilicet creata, et increata. De voluntate increata supra libro primo [1] dictum est; sed creata voluntas ejus duplex fuit, scilicet rationis, et sensualitatis. Adhuc voluntas rationis duplex est, scilicet rationis, ut ratio est; et rationis, ut natura est. Voluntate rationis, ut ratio est, conformavit se in omnibus voluntati increatæ, sed voluntate rationis, ut natura est, et voluntate sensualitatis, voluit aliquid proprium, quod noluit voluntate rationis, ut ratio est, scilicet non mori : et in hoc istæ voluntates non fuerunt sibi contrariæ, licet volita contraria fuerint, quoniam secundum voluntatem divinam Christus quod justum erat voluit, sed voluntati rationis justæ consensit; secundum vero voluntatem carnis pœnam recusavit : et sic unaquæque voluntas quod suum erat tenuit, scilicet voluntas divina justitiam, voluntas rationis obedientiam, voluntas carnis naturam, id est, pœnæ recusationem. Unde patet quod aliquid velle est illicitum rationi, quod non est illicitum sensualitati, sicut fuit in Christo velle non mori. Quamvis autem voluntas non moriendi fuerit causaliter a sensualitate, fuit tamen occasionaliter a ratione; quia Christus, sicut voluit, fecit aliquid horribile venire in imaginationem et æstimationem, quo facto naturaliter mortem refugit. Hoc autem voluit propter nostram instructionem : et sic ratio pro sensualitate advocavit dicens [2] : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* : et hæc petitio fuit tam sensualitatis, quam rationis; sed sensualitatis fuit tanquam affectantis, rationis autem tanquam proponentis : et hoc Christus fieri voluit ad triplicem instructionem nostram. Prima est, ut sciamus non esse peccatum aliquid velle ex sensualitate, quod est contrarium divinæ voluntati. Secunda est, ut martyres Christi non desperent, si mortem horreant, cum illam etiam Filius Dei horruerit. Tertia est, ut discamus discrete petere, scilicet supponendo voluntatem nostram voluntati divinæ : et hoc notatur in conditione apposita : *Si fieri potest*, et ibi : *Verumtamen non sicut ego volo.*

[1] Vid. sup., lib. I, c. XXIII, p. 85 et seq. — [2] *Matth.*, XXVI, 39.

CAPUT XVIII.

De defectibus, quos Christus assumpsit.

Non solum Christus assumpsit humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam, quos videlicet ipsum decuit assumere : unde cum pœnæ sint exercitativæ virtutis perfectæ, et testificativæ humanæ naturæ, non simulate assumpsit pœnalitates tam corporales, quam spirituales, quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut famem et sitim in absentia alimenti, tristitiam et dolorem in præsentia nocumenti, et hujusmodi, ut est calor, frigus, lassitudo, etc. Nec omnes defectus corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium; nec omnes defectus spirituales, sicut sunt peccatum, ignorantia, rebellio carnis ad spiritum. Præterea, quia nullus innocens debet invitus pœnam sustinere, cum hoc esset contra ordinem divinæ justitiæ, Christus sic pœnalitates suscepit, ut tamen pati non posset invite, quia passio sua nec fuit contra ordinem divinæ voluntatis, nec contra ordinem rationis, licet fuerit contra voluntatem sensualitatis et carnis. Dicimus etiam quod Christus vere timuit, et vere doluit, et vere tristis fuit, prout ista notant propassionem, non secundum quod significant passionem. Differt autem propassio a passione, quia tunc affectio dicitur propassio, quando anima sic afficitur, quod oculum mentis nequaquam turbat; passio vero dicitur, quando ita fortis est, quod oculum mentis turbat, et facit a rectitudine, vel a Dei contemplatione deviare, et tunc ratio læditur et patitur : unde differunt ista duo, sicut dispositio et habitus.

CAPUT XIX.

De passione Christi.

Circa passionem Domini commendamus in opere patientiam insuperabilem, in modo humilitatem admirabilem, in causa charitatem inæstimabilem. Circa opus nota quod Christus sustinuit in tactu clavorum asperitatem, in auditu opprobriorum confusionem, in odoratu sputorum fœditatem, in gustu aceti et fellis

Digitized by Google

amaritudinem, in oculis lacrymarum effusionem, in corde timorem.

De modo patiendi, hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generali, quia secundum omnia membra corporis [1] : *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem.* Item passione acerba [2] : *O vos omnes qui transitis per viam*, etc. Fuit Christi passio maxima : tum ratione intentionis, propter optimam dispositionem ipsius patientis ; tum propter innocentiam ejus ; tum propter honoris ejus excellentiam. Honorabilis enim, si confunditur, plus læditur, et præcipue inter suos. Item gravis fuit ejus passio propter ipsius virtuositatem, quia homo vilis de morte sua dolere non debet, cum turpitudo sua tunc finem capiat. Item propter ignominiosam passionem [3] : *Vidimus eum despectum*, etc. Hæc autem ignominia attenditur in patibulo crucis, quæ fuit supplicium pessimorum ; et in consortio iniquorum, scilicet latronum cum quibus erat deputatus. Curat autem Christus passione generali infectionem universalem ; passione acerba, libidinem ; passione ignominiosa, superbiæ præsumptionem.

In causa passionis attenditur charitas maxima, qua nos liberavit a peccato ; (*a*) renovavit, gratiam largiendo ; qua cœlum aperuit, gloriam conferendo. Hæc tria notantur in titulo crucis : nam propter primum dicitur Jesus ; propter secundum dicitur *Nazarenus* ; propter tertium, *Rex Judæorum.*

Christus sex vicibus sanguinem suum fudit, quinquies vivus, et semel mortuus, scilicet in circumcisione, in oratione, in coronatione, in flagellatione, in crucifixione, in lanceatione. Per primum docemur peccata abjicere ; per secundum, mentis angustiam pro salute nostra tenere ; per tertium, animam nostram virtutibus ornare ; per quartum, carnem nostram domare ; per quintum, membra nostra mandatis Dei ligare ; per sextum, vulneratum cor Dei amore habere. Postremo, quia istæ passiones non attingebant in Christo divinam naturam, sed humanam ; ideo in morte Christi facta est divisio animæ sic a carne, ut tamen salva esset unio tam carnis, quam animæ, cum divinitate. Hoc etiam sciendum est, quod Christus si passus non fuisset, tamen senio defecisset, quantum pertinebat ad conditionem humanæ naturæ in se consideratæ sine unione ; sed in potestate naturæ unitæ fuit, vel sic deficere, vel non deficere.

[1] *Isa.*, LIII, 2. — [2] *Thren.*, I, 14. — [3] *Isa.*, LIII, 3. — [4] *Job*, XL, 19. — [5] *Isa.*, VIII, 1. — [6] I *Petr.*, II, 21. — [7] *Esth.*, VI, 9. — [8] I *Mach.*, VI, 34. — [9] I *Petr.*, II, 6.

(*a*) *Suppl.* qua nos. — (*b*) *Suppl.* vid.

CAPUT XX.

De effectu passionis Christi.

Effectus passionis Christi multiplex est, sicut patet in his versibus :

Passio debilitat, spoliat, informat, honorat,
Excitat, inflammat, reparat, pacem dat, et armat,
Sanat, vivificat, ducit, dulcorat, obumbrat,
A culpa revocat, reserat, illuminat, ornat.

Primo, passio Christi debilitat virtutem dæmonum [4] : *Quasi in hamo capiat Leviathan.* Spoliat infernum [5] : *Voca nomen ejus : Spolia detrahe.* Informat per exemplum [6] : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum :* unde Christus est quasi liber positus in pulpito crucis, ut discamus obedientiam, patientiam, humilitatem et charitatem. Disce autem specialiter quomodo se habuit in capitulo, quando tenebatur : unde Bernardus : « Stetit Jesus coram præside inclinato capite, vultu placido, sermone raro, voce submissa, deflexis in terram aspectibus, paratus ad opprobria, et ad verbera promptus. » Honorat imitatores suos [7] : *Sic honorabitur quem rex voluerit honorare.* Excitat ad pugnam spiritualem [8] : *Ostenderunt elephantibus sanguinem.* Inflammat ad diligendum ; Bernardus : « Super omnia te mihi reddit amabilem, bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. » Reparat naturam angelicam : Ipse enim Christus est [9] lapis angularis, qui [10] *fecit utraque unum.* Pacem dat inter Deum et hominem, et inter angelum et hominem [11] : *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Armat contra mundum, carnem et diabolum : unde significatur per clypeum [12] quem levavit contra Hai. Sanat mentis vulnera [13] : *Aspicientes in serpentem æneum, sanabantur.* Vivificat spiritualiter ; Apostolus [14] : *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit*, etc. Augustinus : « Mortuus est unicus, ne maneret unicus. » Ducit per mare hujus mundi ; (*b*) [15] de virga Moysi. Dulcorat ; (*b*) [16] de ligno misso in aquas Marath. Obumbrat [17] : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* A

[10] *Ephes.*, II, 14. — [11] *Eccli.*, XLIV, 17. — [12] *Jos.*, VIII, 19. — [13] *Num.*, XXI, 9. — [14] *Ephes.*, II, 5. — [15] *Exod.*, XIV, 16. — [16] *Exod.*, XV, 25. — [17] *Cant.*, II, 3.

Digitized by Google

culpa revocat [1] : *Attritus est propter scelera nostra.* Reserat cœlum [2] : *Dabis clavem David,* id est, crucem, *super humerum ejus.* Illuminat; unde crux est quasi candelabrum tabernaculi. Item illuminatus est [3] per fel piscis. Ornat; unde dixit beata Agnes : « Et sanguis ejus ornavit genas meas. » Christus passione sua vicit diabolum, quem ligavit; infernum, quem spoliavit; mortem, quam superavit; mundum, quem contempsit; supplicium, quod pertulit; cœlum, quod aperuit.

Passio Christi tollit septem (*a*) vitia capitalia. Tollit enim superbiam capitis inclinatio, per quam videbatur titulum crucis fugere, in quo scriptum erat [4] : *Rex Judæorum;* invidiam, brachiorum extensio, quasi ad amplexum invitans; avaritiam, multorum erogatio, quæ in passione tradidit. Bernardus : « Disce, Christiane, quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem suum in potum, animam in pretium, aquam lateris in lavacrum, vestem crucifixoribus, corpus discipulis, matrem Joanni. » Acediam, festinatio ad passionem; iram, mollis responsio; gulam, fellis et aceti potatio; luxuriam, lateris vulneratio.

In redemptione nostra fuit gratia mirabilis. Primo, ex parte motivi, quia charitas Dei vidit quod nec per amicos, nec per pretium poteramus nos redimere : propterea fratrem nostrum se fecit, nostram naturam assumendo; et pretium dedit, sanguinem suum pro nobis fundendo. [5]*Redime me, Domine, et miserere mei, quia unicus,* id est non habens amicos, *et pauper,* id est non habens pretium, *sum ego.* Secundo, ex parte redimentis, qui cum liberare nos posset ex potentia, fecit hoc potius ex misericordia, ut ad amorem suum nos adstringeret, et justitiæ suæ satisfaceret. Tertio, ex parte redempti, qui opprimebatur criminum servitute, et detinebatur in carcere. Sed contra primum, magnum erat quod Filius servus fieret, et servus fieret liber. Contra secundum, magnum fuit quod Dominus ad carcerem limbi descenderet, ut servus exiens cœlum ascenderet. Quarto, ex parte justitiæ, quia nulla justitia dictabat, ut innocens puniretur pro reo. Quinto, ex parte excellentiæ divinæ, quia mirum erat, quod impretiabile ponebatur sub pretio vilis creaturæ. Sexto, ex parte pretii dati : si enim redemisset nos solum, adhuc ad gratias teneremur; nunc autem redemit nos anima, corpore, et vita, ut nihil horum sibi subtraheremus.

Circa passionem Domini nota septem suavitates, scilicet : 1. capitis inclinationem ad osculum, in signum nostræ reconciliationis; 2. brachiorum extensionem ad amplexum, in signum receptionis in gratiam de peccato redeuntis; 3. lateris apertionem, propter effusionem pretii nostræ redemptionis et ablutionis : *Exivit* enim [6] *sanguis et aqua;* 4. clavorum in manibus et pedibus infixionem, propter memoriam nostræ recordationis [7] : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum?* 5. corporis denudationem, in exemplum nostræ confessionis, quæ scilicet debet esse nuda; 6. crucis portationem, in exemplum nostræ imitationis; 7. coronæ spineæ impositionem, in figuram nostræ glorificationis.

De effectu passionis Domini, ait Augustinus : « Per redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleste regnum vocati sumus. » Item dicit Augustinus quod Christus fuit sacerdos, per quem reconciliati sumus; fuit templum, in quo reconciliati sumus; fuit Deus, cui reconciliati sumus.

Christus fuit mediator populi judaici et gentilis, et secundum hoc dicitur *lapis angularis.* Item hominum et angelorum; et secundum hoc dicitur *pacificus.* Item Dei et hominum; et secundum hoc dicitur *Redemptor.* Bernardus [8] : « Quid ultra debuit facere, et non fecit? Absolvit vinctum, illuminavit cæcum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. » Item Augustinus : « Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas negatur, pro iniquo damnatur justitia, pro crudeli misericordia affligitur, pro misero miserator repellitur, sinceritas aceto inebriatur, dulcedo felle amaricatur, pro mortuo vita moritur.

Christus pro nostra infirmitate medicinas accepit in se. Curavit enim nos per diætam, quando [9] *jejunavit quadraginta diebus,* etc. Per sudorem, quando [10] *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis.* Per minutionem, quando fuit clavis et lancea vulneratus. Per potionem, quando gustavit [11] acetum cum felle mixtum.

[1] *Isa.*, LIII, 5. — [2] *Isa.*, XXII, 22. — [3] *Tob.*, XI, 13. — [4] *Matth.*, XXVII, 37. — [5] *Psal.* XXV, 11. — [6] *Joan.*, XIX, 34. — [7] *Isa.*, XLIX, 15. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XXII, circa fin. — [9] *Matth.*, IV, 2. — [10] *Luc.*, XXII, 44. — [11] *Luc.*, XXIII, 36. — (*a*) *Edit. Ven.* semper.

Digitized by Google

Per emplastrum, quando ejus facies fuit sputis illita. Per electuarium, quando corpus et sanguinem dedit in cœna discipulis.

CAPUT XXI.

De cruce Domini.

In cruce Christi notantur hæc : 1. supplicium, quo nullum majus [1] : *O vos omnes qui transitis per viam*, etc. Nullum majus dico ex eo quod passus est ipse [2] *justus pro injustis*, ab injustis, cum injustis, ex injustis causis, sub injustis judicibus, et injustis pœnis. 2. Opprobrium, quo nullum vilius [3] : *Morte turpissima condemnemus eum.* 3. Pretium, quo nullum convenientius, quia sicut per lignum venit culpa, sic et per lignum redemptio. 4. Mysterium, quo nullum profundius [4] : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis*, etc.: quod exposuit Augustinus de cruce. 5. Exemplum, quo nullum perfectius [5] : *Christus passus est pro nobis*, etc.

Crux multis rebus comparatur. Ipsa enim est clavis cœli ; vectis arcæ ; navis maris; arbor Danielis ; palma fructuum ; ferculum Salomonis ; baculus Jacob, quo transivit Jordanem ; speculum imitationis ; scala ascensionis; hamus, quo Leviathan capitur ; torcular, quo Christi sanguis exprimitur ; cithara, qua dæmon Saulis compescitur ; palus, in quo serpens æneus suspenditur ; thau, quo frontes fidelium signantur ; candelabrum, quo tabernaculum illuminatur ; lignum aquas Marath dulcorans; virga Moysi per Mare Rubrum populum Dei ducens ; gladius impium Goliam decapitans ; vexillum ad pugnam spiritualem colligens ; cathedra discipulos Christi erudiens ; equus Dei amicos honorans ; clypeus Josue Hai impugnans ; liber mysteria profunda continens ; altare acceptissimam oblationem recipiens.

Septem verba Christus in cruce protulit. Primum [6] : *Pater, ignosce* (*a*) *illis.* Secundum [7] : *Hodie mecum eris in paradiso.* Tertium [8] : *Mulier, ecce filius tuus.* Quartum [9] : *Sitio.* Quintum [10] : *Eli, Eli, Lammasabacthani.* Sextum [11] *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Septimum [12] : *Consummatum est.* Per primum docemur injurias dimittere ; per secundum, petentes exaudire ; per tertium, parentes honorare ; per quartum, salutem nostram desiderare ; per quintum, ad Deum in necessitatibus clamare ; per sextum, auxilium nostrum in Deo ponere ; per septimum, vitam nostram fine debito consummare.

Quatuor brachia crucis significant quatuor virtutes quibus extendi debet homo noster interior. Signat enim pars superior charitatem ; inferior, humilitatem ; a dextris, obedientiam ; a sinistris, patientiam. Item in quatuor brachiis crucis notantur beneficia crucis : signat enim pars superior januæ cœlestis apertionem ; inferior, inferni destructionem ; a dextris, gratiæ collationem ; a sinistris, peccatorum remissionem. Quatuor ligna fuerunt in cruce, sicut dicit Magister in historia : pes namque crucis fuit de cedro ; stipes, de cypresso ; transversale, de palma ; tabula, de oliva. Versus :

Crux Domini palma, cedrus, cypressus, oliva.

Significat enim cedrus altitudinem contemplationis ; cypressus, famam bonæ opinionis ; palma, fructum justitiæ ; oliva, lenitatem misericordiæ.

CAPUT XXII.

De descensu Christi ad inferos.

Anima Christi post mortem descendit ad infernum, sive ad limbum, ad liberationem eorum, qui Christi membra existentes, de hoc sæculo transierunt. Diabolus enim dum manus in eum extendit, in quo nihil juris habebat, merito in aliis amisit potestatem.

Alia causa quare Christus ad inferos descendit, est ut tantus esset descensus, quantus fuerat liberandorum casus. Primus enim homo sic in statera liberi arbitrii positus fuerat, ut posset ad vitam æternam ascendere, vel ad mortem descendere, prout vellet. Sed peccato peracto sic alterum brachium stateræ per onus culpæ depressum est, ut esset in imo inferni, alterum vero in summo cœli. Non autem ascenderet brachium depressum, nisi descenderet brachium aliud. Descendit ergo Dominus usque ad infernum, ut hominem captivum elevaret usque ad cœlum.

Tertia ratio quare Christus descendit ad infernum, est ut, sicut vivus fuerat lumen mundi

[1] *Thren.*, I, 14. — [2] I *Petr.*, III, 18. — [3] *Sap.*, II, 20. — [4] *Ephes.*, III, 16. — [5] I *Petr.*, II, 21. — [6] *Luc.*, XXIII, 34. — [7] Ibid., 43. — [8] *Joan.*, XIX, 26. — [9] Ibid., 28. — [10] *Matth.*, XXVII, 46. — [11] *Luc.*, XXIII, 46. — [12] *Joan.*, XIX, 30.

(*a*) Vulg. *dimitte.*

Digitized by Google

per præsentiam corporalem, ita mortuus esset inferni lumen per divinitatis majestatem.

Quarta ratio est, ut hoc idem Christus exequeretur per efficaciam, quod passione sua meruerat secundum sufficientiam. Duo quippe meruit per suam passionem, scilicet satisfactionem, et januæ apertionem : et ideo hæc duo effecit in descensu suo ad inferos : quia per satisfactionem soluta sunt vincula captivitatis ; per apertionem autem januæ, facta est illuminatio ipsius carceris, etiam secundum lucem exteriorem.

Liberavit autem Christus omnes illos qui meriti sui capaces esse poterant, sicut fuerunt sancti patres, qui non propter reatum personæ, sed propter reatum naturæ detinebantur. Damnati autem hujus meriti capaces non sunt, neque parvuli in limbo detenti, quia de corpore Christi non sunt nec per fidem, nec per fide sacramentum.

Dicendum est quod anima Christi per triduum mortis suæ cum sanctis patribus in limbo fuit; ibidem fuit et latro, cui Dominus dixit [1] : *Hodie mecum eris in paradiso :* quia nomine paradisi intelligitur Dei fruitio, quia peracta Dei passione, tam ipse latro, quam alii qui erant in limbo, viderunt Deum per essentiam.

Ad quem autem infernum Christus descenderit, si scire volueris, nota quod infernus sumitur dupliciter, scilicet pro pœna, et pro loco pœnæ. Secundum primum modum dicitur, quod dæmones infernum secum portant semper. Item, prout infernus sumitur pro loco pœnæ, quadrupliciter distinguitur. Unus est infernus damnatorum, in quo est pœna sensus et damni, ac tenebræ interiores et exteriores, id est, absentia gratiæ : iste semper habet luctum. Super hunc est limbus puerorum, ubi est pœna damni, et non sensus : et sunt ibi tenebræ exteriores et interiores. Supra hunc locum est purgatorius, in quo est pœna sensus et damni ad tempus : et sunt ibi tenebræ exteriores, et non interiores, quia per gratiam habent lucem interiorem, quia vident se esse salvandos. Supremus locus inter hæc est limbus sanctorum patrum, ubi fuit pœna damni, et non sensus : et fuerunt ibi tenebræ exteriores, et non tenebræ privationis gratiæ. Ad hunc locum Christus descendit, ac suos inde liberavit : et sic infernum momordit, quia partem abstulit, et partem reliquit; mortem vero quoad electos Deus penitus destruxit, sicut dicitur [2] : *O mors, ero mors tua ; ero morsus tuus, o inferne.* Hic quoque locus *sinus Abrahæ* dicebatur, quia ibi Abraham fuit. Sed nunc cœlum empyreum dicitur *sinus Abrahæ*, quia jam est ibi Abraham. A nullo prædictorum locorum est transitus ad alium, nisi quod olim a tertio ad quartum, hoc est, a purgatorio ad limbum sanctorum patrum. Ex jam dictis patet, quare cantamus : *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu :* quia infernus ibi sumitur pro purgatorio, sicut et ibi sumitur pro limbo, quando dicitur Christus ad inferos descendisse, vel infernum destruxisse.

Ex prædictis collige, quod Christus mortuus est in corpore, descendit ad inferos in anima, et surrexit in utroque. Dicendum est etiam quod Christus illo triduo totus fuit in sepulchro, sed non totum; totus fuit in inferno, sed non totum : quia *totus* dicit personam, *totum* vero substantiam et naturam. Similiter dicendum quod cum unio animæ cum corpore faciat hominem, Christus in illo triduo non fuit homo, licet anima et caro unita tunc essent cum Verbo.

CAPUT XXIII.

De resurrectione Christi.

Christus resurrexit tertia die a mortuis, resumendo corpus non tale quale prius habuit, sed impassibile et immortale. Caro enim Christi, quæ in nativitate floruit, in passione aruit, per gloriam resurrectionis refloruit, et renovata est *ut aquilæ* [3] juventus Christi : tunc leo catulum suum suscitavit : tunc phœnix revixit : tunc, sicut dicit Hieremias [4], figulus ex eodem luto fracti vasis fecit vas aliud, sicut placuit in oculis ejus. Tunc Jonas de ventre ceti illæsus exivit: tunc vestitum est candelabrum auro : tunc suscitatum est tabernaculum David, quod cecidit : tunc refulsit sol, qui prius erat in nubilo : tunc vivificatum est granum frumenti, quod cadens in terram mortuum fuerat : tunc cervus resumpsit cornua : tunc Samson tulit portas cum postibus : tunc Joseph eductus de carcere tondetur, et constituitur dominus Ægypti : tunc concissus saccus [5] circumdatur lætitia. Dominus probavit resurrectionem suam esse veram per angelos, qui non mentiuntur [6] : *Respondens au-*

[1] *Luc.*, XXIII, 43. — [2] *Ose*, XIII, 14. — [3] *Psal.* CII, 5. — [4] *Jerem.*, XVIII, 4. — [5] *Psal.* XXIX, 12. — [6] *Matth.*, XXVIII, 5.

Digitized by Google

tem Angelus dixit mulieribus, etc. Item per inimicos, quorum validissimum est testimonium[1]: *Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum*, etc. Item probavit eam non arte magica factam, et hoc per comestionem. Item, non esse phantastici corporis, et hoc per tactum. Item probavit in eodem corpore, quo passus est, factam, et hoc per ostensionem cicatricum. Item probavit eam fuisse in corpore glorificato unito deitati, et hoc per ingressum in domum januis clausis. Item probavit eam multis apparitionibus : apparuit enim ipsa die resurrectionis quinquies : primo, Mariæ Magdalenæ[2] : *Mulier, quid ploras?* Secundo, mulieribus redeuntibus a monumento. Tertio, Petro ; sed non invenitur modus. Quarto, duobus discipulis euntibus Emmaus. Quinto, discipulis congregatis propter metum Judæorum, januis clausis, quando Thomas non fuit cum eis. Item apparuit inter resurrectionem et ascensionem quinquies, scilicet primo Thomæ cum aliis; secundo, discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis; tertio, discipulis in monte Tabor; quarto, in Hierusalem; quinto, quando comedit cum discipulis.

Multis de causis surrexit Dominus. 1. Ut Scripturas impleret; quando enim Dominus dixit : *Ecce ascendimus Hierosolymam*, etc., subjunxit : *Et die tertia resurget*. 2. Ut nos ad surgendum spiritualiter provocaret, quia turpe est ut sedeat servus, quando coram eo surgit Dominus. 3. Ut futuram resurrectionem esse probaret. 4. Ut potentiam suæ divinitatis ostenderet, quia mortuos suscitare non est opus naturæ, sed potentiæ divinæ : non est enim regressus a privatione ad habitum. 5. Ut nos ad contemnenda terrena pro adipiscenda tali gloria animaret. Surrexit Christus velociter, quia tertia die. Nam sicut januis clausis ad discipulos intravit, et sicut salva virginitate de utero matris exivit, sic eum mortuum, nec petra in qua jacuit, nec militum custodia potuit retinere. 2. Integraliter, quia in corpore et anima. 3. Socialiter, quia multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 4. Æternaliter; Apostolus[4] : *Christus resurgens ex mortuis jam non*, etc. Similiter surgendum est nobis spiritualiter, sicut eisdem modis resurgemus die judicii corporaliter. Resurrectio Christi est causa et figura nostræ resurrectionis spiritualis. Causam dico motivam, et hoc dupliciter, quia causa motiva est 1. in comparatione nostri : dum enim consideramus gloriam resurrectionis Christi, movemur ad surgendum in novitate vitæ. 2. Item causa motiva est in consideratione Dei Patris : quoniam Pater dans resurrectionem Filio, movetur ad dandam eamdem gloriam fratribus suis, sicut rex quando facit filium suum militem, movetur amore filii, ut cum eo faciat multos milites. Figura vero fuit, quia[5] sicut Christus surrexit in novitate vitæ, *ita et nos in novitate vitæ ambulemus*. Item, sicut diem resurrectionis Christi præcessit dies mortis in parasceve, et dies quietis in sabbato sequenti, ita gloriam resurrectionis nostræ præcedat in nobis mortificatio membrorum et vitiorum, et quies contemplationis æternorum. Nota quod sicut duplex est mors, scilicet animæ per culpam, et corporis per extinctionem, ita duplex est resurrectio, scilicet animæ per gratiam, et corporis per gloriam. Et sicut animæ mors causavit mortem corporis, sicut habetur in Genesi[6]; ita e converso resurrectio animæ causabit resurrectionem corporis gloriosam. Sciendum autem quod quidam suscitantur ficte, sicut Samuel, qui licet vere Sauli apparuerit, ut habetur in libro *Regum*[7], non tamen vere resuscitatus fuit, ut quidam dicunt; quidam imperfecte, sicut Lazarus[8] iterum moriturus; quidam perfecte, sicut CHRISTUS semper victurus. Prima resuscitatio significat conversionem sive pœnitentiam hypocritarum; secunda, recidivantium; tertia, perseverantium.

CAPUT XXIV.

De ascensione Christi.

Differentia est inter ascensionem et assumptionem, et evolationem : quoniam ascensio pertinet ad Christum; assumptio, ad beatam Virginem; evolatio autem, ad alios sanctos. Et ratio hujus est, quoniam ascensio fit propria virtute ascendentis; assumptio autem, virtute Christi assumentis, quia filius specialiter obsequitur matri; evolatio vero fit ministerio angelorum. Alia est differentia, quia locus evolantium est distinctio chororum; locus vero assumptæ Virginis est super choros angelorum; locus vero Christi ascendentis est supra vel ultra locum assumptæ Virginis.

[1] *Matth.*, XXVIII, 11.— [2] *Joan.*, XX, 13.— [3] *Luc.*, XVIII, 31.— [4] *Rom.*, VI, 9.— [5] Ibid., 4.— [6] *Gen.*, III, 19.— [7] *Reg.*, XXVIII, 12. — [8] *Joan.*, XI, 44.

Digitized by Google

Circa ascensionem Christi octo sunt consideranda, quæ circumstant ascensionem, et colliguntur ex officio de Ascensione. Primum est, quod scilicet *elevatus est videntibus* [1] omnibus discipulis, ut desiderium veniendi ad ipsum excitaretur in eis. Secundum est, quod [2] *nubes suscepit eum ab oculis eorum* : per umbram nubis figuratur, quod in hoc mortali corpore JESUM in alto videre non possumus. Tertium est, quod [3] *elevatis manibus ferebatur in cœlum* : elevavit autem manus propter duo, scilicet ut suos Patri offerret, et ut inimicos alte retracta manu percuteret. Quartum est, quod *benedixit eis*, ut eos contra hostem muniret, et bonis cœlestibus augeret. Quintum est, quod ascendit [5] *in jubilatione*, quod refertur ad vocem jucunditatis redemptorum ascendentium cum ipso, qui prius voce lacrymabili in portis inferni clamaverunt: Advenisti, desiderabilis, quem expectabamus in tenebris. Sextum est, quod ascendit [6] *in voce tubæ*, quod refertur ad sonum prædicationis apostolorum, qui sonus fuit eis injunctus, dicente Domino [7] : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, etc. Ex tunc enim [8] *in omnem terram exivit sonus eorum*. Septimum est, quod [9] *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, id est, captivos captivitate inferni, quos secum victor captivos eduxit. Octavum est, quod [10] *dedit dona hominibus* : quia omnia bona nostra desursum sunt, quo Christus ascendit. Horum prima duo habentur ex *Actibus*, sed tertium et quartum ex fine *Evangelii* secundum Lucam, quintum et sextum ex Psalmista; item septimum et octavum ex *Psalmis*.

Ascendit Christus regressus ad cœlum multipliciter, scilicet : tanquam obediens completa obedientia, quoad Patrem; tanquam bonus mediator facta pace et concordia, quoad homines; tanquam strenuus propugnator, contra dæmones. Ascendit Christus pluribus de causis, scilicet : ad quiescendum post labores, quibus fatigatus fuit triginta tribus annis nobis serviens; ad intercedendum pro amicis, pro quibus utiliter laboravit. Bernardus : « Securum accessum habes, o homo, ad Deum, ubi habes Filium mediatorem, et matrem interventricem. Filius ostendit Patri latus et vulnera: mater ostendit pectus et ubera. Ibi nulla potest esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia. Christus ergo optimus advocatus est: quia tot habet linguas pro nobis loquentes, quot vulnera pro nobis accepit. » Ad conquerendum de inimicis, pro quibus vires suas inutiliter expendit [11] : *In vacuum laboravi*. Item ascendit Christus, ut nobis locum præpararet [12] : *Vado vobis parare locum*. Ut fiduciam in ipsum sperandi nobis tribueret, ut in corporalem possessionem æternæ hæreditatis nos mitteret [13] : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*. Ut desiderium nostrum post se traheret [14]. *Trahe me post te*. Ut viam nobis ad cœlum ostenderet, quia, sicut dicitur in Luca [15], *eduxit Dominus prius discipulos suos foras civitatem in Bethaniam*, ut ipsa eductione cognoscerent se hic non habere manentem civitatem. Quod autem in Bethaniam eduxit eos prius, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, significat quod per opera obedientiæ transituri essent ad cœlestia. Post hoc fecit eos transire in montem Olivarum, ut per montem intelligatur eminentia spiritus in contemplatione, per olivas autem pinguissimi pectoris devotio. Ulterius vero post ista non restat nisi saltus animæ in cœlum.

Exaltatus autem fuit Christus tripliciter, scilicet: in terra, per vitæ meritum; super terram, per crucis suspendium; super cœlos, per ascensionis jubilum. Ascensio Christi fuit angelis mirabilis [16] : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Dæmonibus terribilis [17] : *Non fuit tantum gaudium heri et nudiustertius, væ nobis*. Hæc sunt verba Philistinorum, quando vociferabantur filii Israel, dum adduceretur arca fœderis in Silo in castra, ut per eam haberent divinum adjutorium in prælio. Hominibus salutaris, sicut supra patet de mutiplici fructu ascensionis Christi.

Ascendit Christus multipliciter, scilicet : potenter, quia elevatis manibus ferebatur in cœlum; patenter, quia videntibus illis elevatus est; gaudenter, quia ascendit in jubilatione; decenter, quia cum duabus turmis regrediebatur, scilicet hominum et angelorum. Non autem dico, quod ibi fuerint angeli in adjutorium necessitatis, sed in obsequium dignitatis. Homines quoque illos dico, quos de inferis liberavit, et qui post resurrectionem usque ad ascensionem mortui sunt de numero salvandorum, nec pur-

[1] *Act.*, I, 9. — [2] Ibid. — [3] *Luc.*, XXIV, 50. — [4] Ibid. — [5] *Psal.* XLVI, 6. — [6] Ibid. — [7] *Marc.*, XVI, 14. — [8] *Psal.* XVIII, 5. — [9] *Ephes.*, IV, 8; *Psal.* LXVII, 19. — [10] Ibid. — [11] *Isa.*, XLIX, 4. — [12] *Joan.*, XIV, 2. — [13] *Joan.*, XVI, 7. — [14] *Cant.*, I, 3. — [15] *Luc.*, XXIV, 50. — [16] *Isa.*, LXIII, 1. — [17] I *Reg.*, IV, 8.

Digitized by Google

gatorio ulterius indigentes. Clementer, quia benedixit eis.

Christus non statim post resurrectionem cœlum ascendit, triplici ratione. Prima, quia differenda erat ascensio, ut multipliciter probaretur resurrectio, ut dicitur [1]: *In multis argumentis apparens eis per dies quadraginta.* Secunda est, ut patientiam nostram informaret, quia mercedem debemus æquanimiter expectare, sicut agricola non statim post seminationem metit, sed fructuum maturitatem expectat. Tertia est propter discipulorum consolationem; unde dicit Glossa : « Sicut quadraginta fuerunt horæ mortis Christi, ita quadraginta diebus cum eis conversatus est post resurrectionem, quia consolatio divina excedit tristitiam humanam. »

Nota quod Christo convenit descendere de cœlo tantummodo secundum divinam naturam, quia Deus illuc venire dicitur, ubi speciali effectu apparet; sed ascendere proprie ei convenit secundum humanam naturam, quia secundum illam solummodo mutat locum, non secundum divinam naturam.

CAPUT XXV.

De consessu Christi ad dexteram Dei Patris.

Ascendens Christus in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Duo intelliguntur per dexteram. Primum est æqualitas majestatis, ad quam Christus sedet secundum divinitatem. De hac dextera loquitur Apostolus, dicens [2] : *Talem habemus pontificem, qui consedit* (*a*) *in dextera majestatis in excelsis.* Secundum est, per dexteram intelliguntur potiora bona gloriæ, in quibus Christus sedet secundum humanitatem, quoniam collatum est ei a Deo quidquid conferri potuit. Et licet ab instanti conceptionis Christus accepit bona gratiæ et gloriæ in anima, eadem tamen bona fuerunt in ascensione manifestata, et in loci congruentia completa. De hac dextera dicitur [3] : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*; ubi dicit Glossa, quod sursum, ubi sedet Christus, sunt potiora bona gratiæ, et gloriæ. Dicimus ergo quod ascensio Christi fuit tam ad locum, quam ad dignitatem. In quantum quidem fuit ad locum, sic ascendit super omnes cœlos, id est, ad dignissimum locum cœli empyrei, sive ad altissimam ejus partem, eo quod nobilissimo Christi corpori congruit locus talis. Non tamen est dicendum quod corpus suum sit obligatum ad locum illum, sed quia locus ille sit sibi secundum congruentiam deputatus. In quantum autem fuit ad dignitatem, sic sedet ad dexteram Patris; non tamen quoad situm, qui Patri non convenit, sed quoad excellentiam duplicem, sicut dictum est : quia per dexteram intelligitur vel æqualitas majestatis, quæ competit Christo secundum divinitatem, vel perfectio præmii, quæ sibi competit secundum humanitatem.

Prætereundum quoque non est, quod credimus Christum ad dexteram Dei Patris sedentem, Stephanus audem vidit eum stantem a dextris Dei : quia nos credimus eum regnantem et quiescentem, quod notatur in sessione; sed Stephanus in tribulatione positus habuit propugnatorem et susceptorem, unde vidit eum stantem.

Merito Christus *sedere* dicitur *ad dexteram Dei : sedere* quidem, quia laboravit [4] : *In laboribus* (*b*) *fui a juventute mea; ad dexteram* autem, quia diu fuit in sinistra adversitatis [5] : *Afflictus sum et humiliatus sum nimis;* etc. *Dei* vero dicitur, quia post abjectionem merito debet consequi gloriam : quia [6] *qui se humiliat, exaltabitur.*

[1] *Act.*, I, 1. — [2] *Hebr.*, VIII, 1. — [3] *Coloss.*, III, 1. (*a*) Cæt. edit. *consedet.* — (*b*) *Labore.* — [4] *Psal.* LXXXVII, 16. — [5] *Psal.* XXXVII, 9. — [6] *Luc.*, XIV, 11.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS

DE GRATIARUM SANCTIFICATIONE

CAPUT PRIMUM.

De virtutibus, et origine gratiæ.

Quemadmodum de cœlis Deus non descendit per essentiam suam incommutabilem, sed per influentiam ab ipso manantem; ita spiritus rationalis non elevatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem : unde necesse est spiritui rationali, si debet esse dignus æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ spiritualis.

CAPUT II.

De origine virtutum et gratiæ.

Ad bonum gratiæ non potest quis per se venire, cum hoc non sit secundum limites naturæ, sed secundum influentiam largitatis divinæ. Sicut enim creatura pro sua defectibilitate suo principio semper eget, ut sit in esse naturæ; sic idem principium pro sua bonitate influere non cessat creaturæ rationali vitam spiritualem, ut bene sit ei in esse gratiæ, quam habere non potest sine Deo largitore. Verumtamen inexcusabilis est homo, si gratiam gratum facientem non recepit : quia gratia gratis data semper præsto est liberum arbitrium excitare et commovere, cujus est huic admonitioni consentire : et hoc est quod in se est facere, quo facto potest homo gratiam gratum facientem habere, quia hoc est ad gratiam gratum facientem se præparare. Quamvis enim gratia Dei habeatur Dei dono efficiente, non tamen sine libero arbitrio consentiente (*a*) : quia, sicut ait Augustinus [1] : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Igitur gratia gratum faciens a tribus est, sed aliter et aliter. Est enim a Deo efficiente, a gratia gratis data liberum arbitrium excitante et movente, et a libero arbitrio consentiente. Quamvis enim liberum arbitrium non possit gratiam efficere in homine, potest se ad hoc habilitare et præparare, ut habeat : sicut aliquis non potest illuminare domum, potest tamen aperire fenestram, quo facto sol intrat et domum illuminat. Quod autem dico de libero arbitrio consentiente, intelligo de adultis : quia in parvulis sufficit fides, et sacramentum Ecclesiæ, et meritum Christi, et excusat impotentia sui.

Sciendum etiam quod habilitatio sive præparatio ad gratiam triplex est, scilicet efficiens, formalis et materialis. Prima est a Deo; secunda, a gratia gratis data; tertia, a nobis. Anima namque habet facultatem et instrumenta cognoscendi et diligendi Deum ex natura; sed non habet cognitionem veritatis, et ordinem dilectionis, nisi ex gratia.

Ad opera bona tria nos incitant, scilicet 1. lex naturæ, quæ scripta est in corde hominis, dicens [2] : *Quæ vultis, ut faciant vobis homines, ita et vos facite,* etc. 2. Ratio, quæ dicit ea esse delectabilia, et utilia, et honesta. 3. Gratia, quæ dicit serviendum esse Deo, quia summe bonus; subveniendum proximo, quia Dei filius, quia imago Dei, quia in beatitudine socius.

Gratia non datur ei, qui se non habilitat ad gratiam : et de hoc multa habes exempla, scilicet 1. in illo, qui ad largiendum manum non extendit, quia Deus, quantum in se est [3], *dat omnibus affluenter.* 2. In illo qui contra lumen oculos claudit, cum Deus [4] *faciat oriri solem suum super bonos et malos.* 3. In illo qui fontem recipiens, fundum vasis sursum erigit, quia Deus, sicut ait Augustinus, ingenti liberalitate atque libertatis ubertate replet omnes creaturas pro captu earum. 4. In illo qui domum suam sepit spinis, ne amicus ingrediatur : ipse vero Deus [5] semper stat ad ostium, et pulsat. 5. In illo qui zizania non extirpat de agro suo : propter quod fructus proficere non possunt. 6. In illo qui ligna igni subtrahit, quia tunc ignis deficit. 7. In illo qui ad sumendum cibum ne-

[1] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XV, al. CLXIX, c. XI, n. 13. — [2] *Matth.*, VII, 12. — [3] *Jac.*, I, 5. — [4] *Matth.*, V, 45. — [5] *Apoc.*, III, 20. — (*a*) *Cæt. edit.* consentire.

Digitized by Google

gligit os aperire, quia talis deberet merito fame mori. 8. In illo, qui tempore pugnæ arma projicit, quia talis sæpe capitur et vulneratur. 9. In illo, qui movere negligit remos tempore tempestatis, quia talis submergitur. 10. In illo qui existens in ægritudine medico contradicit.

Gratia nobis procedit a Deo, sicut radius a sole, sicut germen a radice, sicut mel a flore, sicut rivus a fonte, sicut imago ab artifice, secundum exemplar interius, et facturam exterius.

CAPUT III.

De distinctione gratiarum.

Gratia dicitur tripliciter. Primo generaliter, et sic gratia est adjutorium divinum creaturæ gratis impensum, et indifferenter ad quemcumque actum, quia sine hujusmodi adjutorio gratiæ nihil possumus facere, imo nec in esse durare.

Secundo dicitur gratia specialiter, et talis gratia dicitur gratis data, scilicet donum, quo se homo præparat ad suscipiendum donum Spiritus sancti. Hujus enim gratiæ est revocare liberum arbitrium a malo, et excitare ad bonum : sine qua nullus facit sufficienter quod in se est, ut præparet se ad salutem.

Tertio dicitur gratia proprie, scilicet donum divinitus datum ad merendum : quod quidem donum gratia gratum faciens appellatur. Sine ista gratia nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad gloriam pervenire. Ista triplex gratia sumitur ex verbis Apostoli, ubi ait[1] : *Gratia Dei sum id quod sum,* ecce prima : *Et gratia ejus in me vacua non fuit*, ecce secunda : *Sed gratia ejus semper in me manet,* ecce tertia.

Præter prædicta dicitur gratia gratis dans, scilicet Deus. Item gratia gratiæ signum, ut est prophetia, et potestas faciendi miracula. Gratia gratum faciens distinguitur in operantem et cooperantem. Gratia operans dicitur præveniens, et incipiens, ac liberans, quia peccatum expellit. Gratia cooperans dicitur subsequens, et perficiens, ac adjuvans, quia liberum arbitrium adjuvat, et ei cooperatur in merito.

Multipliciter distinguitur bonum. Est enim bonum per essentiam, et hoc est Deus : unde[2] *nemo bonus, nisi solus Deus.* Est et bonum per participationem, et illud distinguitur in bonum gratiæ, et in bonum naturæ. Unde Augustinus[3] : « Omne quod est, in quantum est, bonum est. »[4] *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Item est bonum in genere, hoc est bonum in objecto, sicut est eleemosyna : nam ibi est actus in debita materia, etiamsi desit forma circumstantiarum. Item est bonum ex circumstantia : hoc autem est quando bonum ex genere vestitur debitis circumstantiis, sicut est dare eleemosynam indigenti tempore debito, et ex compassione, et hujusmodi. Item est bonum virtutis, et hoc est quando additur operi perfectio ex parte operantis, quæ est per habitum mentis bene constitutæ. Item est bonum meritorium, quando additur ipsi operi debiti finis intentio super motum naturalem. Item est bonum gratiæ, ut est ipse habitus gratum Deo faciens. Item est bonum gloriæ, ut bonum remunerationis æternæ.

CAPUT IV.

De effectu gratiæ.

Effectus gratiæ est quod excitat liberum arbitrium ab bene cogitandum, et sanat ipsum mutando affectum, ipsumque corroborat perducendo ad actum. Item gratia hominem Deo reconciliat, a peccato liberat, et pœnam æternam in temporalem commutat. Item gratia opera nostra meritoria facit, et bona per peccatum amissa restituit, ac stabulum in palatium convertit. Item per gratiam efficitur anima sponsa Christi, filia Regis æterni, et templum Spiritus sancti. Item gratia ipsam animam purgat, illuminat et perficit. Item gratia mentem elevat, Deo assimilat, et spirituali solatio cibat.

Nota quod quamvis virtus gratuita simul insit animæ cum gratia, non tamen habet effectum suum tam cito, sicut gratia : quoniam effectus gratiæ est facere gratum Deo, et facere dignum vita æterna, et hic effectus statim inest puero post baptismum ; virtutis autem effectus est, elicere actum meritorium de potentia, et hic effectus non statim inest puero post baptismum. Hoc autem non est propter defectum virtutis, sed propter impotentiam naturæ agentis : puer enim non est aptus ad actus voluntatis. Unde sciendum quod triplex est perfectio : prima est gratiæ, et causat esse gratuitum ; secunda est virtutis, et causat bonum actum ;

[1] I *Cor.*, XV, 18. — [2] *Marc.*, X, 18. — [3] Aug., *de Ver. Relig.*, c. XXIII, n. 44, quoad sensum. — [4] *Gen.*, I, 31.

Digitized by Google

tertia est operis virtutis, et causat meritum. Prima perfectio perficit animam; secunda perficit animæ potentias; tertia perficit ipsos actus.

CAPUT V.

De virtutibus, et primo quid sit virtus.

Nunc de virtutibus est agendum, et primo quid sit virtus. Virtus est, ut ait Augustinus [1], bona qualitas mentis, qua bene vivitur, qua nullus male utitur, quam solus Deus in homine operatur. Hæc diffinitio datur in comparatione ad agentem. Item, secundum Augustinum [2] : «Virtus est habitus mentis bene constitutæ ; » et hæc datur in comparatione ad bonum, in quo est. Item dicit Philosophus [3] : « Virtus est habitus voluntarius, in mediocritate consistens quoad nos, determinata (*a*) ratione, prout sapiens determinavit. » Hæc diffinitio datur in comparatione ad actum circa quem est. Item Philosophus [4] : « Virtus est dispositio perfecti ad optimum : » hæc datur secundum comparationem ad finem. Item Isidorus : « Virtus est naturæ habitus, animæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus divinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum : » hæc datur in comparatione ad effectum.

Diffinitio Augustini sic exponitur : *Virtus est bona qualitas*, hic ponitur qualitas pro genere; *bona* vero dicitur ad differentiam malarum qualitatum animæ. Dicitur quoque *bona*, quoniam a bono Deo datur, et bonos tantum inhabitat, et bonos facit, et ad bonum perducit. *Mentis* ponitur ad differentiam qualitatum, quæ sunt in corpore. *Qua bene vivitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus recte intelligitur, sicut est scientia. *Qua nullus male utitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus bene et male uti possumus. *Quam solus Deus operatur in homine*, ponitur ad differentiam virtutum cardinalium quæ habentur per acquisitionem.

Circa aliam diffinitionem Augustini notandum est, quod ibi ponitur *habitus mentis institutæ*, et hoc ad similitudinem regni, quod tunc bene instituitur, quando recte consulitur, et bene imperatur, et juste obeditur. Eodem modo bene instituta est mens, si ratio recte consulit, si voluntas bene imperat, si sensualitas debito modo obtemperat.

Etymologia virtutis est : *Virtus* dicitur, quasi *vis intus* : et hæc vis consistit in aggressione arduorum, in tolerantia adversorum, et in abstinentia placitorum. Item dicitur *virtus*, quasi *vir or nitens*. Item dicitur *virtus*, quasi *virum tuens*. Item dicitur *virtus*, quasi *viribus nitens*. Item dicitur *virtus*, quasi *viri status*.

CAPUT VI.

De perfectione virtutum.

Cum virtus in medio consistat secundum Philosophum [5], illud medium est in tribus, scilicet in agendis, in habendis, et in sustinendis. In agendis, scilicet intra, supra, et citra modum. Apostolus [6] : *Rationabile sit obsequium vestrum.* In habendis, scilicet inter superfluum et indigentiam [7] : *Divitias et paupertatem ne dederis mihi.* In sustinendis, scilicet inter elevari in prosperis, et dejici in adversis, unde illud [8] : *Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Multiplex est perfectio, scilicet 1. sufficientiæ : hanc habent omnes existentes in charitate. 2. Ordinis : hujus proprium est servare continentiam. 3. Religionis : hujus proprium est renuntiare omnibus. 4. Prælationis : ad hanc pertinet ponere animam pro ovibus suis. 5. Securitatis : hujus proprium est habere mortem in desiderio, et vitam in patientia. Ad primam perfectionem tenetur quilibet, ad ultimam vero nullus tenetur; sed ad tres medias tenentur aliqui ex causis.

Virtus comparatur multis rebus, scilicet 1. auro [9] : *Aurum probat fornax.* 2. Thesauro abscondito [10] : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito.* 3. Gemmis [11] : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* 4. Armis [12] : *Quomodo ceciderunt fortes in prælio, et perierunt arma bellica?* 5. Arboribus [13] : *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* De hoc Hugo de S. Victore : « Arbor sapientiæ per timorem seminatur, per gratiam irrigatur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet, per disciplinam floret, per doctrinam fructificat, per patientiam maturescit,

[1] Colligitur ex Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVIII et XIX. — [2] Imo auctor. lib. *de Spir. et Anim.*, c. IV, inter Oper. S. Aug., tom. VI, Append. — [3] Arist., *Ethic.*, lib. II, c. VI. — [4] Id., *Phys.*, lib. VII, text. 17. — [5] Arist., *Ethic.*, lib. II, c. VI. — [6] *Rom.*, XII, 1. — [7] *Prov.*, XXX, 8. — [8] *Deut.*, V, 32. — [9] *Prov.*, XXVII, 21. — [10] *Matth.*, XIII, 44. — [11] *Eccli.*, L, 10. — [12] II *Reg.*, I, 27. — [13] *Matth.*, VII, 17. — (*a*) *Al.* terminata.

Digitized by Google

per mortem capitur.» Item 6. virtus comparatur floribus [1] : *Fulcite me floribus.* 7. (*a*) [2] *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* 8. Semitis [3] : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ.* 9. Vestibus [4] : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* 10. Stellis [5] : *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis.* 11. Pigmentis [6] : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus?* 12. Cibariis : unde Dominus in Evangeliis [7] : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* 13. Alis [8] : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?*

Tres sunt bonæ conditiones virtutis, quæ sunt tentationis remotio, actuum multiplicatio, et in bono delectatio. Primum ipsam virtutem in radice firmat; secundum quasi floribus decorat; tertium sapore fructuum delectat. Similiter dicendum est, quod ad consummationem virtutum quatuor ista concurrunt, scilicet dispositio præparans, habitus informans, operatio probans, præmium coronans.

CAPUT VII.

De æqualitate virtutum.

Virtutes omnes in homine sunt æquales, licet inter se distinctæ sint per proprias excellentias: et hæc æqualitas in multis consistit. Æquales namque sunt virtutes primo, quantum ad essentiam, quia omnis virtus simplex est; secundo, quantum ad æqualem radicationem in anima, secundum quod sunt in ipsa; tertio, quantum ad relationem ad eumdem finem, quia omnes propter Deum operantur; quarto, quantum ad æqualem effectum, quia æqualiter faciunt dignum vita æterna; quinto, quantum ad æqualem facilitatem ad actus suos, quantum in ipsis est, nisi impediantur.

Sicut virtutes æquales sunt prædictis modis, ita inæquales sunt aliis modis. Primum, quantum ad usum, quia sunt sicut arma : sed sicut miles non pugnat æqualiter cum omnibus generibus armorum quæ habet, imo melius pugnat cum illis quæ frequentius visitavit, sic est de virtutibus. Secundo, quantum ad auctoritatem, quia secundum hoc major omnibus virtutibus charitas. Et quælibet virtus potest esse major alia secundum aliquam prærogativam, quam habet secundum aliquem effectum. Tertio, quantum ad fervorem, quia virtus una ferventius operatur, quam alia.

Sciendum est, quod eadem virtus numero non est æqualis sibi semper : crescunt enim virtutes multis modis, scilicet quantum ad intensionem, quantum ad radicationem, quantum ad potentiam virtutis, quantum ad majorem expressionem divinæ similitudinis, et quantum ad diuturniorem permanentiam. Præterea crescente una virtute crescunt omnes : et habes exemplum in cithara, in qua si debet esse debita proportio sonorum, necesse est ut quando una chorda tenditur, etiam omnes aliæ tendantur, ne in harmonia fiat dissonantia.

Quare autem polleat aliquis usu unius virtutis potius quam alterius, multæ sunt rationes. Prima est, quia Deo sic placet, qui dator est virtutis. Secunda est natura complexionis, quæ magis est consona operibus unius virtutis, quam alterius. Tertia est usitatio, quia exercitavit se quis magis circa unam virtutem, quam circa aliam. Quarta est, quia minus impugnatur a vitio contrario illi virtuti. Quinta est, quia majorem habet discretionem in operibus unius virtutis, quam alterius : quælibet enim virtus habet suas proprias rationes. Sexta est difficultas status, quia cum de novo quis convertitur, licet habeat majorem charitatem, quam alius qui diu fuit in charitate, non tamen est ita bene expeditus ad bene agendum, sicut ille, propter reliquias peccatorum quæ adhuc inhærent.

Magnitudini scientiæ respondere debet magnitudo virtutis; et hoc multiplici ratione, scilicet 1. ratione exempli divini [9] : *Plenum gratiæ et veritatis.* [10] *Potens in opere et sermone.* [11] *Cœpit Jesus facere, et docere,* etc. 2. Ratione exempli angelici, qui quanto plus cognoscunt, tanto plus diligunt. 3. Ratione exempli humani [12] : *Qui autem fecerit, et docuerit, hic major,* etc. 4. Ratione exempli naturalis, quoniam lux et calor in sole proportionantur. 5. Ratione obligationis [13] : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis.*

CAPUT VIII.

De connexione virtutum.

Connexæ sunt sibi virtutes et coordinatæ, ita ut qui unam habet, habeat omnes. Prima ratio

[1] *Cant.*, II, 5. — [2] *Cant.*, IV, 15. — [3] *Prov.*, III, 17. — [4] *Psal.* XLIV, 10. — [5] *Bar.*, III, 34. — [6] *Cant.*, III, (*a*) *Suppl.* Aquis viventibus.

1. — [7] *Joan.*, IV, 34. — [8] *Psal.* LIV, 7. — [9] *Joan.*, I, 14. — [10] *Luc.*, XXIV, 19. — [11] *Act.*, I, 1. — [12] *Matth.*, V, 19. — [13] *Luc.*, XII, 47.

Digitized by Google

est largitas Dei dantis, quia non dat unam sine alia. Secunda ratio est, quia sicut unum membrum indiget alio, sic est in virtutibus. Tertia ratio est, quia sicut in cithara, si defuerit una corda, non erit harmonia perfecta, ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. Quarta ratio est, quia contra singula vitia sunt aliquæ virtutes. Unde oportet omnes virtutes habere, ut omnia vitia impugnentur. Nam sicut miles mundi non est expeditus, nisi omnia sua arma habeat, ita nec miles Christi, si aliqua virtus sibi defuerit. Quinta ratio est, quia sicut stellæ et planetæ semper sunt in sphæris suis, ita virtutes in anima esse debent. Sexta ratio est, quia anima est sicut vas auri solidum, ornatum lapide pretioso, id est, virtutibus. Septima ratio est, quia anima est sicut hortus nobilis, cui non deest decor alicujus floris, vel arboris. Octava, quia anima est sicut apotheca, cui deesse non debet alicujus radicis, vel pigmenti medicina.

Ea autem, quæ de connexione virtutum dicta sunt, intelligi debent de virtutibus gratuitis, quæ omnes quoad habitus sunt connexæ, sicut quoad actus meritorios sunt æquales. Et licet similes sint virtutes, tamen aliquæ dicuntur matres virtutum, non quod habitus virtutis generet habitum, sed motus motum, sicut dicit Bernardus, ubi inquit : « Lectio parit cognitionem, cognitio amorem, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem impetrationem. »

Secundum hunc modum quatuor dicuntur esse matres virtutum, scilicet fides origine, quia ex motibus fidei surgunt motus aliarum virtutum; charitas educatione; prudentia regimine; humilitas conservatione. Vitia vero non sunt connexa sicut virtutes : cujus ratio est, quia vitia sunt in nobis ex operationibus nostris, quæ simul non sunt; virtutes autem theologicæ non sunt in nobis per acquisitionem, sed per infusionem. Alia ratio est : quia vitia sunt opposita ad invicem, sicut avaritia, et prodigalitas; quod non est in virtutibus.

CAPUT IX.

De commendatione virtutum.

Virtus commendabilis est : primo, a causa efficiente, quæ est Deus. Ipsam enim, ut ait Augustinus, solus Deus in homine operatur. Secundo, a causa materiali, in qua est, quia non nisi in bonis inhabitat. Non est autem sic de bonis naturalibus et fortuitis, quia talia [1] *pluit Deus super justos et injustos.* Tertio, a causa formali, quæ est decor spiritualis [2] : *Omnis gloria ejus filiæ regis*, etc. Quarto, a causa finali; Augustinus : « Præmium virtutis est ipse, qui virtutem dedit. »

Virtus est bona multipliciter. Primo in se, quia, sicut ait Augustinus, virtus est bona qualitas mentis. Nota quod bona possessio est, quæ propinqua est civitati; hæc autem est intra civitatem, quia in anima. Secundo, in cooperatione [3] : *Optimum est gratia*, etc. Tertio, in operatione, quia bonum facit hominis opus, quod non esset meritorium, nisi ex virtute procederet. Gregorius [4] : « Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis. » Quarto, in commutatione, quia de lupo facit agnum, et tenebras convertit in lucem. Malum enim culpæ mutat in bonum gratiæ, et malum pœnæ mutat in bonum gloriæ : quod significat aqua mutata in vinum. Quinto, in distinctione, quia per virtutes distinguuntur filii Dei a filiis diaboli [5] : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si diligatis vos ad invicem.* Sexto, in exemplificatione, quia omnes sancti studebant virtutibus. Unde commendamus in Abel innocentiam, in Abraham obedientiam, in Joseph continentiam, in Moyse mansuetudinem, in David humilitatem, et sic de aliis.

Laudabilis est virtus propter multa. 1. Quia magnæ dignitatis : Christum enim Doctorem habuit; unde in Matthæo [6] : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* 2. Quia magnæ sublimitatis; Tullius : « Virtus una est altissimis defixa radicibus. » 3. Quia magnæ jucunditatis [7] : *Ecce quam bonum, et quam jucundum*, etc. 4. Quia magnæ retributionis [8] : *In custodiendis illis retributio multa.* 5. Quia magnæ utilitatis; Boetius : « Nunquam sine pœna sunt vitia, et nunquam sine præmio sunt virtutes. » 6. Quia magnæ securitatis, Tullius : « Hæc demum sapientia est, ut omnia tua in te posita esse dicas. »

Commendabilius est studium virtutis studio scientiæ. 1. Ratione exempli, quia Sancti sic fecerunt. 2. Ratione auctoritatis; Apostolus [9] : *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

[1] *Matth.*, v, 45. — [2] *Psal.* XLIV, 14. — [3] *Hebr*, XIII, 19. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, non longe a princ. — [5] *Joan.*, XIII, 35. — [6] *Matth.*, XI, 29. — [7] *Psal.* CXXXII, 1. — [8] *Psal.* XVIII, 12. — [9] I *Cor.*, IV, 20.

Digitized by Google

3. Ratione effectus, quia virtus peccatum expellit, scientia non. 4. Ratione originis, quia virtus a Deo infunditur, scientia per studium acquiritur. 5. Ratione finis, quia finis virtutis est gloria, et non scientiæ (*a*). 6. Ratione objecti, quia virtutis objectum est bonum, scientiæ autem verum. 7. Ratione materiæ in qua est, quia virtus non nisi in filiis Dei, scientia non semper. 8. Ratione securitatis, quia securius est esse bonum, quam esse philosophum. 9. Ratione honestatis, quia major gloria est sequi Deum, quam Aristotelem. 10. Ratione vitandi mali, quia primi parentes, si extendissent ita manum ad lignum vitæ, sicut ad lignum scientiæ, non incurrissent tot mala in se et in posteris, sicut incurrerunt.

CAPUT X.

De effectu virtutum.

Virtutis gaudium præcellit gaudium mundi, 1. in jugitate, seu duratione [1] : *Secura mens quasi juge convivium; sed gaudium hypocritæ ad instar puncti.* 2. In puritate conscientiæ, sicut mundius quiescitur in floribus, quam in luto. 3. In dignitate; Glossa: « Elatio animi de his quæ digna sunt; gaudium mundi de indignis est. » 4. In salubritate [2] : *Nihil utilius in vita hominibus* (*b*); e contra gaudium mundi [3] : *Extrema gaudii luctus occupat.* 5. In libertate; ad Galatas [4] : *Qua libertate Christus nos liberavit;* et rursum: *In libertatem vocati sumus.* Peccator autem ligatus est [5] : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* 6. In divina præsentialitate; Augustinus: « Tale bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit. » Sed nota contrarium in malis.

Virtus operatur mira multipliciter, scilicet 1. in cœlo, cui vim facit; unde in Matthæo [6] : *Regnum cœlorum vim patitur,* etc. 2. In mundo, quia custodit hominem, ne comburatur igne concupiscentiæ, et ne mergatur in aquis voluptatis, ne inquinetur luto incontinentiæ, et ne laceretur spinis avaritiæ. 3. In corde humano, quia vulneratum sanat, inquinatum mundat, mortuum vivificat, excæcatum illuminat. 4. In inferno, quia ignis infernalis non potest lædere virtuosum, sicut nec ignis materialis salamandram.

Virtus rationabilem illuminat ad cognitionem veri; concupiscibilem excitat ad amorem boni; irascibilem confortat ad detestationem mali. Item Deo assimilat, quia Patri per virtutis vigorem, Filio per veritatis splendorem, Spiritui sancto per charitatis fervorem angelis conformat. Hieronymus: « In carne enim præter carnem vivere, naturæ est angelicæ, non humanæ. » Mentem jucundat, ornat, sublevat, honorat, sanat, vivificat, cibat, ditat, mundat. Item virtus mala præterita expellit, præsentia impugnat, et a futuris præmunit. Item virtus mentem bene instituit, dilectum Deo hominem facit, fructum tam præmii, quam meriti adducit, temporalia discrete disponit, opera quæ in se indifferentia sunt, bona facit. Sicut ea, quæ dicta sunt, delarant nobis effectus virtutum generales, ita sunt etiam singularum virtutum effectus aliqui speciales: sicut est quod humilitas Deo subjicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, patientia perducit, perseverantia introducit, puritas jungit, charitas Deo unit.

CAPUT XI.

De meritis virtutum.

Meritum est boni operis efficacia ad obtinendum id quod non habetur, vel ad habendum justius quod habetur. Unde per meritum de non debito fit debitum, et ipsum debitum fit magis debitum: sicut rex dat equum, quem miles non meruit, sed per usum equi meretur eumdem equum jam datum.

Ad intelligendum autem prædicta, sciendum quod triplex distinguitur meritum, scilicet congrui, digni, et condigni. Meritum congrui est per quod disponitur subjectum, ut possit recipere gratiam secundum rationem divinæ justitiæ. Istud vocatur dispositio materiæ, scilicet dum quis facit quod in se est. Meritum digni dicit idoneitatem operantis ad assequendum id quod meretur. Meritum condigni dicit æqualitatem meriti ad remunerationem. Dico autem æqualitatem non arithmeticam, sed geometricam, id est non quantitatis, sed proportionis. Et hoc patet, quia Deus semper remunerat supra meritum, sicut punit citra condignum. Unde non est inter meritum et præmium æqualis quantitas, sed proportio, quia apud Deum non est justitia commutativa, cum nulli debeat aliquid,

[1] *Prov.*, XV, 15. — [2] *Sap.*, VIII, 7. — [3] *Prov.*, XIV, 13. — [4] *Gal.*, IV, 31; V, 13. — [5] *Prov.*, V, 22. — [6] *Matth.*, XI, 12. — (*a*) *Cæt. edit.* scientia. — (*b*) Cæt. edit. *hominis.*

Digitized by Google

sed distributiva. Vocatur autem justitia commutativa justitia fori, qua datur unus panis pro uno denario, vel ulna panni pro solido. Justitia vero distributiva est principium quo distribuuntur dona secundum proportionem ad merita; et ista est apud Deum. Unde Apostolus [1] : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Dicendum ergo, quod nullus meretur sibi primam gratiam merito digni, vel merito condigni; sed tantummodo merito congrui. Similiter existens in charitate non potest alteri mereri primam gratiam merito condigni, sed merito digni, et merito congrui. Potest autem existens in gratia mereri sibi augmentum gratiæ ex condigno, et per consequens merito digni, et merito congrui, prout superius exposita sunt. Præfati tres modi merendi generaliter habentur; unde si alii inveniuntur, ad eosdem tres reduci poterunt. Cum ergo dicitur quod beata Virgo meruit portare Christum, intelligendum est comparative, id est, meruit ipsa potius quod portare debuit, quam alia. Item mali dicuntur mereri temporalia, quia nultum bonum irremuneratum, sicut nullum malum impunitum; sed hoc dicitur improprie, quia opera in mortali facta non sunt directe bona, cum non sint informata charitate : sed quia talia opera aliquid boni habent, Dominus interpretatur ea ut bona, et aliquid dat pro eis. Item peccator quandoque meretur occasionaliter, quia pauperes interdum obtinent benefactoribus gratiam suis precibus, quarum precum occasio sunt eleemosynæ. Item satis improprie sumitur meritum, ubi dicitur [2] : *Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Ibi enim ponitur *meruit* pro *exigebat.*

CAPUT XII.

De habilitate virtutum.

Quamvis nullus sibi mereatur primam gratiam, secundum quod dictum est, potest tamen peccator se habilitare ad gratiam, faciendo quod in se est, quia nulli talium gratia denegatur. Hoc autem non est ex merito digni, vel condigni, sed congrui. Hæc autem congruitas multo magis est ex parte Dei gratiam conferentis, quam ex parte hominis se ad gratiam habilitantis : quia in præparatione ad gratiam, et in infusione gratiæ, habet se anima ad modum materiæ, ipse vero Deus ut primum movens et efficiens. Alia ratione patet quod hujusmodi congruitas magis est a Deo, quam ab homine; quia habilitatio, quæ est ex parte hominis, solummodo dat locum divinæ misericordiæ, ut salva justitia possit alicui conferri gratia : quia injuria fieret divinæ justitiæ, si tali daretur gratia in quo esset obex, id est, voluntas peccandi.

Sufficiens igitur habilitatio ad gratiam est, si homo facit quod in se est. Facere autem quod in se est, tria complectitur, scilicet ut homo actum peccandi et voluntatem peccandi deserat, et conetur in bonum, prout est sibi possibile. Nota quod omne meritum, vel demeritum, acquiritur in hac vita. Item non bonum facere, sed bene facere, laudabile est. Non enim verbis, sed adverbiis meremur. Unde versus :

In vitæ meritis præsunt adverbia verbis.

CAPUT XIII.

De operibus meritoriis.

Opera meritoria totaliter sunt a gratia, et totaliter sunt a libero arbitrio, licet principaliter a gratia : quia gratia comparatur ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum. Sicut enim sessor equum dirigit, ita gratia dirigit liberum arbitrium in exercitio virtutum. Per nos enim malum facere possumus, sed non bonum.

Ad efficaciam merendi tria valent : Primum est difficultas operis, quod patet in martyrio. Secundum, promptitudo voluntatis, Apostolus [3] : *Hilarem datorem diligit Deus.* Tertium est magnitudo charitatis : ipsa enim charitas pondus est sanctuarii [4], secundum quod omnia quæ erant in templo, ponderabantur.

Ad hoc quod aliquod opus sit meritorium, tria requiruntur : primo, quod ipsum opus fiat in charitate, quia opera quæ fiunt extra charitatem, mortua sunt, sicut carbo extinctus; secundo, quod fiat ex charitate, multa enim fiunt in charitate, quæ tamen non sunt meritoria, ex eo quod non fiunt ex charitate, id est, quia non referuntur ad finem debitum; tertio, quod ipsum opus sit referibile ad bonum. Hoc ideo dico, quia mala non possunt bona intentione fieri; alioquin sequeretur absurditas, quod idem opus esset meritorium et demeritorium.

Attenduntur autem tria in merito ex parte hominis, scilicet subjectum, hoc est anima;

[1] I *Cor.*, III, 8. — [2] Verba sunt liturgiæ in bened. cerei pasch. — [3] II *Cor.*, IX, 7. — [4] *Levit.*, XXVI, 26.

Digitized by Google

item liberum arbitrium; item intentio, sive finis. His tribus respondent tria ex parte Dei, scilicet gratia, virtus, charitas. Et gratia quidem reddit subjectum Deo gratum; virtus autem habilitat liberum arbitrium; charitas vero dirigit intentionem ad debitum finem. Dicit Augustinus quod « meritum consistit penes liberum arbitrium; » occasionaliter hoc dicit, quia liberum arbitrium facit ad meritum, sed non sufficit. Item « penes virtutem; » formaliter hoc dicit, quia ex virtute tanquam ex forma procedit motus, et elicitur de potentia. Item « penes motum virtutum; » essentialiter hoc dicit, quia motus essentialiter est meritum, quia penes ipsum est. Item, « penes gratiam, » efficaciter hoc dicit, quia sine gratia nullus motus est meritorius. Item « penes opus; » instrumentaliter hoc dicit, quia opus exterius est quasi causa instrumentalis ipsius meriti.

Nota generaliter, quod non meremur sine gratia, neque passionibus in quantum passiones sunt, neque motibus naturæ; dicit enim Philosophus : « Natura neque boni neque mali sumus; » neque inviti, Augustinus : « Nemo invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit; » neque libero arbitrio ligato : quisquis enim non habet usum rationis et liberi arbitrii, non meretur, vel demeretur, sicut sunt infantes, dormientes, insani, et animalia bruta.

CAPUT XIV.

De fine actionis.

Quia meritum vel demeritum circa finem actionum attenditur, ideo nota regulas de hac materia.

Ex fine dicitur actus bonus, vel malus. Malus actus non fit ex fine bonus. Una intentio multos actus informat : unde si aliquis intendit unum solidum dare pro Deo, ita quod quotidie det unum denarium, si quandoque obliviscitur, et non refert in Deum dationem hujus denarii, tamen datio est meritoria, propter ipsam intentionem primam. Finem sub fine potest quis ponere : verbi gratia, aliquis intendit ire ad forum; et hoc intendit, ut emat medicinas; et ad hoc emit eas, ut curetur ab infirmitate; et ad hoc curari desiderat, ut melius Deo serviat. In isto ultimo præcedentes voluntates omnes sunt meritoriæ, propter ultimum. Secundum enim ultimum finem, omnes præcedentes voluntates judicantur bonæ, vel malæ. Diversi fines non sunt faciendi, quorum unus non sit ad alium referibilis : verbi gratia, aliquis intendit ire ad quamdam domum, ut luxurietur; ad hoc vult luxuriari, ut sanior sit; ad hoc vult esse sanus, ut serviat Deo. Iste finis ultimus illam voluntatem, quæ est luxuriari, non informat; sed potius e converso illa voluntas istam intentionem deformat, quia una intentio perversa plures depravat voluntates.

Nota quod actio corporalis potest referri ad finem temporalem, dummodo postea referatur ad Deum. Actio autem spiritualis, ut prædicatio, non potest referri ad finem temporalem, etiam si illud temporale referatur ad Deum. Et hoc est, quod dicit Augustinus : « Debemus manducare, ut evangelizemus; non evangelizare, ut manducemus. » Si autem in actionibus finis primus ponatur Deus, et finis ultimus aliquod temporale, perversissimum est. Bene autem licet constituere duos fines, scilicet temporalem et æternum, ut scilicet illud, quod est æternum, finis sit ultimus

CAPUT XV.

Quid mereamur bonis operibus.

Opera bona sunt meritoria trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ. Primum respondet radici operis, scilicet charitatis : et hoc est præmium substantiale vitæ æternæ. Præmium vero accidentale respondet generi operis, sicut et augmentum gratiæ, quia operibus excellentibus et supererogativis meremur magis augmentum gratiæ, quam aliis operibus.

Remissio autem pœnæ respondet pœnalitati operis, quia opera, quæ magis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Est enim regula in theologia, quod pœna pœnæ est resolutoria. Nota igitur quod licet tota vis merendi vitam æternam, et etiam alia, consistit in charitate, non tamen totus effectus : quia affectus merendi consideratur etiam penes magnitudinem operis, sicut patet in merito remissionis pœnæ, quod non solum consistit in charitate, sed etiam in operibus pœnalibus : et hujus exemplum habemus in Christo, qui meruit nobis apertionem januæ paradisi cum effectu : hoc autem meritum non erat in sola charitate, sed in charitate et excellentia operis, id est, in sua passione.

Sciendum est, quod de præmio substantiali

Digitized by Google

meretur homo tantum per unum actum, quantum per mille, manente eadem radice et non crescente. Valent tamen hujusmodi opera ad multa alia. Unde versus : *Jocundat*, scilicet mentem; *stabilit*, scilicet virtutes; *auget*, scilicet meritum accidentalis præmii; *peccata remittit*, quantum ad pœnam, quæ jam dimissa sunt quoad reatum per gratiam. *Debilitat* fomitem, *removet* acediam, *exercitat* hominem, id est, assuefactione boni, *atque repellit* tentationes diaboli.

Nota quod primam gratiam nullus peccator potest mereri proprie; et hoc multiplici ratione. Prima, quia talis non habet radicem merendi, id est, gratiam. Secunda, propter status indignitatem, quia peccator non est dignus pane, quo vescitur. Tertia, quia nullius hominis opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Unde prius respexit Deus in Abel, quam ad munera ejus, ut dicitur in Genesi [1]. Quarta, quia naturaliter antecedit causa suum effectum; sic et gratia, cum sit causa meriti, præcedit meritum. Ipsa enim, secundum Augustinum [2], voluntatem nostram prævenit, ut velimus, et sequitur, ne frustra velimus.

Gratia, sicut supra dictum est, per bonum usum ejus, et merito condigni, meretur augeri in via, ut aucta mereatur perfici in patria; et hoc a Deo, cujus est gratiam infundere, augere et perficere secundum cooperationem voluntatis nostræ. Nam sicut Deus est ipsius gratiæ fontale principium influendi, sic ipse solus est principium augendi per modum infundentis; gratia vero, per modum meriti et dignitatis; sed liberum arbitrium, per modum cooperantis. Sicut liberum arbitrium per gratiam meretur merito condigni augmentum gratiæ in statu viæ, sic etiam meretur merito condigni ipsius complementum in statu patriæ.

Quod autem ex condigno mereamur vitam æternam, multæ sunt causæ. Prima est efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in merito; secunda, veritas Dei promittentis; tertia, persuasibilitas liberi arbitrii consentientis, et finaliter perseverantis; quarta, difficultas status merendi; quinta, dignitas Christi capitis nostri intervenientis, quod glorificari debet cum membris suis; sexta, liberalitas Dei tribuentis, quem non decet parva reddere; septima est obsequium fideliter obtemperantis; octava, nobilitas operis quod ex charitate procedit, quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor ex quo procedit, et ideo non potest sufficienter nisi summo Bono remunerari.

Opera quæ non fiunt in charitate, licet non valeant ad vitam æternam, valent tamen ad alia multa; unde versus : *Aptat cor*, scilicet ad susceptionem gratiæ; *minuit pœnam*, scilicet illam quæ deberetur, si non fieret illud opus, non autem illam quæ jam debetur; *et dat bona terræ*, scilicet temporalia; *Occupat*, scilicet ne sit homo interim otiosus, vel operi malo deditus; *assuescit*, scilicet ad bene operandum; *delectat*, scilicet mentem; *mitigat*, scilicet fomitem; *arcet*, scilicet fluxum peccati. Ultimo sciendum quod nullum malum erit impunitum, et nullum bonum irremuneratum.

CAPUT XVI.

De diffinitionibus et differentiis virtutum.

Virtutes secundum Macrobium [3] dicuntur quandoque politicæ, quandoque purgatoriæ, quandoque purgati animi, quandoque exemplares. Primas docet Salomon in *Proverbiis*, secundas in *Ecclesiaste*, tertias in *Canticis*, quartas in Deo legimus. Politicæ namque dicuntur, secundum quod regunt vitam humanam quoad opera exteriora, et secundum quod pugnant contra vitia. Purgatoriæ dicuntur, secundum quod jam sunt in victoria vitiorum, et respiciunt partim interiora, partim exteriora. Purgati animi dicuntur, quando, victis jam vitiis, possessor virtutum quiescit, raro insurgentibus primis motibus. Exemplares dicuntur, quæ in mente divina consistunt : nam ideæ virtutum in Deo sunt, et ipse rerum omnium est exemplar.

Aristoteles dividit [4] virtutes in intellectuales et consuetudinales. Intellectuales dividit in sophiam, id est, sapientiam, et intelligentiam, et phronisin, id est, prudentiam spiritus. Et hæc tria ordinant nos ad Deum, quia sophia regit affectum, intelligentia intellectum, sed phronisis utrumque : prudentia enim spiritus regit cogitationes et affectiones. Virtutes vero consuetudinales (a) dividit in honestatem et liberalitatem. Hæc duo ordinant nos ad hominem, quia honestas ordinat hominem quoad seip-

[1] *Gen.*, IV, 4. — [2] *Enchirid.*, c. XXXII, n. 9. — (a) *Cæt. edit.* consuetudines.

[3] Macrob., in *Somn. Scipion.*, lib. I, c. VIII. — [4] Arist., *Ethic.*, lib. I, c. III.

Digitized by Google

sum, liberalitas quoad proximum. Item philosophia moralis dividitur in ethicam, œconomicam, et politicam. Harum prima mores quoad ipsum hominem, sive quoad seipsum instruit; secunda familiam disponit; tertia urbes et regna gubernat et regit.

Circa virtutes hoc tenendum est, quod cum sit una gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes quibus humana vita regitur: tres scilicet theologicæ, et quatuor cardinales. Et licet hæ virtutes sint gratuitæ per informantem divinam gratiam, possunt tamen informes fieri per culpam, et iterum informari per pœnitentiam adveniente gratia, quæ est habituum virtutis origo, finis et forma. De hac lege sola charitas excipitur, quæ informis esse non poterit sicut cæteræ virtutes, cum sit virtutum forma. Nam cum habitus aliarum virtutum habentur (*a*) sine gratia et charitate, in quibus consistit vita virtutum, tunc sunt informes; cum autem gratia supervenerit, tunc formantur et decorantur, et Deo fiunt acceptabiles. Unde virtutes informes sunt sicut colores in tenebris, sicut carbones extincti, et sicut rami aridi, et sicut alæ mortuæ, sicut aurum obscuratum, et gemmæ conversæ in silices. E converso virtutes formatæ sunt sicut colores in luce, visibiles quidem, et aspectui complacentes; et sicut carbones ardentes; et sicut rami virentes; et sicut alæ viventes ac volantes; et sicut aurum fulgens; et sicut gemmæ vas aureum decorantes.

Differentia est inter virtutes et præcepta, et dona, et fructus, et beatitudines: quia virtutes potentias disponunt, præcepta opera respiciunt, dona operibus perfectionem addunt, fructus facultatem spiritui, sive gustui saporem spiritualem apponunt, beatitudines ipsis virtutibus præmium, sive vitæ, sive patriæ conjungunt. Alia est differentia: quia virtutibus bene operamur, donis expedite, beatitudinibus perfecte operamur, sed fructibus fruimur Deo.

CAPUT XVII.

Differentia virtutum cardinalium, et theologicarum.

Differentia virtutum theologicarum et cardinalium, hæc est, quia theologicæ movent ad finem, sed cardinales ad ea, quæ sunt ad finem. Alia differentia est, quia theologicarum virtutum finis et objectum est ipse Deus; sed virtutum cardinalium finis est ipse Deus, et non objectum proprie: quia virtutes theologicæ habentur per infusionem; cardinales vero, per acquisitionem. Item virtutes theologicæ movent ad opera ex rationibus sumptis a jure divino; sed cardinales a jure naturali. Item virtutes theologicæ attenduntur quantum ad actus interiores; cardinales vero, ad opera exteriora. Item virtutes theologicæ non habentur sine donis; cardinales vero sine donis haberi possunt. Item virtutes theologicæ sunt discretivæ actuum in Deum; cardinales vero, in proximum. Item in theologicis sic est quod habitus generat actus; sed in cardinalibus est e contra, quia ibi actus generant (*b*) habitus. Unde Philosophus: « Quales, inquit, [sunt actus, tales sunt et habitus. »

CAPUT XVIII.

De virtutibus theologicis in genere.

Anima, quantum ad superiorem partem in qua consistit imago Trinitatis, rectificari habet per tres virtutes theologicas. Unde sicut imago Creatoris consistit in trinitate personarum et unitate essentiæ, sic imago recreationis in trinitate habituum cum unitate gratiæ. Per hos autem tres habitus virtutum anima fertur in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus personis: ita quod fides dirigit in summe verum, credendo et assentiendo; spes vero, in summe arduum, innitendo et expectando; charitas autem, in summe bonum, desiderando et amando.

Virtutes theologicæ differunt inter se multipliciter. Primo, secundum actus proprios: nam fides facit Deo assentire, spes in Deo confidere, charitas facit Deum diligere. Secundo differunt ratione subjecti, quia fides est in rationali, spes in irascibili, charitas in concupiscibili: sed ambæ sunt in voluntate, quæ, propter similitudinem actuum accipit nomina harum potentiarum. Tertio differunt ratione objecti: nam fides est circa verum; spes, circa arduum; charitas, circa bonum. Quarto, ratione effectus differunt: nam fides in præsenti Deum sequitur; spes in cœlum comitatur;, charitas perenniter amplexatur. Quinto differunt ratione cognitionis, quia per fidem cognoscitur Deus ut veritas, per spem habetur ut æternitas, per charitatem diligitur ut bonitas.

(*a*) *Cæt. edit.* habeatur.— (*b*) generat.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De Fidei utilitate.

Fides, secundum Apostolum [1], est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* in hac diffinitione fides dicitur *substantia,* id est fundamentum substans ædificio spirituali, quod est gratia et gloria. Ipsa namque fides facit aliqualiter res sperandas in nobis subsistere per gratiam, et faciet tandem per gloriam. Vel ideo fides est fundamentum gratiæ et gloriæ, quia ipsa est primus habitus virtutum : *primus* dico non tempore, sed natura. *Rerum sperandarum* dicitur, quia fides per assensum facit in nobis subsistere res sperandas. *Argumentum* dicitur, id est, arguens mentem, quia fides inclinat intellectum ad credendum ea quæ non apparent : et propter hoc dicitur fides potius argumentum, quam conclusio, quia fides probat de non apparentibus quod sint, et non probatur. *Non apparentium* dicitur, quia fides sua luce et virtute manifestat ea quæ non apparent, tam præterita, quam præsentia, quam etiam futura : præterita quidem, quia, secundum Apostolum [2], *fide intelligimus aptata esse sæcula;* præsentia vero, sicut ait Augustinus [3] : « Demus, inquit, Deo aliquid posse, et nos intelligere non posse; » futura autem, quia per fidem credimus resurrectionem mortuorum, et hujusmodi.

Fides dicitur multipliciter, scilicet 1. habitus informatus charitate, illuminans mentem ad credendum [4] : *Fide purificans corda eorum.* 2. Qualitas informis [5] : *Fides sine operibus mortua est.* 3. Motus fidei; Augustinus [6] : « Fides est credere quod non vides. » 4. Facilitas credendi [7] : *Non inveni tantam fidem in Israel.* 5. Devotio fidei [8] : *Mulier, magna est fides tua.* 6. Articulus fidei; unde in Symbolo Athanasii : « Hæc est fides catholica, ut credamus et confiteamur,» etc.

Sicut in aliqua scientia quædam sunt antecedentia, ut suppositiones; quædam vero consequentia, ut conclusiones; quædam quasi media, ut propositiones probantes : ita in doctrina fidei quædam sunt ibi ad modum suppositionum, ut ea quæ sunt de jure naturali et universali, antecedentia articulos fidei, scilicet quod Scriptura sit condita et exposita inspiratione Spiritus sancti, et quod vera sunt quæ loquitur Dominus in Scriptura, et per sanctos suos, et hujusmodi; quædam ad modum conclusionum, ut ea quæ ad mores pertinent, scilicet non esse fornicandum, fornicationem esse mortale peccatum, et hujusmodi; quædam ad modum propositionum, ut articuli fidei.

Et nota quod fides est quasi media inter opinionem et scientiam : quia opinio se habet ad unam partem contradictionis, cum formidine alterius partis, et sine causæ cognitione; scientia vero se habet ad aliam partem contradictionis sine formidine reliquæ, et cum causæ cognitione per media necessaria : unde scientia est necessariorum. Et ita patet quod fides participat cum utraque.

Ad fidei perfectionem septem pertinent. Primum est, quod sit primæ veritati innixa, sicut fides Moysi, qui [9] *negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Secundum est, quod sit charitate formata, sicut Mariæ Magdalenæ, quam [10] *fides salvam fecit,* et cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertium est, quod sit devotione fervida, sicut illius mulieris, cui dixit Dominus [11] : *O mulier, magna est fides tua.* Quartum, quod sit bonis operibus probata, sicut fides Cornelii [12]. Quintum, quod sit fortitudine roborata, sicut fides Stephani, Laurentii et aliorum martyrum, qui [13] *per fidem fortes facti sunt in bello.* Sextum, quod sit obedientia decorata, sicut fides Abrahæ. Septimum, quod sit humilitate subjecta, sicut fides beatæ Virginis, quæ ait [14] : *Ecce ancilla Domini.*

Nota quod fides magis innititur auctoritati, quam rationi, quia secundum Gregorium [15] : « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum : » intellige, sufficiens. Quamvis enim fides rationibus firmetur, tamen nec talibus, nec experimento sensibili debet quis credere contra fidem : sicut patet in Eucharistia, ubi et visus, et gustus, et tactus, et olfactus dicit esse panem et vinum, sed fides dicit esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Unde Augustinus [16] : « Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, debe-

[1] *Hebr.*, XI, 1. — [2] Ibid., 3. — [3] Aug., *ad Volus.*, epist. III, al. CXXXVII, c. II, n. 8. — [4] *Act.*, XV, 9. — [5] *Jac.*, II, 20. — [6] Aug., *in Joan.*, tract. XL, n. 9. — [7] *Matth.*, VIII, 10. — [8] *Matth.*, XV, 28. — [9] *Hebr.*, XI, 24-25. — [10] *Luc.*, VII, 50, 47. — [11] *Matth.*, XV, 28. — [12] *Act.*, X, 4, et seq. — [13] *Hebr.*, XI, 34. — [14] *Luc.*, I, 38. — [15] Greg., *in Evang.*, hom. XX, non longe a princ. — [16] Aug., *de utilit. cred. cont. Manich.*, c. XI.

Digitized by Google

mus auctoritati; quod opinamur, debemus errori. »

Nota quod duplex est cognitio de Deo, scilicet naturalis, et accidentalis. Naturalis cognitio duplex est, scilicet ante peccatum, qua homo cognoscebat aperte Deum in creaturis; et post peccatum, et hoc est per speculum et in ænigmate. Accidentalis cognitio triplex est : prima est acquisita per rationes naturales, quam habuerunt philosophi, et hæc dicitur scientia; secunda est, quæ habetur testimoniis Scripturarum et miraculorum : et hæc cognitio dicitur fides informis. Tertia est, quæ habetur per infusionem gratiæ gratum facientis : et hæc dicitur fides formata, et per talem cognitionem assentit anima primæ veritati propter se, et supra omnia. Unde ea adveniente pereunt omnes aliæ cogitationes accidentales, ad minus quoad actum. Cum enim aliæ cognitiones veniunt in animam, tunc fides tanquam velocior præoccupat motus omnium, cum fides sit de non apparentibus, et difficile sit occulta credere.

Duo autem sunt necessaria ad hoc, ut firmiter credatur : primum est illustratio veritatis animam elevans; secundum est rectificatio auctoritatis animam firmans : quorum primum est per fidem, secundum per Scripturam authenticam et per Spiritum sanctum editam. Auctoritas ergo præbet fulcimentum fidei, et fides assentit auctoritati. Utrumque vero per Christum est, propter quod et *Splendor* [1] et *Verbum* [2] dicitur, quia mentem per fidem illuminat, et veritatem per doctrinam ostendit.

Hoc quoque sciendum est, quod tantum una est fides, tam in præteritis, quam in præsentibus, quam etiam in futuris, licet magis clara sit in eis et explicita, qui sequuntur Christum, quam in eis qui præcesserunt ejus adventum, sicut Novum Testamentum clarius est quam Vetus. Quod enim nos credimus esse factum, antiqui patres credebant esse futurum : exceptis articulis qui adhuc restant complendi, sicut est resurrectio mortuorum, et judicium extremum, et remuneratio bonorum, et punitio reproborum.

CAPUT XX.

De effectu Fidei.

Fides multa bona facit. 1. Hominem salvat; unde dictum est Magdalenæ [3] : *Fides tua te salvam fecit.* 2. Mentem purgat [4] : *Fide purificans corda eorum.* 3. Contra mundum pugnat [5] : *Sancti per fidem vicerunt regna.* 4. Postulata impetrat; unde in Matthæo [6] : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* 5. Perseverantiam dat; Apostolus [7] : *Tu autem in fide* (a) *stas.* 6. Temporalia contemnit [8] : *Fide Moyses grandis effectus, negavit se filium esse filiæ Pharaonis.* 7. Justificat [9] : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* 8. Beatificat [10] : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt,* etc.

Super fundamentum fidei quidam ædificant [11] *aurum* contemplationis, quia qui contemplatur sine fide, quasi qui nititur videre solem sine oculis; quidam *argentum* prædicationis, quia qui prædicat sine fide, non loquitur [12] *eum, qui secundum Deum est, fidelem sermonem;* quidam *lapides pretiosos* bonorum operum, quia qui bene operatur sine fide, est sicut qui facit structuram super arenam; item alii ædificant *ligna,* id est, amorem ardentem temporalium; alii *fœnum,* id est, fumum delectationum carnalium; alii *stipulam,* scilicet otiosorum verborum, et operum infirmorum : isti quidem salvantur merito fundamenti [13], et *sic tamen quasi per ignem* purgatorii, quo exuretur ædificium non idoneum tanto fundamento.

Fides habet quosdam effectus essentiales et principales, ut est facere filios Dei, et facere dignos vita æterna, et facere similes Deo, et purgare animam a tenebris peccati sive infidelitatis : et isti effectus sunt a Deo. Alios habet effectus voluntarios et secundarios, ut est credere, et dirigere opera aliarum virtutum, et imperare omnibus suo modo : et isti effectus a libero arbitrio sunt.

CAPUT XXI.

De articulis Fidei.

Si respectus habeatur ad eos qui Symbolum ediderunt, tunc articuli sunt duodecim, secundum numerum duodecim apostolorum. Si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quatuordecim, quorum septem spectant ad divinitatem, et septem ad Christi humanitatem : et hæc signata sunt in septem stellis, et septem candelabris aureis [14], in quorum medio Filius hominis ambulabat.

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Joan.*, I, 1. — [3] *Luc.*, VII, 50. — [4] *Act.*, XV, 9. — [5] *Hebr.*, XI, 33. — [6] *Matth.*, XV, 28. — [7] *Rom.*, XI, 20. — [8] *Hebr.*, XI, 24. — [9] *Rom.*, IV, 3. — [10] *Joan.*, XX, 29. — [11] *I Cor.*, III, 12. — [12] *Tit.*, I, 9. — [13] *I Cor.*, III, 13. — [14] *Apoc.*, II, 1. — (a) Vulg. *autem fide.*

Digitized by Google

Sunt igitur septem articuli fidei, qui pertinent ad divinitatem. Primus est, unum Deum esse, qui ibi notatur: *Credo in Deum.* Secundus est, Patrem Deum esse, ibi: *Patrem omnipotentem.* Tertius est, Deum Filium esse, ibi: *Et in Jesum Christum Filium ejus.* Quartus est, Deum Spiritum sanctum esse, ibi: *Credo in Spiritum sanctum.* Sic patet quod prædicti quatuor articuli sunt de unitate divinæ essentiæ, et trinitate personarum. Quintus est credere remissionem peccatorum his qui sunt in Ecclesia, ibi: *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Sextus est credere mortuorum resurrectionem. Septimus est credere bonorum remunerationem, sub quo comprehenditur et malorum punitio, ibi: *Vitam æternam.* Et isti tres articuli ad divinitatem pertinent: quia virtute divinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ vivificatio, et corporum resurrectio, atque corporis simul et animæ glorificatio.

Alii septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est credere Filium Dei esse conceptum de Spiritu sancto, ibi: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus est credere Filium Dei natum ex Maria Virgine, ibi: *Natus ex Maria Virgine.* Tertius, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* Quartus est, Filium Dei descendisse ad inferos secundum animam, ibi: *Descendit ad inferna.* Quintus est, Filium Dei resurrexisse a mortuis, ibi: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sextus est, eumdem ascendisse ad cœlos et sedere ad dexteram Patris, ibi: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus est, Filium Dei judicaturum vivos et mortuos, sive bonos, sive malos, ibi: *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.*

Isti quatuordecim articuli colliguntur ex Symbolo quod Apostoli ediderunt. Articulum primum et secundum de divinitate posuit Petrus, tertium Andreas, Bartholomæus quartum, quintum Simon, Thaddæus sextum, septimum Matthias. Item primum articulum de humanitate Christi posuit Jacobus Major, secundum et tertium Joannes, quartum Thomas, quintum Matthæus, sextum Jacobus Minor, septimum Philippus.

Tria sunt symbola: primum Apostolorum; secundum Nicæni Concilii; tertium Athanasii. Primum factum est ad fidei instructionem; secundum, ad fidei explanationem; tertium ad fidei defensionem.

Nota quod aliud est credere Deum, aliud est credere in Deum, et aliud credere Deo: quoniam credere Deum, est credere ipsum esse; credere autem in Deum, est credendo ipsum amare, et amando in Deum ire, ac membris ejus incorporari; credere vero Deo, est credere verbis ejus.

CAPUT XXII.

De Spe.

Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia et meritis propriis proveniens. In hac diffinitione non sumitur certitudo demonstrationis, in qua plene uni parti consentitur; sed certitudo opinionis, qua uni parti consentitur, quia ratione probari videtur, nec tamen omnino, sed cum formidine. Hujus autem expectationis causa principalis est gratia Dei, et non nostra merita: quia opera nostra non sunt meritoria, nisi ex Dei gratia. Sine meritis tamen aliquid sperare, non est spes, sicut ait Gregorius, sed præsumptio. In prædicta diffinitione diffinitur motus spei, et non virtus; sed virtus spei diffinitur sic: Spes est audacia mentis, de largitate Dei concepta, habendi vitam æternam per bona merita.

Inter fidem et spem talis est differentia: fides enim est de præteritis et futuris; spes autem, de futuris tantum. Fides est de bonis tam sibi, quam aliis, spes autem de bonis sibi tantum. Conveniunt tamen in hoc, quod tam fides, quam spes, est de invisibilibus. Certitudo spei ex tribus oritur, scilicet ex divina largitate, ex abundantia meritorum, et ex prægustatione æternorum.

Nota quod spes, prout est viatorum, sic est cum certitudine opinionis, ut dictum est. Spes illorum qui sunt in purgatorio, et qui fuerunt in limbo, est cum certitudine scientiæ, et non opinionis, ut est illa viatorum: unde declinat aliquo modo a spe proprie dicta. Spes vero quæ fuit in Stephano, quando vidit[1] *cœlos apertos*, et quæ fuit in Paulo, quando dixit[2]: *Scio cui credidi*, etc., et quæ fuit in Adam ante peccatum, fuit cum certitudine visionis, tamen satis debilioris, quam in cœlo. Unde spes sic sumpta adhuc est minus proprie dicta.

Ex his patet quod in patria non est spes præ-

[1] *Act.*, VII, 55. — [2] 1 *Tim.*, I, 12.

Digitized by Google

mii, quia beatitudo est omnium bonorum simul tota possessio : unde ibi nihil est futurum, quod speretur. Et licet sanctis adhuc futura sit resurrectio corporum secundum rem, tamen præsens est secundum cognitionem. Spes autem sic futurum respicit, quod privat tam præsentiam rei, quam cognitionis, prout spes proprie sumitur.

Duplex est spes, scilicet suffragii, et primæ auctoritatis. Prima posita est in sanctis, secunda in solo Deo : et hæc triplex est, scilicet veniæ [1] : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum;* gratiæ [2] : *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit;* gloriæ [3] : *Qui sperat in Deo, salvabitur.*

Effectus spei multiplex est. 1. A tribulatione liberat [4] : *In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberasti eos.* Exemplum de Susanna et Daniel. 2. Confortat [5] : *Pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens mater bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat.* 3. Mentem elevat [6] : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, et assument pennas,* etc. 4. Salvat [7] : *Qui salvos facit sperantes in se.* 5. Temporalia ministrat [8] : *Oculi omnium in te sperant, Domine,* etc.

Spes multis rebus comparatur : dicitur enim 1. galea [9] : *Induti galeam salutis.* 2. Anchora [10] : *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* 3. Medicina [11] : *Sperans in Domino,* etc. 4. Gemma [12] : *Gemma gratissima expectatio,* etc. 5. Solatium [13] : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem.* 6. Clavis; Glossa super illud Psalmi [14], *Sperate in Domino :* « Per spem enim intratur ad illud videndum quod creditur. » 7. Lignum vitæ [15] : *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.*

CAPUT XXV.

De Charitate.

Charitas secundum Apostolum sic definitur [16] : *Charitas est finis præcepti de corde puro,* etc. Et sumitur hic *finis* pro consummatione, quia charitas est consummatio sive perfectio omnis præcepti. Potest etiam dici finis terminationis omnium præceptorum, quia omnia opera, quæ sunt in præcepto, tendunt ad charitatem, ut magis ac magis habeatur. *De corde puro,* id est intellectu puro, dicit Glossa; et sumitur hic intellectus pro actu intelligendi, secundum quem causatur motus charitatis. Quanto enim quis Deum magis intelligit, tanto magis diligit, nisi alias impediatur. Et hic ista præpositio, *de,* notat causam efficientem. *Et conscientia bona,* id est, spe, quia qui puram habet conscientiam, secure sperat. *Et fide non ficta,* id est, (a) simulata vel fragili, sed inter adversa forti. Prosper, in libro *de Vita contemplativa,* describit charitatem sic [17] : « Charitas, est, ut mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, et præsentibus, ac futuris prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter et unita, igne quodam Spiritus sancti, a quo est, et ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, divinæ contemplationis avida, in omnibus semper invicta, summa bonarum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma justorum, sanctarum mentium armatura, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum : sine qua nullus Deo placuit; cum qua aliquis Deo displicere non potuit : fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quidquid est boni operis vivit. »

Charitas quantum ad actum diffinitur quatuor modis. Primo sic in tertio libro *Sententiarum* [18] : « Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum, et in Deum. » Secundo sic : « Quid est charitas? Vita copulans amantem cum amato. » Tertio sic secundum Augustinum : « Charitas est virtus qua videre Deum et perfrui desideramus. » Quarto sic secundum Augustinum : « Charitas est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est. » Harum diffinitionum prima datur in comparatione ad Deum; secunda, in comparatione ad ejus possessorem; tertia, in comparatione ad ter-

[1] *Psal.* XXX, 2. — [2] *Psal.* XXXI, 10. — [3] *Prov.*, XXVIII, 25. — [4] *Psal.* XXI, 5. — [5] II *Mach.*, VII, 20. — [6] *Isa.*, XL, 31. — [7] *Psal.* XVI, 7. — [8] *Psal.* CXLIV, 15. — [9] I *Thess.*, V, 8. — [10] *Hebr.*, VI, 19. — [11] *Psal.* XXV, 1. — [12] *Prov.*, XVII, 8. — [13] *Hebr.*, VI, 18. — [14] *Psal.* IV, 6. — [15] *Sap*, III, 4. — [16] I *Tim.*, I, 5. — [17] Prosp., *de Vit. Contempl.*, lib. IV, c. XIII. — [18] Vid. huj. edit. tom. IV, p. 592 et seq.

(a) *Suppl.* non.

Digitized by Google

minum; quarta, in comparatione dilecti ad dilectum.

CAPUT XXIV.

De differentia inter Charitatem et alios amores.

Amor triplex est, scilicet gratuitus, naturalis, et vitiosus. Amor gratuitus est laudabilis, quia virtus est, et habet finem principalem bonum incommutabile. Hic dividitur in amicitiam, et concupiscentiam. Secundum amicitiam diligit quis Deum purissime, non respiciens utilitatem suam, sed bonitatem amati : hoc modo diligit homo plus Deum quam seipsum. Secundum vero concupiscentiam diligit quis Deum, remunerationem in eo expectans.

Amor naturalis nec laudabilis est, nec vituperabilis : habet finem indigentiam vel utilitatem propriam. Iste similiter dividitur in amicitiam, et concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus Deum hoc amore, ut nostram perfectionem et nostram conservationem, sicut magis ea quæ sunt plus necessaria, ut caput pro quo totum corpus exponimus : hoc commune est nobis et brutis. Secundum concupiscentiam vero diligimus Deum, quia necessitati nostræ subvenit; quia hoc amore non diligitur res propter se, sed propter usum ejus. Unde hoc modo plus diligit homo seipsum dilectione naturali, quam Deum.

Amor vitiosus vituperabilis est, quia peccatum est, et habet finem voluptatem, sive delectationem in creatura. Hic amor dividitur etiam in amicitiam, et concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus hoc amore creaturam, sive delectationem creaturæ propter se, quamvis in nobis non habeatur; secundum concupiscentiam vero diligimus voluptatem creaturæ propter nos.

Amor iterum multiplex est, scilicet naturalis erga se, pius erga parentes, jucundus erga socios, justus erga amicos, violentus erga inimicos, sanctus erga Deum. Item differentia est inter amorem, dilectionem, et charitatem : quia amor proprie est naturæ, et dicitur amor quasi animorum unio, quia quietat appetitum in re amata. Dilectio est amor proximi, et dicitur *dilectio* quasi duo ligans : sociat enim amantem cum amato in amore, ut se mutuo diligant. Charitas est amor in Deum. Hæc amicum determinat et indicat omnibus cariorem : unde dicitur *charitas* quasi chara unitas, vel quasi charum faciens Deo. Alia est differentia inter prædicta : quia amamus Deum propter se, diligimus eum super omnia : charitas utrumque complectitur, scilicet *super omnia*, et *propter se*. Diligere Deum in hoc differt a dilectione proximi, quia diligere Deum est velle ei bonum quod habet, scilicet quod sit omnipotens, et summe bonus, et hujusmodi : item diligere Deum est velle præcepta ejus servare, cum intentione fruendi eo : item diligere Deum, est eum velle possidere, et ab ipso possideri : item diligere Deum est voluntatem ejus voluntati nostræ in omnibus præferre; diligere vero proximum, est velle ei summum bonum non per essentiam, sed per gratiam : item diligere proximum, est idem velle, et idem nolle in bono : item diligere proximum, est successivum bonum ei optare, et quærere : item diligere proximum, est velle ei hoc, quod sibi. Est iterum differentia inter dilectionem Dei, et proximi : quia Deum diligimus in se, et propter se; proximum vero diligimus in Deo, et propter Deum.

Quando autem dicimus duplicem esse charitatem, scilicet Dei, et proximi, hæc duplicitas non intelligitur quantum ad habitus, sed quantum ad actus, quia uno habitu charitatis diligitur Deus et proximus. Charitas quandoque dicit habitum [1] : *Charitas Dei diffusa est in*, etc. Quandoque dicit motum [2] : *Ordinavit in me charitatem.* Quandoque signum; unde Joannes [3] : *Majorem charitatem* (a) *nemo habet*, id est, majus signum scilicet charitatis. Quandoque tertiam personam in Trinitate [3] : *Deus charitas est*; et sic sumitur personaliter. Quandoque sumitur essentialiter, et sic tota Trinitas dicitur *charitas*. Quandoque sumitur pro fervore charitatis ; unde in Luca [4] : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

CAPUT XXV.

De effectu Charitatis.

Charitas 1. peccatum expellit; unde de Magdalena dicitur [5] : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 2. Legem custodit [6] : *Qui diligit proximum suum*, etc. 3. Deum homini jungit [7] : *Qui manet in charitate, in Deo manet*, etc. 4. Mentem virtutibus ornat [8] : *Charitas patiens*

[1] *Rom.*, v, 5. — [2] *Cant.*, II, 4. — [3] *Joan.*, XV, 13. — (a) Vulg. *dilectionem.*

[4] I *Joan.*, IV, 8. — [5] *Luc.*, VII, 47. — [6] *Rom.*, XIII, 8. — [7] I *Joan.*, IV, 16. — [8] I *Cor.*, XIII, 4.

Digitized by Google

est, benigna est, etc. 5. Perfectionem adducit; Apostolus [1] : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* 6. Gloriam tribuit [2] : *Si quis diligit me,* etc.; et sequitur : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 7. Dilectione Dei dignum facit [3] : *Si quis diligit me, diligetur,* etc. Charitas in cordibus nostris diffunditur, cum ad proximum dilatatur; effunditur per prædicationem, et per opera misericordiæ; infunditur per illuminationem gratiæ; superfunditur per opera perfectionis et supererogationis. Per charitatem venit Deus ad homines in incarnatione, et in homines in gratiæ collatione. Per ipsam charitatem currunt homines ad Deum bona operatione, et perveniunt ad eum in glorificatione. Amoris est 1. vulnerare, quia intima cordis penetrat [4] : *Vulnerata charitate ego sum.* 2. Languidum facere, et hoc per desiderium essendi cum amato [5] : *Nuntietis dilecto meo, quia amore langueo.* 3. Inebriare, quia sic tendit in amatum, quod sui ipsius et omnium rerum præter illum obliviscitur [6] : *Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, carissimi.* 4. Liquefacere, quia cor in divina dulcedine sic resolvitur, quod appetens cum appetibili mirabili amicitia unitur [7] : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Amor habet vim diffusivam in bona operatione, unitivam in proximi dilectione, transformativam in justificatione. Item aliter hoc ostenditur, quod habet vim diffusivam, ut patet in creatione; unitivam, ut patet in Christi incarnatione; transformativam, ut in glorificatione.

CAPUT XXVI.

Quibus rebus Charitas assimiletur.

Charitas est bonorum principium, quia a Deo; bonorum medium, quia secundum Deum; bonorum finis, quia propter Deum. Charitas dicitur bonæ operationis principium, quia movet ad id; Gregorius [8] : « Charitas magna operatur, si est. » Dicitur etiam medium, quia opera informat. Dicitur quoque finis, quia opera dirigit, et ad debitum finem perducit.

Quomodo autem dicatur finis : sciendum est quod triplex est finis, scilicet consumptionis, consummationis, et terminationis. Primo modo charitas est finis peccatorum, quia ea consumit; secundo modo est finis præceptorum, quia ea perficit; tertio modo tam vita æterna, quam ipse Deus est finis nostri laboris : sed vita æterna finis est quo quiescitur; Deus vero, terminus in quo quiescitur.

Charitas dicitur forma virtutum multipliciter.

Primo, quia movet omnes virtutes ad opera exteriora, per quæ perficiuntur virtutes, et merentur augeri. Secundo, quia omnes virtutes moventur ad finem charitatis, scilicet ad bonum. Charitas enim habet bonum pro fine et objecto; aliæ autem virtutes habent bonum, non pro objecto, sed pro fine tantum, et ille finis virtutum perfectionem denotat. Tertio, quia charitas auget virtutum delectationem, et tollit fastidium, et alleviat onera propter ipsius desiderium. Quarto, quia componit animam, et perficit, non quidem in esse naturæ, sed in esse gratuito et meritorio. Charitas multis rebus assimilatur, quia comparatur 1. auro [9], quod fornax tribulationis probat; 2. auroræ, quam sequitur dies æternitatis; 3. arcæ Noe, in qua qui non fuit inventus, periit; 4. arbori bonos fructus proferenti; 5. alæ ad cœlestia sublevanti; 6. bitumini animam Deo conjungenti; 7. clavi cœlum aperienti; 8. coronæ mentem decoranti; 9. capiti sensum et motum influenti. Charitas enim influit sensum, id est, rationem merendi, aliis virtutibus, et motum, id est, affectum movendi meritorie. 10. Deo mentem illuminanti; 11. sponsæ thronum Deo exhibenti; 12. funi Deo attrahenti; 13. firmamento aquas voluptatis ab aquis æternitatis dividenti; 14. fonti mentem irriganti; 15. gemmæ animam ornanti; 16. gladio flammeo paradisum custodienti; 17. igni affectum accedenti; 18. jugo suaviter prementi; 19. mannæ de cœlo descendenti; 20. rosæ rubenti; 21. radici humorem gratiæ, quem a summo trahit, ad virtutes transmittenti, ut sic nutriantur et conserventur in bono; 22. soli fulgenti; 23. thesauro latenti; 24. vinculo omnes rationes diligendi in dilecto colliganti; 25. vino inebrianti; 26. vesti peccatorum turpitudinem cooperienti; 27. unguento vulnera lethalia curanti.

CAPUT XXVII.

De excellentia Charitatis.

Charitas excellit alias virtutes in multis. Primo, in Dei conformitate [10] : *Diligamus Deum,*

[1] I *Cor.*, XII, 31. — [2] *Joan.*, XIV, 23. — [3] Ibid., 21. — [4] *Cant.*, II, 5, secundum LXX. — [5] *Cant.*, V, 8. — [6] Ibid., 1. — [7] Ibid., 6. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, post princ. — [9] *Sap.*, III, 6; I *Petr.*, I, 7. — [10] I *Joan.*, IV, 19.

Digitized by Google

quoniam ipse prior, etc. Secundo, in speciali dignitate ; Richardus [1] : « Charitas est regina virtutum. » Tertio, in pretiositate, quia est aurum de Ophir. Quarto, in speciositate, quia est planeta Veneris, et animæ pulchritudo : quia sicut pulchritudo exterioris hominis est in decenti membrorum ordinatione, et venustate coloris, sic etiam pulchritudo animæ est ex decenti ordinatione actuum, et habitu venusto : hoc autem facit charitas in anima, cujus actus ordinatus est, et venustus habitus. Quinto, in supportatione laboris ; Augustinus [2] : « Omnia gravia et immania levia facit amor. » Sexto, in vigorositate [3] : *Fortis est ut mors dilectio*. Septimo, in utilitate ; Augustinus [4] : « Habe charitatem, et fac quod vis. » Octavo, in delectatione, quia charitas secundum actum suum facit nos delectari in Deo, non solum in patria, sed etiam in via.

CAPUT XXVIII.

De signis Dilectionis.

Signa dilectionis sunt hæc : quia amicus amicum libenter audit, libenter de ipso loquitur, sæpe de illo cogitat ; sine tædio illi obsequitur ; corpus et res pro illo exponit ; offensam cavet, offensum placat ; congaudet prosperitati, condolet adversitati ; gaudet de illius præsentia, dolet de absentia ; diligit et odit hoc, quod ille ; conatur ei placere, timet displicere ; trahit alios ad ejus amicitiam ; munera ab eo data non alienat ; consiliis illius acquiescit ; petit ab eo fiducialiter.

Qualiter possit quis scire utrum habeat charitatem. Nota quod quidam sciunt se non habere charitatem, ut qui sunt in actu peccandi vel in proposito. Quidam dubitant se habere charitatem, quia rationes habent pro utraque parte, ut sunt illi qui incipiunt facere quod in se est. Quidam putant se habere charitatem, sicut qui multa bona fecerunt, et diu abstinuerunt a peccato, adhuc tamen sustinent motus tentationum, et imaginantur turpia. Quidam experiuntur se habere charitatem, ut illi qui gustant divinam dulcedinem, in quibus fomes fere extinctus est, et quasi semper vel bona faciunt, vel affectant. Quidam certi sunt se habere charitatem, ut quibus Deus revelavit : qualis fuit Paulus, cui Dominus dixit [5] : *Sufficit tibi gratia mea.*

[1] Richard. de S. Vict., *in Psal.* XLIV. — [2] Aug., *de verb. Dom.*, serm. IX, al. LXX, c. III. — [3] *Cant.*, VIII, 6. — [4] Aug., *in Epist. Joan.*, tract. VIII, n. 8. — [5] II *Cor.*, XII, 9.

CAPUT XXIX.

De gradibus Amoris.

Gradus amoris sunt isti. Primus est, cum diligo me propter me : iste amor non est bonus. Secundus est, cum diligo Deum propter me : iste est mercenarius ; sed tunc est bonus, si principalis finis est Deus. Tertius est, cum diligo Deum propter se, id est, quia bonus : hic est valde bonus, quia talis amor uno tantum oculo, id est dextero, respicit Deum. Quartus est, cum diligo me propter Deum : hic est optimus, quia in tali amore nihil quærit homo de suo etiam in se ipso, sed tantum quæ Dei sunt.

Super omnia diligendus est Deus, quia cum ipse sit principium, hoc ipso est summum ; et hoc ipso quod summum est, summe bonum est ; et hoc ipso quod summe bonum est, summe beatum est ; et hoc ipso quod summe beatum est, summe beatificum est ; et hoc ipso est summe fruendum, et propter hoc ipsum est ei summe per amorem inhærendum, et in eo tanquam in fine quiescendum,

Tria generaliter diliguntur, scilicet utile, honestum, et delectabile. Propter primum diligenda est tribulatio, quia utilis. Propter secundum diligenda est virtus, quia honesta. Propter tertium diligendus maxime est Deus, quia est delectabilis ; imo propter hæc omnia diligendus est Deus, quia ipsum diligere est utile, honestum, et delectabile.

Gradus amoris vel charitatis, in quantum tollit peccatum, sunt isti. Primo tollit charitas peccatum mortale, non quantum ad habitum, sed quantum ad actum : liberat enim a peccato mortali, sed non a potestate cadendi in illud. Secundo modo charitas tollit peccatum mortale quantum ad actum, et quantum ad habitum ; sed veniale neutro modo, sicut patet in aliquibus sanctificatis. Tertio modo charitas tollit peccatum mortale utroque modo, et veniale quoad actum, sed non quoad habitum : talis fuit charitas in beata Virgine ante conceptionem Christi. Quarto modo charitas tollit utrumque utroque modo, sicut fuit in beata Virgine in conceptione Christi, et post : tunc enim fuit in ipsa sublatus fomes peccandi totaliter.

Digitized by Google

Quinto modo tollit charitas utrumque utroque modo, et insuper omnem miseriam : et hoc fiet in patria. Perfecta est charitas, quando est habitu magna, motu interiori directa, opere exteriori sollicita, radice stabilita, fervore discreta, dulcedine consolatoria. Diligendus est Deus *toto corde*, id est, intellectu sine errore; *tota anima*, id est, voluntate sine contrarietate; *tota mente*, id est, memoria sine oblivione.

CAPUT XXX.

De ordine Charitatis.

Ordo charitatis, secundum Augustinum [1], est diligere primo quod supra nos est, id est, Deum; deinde quod nos sumus; post hoc quod juxta nos est, id est, proximum; ultimo quod infra nos est, id est, corpus nostrum proprium. In eodem gradu contineri debet corpus proximi, quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri. Secundum Ambrosium [2] diligendus est primo Deus, secundo parentes, deinde filii, post domestici, ultimo inimici : sed hoc de exhibitione quidam intelligunt.

Aliquis magis diligitur ab altero multipliciter, scilicet majori affectu; sic super omnia diligendus est Deus : sed inter homines magis diligendi sunt parentes, quam filii; deinde consanguinei, secundum gradus cognationis. Majori affectu diligendi sunt filii, quam parentes; sed æque parentibus succurrendum est, prius magis indigenti. Ad majorem gratiam : sic magis diligendi sunt qui se magis ad gratiam præparant et habilitant. Ad gloriam : sic diligendi sunt secundum gradus participandi bonum gratiæ. Nota quod idem est ordo dilectionis naturæ, et gratiæ : hoc excepto [3], quod homo dilectione naturali se magis diligit, quam Deum; sed e converso est in dilectione gratuita. Præterea sciendum est quod idem ordo charitatis, qui secundum Augustinum est in via, erit etiam in patria : quia cum gloria perficiat naturam, quidquid non est imperfectionis in natura, manebit in gloria.

CAPUT XXXI.

De Dilectione proximi.

Mutuo se debent homines diligere, quia omnes sunt membra unius corporis Christi mystici; quia uno Spiritu sancto vivificantur spiritualiter, et uniuntur; quia unam fidem habent; quia unum baptisma receperunt; quia unum Patrem habent et Dominum; quia ad unum regnum tendunt. Dilectionem proximi suadet 1. jus naturæ [4] : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* 2. Jus Scripturæ [5] : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* 3. Exemplum creaturæ, quia similis simili gaudet, et omne simile diligit sibi simile.

Melius est diligere quam diligi, quadruplici ratione. Primo, quia quod diligimus, scimus; sed quod diligamur, nescimus, sed credimus. Secundo, quia diligere, propriæ virtutis est; sed diligi, alienæ. Tertio, quia cum vere diligimus, alios nobis obligamus; cum vero diligimur, aliis obligamur. Quarto, quia cum diligimus, meremur nobis; cum autem diligimur, alii merentur sibi. Per dilectionem proximi efficimur 1. imitatores Christi [6] : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* 2. Discipuli Salvatoris [7] : *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli meis estis*, etc. 3. Contemplatores Dei [8] : *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et videt Deum.* Societas fraterna utilis est 1. ratione sublevationis [9] : *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* 2. Ratione consolationis [10] : *Ecce quam bonum, et quam jucundum*, etc. 3. Ratione exhortationis; Seneca : « Semper ante oculos tuos ponendus est aliquis, cujus exemplo proficias, quia nisi ad regulam prava non (*a*) corrigas, a modica scintilla augetur ignis. »

CAPUT XXXII.

De Dilectione inimicorum.

Circa dilectionem inimicorum nota, quod alia est dilectio affectus, et alia dilectio effectus. Dilectio affectus duplex est, quia alia est innocentiæ, et alia beneficentiæ. Dilectione innocentiæ tenemur diligere inimicos, quia non debemus eis optare malum in quantum malum, sed in quantum est eis expediens, vel reipublicæ. Affectus dilectionis beneficentiæ duplex est, scilicet principalis, et secundarius. Affectus

[1] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. XXIII. — [2] Citatur tanquam ex Ambrosio a Magistro *Sent.*, dist. XLIX (vid. huj. edit. tom. IV, p. 644), et habetur in Gloss. ordin. super *Cant.*, II. — [3] Idem habet S. Bonaventura in III *Sent.*, dist. XXIX, q. II, ad 1^um^, et q. IV, ad 4^um^ (huj. edit. tom. IV, p. 653 et 659. Contrarium tamen docet S. Thomas, 2-2, q. XXVI, art. 3, in corp. — [4] *Matth.*, VII, 12. — [5] *Matth.*, XIX, 19. — [6] *Joan.*, XV, 12. — [7] *Joan.*, XIII, 35. — [8] I *Joan.*, II, 10. — [9] *Eccle.*, IV, 10. — [10] *Psal.* CXXXII, 1.— (*a*) *Forsan delend.* non.

Digitized by Google

principalis est velle et optare inimicis bona spiritualia, sicut est gratia, et gloria : et ita tenemur per affectum diligere inimicos. Affectus autem dilectionis secundarius est optare inimicis bona temporalia : hoc modo non tenemur semper diligere inimicos, quia non semper expedit eis habere bona temporalia.

Eodem modo distinguendum est de dilectione effectus, quia similiter duplex est, innocentiæ, et beneficentiæ. Primo modo tenemur omnes diligere inimicos, quia tenemur eis non inferre mala, nisi forte propter bonum personæ, vel reipublicæ. Secundo modo distinguenda est dilectio beneficentiæ : quia si est beneficium spirituale ad salutem necessarium, tunc tenemur illud inimicis impendere, sicut orare pro eis, non quidem in speciali, sed in generali, ita scilicet, ut non excludamus eos ab orationibus communibus. Si vero est beneficium temporale, ad hoc non tenemur, nisi in casu necessitatis.

Nota tamen esse duplicem inimicum, scilicet personæ nostræ, et Ecclesiæ. Igitur inimico personæ nostræ benefacere, perfectionis est, nisi in quantum ipsi vel alteri beneficium occasionaliter nocivum esset, quia in tali casu beneficium subtrahere utile est. Inimico autem Ecclesiæ beneficium subtrahere perfectius est et melius, nisi in quantum per beneficium speratur reconciliandus Ecclesiæ. Ex prædictis patet, quod optare bona temporalia inimicis Ecclesiæ, imperfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando creduntur per hoc convertendi. Inimicis vero personæ optare bona temporalia, perfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando putantur eis vel aliis nociva. Nota quod, licet amicum diligere sit magis debitum, tamen diligere inimicum magis est remissionis pœnæ meritorium, et ad alia multa valet. Primo, quia magis accedit ad perfectionem virtutis : majoris enim perfectionis est, quia magis gratuitum. Secundo, quia motus charitatis, quo diligimus inimicum, magis meritorius est remissionis pœnæ, et hoc ratione difficultatis; licet diligere amicum sit magis meritorium vitæ æternæ, ratione intentionis. Amor enim naturalis ferventiorem facit motum charitatis, sicut dispositio materialis confert formæ. Tertio, quia inimicum diligere, est expressius signum charitatis, quia contra motum naturæ est : unde valde difficile est, nisi adsit gratia, per quam vincatur natura. Nota quod ille cui injuria facta est, non debet reconciliationem quærere ex debito necessitatis; sed si facit, complet debitum perfectionis. Unde ait Chrysostomus, quod talis debet reconciliationem quærere, ut duplicem gloriam consequatur : unam, quia injuriam passus est; alteram, quia prior rogaverit (*a*).

[1] Imo auctor lib. *de Spir. et Anim.*, c. XX, inter (*a*) *Cæt. edit.* rogavit.

CAPUT XXXIII.

De virtutibus cardinalibus in genere.

Per virtutes cardinales anima rectificatur in suis viribus. Nam prudentia rectificat rationalem; fortitudo, irascibilem; temperantia, concupiscibilem; justitia vero rectificat omnes vires, prout natura justitiæ comprehendit non solum specialem justitiam, quæ est in commutationibus, vel distributionibus, sed etiam legalem, quæ est omnis virtus, prout ejus actus pertinet ad debitum obedientiæ præceptorum. Ipsa enim justitia generalis comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ut est æquitas et liberalitas; et ordinantes ad seipsum, sicut innocentia et pœnitentia; et ordinantes ad Deum, sicut est latria, pietas, et obedientia. Propter hoc justitia dicitur circuire omnes virtutes, et quod non tantum est virtus specialis, sed etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Item per virtutes cardinales instruitur homo in operibus, et contra vitia armatur. Primum fit dupliciter : quia instituitur quoad se per prudentiam, et quoad proximum per justitiam. Secundum etiam fit dupliciter : quia homo armatur in prosperis per temperantiam, et in adversis per fortitudinem. Item dicit Augustinus [1], quod prudentia est in eligendis, fortitudo in tolerandis, temperantia in utendis, justitia in distribuendis. Item dicit quod prudentia est in præcavendis insidiis, justitia in subveniendis miseriis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis. Augustinus ait in *Musica* sua [2], quod succedit prudentiæ contemplatio, fortitudini firmitas adhærentiæ, temperantiæ mensura delectationis, justitiæ debita ordinatio ad Deum et proximum.

Istæ quatuor virtutes appellantur *cardinales*, quia, sicut ostium vertitur in cardine, sic in his vertitur et regitur vita hominis. Vocantur etiam

Oper. S. Aug., append. tom. VI. — [2] Aug, *de Music.*, lib. VI, c. XVI, n. 55, quoad sensum.

Digitized by Google

politicæ, quia ordinatur in his vita civilis, et hominem poliunt et ornant. Dicuntur etiam *humanæ*, quia humano studio acquiruntur, nisi divinitus infundantur. Appellantur etiam *consuetudinales*, quia non ex uno actu, sed ex consuetudine nascuntur; vel quia honestas humana se magis exercitat in istis, sicut et sanctorum devotio se magis exercitat in virtutibus theologicis.

Nota quod prudentiæ est scire quod possit; temperantiæ est non præsumere quod non possit; justitiæ est velle in omnibus quod æquum sit; fortitudinis est velle plus, quam possit. Istæ virtutes habent suos gradus perfectionis, secundum quos aliter possident incipientes, aliter proficientes, aliter perfecti. Dicuntur etiam virtutes *politicæ* quandoque, secundum quod regunt vitam hominis quoad opera exteriora, et prout pugnant contra vitia : et hoc modo sunt incipientium. *Purgatoriæ* dicuntur, secundum quod jam sunt in victoria vitiorum, et consistunt partim intra, partim extra, et sic sunt proficientium. Dicuntur autem *purgati animi*, secundum quod jam devictis vitiis quiescit homo, ita quod raro primi motus insurgunt : et hoc modo pertinent ad perfectionem. *Exemplares* dicuntur, prout sunt in mente divina : nam sicut omnium rerum Deus exemplar est, ita et ideæ virtutum in ipso consistunt.

CAPUT XXXIV.

De Prudentia.

Prudentia, secundum quod est virtus politica, est, ut ait Macrobius [1], ad rationis normam, quæ cogitat, quæcumque agit, universa dirigere, ac nihil præter rectum velle, vel facere. Prudentia vero, secundum quod est virtus purgatoria, est, ut idem ait, et mundum, et omnia quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, et omnem animæ cognitionem in sola divina erigere. Prudentia autem prout est virtus purgati animi, est sola divina noscere, et ea, tanquam nihil aliud sit, intueri. Prudentia sane exemplaris est ipsa mens divina, cui [2] *omnia nuda sunt et aperta.*

Partes prudentiæ, secundum Tullium [3], sunt intelligentia, providentia, memoria. Intelligentia vero est per quam animus prospicit ea quæ sunt. Providentia autem virtus est, ut idem ait, per quam aliquid videtur futurum, antequam factum sit. Memoria, secundum eumdem, est per quam repetit quis ea quæ fuerunt.

Nota quod duplex est judicium rationis, discretivum scilicet, et diffinitivum. Judicium discretivum est, quo ratio judicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum : circa tale judicium est scientia, et non virtus. Judicium vero diffinitivum est, quo ratio imperat aliquid fieri, vel non fieri : et circa istud est virtus. Unde in primo judicio se habet scientia ad operationes bonas, ut consiliarius; in secundo vero judicio se habet virtus, ut imperator.

Prudentia habet regere cæteras virtutes in actibus suis secundum omnes partes philosophiæ moralis, quæ sunt Ethica sive Moralis, Œconomica et Politica : quarum prima mores quoad se ipsum instruit; secunda familiam disponit; tertia urbes et regna regit. Triplex est prudentia. Prima est cordis, et hæc est in dispositione præsentium, et recognitione præteritorum, et prævisione futurorum [4] : *Utinam saperent*, scilicet præterita, et intelligerent, scilicet præsentia, *ac novissima providerent*, scilicet futura. Secunda est oris, et est in moderatione sermonum [5] : *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* [6] *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Tertia est operis, et hæe (*a*) consistit, ut ait Tullius, in fuga mali, et electione boni [7] : *Declina a malo, et fac bonum.*

Nota quod alia est prudentia mundana, alia humana, alia divina. Prima est in temporalibus acquirendis; secunda, in commodo carnis; tertia, in obsequiis divinis. Officium prudentiæ est 1. actus aliarum virtutum dirigere, sicut supra dictum est. Bernardus [8] : « Discretio non tam virtus est, quam auriga virtutum. » « Nolle enim fallere nec falli, ut dicit Seneca, est res secundum virtutem æstimare. » Idem « : Tunc per rationem recte vives, si divina prius æstimes, si dignitatem rerum non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. » 2. Nobis commissa ad Dei gloriam et proximi ædificationem dispensare [9] : *Quis putas est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus super familiam suam*, etc. 3. Mutabilitatem fugere; Seneca : « Scito te in quibusdam perseverare debere, quia cœpisti; quædam nec incipere. »

[1] Macrob., in *Somn. Scipion.*, lib. I. — [2] *Hebr.*, IV, 13. — [3] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [4] *Deut.*, XXXII, 29. — [5] *Prov.*, X, 19. — [6] *Psal.* CXL, 3. — [7] *Psal.* XXXVI, 29. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XLIX, circa med. — [9] *Luc.*, XII, 42

(*a*) *Cæt. edit.* hoc.

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

De Temperantia.

Temperantia, secundum Macrobium [1], prout est virtus politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugo rationis cupiditatem domare. Temperantia, prout est virtus purgatoria, est omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Temperantia vero, prout est virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non solum reprimere, sed penitus oblvisci. Temperantia, prout est virtus exemplaris, est quædam in se perpetua intentione conversatio.

Partes temperantiæ, secundum Tullium [2], sunt tres, continentia, clementia seu abstinentia, et modestia. Continentia, secundum eumdem Tullium, est virtus per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia est, per quam motus animi in odium alicujus temeritate concitati, comitate vel hilaritate retinentur. Modestia est virtus, per quam pudor honestus caram (*a*) et stabilem auctoritatem comparat. Species temperantiæ sunt tres, sobrietas, continentia, et modestia. Prima consistit circa gustum, in quo ponit modum sobrietas; secunda est circa tactum quantum ad vim generativam, cui imponit modum castitas. Habet enim homo vehementem appetitum conservandi se in esse individui per nutrimentum, et conservandi se in esse speciei per generationem : isti autem appetitus restringuntur per sobrietatem et continentiam. Tertia consistit in dictis et factis : factum autem, prout hic accipitur, pertinet ad tres sensus circa proprias eorum materias, scilicet visum, auditum, olfactum. Pertinet etiam hoc factum ad tactum, non quidem qui est in generativa, sed ad alios quorum organa sunt manus ad percutiendum, vel capiendum, et pedes ad ambulandum. In omnibus istis modum ponit modestia.

Dignitas temperantiæ in hoc est, quod 1. animam decorat : quia sicut in naturis forma est decentior materia, sic et in moribus plus commendatur modus, quam ipsa actio. Propter hoc temperantia comparatur Soli, qui medius planetarum est, et decentior inter omnes. 2. Meritum cumulat, quia

..... medium tenuere beati.

Unde dicitur quod verbis non meremur, sed adverbiis, id est, non eo quod aliquid facimus, sed in eo quod bene facimus. Istud patet in illa vidua, quæ obtulit duo minuta, et magis commendata est quam qui magna dona miserunt in gazophylacium. 3. Vitiosos appetitus refrenat, sicut supra dictum est : unde comparatur freno et remo, et limæ quæ superfluum rubiginis tollit de ferro. 4. Actiones informat, secundum quod Apostolus instruit, dicens [3] : *Rationabile obsequium vestrum.* 5. Medium servat; Bernardus [4] : « Tene medium, si non vis perdere modum. » De hoc medio dicitur :

..... medio tutissimus ibis.

Istud medium voluit Dominus nos tenere, quando fecit Evam non de capite vel de pede, sed de costa; et quando fecit hominem partim corporalem, et partim spiritualem : ut dignitate naturæ sub natura esset angelica, et super corpoream creaturam. 6. Christo assimilat, qui stetit in *medio* discipulorum, sedit in *medio* doctorum, suspensus est in *medio* latronum, locatus est in *medio* duorum animalium, visus est a Joanne in Apocalypsi [5] in *medio* candelabrorum aureorum. 7. Naturam conservat, quia natura in mediis delectatur, et per extrema corrumpitur. Unde Philosophus [6] : « Excellentia sensatorum corrumpitur sensus. » 8. Ferculis æternis cibat; unde temperantia comparatur ligno vitæ, quod erat in medio paradisi.

CAPUT XXXVI.

De Fortitudine.

Fortitudo, secundum Macrobium [7], prout est virtus politica, est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter adversa vel prospera. Fortitudinis purgatoriæ est animo non terreri a corpore recedente, nec altitudinem abhorrere. Fortitudinis purgati animi est passiones ignorare, non metuere, ut nesciat irasci, et nihil cupiat inhonestum. Fortitudinis exemplaris est esse immutabilem, quia semper idem est, nec aliquando mutatur.

Partes fortitudinis, secundum Tullium [8], sunt quatuor : magnificentia, fiducia, patientia, et

[1] Macrob., in *Somn. Scipion.*, lib. I, c. VIII. — [2] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [3] *Rom.*, XII, 1. — [4] Bern., *de Consider.*, lib. II, c. X. — [5] *Apoc.*, II, 1. — [6] Arist., *de Anim.*, lib. III, text. 144. — [7] Macrob., in *Somn. Scipion.*, lib. I, c. VIII. — [8] Cic., *de Invent.*, lib. II.

(*a*) *Forsan legendum* claram.

Digitized by Google

perseverantia. Magnificentia, secundum eumdem, est magnarum et excelsarum rerum cum ampla quadam animi proportione (*a*) cogitatio atque administratio. Fiducia est virtus per quam in magnis et honestis rebus multum ipse animus cum certa spe fiduciæ in se collocatur. Patientia est honestatis et utilitatis causa rerum arduarum atque difficilium voluntaria et diuturna perpessio. Perseverantia est virtutis (*b*) in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio.

Multi sunt effectus fortitudinis : Primus est, quia de hostibus triumphat [1] : Judas Machabæus, et idem vir fortissimus. Secundus, quia homini sua bona conservat [2] : *Cum fortis armatus*, etc. Tertius, quia ditat [3] : *Manus fortium divitias parat.* Quartus, quia regnum cœlorum expugnat [4] : *Regnum cœlorum vim patitur*, etc. Quintus, quia ornat [5] : *Fortitudo et decor, indumentum ejus.* Sextus, quia in extremis assecurat [6] : *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.* Septimus, quia remunerationem expectat [7] : *Mulierem fortem quis inveniet*, etc.

Fortitudo consistit in quinque, scilicet 1. in aggressione arduorum [8] : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum.* 2. In contemptu terrenorum [9] : *Moyses negavit se esse Filium Pharaonis*, etc. 3. In sustinentia tribulationum [10] : *Fortis est ut mors dilectio.* 4. In resistentia tentationum, Apostolus [11] : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* 5. In impugnatione vitiorum [12] : *Militia est vita hominis super terram.*

Multa juvant fortitudinem. Primum est exhortatio prudentium ; unde legitur de Juda Machabæo [13], quod *armavit socios non clypei vel hastæ munitione, sed sermonibus optimis.* Secundum, exempla robustorum, ut legitur de Eleazaro [14], quod elegit *fortiter mori pro paternis legibus, exemplum virtutis et fortitudinis posteris relinquens.* Tertium est exercitatio in pugnis ; unde legitur in libro *Judicum* (*c*) [15], quod *Dominus non delevit statim omnes hostes filiorum Israel, sed reliquit aliquos, ut per eos haberent consuetudinem præliandi.* Quartum est spes remunerationis [16] : *Confortentur manus vestræ, et non dissolvantur : erit enim merces operi vestro.* Quintum, hostium debilitas ; Gregorius : « Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. » Sextum, orationis adjutorium [17] : *Cum elevaret* (*d*) *manus Moyses, vincebant filii Israel*, etc. Septimum, armorum spiritualium apparatus ; unde Samson [18] vicit Philistæos in mandibula asini, id est, temperantia et simplicitate. Octavum, memoria dominicæ passionis : quod significatum est in David, qui contra Goliam venit [19] in baculo et funda. Nonum, cibus spiritualis [20] : *Panis cor hominis confirmet.* [21] *Ambulavit Elias in fortitudine cibi illius*, etc. Unde Petrus potatus Spiritus sancti gratia confortatus est, dicens [22] : *Oportet Deo obedire magis quam hominibus.* Idem vero apostolus ante talem confortationem dicit [23] : *Nescio hominem hunc.*

CAPUT XXXVII.

De Justitia.

Justitiæ politicæ, secundum Macrobium [24], est servare unicuique quod suum est. Justitiæ purgatoriæ, secundum eumdem, est ad unam cujusque propositi viam uniuscujusque virtutis officium conservare. Justitiæ autem purgati animi est ita cum superna mente sociari, ut servet cum ea fœdus perpetuum imitando. Justitiæ exemplaris est, quod perenni lege sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

Partes justitiæ, secundum Tullium [25], sunt sex, scilicet religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas. Religio, secundum eumdem Tullium, est virtus quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cærimoniamque affert. Pietas est per quam conjunctis sanguine, et benevolentiæ officium, et diligens tribuitur cultus. Gratia est, in qua amicitia et officiorum alterius memoria, et remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus per quam vis et injuria, et omne quod obscurum est, defendendo atque ulciscendo propulsatur. Observantia est virtus per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur. Veritas est virtus per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

Nota quod justitia non tam est virtus specialis

[1] I *Mach.*, II, 66. — [2] *Luc.*, XI, 21. — [3] *Prov.*, X, 4. — [4] *Matth.*, XI, 12. — [5] *Prov.*, XXXI, 25. — [6] *Prov.*, XXX, 30. — [7] *Prov.*, XXXI, 10. — [8] *Psal.* XXX, 25. — [9] *Hebr.*, XI, 24. — [10] *Cant.*, VIII, 6. — [11] II *Tim.*, II, 5. — [12] *Job*, VII, 1. — [13] II *Mach.*, XV, 11. — [14] Ibid., VI, 28, 31. — [15] *Judic.*, III, 2. — [16] II *Paral.*, XV, 7. — [17] *Exod.*, XVII, 11. — [18] *Judic.*, XV, 15. — [19] I *Reg.*, XVII, 9. — [20] *Psal.* CIII, 16. — [21] III *Reg.*, XIX, 8. — [22] *Act.*, V, 29. — [23] *Marc.*, XIV, 71. — [24] Macrob., in *Somn. Scipion.*, lib. I, c. VIII. — [25] Cic., *de Invent.*, lib. II.

(*a*) *Al.* propositione. — (*b*) *Cæt. edit.* virtus. — (*c*) *Josue*, mendose. — (*d*) Vulg. *levaret.*

Digitized by Google

quam generalis, ut habes supra de virtutibus cardinalibus in genere. Justitia, ut dicitur in libro *Sapientiæ* [1], est *perpetua* multiplici ratione. Primo, quia perpetuat animam, stabiliendo eam in debito loco, scilicet sub Deo, et supra corporales creaturas. Secundo, quia manebit in patria secundum essentiam et usum. Aliæ autem virtutes cardinales, etsi maneant in patria secundum essentiam, non tamen secundum omnem usum : temperantia enim non refrenabit motus illicitos; prudentia non cavebit ab insidiis; fortitudo non aggredietur terribilia.

Justitia pervertitur tripliciter, scilicet 1. amore personæ, vel pecuniæ [2] : *Væ qui justificatis impium pro munere.* 2. Timore [3] : *Nolite timere eos,* etc. 3. Rancore [4] : *Sciens quod per invidiam tradidissent eum.*

Multa movent ad rectitudinem justitiæ. Primum est rectitudo humani corporis, quia indecens valde est in recto corpore curvum habere animum. Secundum est naturalis inclinatio, quia, ut ait Augustinus, « Justitia est in corde hominis naturaliter. » Tertium, quia bruta animalia docent multa quæ pertinent ad justitiam, ut est innocentia, concordia, et hujusmodi. Quartum est Scriptura [5] : *Usque ad mortem certa pro justitia.*

Effectus justitiæ sunt 1. quod beatificat [6] : *Beati qui esuriunt,* etc. [7] *Si quid patimini propter justitiam, beati.* 2. Quod exaltat [8] : *Qui operatur justitiam, exaltabitur.* 3. Appetitum concupiscentiæ refrenat [9] : *Erit justitia cingulum lumborum ejus.* 4. Locum Deo præparat [10] : *Justitia et judicium præparatio,* etc. 5. A morte æterna liberat [11] : *Justitia liberabit a morte.* 6. Coronat [12] : *Reposita est mihi corona justitiæ.* 7. Remunerat [13] : *Retribuet mihi Dominus secundum,* etc.

Justitia consistit 1. in fide; Apostolus [14] : *Credidit Abraham Deo, et reputatum,* etc. 2. Item in oratione [15] : *Clamaverunt justi,* etc. 3. In sancta meditatione [16] : *Beatus vir, qui in sapientia morabitur,* etc. 4. In humiliatione [17] : *Sic decet nos implere omnem justitiam;* Glossa : « Perfecta justitia est subdere se minori. » 5. In eruditione [18] : *Seminanti justitiam merces fidelis.*

[1] *Sap.*, I, 15. — [2] *Isa.*, V, 23. — [3] *Matth.*, X, 28. — [4] *Matth.*, XXVII, 18. — [5] *Eccli.*, IV, 33. — [6] *Matth.*, V, 6. — [7] I *Petr.*, III, 14. — [8] *Eccli.*, XX, 30. — [9] *Isa.*, XI, 5. — [10] *Psal.* LXXXVIII, 15. — [11] *Prov.*, XI, 4. — [12] II *Tim.*, IV, 8. — [13] *Psal.* XVII, 21. — [14] *Rom.*, IV, 3. — [15] *Psal.* XXXIII, 18. — [16] *Eccli.*, XIV, 22. — [17] *Matth.*, III, 15. — [18] *Prov.*, XI, 18. — [19] *Isa.*, XI, 1. — [20] Greg., *in Ezech.*, hom. XIX, circa med.

CAPUT XXXVIII.

De Donis in communi.

Licet omnes habitus dati divinitus possint dici generaliter dona Dei, specialiter tamen et appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quæ per ordinem enumerat [19], a summo incipiens usque ad ultimum descendendo. Septem igitur sunt dona multiplici ratione : primo scilicet, ut per hæc septem expellantur vitia septem, ita scilicet ut timor expellat superbiam, pietas invidiam, scientia iram, quæ est quasi quædam insania; fortitudo acediam, consilium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam.

Secundo dicuntur esse septem dona propter expediendas vires naturales. Nam irascibilis indiget expediri tam in prosperis quam in adversis : in prosperis, quidem per timorem, in adversis autem per fortitudinem. Concupiscibilis indiget expediri quantum ad affectum respectu proximi, quod fit per pietatem; et quantum ad affectum respectu Dei, quod fit per gustum sapientiæ. Rationalis quoque indiget expediri in veritatis speculatione, quod fit per donum intellectus; et in veri electione, quod fit per consilium; atque in electi executione, quod fit per donum scientiæ. Per hoc enim donum recte conversamur in medio nationis pravæ et perversæ.

Tertio dicuntur esse septem dona, propter regimen activæ et contemplativæ vitæ. Contemplativa siquidem tria dona debet habere, scilicet timorem ad reverentiam majestatis, intellectum ad intelligentiam veritatis, sapientiam ad gustum bonitatis. Activa vero vita debet habere pietatem ad agendum, fortitudinem ad sustinendum, scientiam ad directionem pietatis, consilium ad directionem fortitudinis. Plurima ergo dona sunt ad intellectum spectantia, quia lux cognitionis multum expedit ad dirigendos pedes nostros in viam rectam. Propter eamdem causam fit donorum combinatio, ubi quasi semper adjungitur unum directivum cum alio, quod spectat ad actionem vel passionem. Unde Gregorius, *super Ezechielem,* dicit, quod sumus per sapientiam maturi, per intellectum providi, per consilium cauti, per fortitudinem animosi, per scientiam discreti, per pietatem misericordes, per timorem humiles.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De Timore in communi.

Timor est, ut ait Augustinus, fuga mali. Species timoris sunt sex: primus est naturalis, quo quilibet naturaliter timet nocumentum naturæ. Iste non est meritorius, neque demeritorius, quia non subjacet libero arbitrio; et dicitur *naturalis*, non a natura instituta, sed destituta, quia iste timor est pro peccato primorum parentum inflictus: hoc timore Christus naturaliter mori timuit. Secundus est timor humanus, quo quis nimis timet pelli suæ. Iste timor nascitur ex nimio amore præsentis vitæ, et est quandoque mortalis actus ejus, cum potius quis peccaret mortaliter, quam amitteret vitam suam; quandoque est venialis, ut cum quis faceret potius peccatum veniale, quam permitteret se occidi. Tertius est timor mundanus, quo quis nimis timet suis rebus spoliari. Hic nascitur ex nimio amore rerum temporalium, et est quandoque mortalis, quandoque venialis, positus eodem modo quo dictum est de humano. Quartus est timor servilis, quo quis timet peccare principaliter propter pœnam. Quintus est timor initialis, quo scilicet timet quis pœnam, et Dei offensam: unde quasi duos habet oculos, unum ad gehennam, alium ad Deum, et hic est principalior. Sextus est timor filialis, quo scilicet quis timet offensam Dei, vel separationem a Deo.

Numerus prædictorum timorum sic accipitur. Aliquis timor est a Spiritu sancto et cum Spiritu sancto, sicut timor initialis et filialis (*a*). Aliquis a Spiritu sancto est, et non cum Spiritu sancto, sicut timor servilis. Aliquis est cum Spiritu sancto, et non a Spiritu sancto, sicut timor naturalis. Aliquis nec a Spiritu sancto, nec cum Spiritu sancto, sicut timor humanus, et mundanus, quos nec Spiritus sancti gratia secum compatitur, nec per Spiritum sanctum dantur. Est adhuc alius timor reverentiæ, qui solus inter omnes timores erit in patria, sicut dicit Psalmista [1]: *Timor Domini sanctus*, etc. Reverentia vero est resilitio a considerata magnitudine Dei in propriam parvitatem.

Timor Domini multa bona facit: Primo, quia [2] *expellit peccatum.* 2. Sapientiam gignit [3]: *Qui timet, nihil negligit.* 3. Mentem stabilit [4]: *Nisi in timore Domini tenueris te instanter*, etc. 4. Spiritualiter ditat [5]: *Non est inopia timentibus eum.* 5. Bona opera cumulat [6]: *Qui timet Deum, faciet bona.* 6. Cor delectat [7]: *Timor Domini delectat cor.* 7. Vitam prolongat [8]: *Timor Domini apponit vitam* (*b*). 8. Devotionem irrigat [9]: *Timor Domini fons vitæ.* 9. Æternaliter remunerat [10]: *Timenti Deum bene erit in extremis.*

CAPUT LX.

De Timore servili.

Timor servilis donum Spiritus sancti est, nec tamen est cum Spiritu sancto; sicut aurora est a sole, nec tamen cum sole est. Timor servilis Spiritui sancto locum præparat, ut eum, sicut seta filum, introducat. Seta namque, filum introducendo, ipsum præcedit, non tamen cum ipso permanet, sicut ait Augustinus [11]. Timor servilis est bonum quo nemo (*c*) bene utitur, quia licet habitus timoris servilis bonus sit in se, secundum etiam quod donum Spiritus sancti est, tamen ejus actus quandoque peccatum est.

Timor servilis duo facit: primum est, quod præparat viam charitati; secundum est, quod retrahit a peccato motu pœnæ tantum. Ratione primi bonus est; sed ratione secundi distinguitur. Unde notandum est, quod usus timoris servilis duplex est, scilicet cum quis utitur essentia habitus tantum, vel cum utitur servilitate. Primo modo usus ejus bonus est: nam ille est abhorrere pœnas æternas, quod bonum est cum timore initiali. Secundo modo usus ejus malus est, quia usus ejus est vitare malum, ex coactione per pœnam, cujus tamen affectus habetur in voluntate, et sequeretur effectus, si speraretur impunitas, ut ait Augustinus [12]. Et sic intelligitur dictum ejus, qui ait quod timor servilis bonus est, non tamen qui timet serviliter, bene agit: quia agere bonum est ex voluntate facti, sed agere bene, id est meritorie, est ex voluntate agentis, qui agit ex virtute charitatis et gratiæ.

[1] *Psal.* XVIII, 10. — [2] *Eccli.*, I, 27. — [3] *Eccle.*, VII, 19. — [4] *Eccli.*, XXVII, 4. — [5] *Psal.* XXXIII, 10. — [6] *Eccli.*, XV, 1. — [7] *Eccli.*, I, 12. — [8] *Prov.*, X, 27. — [9] *Prov.*, XIV, 27. — [10] *Eccli.*, I, 19. — [11] Aug., *in Epist. Joan.*, tract. IX, n. 4. — [12] Aug., *Enarr. in Psal.* CXVIII, serm. XXV, n. 7.

(*a*) *Cæt. edit.* finalis. — (*b*) Vulg. *apponet dies.* — (*c*) *Leg.* non quivis, *vel quid simile.*

Digitized by Google

CAPUT XLI.

De Timore initiali.

Timor initialis ideo sic dictus est, quia est incipientium primo pœnitere; unde in Isaia [1]: *Domine, a timore tuo concepimus*, etc.: qui adhuc sunt in angustia pro peccato quod commiserunt; sed hæc angustia foras mittitur, quando conscientia serenatur ad plenum, quia [2] *perfecta charitas foras mittit timorem* initialem, in quantum habet naturam timoris servilis, secundum hoc scilicet, quod habet oculum ad pœnam. Timor enim initialis habet duos oculos: unum ad gloriam, qui est ei essentialis; alterum ad pœnam, qui est ei accidentalis, sed timori servili est essentialis. Præterea timor initialis abstinet a peccato veniali retrahenti a gloria propter pœnam purgatorii: in quo potest convenire cum perfecto, qui etiam timet pœnam purgatorii, in quantum est dilativa gloriæ, sive separativa ad tempus. Duplex est amor, scilicet filialis, quo Deum diligimus propter se tantum; et mercenarius, quo non diligimus principaliter, sed secundario, habito respectu ad mercedem. Huic duplici amori respondet duplex timor, scilicet initialis, et filialis. Nam filialis timor respondet amori filiali; initialis vero respondet amori mercenario.

CAPUT XLII.

De Timore filiali.

Timor filialis proprie timet offendere Deum, quia (*a*) etiamsi propter peccatum non separaretur (*b*) a Deo, tamen a peccato abstineret, nec Deum offenderet: et in hoc timor filialis differt ab initiali, quia initialis proprie est timor separationis, quia propter conscientiam peccati timet a Deo separari; timor autem filialis tantum timet offendere Deum. Alia est differentia, quia timor initialis est imperfectorum, sed filialis perfectorum. Tertia est differentia, quia cum in timore pœnæ sint duo, scilicet punctio, et cautela: ipsa punctio pertinet ad timorem initialem (talis enim punctio est ex conscientia peccati, de quo nescit an sit dimissum); cautela vero pertinet ad timorem filialem. Sicut enim perfectus cavet peccatum, quod Deum offendit, ita per consequens cavet pœnam, sed tamen per accidens. Timor etiam filialis dicitur *sanctus* [3] et *castus* [4].

[1] *Isa.*, XXVI, 18, secundum LXX. — [2] *Joan.*, IV, 18. — [3] *Psal.* XVIII, 20. — [4] I *Petr.*, III, 2.

CAPUT XLIII.

De dono Pietatis.

Donum pietatis in tribus consistit, scilicet in cultu Dei, in veneratione sacræ Scripturæ, et in honore proximi. Cultus Dei consistit in professione divinæ majestatis, et hoc est theosebia. Veneratio sacræ Scripturæ consistit in hoc, ut ei firmiter credatur, sollicite custodiatur, et fideliter dispensetur. Honor proximi consistit in reverentia superiorum, in conformitate æqualium, et in subventione inferiorum.

CAPUT XLIV.

De dono Scientiæ.

Scientiæ donum idem est in essentia quod prudentia, quæ est virtus politica; sed differunt in ratione agendi. Prudentia enim procedit ex principiis juris naturalis; scientiæ vero donum ex principiis fidei. Proprius actus scientiæ doni est docere recte conversari in medio nationis pravæ et perversæ. Ad quod requiruntur tria: primum est, quod habeat rationes, quibus se defendat ab impugnantibus fidem suam; secundum est, quod a malo abstineat; tertium, quod bene et prudenter temporalia administret. Præterea scientiæ doni est dirigere opera ad normam rationis, et ad conformitatem Dei. Item per scientiæ donum scitur, ne sub specie boni malum lateat. Item donum scientiæ regit pietatem: propter quod etiam hæc duo combinantur. Item per donum scientiæ scit homo quid sit, et a quo sit, et ad quid sit. Scientiæ donum est scientia faciendorum: et ideo, ratione scientiæ, consistit in cognitione, secundum quam non est virtus; sed ratione faciendorum, consistit in operatione, secundum quam est virtus.

CAPUT XLV.

De dono Consilii.

Consilium sumitur tribus modis: quandoque enim dicitur *consilium* deliberatio de rebus valentibus ad finem ad quem tendimus; et tale consilium pertinet ad prudentiam, vel idem est quod prudentia. Quandoque dicitur *consilium* persuasio rerum excellentium, ad quas non

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* separetur.

Digitized by Google

tenemur, secundum quod dicitur hoc esse consilium [1] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende*, etc. Quandoque dicitur consilium prudentia valde exercitata in medio contemplativorum et activorum donorum, et deliberatio de quibusdam operibus arduis, sive teneamur ad ea, sive non: et secundum hoc sumitur consilium donum, et ita consilium et prudentia sunt idem in essentia: tamen consilium abundat supra prudentiam in uno accidente, secundum quod ejus est imperare.

Nota quod, sicut ad scientiæ donum pertinet reprobare malum et eligere bonum, ita pertinet ad consilium cavere pericula quæ sunt in hoc exilio. Item, sicut scientiæ donum habet regere pietatem, ita donum consilii habet regere fortitudinem. In hoc autem differunt consilium et scientia, quia scientia est circa bonum et malum, sed consilium est circa difficile et arduum.

CAPUT XLVI.

De dono Sapientiæ et Intellectus.

Sapientia et intellectus differunt, quia sapientia est cognitio Dei absolute, intellectus vero collative, scilicet in comparatione ad creaturas. Item alia differentia, quia intellectu cognoscitur Deus per illuminationem de auditis in Scriptura; sapientia autem cognoscitur experimento. Item per intellectum Deum cognoscimus; per sapientiam dulcedinem ejus gustamus. Unde sapientia dicitur quasi *sapore* virtutum condita. Item, sicut dicit Gregorius [2], per intellectum sumus providi, per sapientiam maturi.

CAPUT XLVII.

De Beatitudinibus in genere.

Beatitudines sunt septem secundum distinctionem graduum, quamvis sint octo secundum essentiam : quas Salvator enumerat in sermone de monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries justitiæ, misericordia, munditia cordis, pax : quarum beatitudinum numerus accipitur secundum integritatem perfectionis.

Requiruntur ad integritatem perfectionis tria, scilicet recessus a malo, processus in bono, et perfectus status in optimo. Sane malum omne procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ. Contra hæc tria sunt tres beatitudines, scilicet paupertas spiritus contra malum superbiæ, mititas contra malum rancoris, luctus contra malum libidinis. Item processus in bono attenditur secundum divinam imitationem, quæ est secundum duas vias Domini, scilicet misericordiam, et veritatem, de quibus in Psalmis [3] : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Item secundum has duas vias sumuntur duæ beatitudines, scilicet esuries justitiæ, et affectus misericordiæ. Præterea status in optimo attenditur in duobus, scilicet in limpida cognitione, et tranquilla affectione : et secundum hoc sumuntur duæ ultimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, et pax mentis ad perfecte fruendum. Per has septem beatitudines excluduntur septem vitia capitalia : paupertas spiritus excludit superbiam; mititas, iram; luctus, invidiam (quoniam qui luget pro peccatis aliorum, non invidet illis); esuries justitiæ, acediam; misericordia, avaritiam; munditia cordis, gulam, quia cordis munditia non servit ventri ad modum bruti animalis. Pax excludit luxuriam, quia, gustato spiritu, desipit omnis caro. Et sicut in enumeratione donorum est ordo artificialis, quo primo ponuntur digniora; ita in beatitudinibus est ordo naturalis, quia digniores ponuntur ultimo.

CAPUT XLVIII.

De prima Beatitudine.

Paupertas spiritus ponitur hic pro abstinentia ab amore mundi, id est, ab amore carnalium voluptatum et deliciarum, ac propriæ excellentiæ. Hæc tria complectitur amor mundi. Unde dicitur super Lucam [4] : « Pauperes sunt, qui non quærunt illecebrosa. » Super Matthæum, Gregorius [5] : « Pauperes spiritu sunt humiles et Deum timentes. » Alia Glossa dicit quod « pauperes sunt, qui nihil habent, et omnia possident. »

CAPUT XLIX.

De secunda Beatitudine.

Mitis est, sicut dicit Aristoteles, qui nec patitur, nec seducit. Est autem mititas eadem cum mansuetudine; habetur enim in Glossa super *Matthæum*, quod mansuetus est, qui nullam

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] Greg., *in Ezech.*, hom. XIX, circa med. — [3] *Psal.* XXIV, 10. — [4] Gloss. interlin. *in Luc.*, VI. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. XX.

Digitized by Google

amaritudinem animi sentit. Ex quo patet quod mansuetudo est purgati animi, et potest dici quod mansuetudo est species fortitudinis mediante patientia. Differunt tamen mansuetudo et patientia : quoniam patientia est in sustinentia molestiarum corporalium; mansuetudo vero, in sustinentia contumeliarum.

CAPUT L.

De tertia Beatitudine.

Luctus est lugere pro peccato, et ipsum odire, ita quod insurgamus ad destructionem ipsius. Lugere autem de malo ut fugiamus ipsum, in quantum avertit ab amico, sic lugere est solius charitatis. Lugere vero de quolibet malo speciali, est cujuslibet virtutis : quælibet enim virtus luget de suo contrario.

CAPUT LI.

De quarta Beatitudine.

Esuries justitiæ est vehemens desiderium justitiæ, sive summi boni. Esuries autem justitiæ potius est beatitudo, quam esuries aliarum virtutum cardinalium : quia per justitiam immediate conjungimur Deo, quod non fit per alias virtutes cardinales. Justitia vero, prout hic sumitur, comprehendit fidem, spem, charitatem, quæ immediate conjungunt nos Deo.

CAPUT LII.

De quinta Beatitudine.

Misericordia est per quam pro terrenis cœlestia meremur. Opera misericordiæ sunt quatuordecim : septem scilicet corporalia, et septem spiritualia. Corporalia sunt hæc : visitatio infirmorum, potatio sitientium, cibatio esurientium, redemptio captivorum, vestitio nudorum, collectio peregrinorum, sepultura mortuorum. Prima sex de istis habemus in Evangelio [1], septimum in Tobia [2]. Opera misericordiæ spiritualia sunt hæc : delinquenti ignoscere, peccantem corripere, ignorantem docere, titubanti consulere, mœstum consolari, pro salute proximi orare, injurias sustinere. Et hoc ultimum propterea dicitur opus misericordiæ, quia [3] *responsio mollis* et humilis *frangit iram*, et hoc pium est, scilicet furorem irati mitigare.

[1] *Matth.*, XXV, 35 et seq. — [2] *Tob.*, I, 21; II, 4, etc. — [3] *Prov.*, XV, 1. — [4] *Matth.*, V, 10.

CAPUT LIII.

De sexta Beatitudine.

Munditia cordis est, qua clarificatur cor, et mundatur ad videndum Deum, et ardentissime diligendum. Accipitur autem hic *munditia cordis* non pro virtute, sed pro statu quodam, qui est purgati animi.

CAPUT LIV.

De septima Beatitudine.

Pax est status virtutum in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi et diaboli, vel si est aliqua, inefficax est. Unde patet quod pax est status animi purgatissimi. Pacificis enim magis attribuitur esse filios Dei, quam aliis, quia licet misericordia maxime assimilet hominem Deo quantum ad opera exteriora, tamen, quantum ad interiora, magis assimilat pax.

CAPUT LV.

De octava Beatitudine.

Octava beatitudo est, de qua dicitur [4] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum.* Hæc virtus, scilicet sustinentia persecutionis propter justitiam, annexa est paci. Cum enim pacificus sit absque contradictione carnis, mundi et diaboli, patet quod idem paratus est superare mortem, et tentationem mortis. Unde sustinentia mortis pro Christo, in eodem gradu est cum pace : propter hoc diximus quod octo sunt beatitudines quantum ad essentiam, sed tantum septem quantum ad distinctionem graduum. Et sciendum quod supra pacem non est virtus alia; dicit enim Augustinus : « Pax est finis et consummatio omnium virtutum. » Octava beatitudo dicitur redire ad caput duobus modis : primo, quia idem præmium sibi promittitur, quod primæ beatitudini, scilicet regnum cœlorum; secundo, quia omnes probat a prima usque ad ultimam utrum veræ sint, sicut ait Gregorius : « Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. » Ex prædictis colligitur quod habitus virtutum cardinalium principaliter disponunt ad exercitium activæ; habitus vero donorum disponunt ad actus contemplativæ; habitus autem beatitudinum disponunt ad perfectionem utriusque.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

De Sensibus spiritualibus.

Per sensus spirituales percipit anima spiritualia, quæ in sponsi sui pulchritudine percipere fas est. Sub ratione splendoris audit amœnissimam harmoniam; sub ratione verbi incarnati gustat summam dulcedinem : sub ratione sapientiæ comprehendentis utrumque, scilicet verbum et splendorem, odorat summam fragrantiam; sub ratione verbi inspirati in corde tangit summam suavitatem; sub ratione verbi incarnati, et inter nos corporaliter habitantis, reddentis se nobis palpabilem et osculabilem, percipit ardentissimam charitatem. Ex prædictis patet quod sensus spirituales dicuntur conceptiones mentales circa veritatem contemplandam, quæ quidem contemplatio incipit a sensu, et pervenit ad imaginationem, et de imaginatione ad rationem, et de ratione ad intellectum, et de intellectu ad intelligentiam, et de intelligentia ad sapientiam, sive notitiam excessivam, quæ incipit hic in via, et consummatur in gloria.

CAPUT LVII.

De Fructibus spiritualibus.

Fructus duodecim spirituales non dicuntur novi habitus, sed status consolationum, quibus consolatur spiritus justorum : et istæ consolationes consequuntur opera perfecta. Sunt autem isti fructus[1] *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia*, etc.

CAPUT LVIII.

De Dulia, et Latria.

Latria est servitus, et reverentia Deo exhibita : unde si creaturæ exhibetur honor Deo debitus, est idololatria. Latria autem comprehendit quinque, scilicet fidem, sapientiam, reverentiam, sacrificium, et orationem : prima duo sunt cordis; alia duo sunt operis; ultimum est oris. Dulia debetur creaturæ, in quantum est imago Dei : unde dulia est honor, qui debetur sanctis. Unde de beata Virgine sciendum est, quod in quantum est persona sancta, debetur ei dulia; sed in quantum mater Dei, debetur ei hyperdulia, id est, superior dulia. Sane si persona, cui debetur dulia, est in prælatione constituta, debetur ei reverentia, quæ consistit in obedientia mandatorum, et in exhibitione honorum. Si autem est persona simplex, debetur reverentia tantum, quæ consistit in exhibitione honorum. Hyperdulia autem debetur creaturæ excellenti, sicut est caro Christi, beata Virgo, crux Christi. Unde sciendum est quod ligno veræ crucis Christi, in quo pependit, si sit configuratum signo crucifixi, debetur hyperdulia, quia fuit instrumentum nostræ redemptionis. Crucibus autem factis, in quantum sunt ligna sive res tales, nihil debetur : sed crucibus factis in signum Christi crucifixi, debetur dulia. Imaginibus enim eadem debetur adoratio, quæ debetur et illis, quorum sunt imagines : non quod in quantum res factæ adorantur; sed quod illa, quorum sunt imagines, adoramus.

[1] *Gal.*, v, 22.

CAPUT LIX.

De Præceptis in genere.

Præceptum est imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Præceptorum alia sunt affirmativa, ut : *Honora patrem*; alia negativa, ut : *Non occides*. Præcepta affirmativa, stricte sumendo dicuntur *præcepta*; sed negativa dicuntur *prohibitiones*. Præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper; negativa vero obligant semper, et ad semper. Præcepta Decalogi possunt dici data, vel innata. Primo modo tantum pertinent ad populum Israeliticum; secundo modo omnes obligant : quia quidquid continet Decalogus explicite, hoc continet lex naturæ, quæ scripta est in corde cujuslibet, implicite. Istud enim præceptum legis naturæ : « Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, » includit hæc præcepta : *Non occides, Non furtum facies*, et hujusmodi, quæ Decalogus ponit explicite. Quædam præcepta ponuntur imperative, illa scilicet quæ sunt affirmativa; quædam indicative, scilicet negativa : et hoc ideo, quia difficilius est facere bonum, quam declinare malum; plures enim in faciendo bonum requiruntur circumstantiæ. In quibusdam præceptis prohibentur actus, habitus et affectus, ut patet in his : *Non mœchaberis, Non concupisces uxorem proximi tui*, quia appetitus est nimis inordinatus ad illa. In quibusdam solummodo prohibentur actus, ut

Digitized by Google

cum dicitur: *Non occides.* Hoc dico secundum formam tradendi, non secundum veritatem intelligendi, quia omnia præcepta negativa manum et animum ligant.

Multis modis ligamur, scilicet 1. lege naturæ, ut est diligere Deum super omnia, et nulli facere quod nobis fieri nolumus. 2. Præceptis divinis, ut ligabatur Adam præceptis sibi datis, et Judæi suis. 3. Voto, quia, secundum Augustinum, vovere est voluntatis, sed reddere est necessitatis. Unde quibusdam etiam consilia sunt præcepta, sicut religiosis qui voverunt talia. 4. Decretis Patrum, ut est jejunare aliquas vigilias, et hujusmodi. 5. Consuetudine, secundum quod in Francia primogenitus succedit in regno. 6. Mandatis prælatorum; unde [1]: *Super cathedram Moysi*, etc. 7. Conscientia, quia, secundum Augustinum, « Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. »

Numerus præceptorum sumitur sic: quia quædam ordinant nos ad Deum, quædam ad proximum: quod Deus insinuare voluit, quando in duabus tabulis legem dedit. In prima tabula sunt tria præcepta, quæ pertinent ad Deum: quorum primum pertinet ad Patrem, quia est de divina unitate; secundum, ad Dei Filium, quia est de juramenti veritate; tertium, ad Spiritum sanctum, quia est de spirituali vacatione. In secunda tabula sunt septem præcepta ad proximum spectantia: quorum primum est de exhibendis bonis, ut est illud: *Honora patrem tuum*, etc. Reliqua sex sunt de cavendis malis, quæ inferri possunt corde, vel opere, vel ore. Opere lædimus proximum tripliciter: propter quod dantur tria præcepta: primum est: *Non occides*; secundum: *Non mœchaberis*; tertium: *Non furtum facies.* Ore quoque lædimus proximum, et est contra illud: *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.* Corde lædimus proximum dupliciter: quandoque respectu rei irrationabilis, de hoc dicitur: *Non concupisces rem proximi tui*; quandoque respectu rei rationalis, et de hoc dicitur: *Non concupisces uxorem proximi tui.*

CAPUT LX.

De primo Præcepto.

Primum præceptum tres habet clausulas. Prima est: *Non habebis deos alienos coram me*; ubi prohibemur adorare creaturas spirituales, scilicet angelos. Secunda est: *Non facies tibi sculptile*, hoc est imagines fictas, quæ nullius rei naturalis sunt repræsentativæ. Tertia est: *Neque omnem similitudinem*, scilicet imaginem rei naturalis; et sequitur: *Quæ est in cælo desuper*, ut Solis et Lunæ: *et quæ in terra deorsum*, ut hominis, bovis, et similium: *Neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra*, id est, piscium. *Non adorabis ea*, scilicet actu exteriori: *Neque coles*, scilicet affectu interiori. Ex his patet quod non reprehenduntur Christiani, qui faciunt imagines, non quidem ad adorandum, sed ad memorandum. Honor autem, qui exhibetur sanctis, non est latriæ, sed duliæ. Secundum rationem allegoricam prima hujus præcepti clausula ostendit Judæos et Saracenos esse idololatras, qui deos habent alienos: Judæi quidem, Messiam, id est, Antichristum; Saraceni, Mahometum. Contra secundam clausulam, scilicet, *Non facies tibi sculptibile*, faciunt hæretici, qui non credunt de Deo, nisi quod imaginatione sua et phantasia confingunt. Contra tertiam faciunt mali Christiani, quia superbi colunt similitudinem eorum quæ sunt super terram, scilicet honores: nam diligunt super omnia prælaturas; avari colunt similitudinem eorum quæ sunt in terra, scilicet pecuniam et divitias: voluptuosi colunt similitudinem eorum, quæ sunt in aquis, id est, delicias et voluptates.

CAPUT LXI.

De secundo Præcepto.

Secundum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Hic prohibetur juramentum quod fit (*a*) sine causa, et perjurium. Uterque enim peccat, scilicet pro nihilo jurans et assumens, et falso jurans nomen Dei in vanum: quia primus sine causa nominat summam veritatem; secundus autem nominatam contemnit.

Tribus modis quis peccat in perjurio: vel jurando contra conscientiam, vel jurando illicitum, vel veniendo contra juramentum. Præterea sciendum est quod juramenta, quæ quis ex certa scientia facit (*b*), vel sonant in blasphemiam, ut quando quis jurat per corpus Dei, intestina, et similia, vel sonant in irreverentiam, sicut quando jurat per vulnera Christi, sunt peccata mortalia, etiamsi verum est quod jura-

[1] *Matth.*, XXIII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* sit. — (*b*) *Suppl.* quæque.

Digitized by Google

tur. Istud præceptum non solum intelligitur secundum prædictam rationem litteralem, sed secundum intentionem moralem. Assumitur enim nomen Dei in vanum multipliciter, scilicet corde, ore, et opere. Corde, sicut mali, qui tantum nomine sine re dicuntur Christiani, qui licet sacramentum receperint baptismi, tamen rem sacramenti, id est gratiam, non habent. Ore, scilicet mala juratione, voti transgressione, prædicatione quæ fit mala intentione, et indevota oratione, de qua dicitur [1]: *Populus hic labiis me honorat*, etc. Opere, secundum quod hypocritæ nomen Dei assumunt in simulatione operis exterioris, non in puritate cordis. Unde sumunt illud in vanum, quia receperunt mercedem suam.

CAPUT LXII.

De tertio Præcepto.

Tertium est: *Memento ut diem sabbati sanctifices, non facies opus in eo.* In hoc præcepto quoddam est morale, ut vacatio ad Deum, orando, colendo, meditando; quoddam cærimoniale, ut assignatio diei septimæ, quæ figurabat tropologice cessationem peccati, allegorice quietem corporis Christi in sepulcro, anagogice requiem æternam in cœlo. Istud ergo præceptum potest tripliciter accipi: primo generaliter, ut cessemus a vitiis; secundo specialiter, ut cessemus ab operibus corporalibus, quæ impediunt vacationem ad Deum; tertio specialissime, ut est in viris contemplativis, qui ab omnibus mundanis se separant, ut totaliter Deo vacent. Prima vacatio est necessaria; secunda, debita; tertia, perfecta. Secundum ergo quod sabbatum dicitur requies, sive vacatio ad Deum, sic dies dominica potest dici dies sabbati, et quælibet dies statuta ad venerationem divinam, in quibus cessandum est ab opere servili, id est a peccato, et ab opere impediente vacationem ad Deum. Opera enim servilia determinantur ab Ecclesia opera mechanica, quæ sunt agricultura, mercatum, placita, exercitia.

CAPUT LXIII.

De quarto Præcepto.

Quartum est: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Huic præcepto additur promissio, scilicet: *Ut longævus sis super terram*: quia justum est, ut conservatio vitæ alienæ mereatur conservationem vitæ propriæ. Pater dicitur in hoc mandato qui est principium per generationem, quoad esse naturæ, ut pater carnalis; vel qui est principium per ministerium regenerationis, quoad esse gratiæ, ut pater spiritualis. Sumitur autem alio modo *pater* non secundum rationem propriam, sed secundum communem, pro sene, qui dicitur pater ætate, vel pro rege, qui dicitur pater defensione. Honor intelligitur hic dupliciter, scilicet exhibitio corporalis in sustentatione, et spiritualis in reverentia et obedientia. Sed obedientia diversificatur secundum diversitatem patrum: quia patri spirituali debemus obedire in spiritualibus; prælato sæculari, scilicet regi, in temporalibus reipublicæ; patri vero carnali, in dispositione rei familiaris.

CAPUT LXIV.

De quinto Præcepto.

Quintum est: *Non occides.* Hic explicite prohibetur homicidium, sed implicite omnis motus iræ contra proximum, sive ille sit tantum cordis, ut ira; sive oris, ut contumelia; sive operis, ut percussio citra mortem, vel depilatio. Prohibetur hic omnis occisio injusta, quæ fit tripliciter: ex causa, ut in illo, qui occiditur sine culpa; vel ex ordine, ut cum ille, qui non est minister legis, occidit; vel ex animo, ut quando minister legis occidit non amore justitiæ, sed libidine vindictæ. Distinguitur autem homicidii genus dupliciter, scilicet verum, quod dicitur corporale, et interpretativum, quod dicitur spirituale. Homicidium spirituale fit duobus modis: uno modo, omittendo, ut cum quis videt alium in extrema necessitate, et non subvenit ei, interpretative dicitur eum occidisse; alio modo fit committendo, et hoc quandoque corde, scilicet odiendo [2]: *Qui odit fratrem suum, homicida est*: quandoque ore, scilicet detrahendo, quia ille cui detrahitur, occiditur in conscientia illius, qui audit detractorem, in qua prius vivebat per bonam famam; quandoque opere, scilicet malo exemplo alicui occasionem ruinæ præstando, et tunc interpretative dicitur illum occidisse.

[1] *Matth.*, xv, 8; *Marc.*, vii, 6. — [2] 1 *Joan.*, iii, 15.

Digitized by Google

CAPUT LXV.

De sexto Præcepto.

Sextum est: *Non mœchaberis.* In hoc præcepto, ut dicit Augustinus [1], prohibetur omnis illicitus concubitus, et omnis illegitimus usus eorum membrorum. De hac materia quære supra, libro tertio, in capite *de Luxuria*, et in capite sequenti (*a*) [2].

CAPUT LXVI.

De septimo Præcepto.

Septimum est: *Non furtum facies.* Hic, secundum Augustinum [3], prohibetur omnis contrectatio rei alienæ ex cupiditate. Contrectatio rei alienæ potest fieri licite tribus modis: primo, quando fit non ex cupiditate, sed ex obedientia, sicut fecerunt filii Israel auferendo vasa Ægyptiorum; secundo, quando fit cautela, ut si aliquis furetur gladium furiosi, ne sibi vel aliis noceat; tertio, quando fit ex necessitate, ut cum aliquis ad mortem esuriens furatur panem, quia in necessitate omnia communia sunt.

CAPUT LXVII.

De octavo Præcepto.

Octavum est: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hic prohibetur omne genus mendacii, sicut dicit Augustinus [4]; quod determinatur per tres differentias: est enim mendacium perniciosum, quod nocet; officiosum, quod prodest; jocosum, quod delectat. Includitur in hoc præcepto taciturnitas veritatis tempore necessitatis: tamen causa et opportunitas facit ipsam taciturnitatem veritatis esse licitam.

CAPUT LXVIII.

De nono Præcepto et decimo.

Nonum et decimum præceptum est: *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, nec asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Duo prohibentur hic, scilicet concupiscentia carnis in uxore proximi, et concupiscentia oculorum in re aliena: nam ad hæc duo maxime inclinatur natura corrupta: ad unum, propter conservationem sui in esse individui; ad alterum, propter conservationem sui in esse speciei. Hic non prohibetur appetitus qui est a corruptione fomitis, vel a delectatione sensualitatis, quia impossibile est quod illæ concupiscentiæ non sint in nobis: sed prohibetur appetitus qui est ex consensu rationis. Quamvis istud præceptum ad duo tantum determinetur, tamen prohibetur ibi universaliter omnis concupiscentia malæ voluntatis.

[1] Aug., *Quæst. in Exod.*, q. LXXI. — [2] Vid. sup., p. 145, 146. — [3] Aug., ubi supra. — [4] Aug., *Quæst. in Exod.*, q. LXXI.

CAPUT LXIX.

De Consiliis in genere.

Consilium, prout dividitur contra præceptum, est persuasio melioris boni ad quod non tenemur. Consilia in multis differunt a præceptis. Primo, quia ad præcepta tenemur, ad consilia vero non, quia præcepta servare est necessitatis, consilia vero voluntatis. Item lex vetus dat præcepta, Evangelium vero superaddit consilia. Item consilium pertinet ad perfectos, præceptum ad perficiendos; sed permissio ad imperfectos, prohibitio ad perversos. Item præcepta separant nos ab illicitis, consilia vero a concessis. Item per præcepta declinamus peccata, sed per consilia occasiones peccati. Item per præcepta maxime negativa pœnam fugimus, sed per consilia præmium cumulamus. Item consilia servata afferunt præmium, non servata non adducunt supplicium. Item ad præcepta constringimur ex debito, sed ad consilia non nisi ex voto. Item consilium per votum fit præceptum, sicut ait Augustinus: « Vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis. » Item melius est esse devotum in minoribus, quam in majoribus indevotum promissionibus inveniri. Unde melius est nuda præcepta servare cum devotione, quam se ad consilia obligare, et in his negligentem esse.

Nota quod in lege mosaica fuerunt judicia (*b*), cærimonialia et moralia. Lex autem evangelica judicia (*b*) temperat, partem (*c*) auferendo: figuras evacuat, rerum veritatem exhibendo: præcepta consummat, adjiciendo. Adjicit autem tria, scilicet instructionem documentorum, promissionem præmiorum, et perfectionem consiliorum. Et ideo dicitur lex mosaica ab evangelica differre, quia illa figurarum est, hæc veri-

(*a*) *Leg.* capitibus sequentibus. — (*b*) *Leg.* judicialia. — (*c*) *Leg.* partim.

Digitized by Google

tatis; illa pœnæ, hæc gratiæ; illa litteralis, hæc spiritualis; illa occidens, hæc vivificans; illa timoris, hæc amoris; illa servitutis, hæc libertatis; illa oneris, hæc honoris.

CAPUT LXX.

De Consiliis Evangelicis.

Consilia quæ Christus adjecit præceptis, sunt ista. Primum est paupertatis, quæ consistit in abdicatione proprietatis; unde in Luca (*a*) [1]: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* [2] *Omnis qui reliquerit domum vel fratres*, etc., *propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* De hoc Hieronymus: « Monachus habens obolum, non valet obolum. »

Secundum est obedientia, unde illud [3]: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: quæ dicunt, facite*, etc. [4] *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam*, etc. Sciendum autem quod duplex est obedientia, scilicet perfecta, quæ se extendit ad omnia quæ non sunt contra Deum, vel contra regulam quam quis professus est, et quæ dispensationi prælati non subduntur. De hac obedientia dicit Bernardus [5]: « Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, non continetur professionis angustia. » Ad hanc nullus tenetur debito necessitatis, sed solum perfectionis, sicut tenemur semper imitari charismata meliora. Alia est obedientia imperfecta, tamen sufficiens ad salutem, qua quis obedit tantum in his quæ servare promisit, vel in illis quæ in his implicite continentur, sicut sunt illa sine quibus religionis professio non servatur, ut recipere officia, et hujusmodi: et talis obedientia necessitatis est. Cum ergo dicit beatus Benedictus in *Regula*, quod si prælatus præcipiat aliquid impossibile, tentandum est facere, loquitur de obedientia perfecta, quam dum observat subditus, in his ad quæ non obligatur, ad prælati præceptum, consilii est et magnæ perfectionis, et non necessitatis; sed si faciat ad simplicem monitionem, tale quid majoris perfectionis est.

Tertium est castitas, de qua Dominus dicit [6]: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Ad idem pertinet illud Matthæi [7]: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: qui viderit mulierem ad concupiscendum*, etc. Hic ostenditur quod non solum damnabilis est consensus ad opus mœchationis, sed etiam consensus ad delectationem. Nota autem quod concupiscere ex subito motu, veniale est; sed concupiscere ex deliberatione perficiendi, mortale est. Prædicta tria consilia sunt specialia et substantialia omnis perfectæ religionis: quia suos observatores elongant a malo, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad causam. Omne namque malum oritur ex triplici radice, scilicet, ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, et ex superbia vitæ: prædicta vero tria consilia perfecte nos elongant ab radice triplici.

Quartum consilium est charitatis: [8] *Diligite inimicos vestros.* Istud autem, quantum ad dilectionem affectus, est præceptum; sed quantum ad dilectionem effectus, est consilium: quia inimico velle gratiam et gloriam, est necessitatis; sed ostendere ei signa benevolentiæ, est perfectionis et consilii: unde ad hoc non omnes tenentur. Sane negare hujusmodi signa familiaritatis, quando veniam petit, vel necessitas exposcit, vindicta est; vel quando se ille, qui hostis erat, ad familiaritatem ingerit, si habeatur præsumptio quod non simulate vel irrisorie faciat, tunc diligendus est, et inter amicos computandus. Sed quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est. Unde quod aliquis injuriam passus reconciliationem quærat et amicitiam, non est debitum necessitatis, sine quo non est salus; sed est perfectionis et consilii, quo magnum expectatur præmium.

Quintum est mansuetudinis [9]: *Si quis te percusserit in unam maxillam*, etc. Hoc autem sic intelligitur: « Paratus sis aliam sustinere patienter: » et istud consilium est patientiæ respectu læsionis corporis. Sed ad idem pertinet aliud, quod est patientiæ respectu ablationis rerum, sicut est illud, ibidem [10]: *Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tollere*, etc. Nota quod contingit sua repetere coram judice fideli dupliciter: aut cum contentione et fraude, aut cum charitate. Primum nulli licet; secundum vero licet infirmis et imperfectis, perfectis autem non. Unde non repetere, consilium est

[1] *Luc.*, XIV, 33. — [2] *Matth.*, XIX, 29. — [3] *Matth.*, XXIII, 2. — [4] *Luc.*, IX, 23. — [5] Bern., *de Præc. et Dispens.*, c. XIX. — [6] *Matth.*, XIX, 12. — [7] *Matth.*, V, 27. — [8] Ibid., 44. — [9] Ibid., 39. — [10] *Matth.*, V, 40.

(*a*) *Cæt. edit.* Unde Lucas.

Digitized by Google

infirmis; perfectis vero, præceptum. Illis autem, qui renuntiaverunt proprietati, non licet repetere sua ut sua, sed ut congregationis; non propter se, sed propter commune bonum.

Sextum est misericordiæ et supererogationis, ut illud [1]: *Omni petenti te tribue*; et illud [2]: *Si vis perfectus esse, vade*, etc. Nota quod dare superfluum, est necessitatis, necessitate extrema; sed dare quibus egemus, consilii. Augustinus: « Melius est minimis egere, quam plus habere. » Quod autem dicit Dominus [3]: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, vos eadem facite illis*, sic intelligendum est: Quæcumque vultis rationabiliter, et dictante charitate, ut faciant vobis, etc. Unde si peteremus rem aliquam, et non videremus illud esse rationabile, non vellemus jam rationabiliter dari nobis.

Septimum consilium est de simplicitate verborum, ut ibi [4]: *Sit sermo vester, est, est: non, non.* Cujus sensus est. Si affirmatio vel negatio est in ore, sit et in corde. Et ad hoc consilium reducitur illud Matthæi [5]: *Audistis, quia dictum est antiquis, non perjurabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Nota quod jurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est; non jurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilii est. Prohibet etiam Dominus jurare per creaturas, scilicet per cœlum, vel terram, vel per capillum, propter idololatriam, ne scilicet credamus aliquid numinis esse in illis. Fiunt tamen interdum juramenta per Evangelium et cruces, id est, per eum cui hæc sunt dedicata.

Octavum est de vitanda occasione peccati. Unde dicitur [6]: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Secundum Augustinum [7], nullum membrorum erui præcipitur ad litteram, sed occasio peccandi. Potest enim occasio esse ex aspectu, et tunc oculus sinister scandalizat; vel potest esse occasio ex contactu, et tunc manus dextera scandalizat; potest insuper esse occasio peccandi ex alio, et hoc a consiliario, qui dicitur oculus; vel ab adjutore, qui dicitur manus: et est dextera, qui consiliarius dicitur et est adjutor in spiritualibus; sinistra, in temporalibus: hujusmodi enim si scandalizant, abjiciendi sunt, quia occasiones peccandi sunt abjiciendæ.

Nonum consilium est de rectitudine intentionis ac finis; unde dicitur [8]: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, etc. Item illud [9]: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Item [10]: *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum*, etc. De his nota, quod contingit constituere duos fines, scilicet temporalem, et æternum: sed si æternus finis est ultimus, hoc bene licet; actio autem spiritualis, vel prædicatio, non potest referri ad finem temporalem, ita quod illud temporale referatur ad Deum, quia [11] *non sunt facienda mala ut veniant bona.* Et hoc est quod dicit Augustinus [12]: « Non debemus evangelizare, ut manducemus; sed manducare, ut evangelizemus. » Nota etiam, quod nos tenemur illos actus referre ad Deum, quorum habemus dominium ex imperio rationis, ut est manducare, cogitare, eligere, et similia; sed non tenemur actus referre inobedientes rationi, ut est nutritiva, respirativa (*a*), et hujusmodi.

Decimum consilium est de conformitate operis ad doctrinam, ut ibi [13]: *Alligant onera gravia, et importabilia; digito autem suo nolunt ea movere*, etc. Ad idem est illud Matthæi [14]: *Hypocrita, ejice prius trabem de oculo tuo, et tunc videbis*, etc. Nota quod aliquando in prædicatione asseritur intentio generaliter, scilicet de his quæ pertinent ad statum salutis; aliquando vero asseritur secundum statum perfectionis, utpote religionis: primo modo tenetur prædicator facere quod dicit, cum asserit ad hoc omnes teneri; secundo modo non tenetur, nisi perfectionem illam ipse voverit. Utrum autem malus peccet prædicando, distinguitur: quia existens in peccato notorio peccat, quando prædicat, sive ex necessitate officii hoc faciat, sive ex voluntate, quia scandalizat; existens autem in peccato occulto, si prædicat, et non studet ex dicto suo compungi, adhuc videtur peccare, quia videtur contemnere.

Undecimum consilium est de vitanda sollicitudine, ut ibi [15]: *Nolite solliciti esse*, etc. Et ibi [16]: *Nolite cogitare de crastino.* Sciendum quod triplex est sollicitudo: prima est laudabilis, ut est providentia spiritualis, unde Apostolus [17]: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt,*

[1] *Luc.*, VI, 30. — [2] *Matth.*, XIX, 21. — [3] *Matth.*, VII, 12. — [4] *Matth.*, V, 37. — [5] Ibid., 33 et seq. — [6] Ibid., 29. — [7] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. I, c. XIII, n. 37. — [8] *Matth.*, VI, 1. — [9] Ibid., 3. — [10] *Matth.*, V, 16. — [11] *Rom.*, III, 8. — [12] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. II, c. XVI, n. 54. — [13] *Matth.*, XXIII, 4. — [14] Ibid., VII, 5. — [15] Ibid., VI, 31. — [16] Ibid., 34, quoad sensum. — [17] I *Cor.*, VII, 32.

(*a*) *Leg.* vis nutritivæ, respirativæ.

Digitized by Google

quomodo, etc. Item de prælatis [1] : *Qui præest, in sollicitudine.* Secunda est tolerabilis, et est illa sollicitudo curæ temporalis quoad corpus [2] : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris*, etc. Tertia est vituperabilis, et ista est superfluæ thesaurizationis quoad avaritiam [3] : *Peccatori autem dedit Deus afflictionem pessimam, ut addat, et congreget, et hæc vanitas cassa sollicitudo mentis.* Sollicitudo prima præcipitur; secunda toleratur; tertia prohibetur.

Duodecimum est fraternæ correctionis, ut in Matthæo [4] : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. Nota, quod fratrem corripere, quandoque est consilium, ut quando corripitur super venialibus; quandoque est præceptum, ut corripere de mortalibus : et isto secundo modo ad omnes pertinet, et obligat semper, quia pro loco et tempore, scilicet quando vacat, et videt quod utilis sit correctio. Sciendum quod triplex est correctio, scilicet amoris, timoris, et pudoris. Hunc ordinem fraternæ correctionis docet Dominus in Evangelio. Primo enim innuit fratrem revocandum esse amore, cum jubet eum singulariter corripere, dicens [5] : *Corripe eum inter te, et ipsum solum.* Sed si hoc non valet, docet eum esse revocandum timore, ubi ait : *Si te non audierit, adhibe unum, vel duos tecum.* Si hoc non valuerit, docet eum esse revocandum pudore, ubi dicit : *Si nec illos audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est, excommunicari debet, et sic evitari. Sane prædictus ordo fraternæ correctionis intelligitur tantum de criminalibus : quia de culpis communibus solent claustrales se in suis capitulis accusare, non præmissa admonitione. Verumtamen accusans alium caveat diligenter, ne hoc faciat ad diffamandum, sed ad corrigendum : quoniam si quis ex deliberatione contrarium faceret, mortaliter peccaret.

LIBER SEXTUS

DE SACRAMENTORUM VIRTUTE

CAPUT PRIMUM.

De medicina Sacramentorum.

Cœlestis medicus, humani generis reparativus, tali modo sanavit ægrotum, sicut optime competebat ægrotanti, et ægritudini, et occasioni ægrotandi, et ipsius ægritudinis curationi. Ægrotus igitur, homo est; morbus autem, originalis culpa est; origo vero istius culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit ex sensibus carnis. Ad hoc ergo quod medicina respondeat morbo, oportuit quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis : ut sicut sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Et propter hoc medicina nostri vulneris consistit in ecclesiasticis sacramentis.

[1] *Rom.*, XII, 8. — [2] *Luc.*, X, 41. — [3] *Eccle.*, II, 26. — [4] *Matth.*, XVIII, 5. — [5] Ibid. — [6] Idem habet Magister *Sententiarum*, lib. IV, dist. I, ex Aug., *de Doctr. Christ.*, lib. II, c. I, n. 1. Vid. huj. edit. tom. V, p. 244.

CAPUT II.

De diffinitionibus Sacramenti.

Sacramentum est, ut ait Augustinus [6], invisibilis gratiæ visibilis forma. Hæc diffinitio generalis est, et convenit sacramentis tam novæ, quam veteris legis : quia tam illa, quam ista sunt ex similitudine repræsentativa, ex institutione significativa. Sciendum autem, quod eadem diffinitio convenit sacramentis novæ legis; sed sic supplenda est, ita ut ejus similitudinem gerat, et causa existat : quia non solum ex similitudine repræsentant, vel ex institutione significant, sed etiam ex virtute divina sanctificant, et gratiam conferunt, per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum : et hoc est quod insinuat Augustinus in alia diffinitione, dicens : « Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus se-

Digitized by Google

cretius operatur. » Est et tertia diffinitio Hugonis de Sancto Victore, qui ait[1] : « Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione aliquam gratiam invisibilem conferens. » Tria autem hic tanguntur, quæ sunt de ratione Sacramenti stricte et proprie sumpti. Primum est naturalis similitudo, ex qua habet aptitudinem significandi. Secundum est actualis institutio, ex qua habet ordinem determinatum respectu hujus significati. Tertium est spiritualis sanctificatio, ex qua habet virtutem efficiendi illud significatum. Item dicit Augustinus[2] quod Sacramentum est sacræ rei signum; istud autem non est diffinitio, sed potius etymologia Sacramenti.

CAPUT III.

De Sacramentis novæ legis, seu gratiæ.

Sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tanquam novæ legis lator, in qua vocans ad præmia, dedit præcepta, instituit sacramenta. Christus enim Verbum Patris, cum sit summæ bonitatis et summæ veritatis, ratione summæ bonitatis promisit præmia beatificantia; ratione veritatis dedit præcepta dirigentia; ratione virtutis instituit sacramenta adjuvantia : ut sic per sacramenta reparetur virtus ad implenda præcepta, et per præcepta perveniatur ad præmia. Instituit autem sacramenta in verbis et elementis, ut ait Augustinus[3] : « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum : » et est ibi elementum pro materia, et forma verborum pro forma. Ad hoc vero instituta sunt sacramenta in verbis et elementis, ut haberent evidentiam significandi, et efficaciam sanctificandi : quia dum elementa oculis, et verba auribus se offerunt, qui sunt duo sensus præcipue cognoscitivi, dant evidentiam significationis. Deinde verba sanctificant elementa, ut plenior fiat humanæ creationis efficacia.

Instituit autem Deus sacramenta diversimode : quædam scilicet ante adventum suum, ut Matrimonium, et Pœnitentiam; sed hæc duo confirmavit et consummavit in lege evangelica, dum pœnitentiam prædicavit, et nuptiis interfuit; alia quinque sacramenta solus Christus initiavit : Confirmationem quidem, parvulis manum imponendo; Unctionem vero, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur[4] in *Marco*; Baptismum vero, suscipiendo, deinde formam dando; Ordinem autem, potestatem ligandi et solvendi tribuendo, et conficiendi Sacramentum altaris; Eucharistiam autem, operando, comparando se grano sinapis, et conficiendo ac dando discipulis, imminente passione, Sacramentum corporis et sanguinis sui. Instituta sunt etiam sacramenta multiplici de causa : primo, propter humiliationem, qua homo quærit salutem inferioribus se subjiciendo; secundo, propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda invisibilia rapitur; tertio, propter exercitationem, qua homo noxiam declinet occupationem et otium; quarto, propter congruitatem medici ad medicinam, quia cum medicus sit Deus, et homo ægrotus, congruenter medicina debet continere aliquid divinum, scilicet invisibilem gratiam, et aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ formam; quinto, propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo constans ex corpore et spiritu, spiritus autem in corpore non bene capiat spiritualia, nisi in corporalibus, congruum fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, sicut pilulæ in nebula dantur; sexto, propter augmentationem meriti : multum enim valet ad meritum, quando Deus creditur in his, ubi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo ex prædictis, quæ sit sacramentorum causa efficiens, quia divina institutio; quæ formalis, quia gratiæ sanctificatio; quæ finalis, quia humanæ infirmitatis curatio.

CAPUT IV.

De effectu Sacramentorum novæ legis.

Effectus Sacramentorum novæ legis multiplex est; primo, a peccato mundant; secundo, in bono conservant; tertio, corpori Christi mystico incorporant; quarto, justificant; quinto, ad futuram vitam præparant; sexto, erudiendo illuminant; septimo, a malo præservant. Ista patent in septem sacramentis per ordinem : nam primum operatur Baptismus; secundum, Confirmatio, et sic de aliis. Sacramenta dicuntur vasa gratiæ, et causa : non quod in eis gratia substantialiter contineatur, vel causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, et

[1] Hug. de S. Vict., *de Sacram.*, lib. I, part. IX, c. II. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. X, c. V. — [3] Id., in *Joan.*, tract. LXXX, n. 3. — [4] *Marc.*, VI, 13.

Digitized by Google

a solo Deo infundi ; sed quia in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo oportet oriri : licet non alligaverit potentiam suam sacramentis, quin et per alias vias gratiam conferre valeat, quando vult.

Sacramenta semper habent sanctificationem veritatis, non semper efficaciam curationis; et hoc non propter defectum ex parte sui, sed ex parte suscipientis : quia gratia nulli datur repugnanti, et impugnanti gratiæ fontem. Unde et sacramenta non sanctificant, nisi digne accedentes, et absque omni fictione. Nonnunquam tamen virtute sacramentorum fit de attrito contritus, ita quod defectus dignitatis, vel præparationis ex parte suscipientis, suppletur virtute divina in sacramentis contenta, dummodo non accedat sciens in mortali peccato, vel in proposito peccandi. Unde sciendum, quod quidam suscipiunt sacramentum tantum, ut ficte accedentes; quidam rem tantum, ut qui per contritionem et fidei devotionem recipiunt gratiam prius, quam veniant ad sacramenta; quidam et sacramentum et rem suscipiunt, ut digne accedentes.

Sacramentum dicitur a *Sacrando*, et hoc potest intelligi tripliciter : aut sanctitatem efficiendo tantum; aut sanctitatem significando tantum, aut sanctitatem significando et efficiendo simul. Primo modo convenit ratio Sacramenti rebus significatis per sacramenta tam veteris quam novæ legis; secundo modo convenit signis veteris legis; tertio modo convenit sacramentis novæ legis. Hujusmodi exemplum habemus in naturis : quia medicina dicitur sanare efficiendo tantum; sudor sanat indicando tantum; sed (*a*) exercitatio sanat efficiendo et significando.

Quinque sunt quæ animam justificant, sed diversimode. Deus enim justificat auctoritate; gratia justificat formaliter, expellendo morbum spiritualem; impletio mandatorum justificat ut diæta; sacramenta vero, tanquam vasa medicinalia, in quibus confertur gratia; sacerdos autem, ministerio. Exemplum autem horum habemus in curatione morbi corporalis : Deus enim sanat corpus auctoritate, medicina effective, diæta conservative, vas medicinæ contentive, unde dicitur vulgariter : « Pyxis ista sanavit me ; » medicus vero sanat ut minister.

[1] *Apoc.*, III, 7; VI, 1 et seq. — [2] Ibid., VIII, 2 et seq. — [3] Ibid., I, 16. — [4] *Matth.*, XV, 36. — [5] *Zach.*, III, 9. — [6] *Num.*, VIII, 2. — [7] IV *Reg.*, V, 14.

CAPUT V.

De numero Sacramentorum.

Sacramenta novæ legis sunt septem, secundum septem diversitates hominum in Ecclesia : primum est intrantium, ut Baptismus; secundum pugnantium, ut Confimatio; tertium vires resumentium, ut Eucharistia; quartum resurgentium, ut Pœnitentia; quintum exeuntium, ut Extrema Unctio; sextum ministrantium, ut Ordo; septimum novos milites introducentium, ut Matrimonium.

Sacramenta figurata sunt in septem signaculis, quibus fuit Veteris Testamenti pagina sigillata, quæ Agnus [1] *qui habet clavem David, qui claudit et nemo aperit,* reseravit; item in septem tubis [2] quibus Angeli cecinerunt; item septem stellis [3], quas habebat similis filio hominis in dextera sua; item in septem panibus [4], quibus Dominus turbam satiavit; item in septem oculis [5] super unum lapidem; item in septem lucernis [6] tabernaculi, superpositis candelabro; item in septem [7] lotionibus Naaman.

Sacramenta sunt septem, quæ disponunt ad septem virtutes habendas : nam Baptismus est sacramentum fidei; Confirmatio, spei; Eucharistia, charitatis; Pœnitentia, justitiæ; Extrema Unctio, perseverantiæ, quæ est fortitudinis complementum; Ordo, prudentiæ; Matrimonium, temperantiæ. Alia etiam ratio numeri sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem culpam, et contra quadruplicem pœnam : unde Baptismus ordinatur contra peccatum originale; Pœnitentia, contra mortale; Extrema Unctio, contra veniale; Ordo, contra ignorantiam; Eucharistia, contra malitiam; Confirmatio, contra impotentiam; Matrimonium, contra concupiscentiam, quam temperat et excusat. Alia adhuc ratio numeri, quia (*b*) Sacramenta sunt causa sanativa morbi spiritualis ad modum corporalium. Medicina vero corporalis quadruplex est, scilicet curativa, conservativa, præservativa, et meliorativa. Simili modo et sacramenta curant : Baptismus curat simul, et totaliter; Pœnitentia vero curat paulatim quantum ad pœnam, quousque nullius pœnæ homo debitor sit : Extrema Unctio curat a morbis levioribus, scilicet a venialibus, sicut Baptismus et Pœnitentia curant (*c*) a lethalibus. Sic ergo prædicta

(*a*) *Cæt. edit. transtulerant* sed *ante* sudor. — (*b*) *Cæt. edit.* qua. — (*c*) *Item* curat.

Digitized by Google

tria sacramenta sunt quasi medicina curativa. Confirmatio autem est medicina conservativa sanitatis spiritualis, in qua datur Spiritus sanctus ad robur et conservationem gratiæ datæ in Baptismo; Matrimonium est medicina præservativa; Ordo est medicina meliorativa, in quo augmentatur gratia; Eucharistia hæc omnia simul facit: curat enim venialia, quæ sunt occasio ruinæ majoris; conservat etiam (a) gratiam inventam in homine, et augmentum, sicque meliorat, et nihilominus a peccato præservat.

CAPUT VI.

De potestate dispensationis Sacramentorum.

Potestas dispensationis sacramentorum regulariter spectat solum ad genus humanum. In omnibus sacramentis dispensandis, necessaria est dispensationis intentio, qua quis intendit facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio prædicta: quia ipsa Ecclesia, sicut sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat. Rursum, quia ordo dignitatis exigit, ut majora majoribus, et minora minoribus committantur: quædam respiciunt excellentiam dignitatis, ut sacramentum Confirmationis et Ordinis, unde Confirmatio et Ordo conferuntur ab episcopis; quædam respiciunt indigentiam necessitatis, ut Matrimonium et Baptismus, quorum unum generat, alterum vero regenerat, et horum dispensatio etiam personis inferioribus conceditur, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione Baptismi; quædam autem sacramenta sunt quasi media, ut Eucharistia, Pœnitentia, et Extrema Unctio. Et istorum dispensatio ad solos pertinet sacerdotes, qui sunt quasi medii inter episcopos et minores personas constituti.

Sacramenta dispensari possunt a bonis et malis, a fidelibus et infidelibus, inter Ecclesiam, et extra: quia si dispensari possent tantum a bonis, nullus esset certus de susceptione sacramenti, cum nullus sit certus de bonitate ministri, sicut nec de propria, et semper ita oporteret iterari, et malitia unius præjudicaret alienæ saluti. Idcirco sacramentorum dispensatio committitur homini non ratione sanctitatis, quæ variatur, sed ratione auctoritatis divinæ, quæ semper manet, quantum est de se.

Sciendum autem, quod in sacramentis quædam sunt substantialia, quædam vero sacramentalia. Quantum ad substantialia, non plus valet operatio boni ministri, quam mali, quia Deus ibi operatur ut auctor, homo vero ut minister. Sed in sacramentalibus, ut sunt orationes, plus potest valere operatio boni ministri, quam mali: hoc est autem per accidens, non per se, id est, quantum ad alios effectus accidentales, non quantum ad essentiales.

Quamvis apud hæreticos sint sacramenta vera, non tamen recipientibus sunt utilia, nisi ad Ecclesiæ unitatem redeant. Unde Augustinus[1]: « Ecclesia, comparata paradiso, indicat posse Baptismum homines foris recipere, sed salutem non tenere. Nam et flumina de paradisi fonte largiter manaverunt; non tamen in Mesopotamia, nec in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ, quæ de paradiso commemoratur. »

CAPUT VII.

De triplici statu Fidelium.

Triplex est status fidelium in acie ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet fidei genitæ, fidei roboratæ, et fidei multiplicatæ. Per primum fit distinctio fidelium ab incredulis in Baptismo; per secundum fit distinctio fortium ab infirmis, et hoc in Confirmatione; per tertium fit distinctio clericorum a laicis, per sacramentum Ordinis. Hinc est quod hæc tria sacramenta characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguuntur: unde nullatenus iterari possunt. Character ergo baptismalis incipientium est; Confirmationis vero, proficientium; sed Ordinis, perfectorum.

Prædicta triplex distinctio fit ad similitudinem distinctionis alicujus exercitus. Prima est communis, scilicet totius exercitus ab alio exercitu, et hæc fit principaliter per Baptismum. Secunda est specialis, scilicet militum a popularibus, hæc autem fit per Confirmationem. Tertia est specialissima, scilicet ducum militumve ab utrisque, et hæc fit per sacramentum Ordinis. Præterea, quia character est signum distinctivum spirituale et indelebile, ideo non confertur in sacramentis quæ solent iterari,

(a) *Cæt. edit.* enim.

[1] Aug., *de Bapt. contr. Donatist.*, lib. IV, c. 1, paucis mutatis.

Digitized by Google

sicut est Pœnitentia, Matrimonium, et hujusmodi.

Notandum ergo, quod character baptismalis est omnium characterum aliorum fundamentum : et ideo, illo non habito, non possunt cæteri characteres imprimi. Unde, si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus agitur.

Quamvis tria sacramenta sint, ut dictum est, quæ propter characteris impressionem non iterantur, tamen commune est hoc omnibus sacramentis, non iterari circa eamdem personam et materiam, et ex eadem causa : et hoc est ideo, ne fiat contumelia sacramento ; ex hoc enim credi posset quod sacramenta prius dispensata essent inefficacia et inepta : licet quædam ex necessitate, et aliis causis, iterari possint.

Quædam sunt de sacramentorum substantia, quædam de congruentia. Si ea quæ sunt de substantia omittantur, evacuantur sacramenta, et sunt iteranda ; omissione vero illorum, quæ sunt de congruentia, non evacuantur sacramenta.

CAPUT VIII.

De institutione Sacramentorum.

Ab initio instituta sunt sacramenta ad curationem hominum, et semper cum morbo cucurrerunt (*a*). In lege enim naturæ fuerunt oblationes, sacrificia, et decimationes. In lege autem scripta introducta est circumcisio, et adjuncta est expiatio, atque superaddita oblationum et sacrificiorum multiformis distinctio. In lege autem nova statuta sunt sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora, præeminentia digniora, atque significatione evidentiora : in quibus est impletio simul et evacuatio omnium prædictorum, sicut ait [1] Hugo de Sancto Victore. Primi temporis sacramenta fuerunt sicut umbra ; medii temporis, sicut imago, sive figura ; postremi vero temporis, scilicet gratiæ, sicut corpus, quod intra se veritatem continet et gratiam, quam significatione repræsentant, et principaliter conferunt et promittunt. Prædicta patent, quia ejusdem mundationis similitudo est in oblatione legis naturæ, sed occulte invenitur ; in circumcisione vero evidentius aliquantulum exprimitur ; per baptismum autem manifestius declaratur. Item sacramenta veteris legis nutriebant parvulos, exercebant perfectos, et duros onerando domabant. Sed hæc sacramenta novæ legis conferunt, quæ vetera de longinquo monstrabant. Unde priora sacramenta præparaverunt, et perduxerunt ad nova, sicut via ad terminum, sicut figura ad veritatem, et sicut imperfectum ad perfectum. Est et alia differentia : quia commune est omnibus sacramentis quod consistant in rebus sensibilibus, invisibilem tamen gratiam significantibus ; sed speciale est sacramentis novæ legis, quod consistant etiam et in rebus. Item sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant ; sed hoc non faciunt sacramenta veteris legis. Item sacramenta novæ legis justificant, et quantum ad opus operatum, et quantum ad opus operans (*b*) ; sed sacramenta veteris legis justificabant (*c*) solum quantum ad opus operans (*b*), quia non valebant facientibus, nisi quantum illorum charitas et devotio fidei se extendebat. Hoc non intelligitur de circumcisione, quæ cum non fuerit in lege data, nequaquam inter legalia computatur : quia ipsa in parvulis tollebat originale peccatum, et gratiam conferebat, quod non faciebant legalia. Item in lege distinguebat populum Dei ab aliis gentibus, sicut modo distinguit character baptismatis. Item legalia, secundum Augustinum [2], fuerunt ante passionem Domini viva, et statim post passionem mortua, et, postquam claruit veritas Evangelii, fuerunt omnino sepulta ; nostra vero sacramenta usque ad finem semper in suo vigore manebunt.

CAPUT IX.

De sacramento Baptismi.

Baptismus est janua omnium sacramentorum, quia nulli confertur in Ecclesia aliud sacramentum ante ipsum. De substantia Baptismi sunt quinque : primum est expressio formæ vocalis a Deo institutæ, quæ est hæc : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, absque omissione vel additione dictionis, absque præposteratione ordinis, et absque commutatione nominis : his enim quatuor modis forma verborum violatur, scilicet omissione, additione, transpositione, et commutatione, id est, si ponitur loco *Patris, et Filii, et Spiritus sancti,*

[1] Hug. de S. Vict., *de Sacram. fid.*, lib. I, part. VIII, c. XII. — [2] Aug., *ad Hieron.*, epist. XIX, al. LXXXII, n. 16.

(*a*) *Forte legendum* concurrerunt. — (*b*) *Item* operantis. — (*c*) *Cæt. edit.* justificant.

Digitized by Google

nomen *Potentis*, *Sapientis*, et *Benigni* : quia in quocumque idiomate baptizetur, non debent poni appropriata tribus personis, sed expressa nomina personarum. Similiter loco verbi *Baptizo*, non debet dici : *Immergo*, vel *Intingo*. Secundum est ablutio per elementum aquæ cujuslibet, vel maris, vel fontis, vel fluminis, sive frigidæ, vel calidæ, in toto corpore facienda, vel saltem in digniori parte, scilicet in capite. Tertium est, quod immersio ista fiat ab uno, et in eodem tempore, quando forma verborum exprimitur, ita quod non unus puerum immergat, et alius verba proferat. Quartum est intentio, vel specialis, vel generalis : specialis autem intentio est, ut iste baptizandus mundetur; generalis autem est facere illud quod facit Ecclesia. Intentio quoque illius requiritur qui est baptizandus, si est adultus, quia qui inviti baptizantur, non recipiunt sacramentum. Quintum est fides ipsius baptizandi, quia in adultis requiritur fides propria; sed in parvulis aliena, quia parvuli in fide Ecclesiæ baptizantur.

Baptismus merito fit in aqua, et non in alio liquore, quia cum homo per peccatum primi parentis incurrit immunditiam, et ignorantiam, et concupiscentiam, per Baptismum ab his tribus liberatur. Et hoc notatur in proprietatibus aquæ, scilicet puritate, perspicuitate et frigiditate. Nam baptismalis aqua sua puritate nos mundat, sua perspicuitate illuminat, atque sua frigiditate ab æstu concupiscentiæ nos temperat. Item baptismus fit in aqua, ne quem inopia excusaret, et ne propter defectum homines salutis periculum incurrerent, si in alio aliquo liquore fieret; et ut inveniatur apud omnes communis Baptismi materia.

Triplex autem est baptismus, scilicet fluminis, flaminis, et sanguinis. Inter hos talis est differentia, quia baptismus fluminis a tota pœna liberat, et a culpa, et gratiam in habitu infundit, et characterem imprimit; baptismus flaminis delet culpam non semel tantum, sed pluries, et habet gratiam in usu, in quo consistit meritum; baptismus sanguinis liberat ab omni tentatione, et confert statim præmium, quia proprium est martyrum statim evolare. Ex his patet quis sit melior inter hos baptismos, quia se habent, ut excedentia, et excessa.

In baptismo quoddam est sacramentum tantum, ut ablutio exterior; quoddam est res tantum, ut gratia interior; quoddam res et sacramentum, ut character.

Octo sunt de solemnitate baptismi, quæ non sunt de substantia; unde versus :

Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliva,
Flatus, virtutem baptismatis ista figurant :
Hæc cum patrinis non mutant esse, sed ornant.

In quatuor locis inungitur baptizandus, scilicet in fronte, ut fidem publice protestetur; in vertice, ut agenda ab eo subtilius intelligantur; inter scapulas, ut jugum Christi suavius portetur; in pectore, ut dulci corde Deus diligatur.

Baptismus fuit materialiter institutus, quando Christus [1] baptizatus fuit; formaliter, quando dixit [2]: *Ite* (*a*), *docete omnes gentes*, etc.; finaliter, quando dixit Nicodemo [3] : *Nisi quis renatus fuerit*, etc.; effective, quando Christus passus est.

Effectus baptismi multiplex est. 1. Ad alia sacramenta præparat, quia Baptismus est sacramentum intrantium. 2. A peccato mundat, quod significatum est in Mari Rubro, ubi submersi sunt Ægyptii, sed filii Israel exierunt securi. Nota, quod in baptismo deletur originalis peccati macula; fomes vero non tollitur, sed remittitur. 3. Pœnam relaxat; unde pueri induuntur veste candida. 4. Rationalem illuminat; unde ponitur sal in ore. 5. Concupiscibilem ad bonum inflammat; unde datur candela puero. 6. Irascibilem confortat; unde Israel vicit Amalech post transitum Maris Rubri. 7. Gratiam tribuit : quod figuratum est per columbam, quæ sedit super Jesum baptizatum. 8. Characterem imprimit : hoc figuratur per mare vitreum in Apocalypsi. 9. Fomitem mitigat, quod significat aquæ frigiditas. 10. Communionem Ecclesiæ præstat, sicut Hieremias circumcisus fuit, quamvis sanctificatus fuerit in utero. 11. A satisfactione exteriori liberat, quia non requirit gemitum neque planctum : intellige exteriorem, non interiorem; nam interior requiritur in adulto, scilicet contritio. 12. Potestatem diaboli minuit : quod significat exsufflatio. 13. Januam cœli aperit; quod significatum est, quando Christo baptizato aperti sunt cœli. Et notandum quod passio Christi aperuit januam cœli per causam meritoriam et satisfactoriam generalem; baptismus autem aperit per causam efficientem singularem : facit enim justum (*b*) hominem statim (*c*) evolare. 14. Os ad

[1] *Matth.*, III, 16. — [2] Ibid., XXVIII, 19. — [3] *Joan.*, III, 3.

(*a*) Vulg. *Euntes ergo.* — (*b*) *Edit. Vat.* istum. — (*c*) *Cæt. edit.* singularem.

Digitized by Google

laudandum, et aures ad audiendum aperit; unde ponitur saliva in aure pueri. 15. Templum Christi efficit; unde dicitur baptizato : *Exi, immunde spiritus, et da locum Spiritui sancto.* 16. Laudabilem coram Deo reddit; unde balsamum est in chrismate. Solent pueri baptizandi usque ad Pascha et Pentecosten, nisi urgeat necessitas, vel timeatur periculum, reservari, ad significandum quod in baptismo fit resurrectio spiritualis, et quod gratia Spiritus sancti datur. Baptismus Christi, et Joannis, conveniunt in materia, et in modo mergendi; sed differunt in forma, quia baptismus Joannis tradebatur in nomine venturi. Differunt etiam in effectu, quia baptismus Christi vivificat, Joannis autem non. Item in fine, quia baptismus Joannis ad baptismum Christi invitabat.

CAPUT X.

De Catechismo, et Exorcismo.

Catechismus, et exorcismus, tanquam præparatorii, præmittuntur (*a*) baptismo, ut in ipso gratia efficacius operetur. Tribus de causis catechismus institutus est: primo propter instructionem de articulis communibus ad fidei susceptionem; secundo, propter responsionem ad fidei professionem; tertio, propter responsionem ad fidei observationem. Quia vero adultus peccatum proprium habet, et per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo. Parvulus autem, quia non habet peccatum actuale, nec per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo per vicarium, qui pro ipso respondet de fidei observantia. Exorcismus ideo institutus est, ut a baptizando diaboli potestas repellatur. Nam propter peccatum hominis diabolus in hominem potestatem accipit, et etiam in illa quæ veniunt in usum hominis. Unde tam adulti, quam parvuli, exorcizari debent, ad expulsionem diabolicæ potestatis.

CAPUT XI.

De Confirmatione.

Confirmatio sacramentum est pugnantium; de cujus substantia sex sunt: duo ex parte sacramenti in se, scilicet materia chrismatis, et forma verborum, quæ talis est, secundum morem magis communem : *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; duo ex parte ministri, scilicet dignitas pontificalis, et intentio debita; duo ex parte suscipientis, scilicet frons in qua debet fieri chrismatio, et quod confirmandus sit baptizatus. Unctio chrismatis triplex fit in tribus sacramentis, quorum diversitas ex fine accipitur : in Baptismo fit in vertice, ad signandum fidei susceptionem, quia vertex est locus cellulæ rationalis; in Confirmatione fit in fronte, ad significandum audaciam confessionis, cujus impedimentum est timor et verecundia, quæ specialiter manifestatur in pallore vel rubore frontis, ex propinquitate cellulæ imaginalis. In Ordine fit in manibus, ad significandum potestatem consecrandi dominici corporis sacramentum.

Hujus sacramenti multiplex est utilitas, quia 1. gratiam in baptismo datam confirmat [1] : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis,* scilicet in baptismo. 2. Ad militiam spiritualem præparat; unde confirmandi, tanquam pugiles pugnaturi, inunguntur, ne ab inimicis de facili terreantur. Et quia omnes Christiani debent esse in bello Christi, propter hoc omnes debent sacramentum hoc accipere, ut facilius possint contra mundum, carnem et diabolum pugnare. 3. Ad confessionem constantem nominis Christi animat, quoniam oportet verum Deum et verum hominem confiteri : primo, ut confiteamur eum secundum divinam naturam Patri et Spiritui sancto æqualem; secundo, ut confiteamur eum, secundum humanam naturam, crucis pertulisse supplicium. Primum apparet in forma verborum (*b*), Trinitatis expressione; secundum claret in fronte, crucis signatione. 4. Intus et extra spirituali decore nos ornat: intus quidem per conscientiæ puritatem; sed extra per odorem bonæ famæ. Et hæc duo significantur in chrismate, quod conficitur ex oleo propter primum, et ex balsamo propter secundum. 5. In bonis agendis et malis sustinendis roborat : datur enim ibi Spiritus sanctus [2] *ad robur.* 6. Animam et corpus armat: animam quidem per impressionem characteris contra pusillanimitatis vitium; corpus vero, per clypeum crucis contra insultus dæmonum. 7. Contra verecundiam et timorem in confessione nominis Christi audaciam præstat : primum notatur in chrismatione frontis, quæ est locus verecundiæ; secundum,

(*a*) *Cæt. edit. add.* in. (*b*) *Cæt. edit. add.* in.

[1] *Psal.* LXVII, 29. — [2] Verba sunt Pontificalis.

Digitized by Google

in potestate ministri. 8. Pugnantem coronat: quod notatur in vitta, quæ circa caput confirmati ligatur.

Quædam sunt circa confirmationem quæ non sunt de esse sacramenti, sed de bene esse; quæ sunt hæc : quod jejunis, et a jejunio detur; quod per aliquem episcopo præsentetur, qui etiam patrinus efficitur; quod vitta capiti circumligetur.

Per istud sacramentum fiunt fideles pleni christiani, plenitudine dico copiæ, qui tamen in baptismo pleni facti sunt plenitudine sufficientiæ.

Sacramenta se habent in dignitate, ut excedentia, et excessa: nam Eucharistia præeminet in esse; Baptismus, in effectu; Matrimonium, in mysterio, quia significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ; Confirmatio in dignitate ministri, quia non confertur nisi ab episcopis; Pœnitentia in frequenti peccatorum remissione, et sic de aliis sacramentis.

CAPUT XII.

De sacramento Eucharistiæ.

Eucharistia est sacramentum charitatis tam divinæ, quam nostræ : quia Deus in hoc sacramento magnæ dilectionis nobis signum ostendit, et nostræ dilectionis affectum per idem sacramentum specialiter erga se inflammavit. De substantia hujus sacramenti sunt quatuor: primum est, quod consecrans Eucharistiam sit sacerdos; secundum, species panis et vini; tertium, intentio consecrantis; quartum est forma verborum, videlicet: *Hoc est enim corpus meum;* et ista super calicem : *Hic est enim calix,* etc.

Ad plenius intelligendum ista, nota circa intentionem, quod aliud est intentio, aliud attentio : quia intentio semper est necessaria, vel specialis, vel generalis, sicut dictum est de baptismo: attentio autem non est de substantia, sicut quando mens rapitur in prolatione verborum ad alia: quod quandoque contingit ex infirmitate; quandoque ex negligentia, vel incuria, et tunc est peccatum. Sciendum præterea quod non solum requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio istud sacramentum instituentis. Unde si aliquis sacerdos staret in foro, et super omnes panes formam verborum proferret, etiam cum intentione consecrandi, non fieret ibi transsubstantiatio: et hoc non esset propter defectum virtutis verborum, cum una vice sacerdos possit consecrare tot hostias, quot toti mundo sufficerent, si esset necessarium Ecclesiæ; sed propter defectum intentionis illius qui hoc sacramentum instituit, qui non intendit quod cum tali ludibrio, vel stultitia, fieret consecratio; sed pro utilitate, vel necessitate Ecclesiæ generalis, vel particularis.

Circa formam quoque verborum sciendum, quod cum dicitur: *Hoc est enim corpus meum,* ista conjunctio *enim* non est de substantia formæ, sed de bene esse ipsius: unde omitti non debet. Aliud namque est forma necessaria, sine qua non potest transsubstantiatio fieri; aliud forma debita, sine qua non debet fieri. Eodem modo dicendum est de speciebus panis et vini. Unde nota quod materia Eucharistiæ alia est necessaria, alia est debita: materia necessaria Eucharistiæ est panis frumentitius, quia sine illo non potest fieri confectio; materia vero debita est, quod panis ille sit azymus, quia licet in fermentato posset confici, tamen hoc non debet fieri, duplici de causa: prima est, quia panis azymus convenit institutioni, Christus enim dedit discipulis corpus suum confectum in tali materia; secunda est, quia talis panis convenit significato, Christus enim sine omni fermento peccati fuit. Similiter dicendum est de materia calicis, quia alia est materia necessaria, alia debita: materia necessaria calicis est vinum, quia sanguis Christi non potest in alia materia confici, quam in vino; materia vero debita est, quod aqua vino misceatur, et hoc duplici ratione: prima, quia talis materia convenit institutioni, Christus enim sanguinem suum sub tali specie dedit; secunda, quia talis materia convenit etiam significato, quia Ecclesia, quæ per aquam significatur, Christo per fidem et charitatem jungitur.

Sciendum præterea, quod in aceto et agresta non conficitur, quia acetum non est vinum, sed fuit, sicut et agresta non est vinum, sed erit. In confectione autem sanguinis tam modicum aquæ debet admisceri vino, quod absorberi possit ab illo : alioquin impeditur consecratio, si vinum ab aqua vincitur. Istud designat, quia cum nos ad Christum convertimur, non ipse in nos, sed nos in ipsum mutamur, quia corpori ejus mystico incorporamur.

Si una gutta vini imponitur ex aliqua negligentia sanguini, non propter hoc desinit esse sanguis, nec propter admixtionem vinum in sanguinem mutatur, sed utraque species in sua

Digitized by Google

natura permanet. Sed si de vino multum ponitur ad unam guttam sanguinis, sicut quandoque fit in ablutione, tunc ibi desinit esse sanguis, quia species illius guttæ, sub qua est sanguis, absorbetur a multo vino adjuncto.

Circa Eucharistiam est quoddam sacramentum tantum, ut species panis et vini; quoddam est ibi res tantum, ut corpus Christi mysticum; quoddam est ibi res et sacramentum, ut corpus Chrisi verum, quod traxit de Virgine : istud enim est res primi, et sacramentum secundi.

Sub utraque specie totus Christus indivisus est, scilicet corpus et anima, et Deus, ac per hoc utrobique est unum et simplicissimum sacramentum. Sub specie namque panis est corpus Christi per conversionem, et sanguis per connexionem, et anima per conjunctionem, et divinitas per unionem ; ista enim quatuor non possunt dividi, nec ab invicem separari. Eodem modo dicendum est de sanguine. Præterea Christus sic totus est in tota specie, quod est in qualibet parte ejus, sive sit integra illa species, sive divisa : ac per hoc non est ibi ut circumscriptus, vel occupans locum, vel habens situm, vel perceptibilis per aliquem sensum corporeum. Exemplum hujus habemus in speculo, quod si dividatur in multas partes, in qualibet apparet imago, quæ prius apparebat in integro. Item exemplum est de sermone, quem quis multis recitat, quia quilibet auditor recipit illum totum. Unde quamvis sermo sit unicus in proferente, totus tamen est in quolibet audiente.

Hostia frangitur in tres partes, propter multas rationes : primo, propter tres personas divinas in una essentia : sic sunt tres partes in divisione hostiæ, unus tamen Christus est; secundo, propter tres status Ecclesiæ, scilicet militantium, triumphantium, et in purgatorio ardentium; tertio, propter tres status Christi in quibus fuit, scilicet mortalis, mortuus, et immortalis; quarto, propter tres apertiones in corpore Christi tempore passionis, scilicet manuum, pedum, et lateris; quinto, propter tres substantias in Christo, scilicet divinitatis, animæ, et corporis.

Sacramentum corporis Christi præfiguratum est multipliciter, scilicet 1. in oblatione Melchisedech, in qua figurate habemus formam exteriorem sacramenti, et primum effectum, scilicet refectionem : ibi enim præcessit figura spiritualis refectionis in pane et vino; in Eucharistia est refectio spiritualis vitæ in re. 2. Item in manna, ubi figurabatur effectus gratiæ. 3. Item in agno paschali, in quo figurabatur liberatio a servitute ægyptiaca : ita noster agnus est signum liberationis a diabolo. 4. Item in diversis sacrificiis, de quibus habetur in *Levitico*, quibus figurabatur oblatio passionis Christi, ut fuit *hostia* quoad reconciliationem, et *victima* quoad satisfactionem pro peccatis nostris, et *holocaustum* quoad totius corporis sui læsionem. 5. Item in oblatione Manue, de quo legitur in libro *Judicum* [1], per quam figurabatur in quo debet fieri oblatio, et super quid, quia in fide Jesu Christi, qui per petram designatur. 6. Item in virga Jonathæ mellita [2], ubi figurabatur quis offerre debeat, quia Jonathas ; per favum vero mellis designatur devotio offerentis. 7. Figura sanguinis Christi fuit vinum, ad designandum refectionem [3] : *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* 8. Item aqua ad designondum ablutionem; unde illud [4] : *Vidi aquam egredientem*, etc. 9. Item sanguis, ad designandum redemptionem [5] : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*

CAPUT XIII.

De dignitate et excellentia sacramenti Eucharistiæ.

Dignitas et excellentia hujus sacramenti apparet in multis : primo, quia, sicut jam dictum est, tam ante legem, quam in lege fuit præfiguratum; secundo, quia a Prophetis prænuntiatum [6] : *Panem angelorum manducavit homo*: ponitur hic præteritum pro futuro prophetali certitudine. Tertio, quia a Christo institutum; et hoc dupliciter, scilicet verbo, et facto : verbo, ut patet in Joanne [7] : *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui*, etc.; facto [8] : *Accipite et comedite : hoc est*, etc. Quarto, quia ab Apostolis observatum [9] : *Convenientibus vobis in unum*, etc. Quinto, quia a summis pontificibus solemnizatum, qui ordinaverunt cantum et orationes, locum, et tempus, et vestimenta, et vasa diversa, quæ omnia sunt ad decorem hujus sacramenti.

Maxima dignitas apparet in hoc sacramento,

[1] *Judic.*, XIII, 19. — [2] I *Reg.*, XIV, 27. — [3] *Cant.*, II, 4. — [4] Verba Liturgiæ temp. pasch., ex *Ezech.*, XLVII, 1. — [5] *Hebr.*, IX, 22. — [6] *Psal.* LXXVII, 25. — [7] *Joan.*, VI, 51. — [8] *Matth.*, XXVI, 26. — [9] I *Cor.*, XI, 18.

Digitized by Google

quia cum Christus constet ex tribus substantiis, scilicet deitate, anima, et corpore, ipsa quidem deitas excellit omnia [1] : *Magnus Dominus et laudabilis*, etc. Item anima ejus præcellit omnes animas, cum sit [2] *plena gratia et veritate*, id est, perfectissima in affectiva et cognitiva. Item corpus ejus excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore beatissimæ Virginis fuit sumptum, et divinitati unitum. Ergo in Christo nobilissimum quod est in cœlo, et nobilissimum in terra unita sunt.

CAPUT XIV.

De mirabilibus, quæ sunt in Eucharistia.

Mirabilia multa sunt in hoc sacramento : primum est, quod est ibi corpus Christi in tanta quantitate, sicut fuit in cruce, et sicut jam est in cœlo, nec tamen excedit terminos illius formæ; secundum, quod ibi sunt accidentia sine subjecto; tertium, quia ibi panis ita convertitur in corpus Christi, quod non fit materia corporis Christi, nec annihilatur; quartum quod corpus Christi non augetur ex multarum hostiarum consecratione, non minuitur ex hostiarum sumptione ; quintum, quod idem corpus in pluribus locis est sub omnibus hostiis consecratis ; sextum, quod quando dividitur hostia, non dividitur corpus, sed sub qualibet parte totus est Christus ; septimum, quod quando tenetur hostia in manibus, videtur oculis corpus Christi, nec tangitur per se, nec videtur, sed hæc tantummodo circa species sunt; octavum, quia cum desinunt istæ formæ, tunc etiam desinit esse ibi corpus et sanguis Christi; nonum, quod cum non sit ibi panis vel vinum, tamen accidentia eumdem effectum habent, ut prius, scilicet satiare, inebriare, et hujusmodi.

Nota quod Deo convenit esse ubique simpliciter et proprie; creaturæ convenit esse in uno loco tantum; corpus vero Christi medio modo se habet. Cum enim sit creatura, non debet æquari Creatori in hoc, quod sit ubique; cum vero sit unitum deitati, debet in hoc excellere alia corpora, ut simul et semel possit esse in pluribus locis, sub isto videlicet sacramento.

In sacramento Eucharistiæ quoddam est secundum naturam, ut hoc quod ibi accidentia sunt in loco determinato; quoddam est ibi supra naturam, sed non supra intellectum, ut quod ibi sunt accidentia sine subjecto; quoddam est ibi supra naturam et intellectum, ut quod ibi Christus est totus, et tantus quantus fuit in cruce, nec tamen excedit terminos illius parvæ formæ.

De mirabili transsubstantiatione, nota quod triplex est mutatio : una est artificialis, ut quando fit vitrum de cineribus; alia naturalis, et hæc duplex est, scilicet accidentalis, et substantialis : accidentalis est, quando idem subjectum manet sub diversis accidentibus sibi invicem succedentibus; substantialis est, quando eadem materia manet sub diversis formis substantialibus, sicut patet in transmutatione elementorum ad invicem. Tertia est mutatio supernaturalis, ut quando nec materia nec subjectum manet, sed tantum accidentia sine subjecto : et talis mutatio est in transsubstantiatione corporis Christi.

In rerum mutatione potest notari triplex difficultas : vel ex parte termini a quo; vel ex parte termini ad quem; vel ex parte distantiæ terminorum ad invicem. Primo modo creatio est mirabilior omnibus mutationibus, quia est de non ente simpliciter; secundo modo conversio in corpus Christi est mirabilior omnibus, quia est in ens in actu prius existens; tertio modo incarnatio Christi est mirabilior quacumque mutatione, quia ibi est unio infinite distantium.

Guitmundus [3] distinguit quadruplicem mutationem substantialem : prima est a non ente in ens, et hæc dicitur generatio; secunda est ab ente in non ens, ut corruptio; tertia est ab ente in ens, quod modo non est, sed jam erit, ut productio; quarta est ab ente in ens jam existens, et talis est conversio panis in corpus Christi. Hæc mutatio non habet similitudinem in natura, sed est alterationi quasi contraria : quia hic mutatur una substantia in aliam, et manent eadem accidentia; sed in alteratione e converso est, quia ibi mutantur accidentia, et manet eadem substantia, sicut patet in corporalibus, quando de albo fit nigrum : et in spiritualibus, quando fit de justo impius, vel de ignorante sciens.

Nota quod hæc præpositio *de* multipliciter sumitur. Quandoque enim notat causam, ut cum Christus dicitur conceptus *de* Spiritu sancto; quandoque materiam, ut cum dicitur Christus natus *de* Virgine; quandoque identitatem substantiæ, ut cum dicitur Filius natus *de* Patre; quandoque

[1] *Psal.* XLVII, 2. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] Guitm., *de verit. Euchar.*, lib. I, post med.

Digitized by Google

transsubstantiationem, vel conversionem, ut cum dicitur corpus Christi fieri *de* pane; quandoque ordinem, ut cum dicitur creatura esse *de* nihilo.

CAPUT XV.

De effectu in suscipientibus corpus Christi.

Digne suscipientes corpus Christi, bonum multiplex consequuntur. Primum est Christi commemoratio [1]: *Hoc facite in meam commemorationem*, scilicet dilectionis, liberationis, imitationis. Item vivificatio interior, quia nonnunquam per virtutem hujus sacramenti fit de attrito contritus. Unde sicut in *Genesi* [2], lignum vitæ comestum vitam præstabat, sic per hanc gratiam purgamur, illuminamur, perficimur, reficimur et vivificamur. Et bene redditur vita per cibum, per quem et mors intravit. Item corporis Christi mystici incorporatio; unde dictum Augustini [3], *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*, non intelligitur de unione corporis mystici de novo facienda, sed de augenda: non enim unit dissimilia. Item spiritualis refectio [4]: *In loco pascuæ*, etc. Deus enim non tantum instituit sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, ut Baptismum; vel quod genitos roboraret, ut Confirmationem; verum etiam quod roboratos nutriret, ut Eucharistiæ, propter quod hæc tria sacramenta dantur omnibus, qui ad fidem accedunt. Item devotionis augmentatio [5]: *Impinguasti in oleo*, etc. Nutrimentum enim quod hic datur nobis quantum ad esse gratuitum, in tribus attenditur, scilicet in conservatione devotionis ad Deum, et dilectionis ad proximum, et delectationis intra nosmetipsos. Item fomitis mitigatio; Psalmus ibi [6]: *Super aquam refectionis*, etc., quia sicut aqua refrigerat, sic et istud sacramentum fervorem concupiscentiæ mitigat. Item collatio gratiæ [7]: *Descendente manna descendebat*, etc. Item virtutum roboratio [8]: *Panis cor hominis confirmet*. Item peccatorum remissio, quia per istum cibum semper fit reparatio deperditi. Unde quando dicitur in Oratione Dominica: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, statim sequitur: *Et dimitte nobis debita nostra*. Istud intelligitur de venialibus tantum, quia sicut alimentum naturale prodest viventi, et non mortuo, sic alimentum spirituale. Item contra diabolum armatio [9]: *Parasti in conspectu meo mensam adversus*, etc. Item spei elevatio; unde Apostolus [10]: *Quomodo cum illo*, etc. Item amoris excitatio; Bernardus: « Disce, Christiane, quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, aquam lateris in lavacrum.» Item fidei commendatio, quia in hoc sacramento fides elevatur (*a*) supra naturam, supra sensum, et supra intellectum; Apostolus [11]: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*. Item angelica convivatio [12]: *Panem angelorum manducavit homo*. Item regni cœlestis collatio [13]: *Qui manducat meam carnem, et bibit*, etc. Item spiritualis delectatio [14]: *Panem de cœlo præstitisti eis*, etc. Item intellectus illuminatio [15]: *Gustavit Jonathas de melle, et illuminati sunt oculi ejus*. De effectu Eucharistiæ dicit Bernardus: « Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conservat. Per hoc fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior. »

Sicut recte communicantibus multa bona proveniunt, ut dictum est; sic indigne sumentibus corpus Christi multa mala occurrunt. Nullius enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. De his per ordinem dicitur: *Fiat*, inquit (*a*) [16], *mensa eorum coram ipsis*, etc.: ecce primum. *Et in retributionem*: ecce secundum. *Et in scandalum*: ecce tertium. *Obscurentur oculi eorum ne videant*: ecce quartum. *Et dorsum eorum semper incurva*: ecce quintum. *Effunde super eos iram tuam*: ecce sextum. *Fiat habitatio eorum deserta*: ecce septimum. *In tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*: ecce octavum.

CAPUT XVI.

De modo sumendi Eucharistiam.

Corpus Christi quatuor modis sumitur. Quidam accipiunt illud spiritualiter tantum, ut qui

[1] I *Cor.*, XI, 25. — [2] *Gen.*, II, 9. — [3] Aug., *Confess.*, lib. VII, c. X, n. 16. — [4] *Psal.* XXII, 2. — [5] Ibid., 5. — [6] *Psal.* XXII, 2. — [7] *Num.*, XI, 9. — [8] *Psal.* CIII, 15. — [9] *Psal.* XXII, 5. — [10] *Rom.*, VIII, 32. — [11] II *Cor.*, X, 5. — [12] *Psal.* LXXVII, 25. — [13] *Joan.*, VI, 55. — [14] *Sap.*, XIX, 20. — [15] I *Reg.*, XIV, 29. — [16] *Psal.* LXVIII, 23-25.

(*a*) *Forte legendum* elevat. — (*b*) *Suppl.* Psalmista.

Digitized by Google

accipiunt rem sacramenti, id est gratiam, et non ipsum sacramentum corporis Christi. De hoc modo sumendi dicit Augustinus [1] : « Crede, et manducasti, » id est corpori Christi mystico incorporatus es. Quidam sacramentaliter tantum, ut communicantes in mortali peccato, quia licet Deus sit ubique per essentiam, non tamen per gratiam. Quidam spiritualiter et sacramentaliter, ut qui accipiunt rem, et sacramentum, ut communicantes in gratia. Quidam neutro modo, ut qui nec rem, nec sacramentum accipiunt, ut hæretici, qui nihil conficiunt. Primi non manducantes manducant; secundi manducantes non manducant; tertii manducantes manducant; quarti non manducantes non manducant.

Circa communionem committitur peccatum tribus modis : primo, cum quis statuto tempore communionem dimittit [2] : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc.; secundo, cum quis suo tempore communicans male accedit; Apostolus [3] : *Qui sumit indigne, judicium sibi manducat et bibit;* tertio, cum quis post communionem a peccatis se non custodit : et iste triplex malum incurrit : primo, quia Christum, quem suscepit, ignominiose a se expellit : nam turpius ejicitur, quam non admittitur hospes; secundo, quia talis quodammodo similitudinem Judæ gerit, qui postquam cum Christo cœnavit, ipsum tradidit. Sic et Absalon fratrem suum ad convivium vocavit, et postea occidit. Tertio, quia ordinem honestatis pervertit : venturo enim reverentiam exhibet, et præsenti nullam. Unde similis est illis, qui cum ramis olivarum, et clamore festivo obviaverunt Christo, et ipsum postmodum crucifixerunt.

Qualiter autem ad communionem accedendum sit, discere possumus in esu agni paschalis. Comedebant enim Judæi accinctis renibus, calceatis pedibus, baculos habentes in manibus, cum lactucis agrestibus, et panibus azymis, et festinanter. Per primum significatur puritas castitatis [4] : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ*, etc.; per secundum, affectus devotionis [5] : *Quam pulchra es in calceamentis, filia principum!* Per tertium, memoria dominicæ passionis [6] : *In baculo meo transivi Jordanem istum.* Per quartum, amaritudo contritionis [7] : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Per quintum, prômptitudo bonæ voluntatis et operationis [8] : ***Vidisti hominem velocem in operibus suis, coram regibus stabit.***

Item, quales debeant esse communicantes, ostenditur in vestibus sacerdotalibus. Requiruntur enim ista : judicium discretionis, munditia castitatis, mortificatio carnis, constantia fortitudinis, perseverantia longanimitatis, perfectio charitatis. Primum notatur in superhumerali; secundum, in alba; tertium in cinctura; quartum, in fanone, sive manipulo, qui portatur in brachio sicut clypeus; quintum, in stola; sextum, in casula.

Corpus Christi sumitur velatum accidentibus multiplici ratione. Primo, propter meritum quantum ad bonos, quia, secundum Gregorium [9], « fides non habet meritum, cui humana ratio præstat experimentum. » Secundo, propter indignitatem, quoad malos : exemplum de Bethsamitis, qui percussi sunt, quia arcam Domini viderunt. Tertio, propter imbecillitatem, quantum ad omnes : non enim possemus videre claritatem corporis Christi glorificati. Exemplum de Moyse, in cujus faciem non poterant intendere filii Israel quando resplenduit. Quarto, propter vitandum horrorem crudelitatis, qui fieret, si Christi carnem dentibus attrectaremus.

Tres sunt causæ quare laicis non datur istud sacramentum sub duplici specie : prima est, quia possent credere, quod totus Christus non esset sub utraque specie; secunda, propter periculum, quia de facili posset effundi sanguis; tertia, ut veritas respondeat umbræ, quia in lege non bibebant etiam offerentes de libamine.

CAPUT XVII.

De abstinentia a Communione.

Abstinent quidam a communione propter culpam propriam; et aliqui sine culpa mortali, sed propter sacramenti reverentiam, sicut qui sentiunt se minus mundos carne, vel mente, vel etiam indevotos : et isti bene faciunt, dummodo possint juste et sine aliorum scandalo supersedere. Ubi enim non instat necessitas, consulendum est talibus, ut de communione expectent, quousque parati, et devoti, ac circumspecti possint accedere. Nulla tamen necessitas debet compellere, ut aliquis in peccato mortali existens scienter communicet.

[1] Aug., *in Joan.*, tract. XXV, n. 12. — [2] *Joan.*, VI, 54. — [3] I *Cor.*, XI, 29. — [4] *Luc.*, XII, 35. — [5] *Cant.*, VII, 1. — [6] *Gen.*, XXXII, 10. — [7] *Psal.* LXXIX, 6. — [8] *Prov.*, XXII, 29. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XXVI, statim a princ.

Digitized by Google

Peccatum facit indignum communione tribus modis : aut in habitu, ut quando quis accedit non contritus de peccato præterito et inconfessus; aut in actu, ut quando quis immutat formam sacramenti, et irreverenter ipsum tractat; aut in proposito, ut quando habet voluntatem peccandi in futuro.

Potest etiam propter reverentiam sacramenti exclusio fieri a communione tripliciter : primo, propter reverentiam sacramenti exterioris, sic excludit pollutio, et immunditia corporalis; secundo, propter reverentiam rei contentæ sub formis, sic excludit defectus judicii et rationis, ut in pueris et amentibus; tertio, propter reverentiam rei significatæ, id est, unitatis corporis mystici, sic excludit vinculum interdicti, vel suspensionis, vel excommunicationis etiam injustæ. Sic igitur propter solam reverentiam sine omni culpa excluduntur multi a communione. Hoc primo patet in pueris, qui tamen si sunt prope ætatem adultam, scilicet decimum vel duodecimum annum, et apparent in eis signa reverentiæ et discretionis, possunt sumere, alias non. Idem patet in furiosis, qui excluduntur sine culpa, qui tamen communicare possunt, quando habent lucida intervalla. Item, cum quis habet lutosas manus, licet hoc sit sine culpa, tamen pro sola reverentia non debet tangere corpus Christi.

Tria genera hominum in lege excludebantur ab esu agni, scilicet 1. incircumcisi, qui significant accedentes irreverenter ad communionem. Legitur in libro Regum, quod percussus est Oza, qui tetigit arcam Domini. Item 2. alienigenæ; hi significant infideles, de quibus in Genesi [1] : *Fera pessima devoravit filium meum.* Item 3. immundi, qui significant habentes peccatum mortale. De his Propheta [2] : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* De his tribus nota, quod indigne sumit, qui non sumit reverenter, vel non catholice, vel habet mortale scienter.

Qui non communicat suo tempore, multa mala incurrit : primo, quia talis multiplici utilitate privatur, de qua supra dicitur in capitulo *de effectu Eucharistiæ* [3]. Si enim Raab salvata est, quia suscepit nuntios Domini, multo magis, qui ipsum suscipit. Secundo, quia constitutionem Ecclesiæ transgreditur : statuit enim Ecclesia quod qui non communicat in Pascha, vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens careat ecclesiastica sepultura. Tertio, quia maledictionem incurrit [4] : *Væ soli*, etc. Bene solus est, qui Christum non habet. Quarto, quia vices Deo non rependit; Augustinus : « Verecundum est illi hospitium denegare, qui solet omnem pulsantem admittere. » Quinto, quia vires spirituales perdit : quilibet enim qui est sine mortali, est membrum corporis mystici : membrum autem debet sustentari alimento corporis Christi veri; alioquin efficitur aridum, sicut corporeum membrum ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum.

[1] *Gen.*, XXXVII, 20. — [2] *Isa.*, LII, 11. — [3] Vid. sup., c. XV, p. 212. — [4] *Eccle.*, IV, 10. — [5] צבאות, *Isa.*, VI, 3. — [6] הושיעה נא, *Psal.* CXVII, hebr. CXVIII, 25. — [7] Κύριε, ἐλέησον.

CAPUT XVIII.

De officio Missæ.

Prærogativas plurimas habet Missa : primo, quia celebratur a jejunis; secundo, quia tantum in Ecclesia, et super altare, nisi quandoque propter necessitatem fiat sub tentorio, vel in alio loco honesto; tertio, quia oportet celebrantem esse sacerdotem; quarto, quia oportet eum indutum esse sacris vestibus; quinto, quia tantummodo fit in die, et non in nocte, nisi in Nativitate Domini; sexto, quia celebratur accenso lumine, etiamsi mille soles lucerent super terram; septimo, quia ibi sonant verba divina, angelica, et humana : divina quidem, cum dicitur vel cantatur *Pater noster*, et leguntur verba Domini in Evangelio; angelica vero, quando dicitur *Gloria in excelsis Deo*, etc.; humana autem, ut in collectis et hujusmodi. Octavo, quia ibi audiuntur tria idiomata nobilissima, scilicet hebraicum, ut *Sabaoth* [5] et *Osanna* [6]; græcum, ut *Kyrie, eleison* [7]; latinum, ut in aliis, quæ sunt ibi. Nono, quia Missa suo modo tam plena est mysteriis, sicut mare guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cœlum empyreum angelis. Decimo, quia sacerdotes in solemnibus ecclesiis habent in Missa sua plures ministros, diaconum, subdiaconum, et acolytos. Undecimo, quia angelis ibi existentibus sufficit in præsentia tantæ majestatis esse scholares. Duodecimo, quia ibi est Dominus cœli et terræ.

Officium Missæ moraliter exponitur ita. *Introitus* significat inchoationem boni operis : et duplicatur, quia in nostra inceptione debemus declinare a malo, et facere bonum. *Kyrie, eleison,*

Digitized by Google

quod novem vicibus variatur, significat invocationem misericordiæ Dei, qua novem modis indigemus : primis tribus modis ad peccatorum remissionem, quæ committimus corde, ore, et opere, quantum ad contritionem, confessionem, et satisfactionem; secundis tribus modis quantum ad gratiæ collationem, scilicet fidei, spei, et charitatis; tertiis tribus modis quantum ad glorificationem, qua gaudebimus in Deo supra nos, intra nos de nobis ipsis, et juxta nos de proximo. *Gloria in excelsis Deo* significat gratiarum actionem. *Collectæ* denotant orationem; *Epistola* et *Evangelium*, novæ et veteris legis observationem; *Graduale* et *Alleluia*, vitæ activæ, et contemplativæ perfectionem; *Offertorium*, contribulati spiritus sacrificium; *Secretæ* (*a*) significant statum vitæ; *Præfatio*, statum patriæ; *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, elevationem angelorum præsentium; *Canon*, transitum membrorum in corpus Christi mysticum. *Pater noster* filiationem significat per gratiam; *Agnus Dei*, liberationem per misericordiam : et triplicatur, ut liberemur a malis præteritis, præsentibus, et futuris. *Communio*, seu *Complenda*, significat boni operis consummationem,

Circa quædam alia, quæ sunt in Missa, nota significationem allegoricam. Intelligimus enim per *altare*, crucem; per *calicem*, sepulchrum; per *patenam*, lapidem superpositum; per *corporale*, sindonem in qua corpus Domini fuit involutum.

Nota etiam quod omnes Missæ sunt æque bonæ quantum ad opus operatum, una tamen est melior altera quantum ad opus operans. Unde melius est audire Missam boni sacerdotis, quam mali; sicut in mensa corporali eumdem cibum jucundius accipimus a mundo ministro, quam ab immundo.

Nota quod periculosum est si celebrans Missam, cæcutiens vel manus tremulas habens, vel morbum habet, aut delirus, aut idiota est : unde talibus est injungendum quod abstineant a Missa. Præterea, quando aliquis bis est celebraturus Missam, non debet sumere ablutionem in Missa priori, quia ad Missam secundam accederet non jejunus.

CAPUT XIX.

De negligentiis quæ fiunt in Missa.

Si per negligentiam evenerit quod, perlecto canone, nec vinum, nec aqua reperiatur in calice, statim infundi debet utrumque, et sacerdos iterabit canonem sive consecrationem ab illo loco : *Simili modo*, et perficiet usque ad finem, ita tamen, ut nec dimittat duas cruces, quæ fieri singulariter super hostiam consueverunt. Vel melius potest dici quod aliam hostiam sumat, et canonem a principio incipiat. Quod si de simplici vino vel aqua fiat consecratio, vinum reputabitur pro consecrato, sed aqua non.

Si quid de sanguine ceciderit super corporale, vel pallam altaris, vel super albam, vel casulam, pars illa rescindatur, et in loco reliquiarum reservetur, prius tamen extrahatur sacramentum, quantum poterit, et sumatur, deinde abluatur et sumatur ablutio.

Si vero super terram, lapidem, vel lignum ceciderit, lingendus, radendus, et extergendus est locus ille, et pulvis in sacro loco reponendus.

Porro si in ipsum sanguinem musca, vel aranea ceciderit, vel aliquid aliud tale, quod vix sine vomitu, aut mortis periculo sumi potest, perfundatur, et lavetur quam cautius potest in calice, et ablutionem sumat sacerdos : sed musca sive aranea super piscinam cremetur.

Quod si corpus sive de corpore Christi super pallam altaris ceciderit, vel super aliud vestimentum, non incidatur, sed vino abluatur, et a ministro sumatur.

Si infirmus corpus Domini rejiciat, suscipiatur, prout diligentius potest.

CAPUT XX.

De sacramento Pœnitentiæ.

Pœnitentia est, ut ait Ambrosius [1], « præterita mala plangere, et plangenda iterum non committere. » Item Gregorius [2] : « Pœnitentia est anteacta mala et peccata flere, et iterum flenda non committere. » Circa prædictas diffinitiones nota, quod quædam diffinitiones dantur per essentiam, ut : « Homo est animal rationale mortale; » quædam per causam, ut : « Dies est sol lucens. » Diffinitio autem pœnitentiæ data est per causam, et non per essentiam. Verumtamen pœnitentia diffinitur per duplicem actum : unum qui est respectu præteriti, scilicet mala præterita plan-

[1] Serm. fer. 2, post Dom. Quadrag., inter Op. S. Ambros. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, post med.

(*a*) Cæt. edit. *Secreta*.

Digitized by Google

gere; alterum respectu futuri, scilicet plangenda iterum non committere. Primus actus est in re; secundus, in proposito.

Pœnitentia duplex est : quædam interior tantum, et hæc est de jure naturali; quædam exterior, quæ fit ad arbitrium hominis. Prima non est sacramentum proprie; secunda vero est sacramentum. Non enim pœnitentia per se susceptа dicitur proprie sacramentum Ecclesiæ, cum talis etiam ante baptismum possit fieri; sed pœnitentia injuncta per ministros Ecclesiæ sacramentum est. Notandum quoque est, quod lugere pro propriis peccatis est actus pœnitentiæ, quæ est virtus justitiæ; sed lugere pro malis alienis, est alterius virtutis, scilicet misericordiæ; lugere vero pro bonis æternis, est actus tertiæ beatitudinis, de qua dicitur [1] : *Beati qui lugent*, etc.

De duratione pœnitentiæ sciendum est, quod exteriorem non oportet esse perpetuam; sed de interiori distinguitur : est enim pœnitentia interior secundum habitum, et hæc debet esse perpetua; alia est secundum actum, et hanc non oportet esse perpetuam. Semper enim tenetur quis ad interiorem pœnitentiam habitualem, qua vellet non peccasse, et vult de cætero non peccare; sed ad exteriorem pœnitentiam non semper tenetur.

Præterea alius est dolor rationalis, qui est peccati detestatio; alius sensualis, qui est passio : et primus dolor semper debet esse in pœnitentia; secundus non est de necessitate. Item, quamvis homo non sit certus de peccati remissione, tamen non oportet propter hoc pœnitentiam exteriorem esse perpetuam : quia non exigitur in talibus certitudo scientiæ, sed sufficit certitudo conjecturæ probabilis, ut est quando homo fecit probabiliter quod erat ex parte sui dolendo, confitendo, satisfaciendo, emendando.

Cum in omni sacramento novæ legis sit aliqua materia visibilis elementi, quæ est signum et causa gratiæ, oportet etiam in sacramento pœnitentiæ ita esse; sed tunc materia sensibilis large sumitur pro omni re, sive res illa sit exterior substantia, sive actio humana : unde, secundum hoc, in pœnitentia, prout est sacramentum, sunt res et verba : verba quippe in confessione et absolutione sunt; res autem est ipsa actio humana. Ad intelligendum ista plenius, nota quod sicut in medicinis corporalibus quædam consistunt in sola passione curati, ut est sectio vulneris; quædam vero in actione ejusdem, ut est exercitatio corporis : ita in sacramentis quædam consistunt in passione ejus qui sanctificatur, et non in actione, nisi per accidens, ut baptismus, confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo; quædam vero consistunt essentialiter in actu ejus qui sanctificatur, ut alia duo sacramenta, scilicet pœnitentia et matrimonium. In primis ergo, quæ sine actu nostro operantur, requiritur exterior materia, quæ significat et causam et rem sacramenti; in aliis vero ipse actus noster est pro materia sensibili. Ex prædictis patere potest quod in hoc quoddam est sacramentum tantum, ut est actus pœnitentis exterior; quoddam est res tantum, ut remissio peccatorum; quoddam res et sacramentum, ut contritio interior.

CAPUT XXI.

De qualitate Pœnitentiæ.

Est enim pœnitentia quædam vera; Augustinus [2] : « Pœnitentia vera est, pœnitenda non committere, et commissa deflere. » Quædam est falsa; Isidorus [3] : « Irrisor est, et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. » Quædam est coacta [4] : *Conversus sum in ærumna mea*, etc. Quædam est sera; Augustinus [5] : « Si tunc pœnites quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. » Quædam iniqua [6] : *Judas pœnitentia ductus*, etc. Quædam desperata [7] : *Præ angustia spiritus gementes, dicentes intra se, pœnitentiam agentes.* Quædam sancta et meritoria; Bernardus : « O felix pœnitentium humilitas! o bona spes confitentium! quam potens es apud Omnipotentem! quam facile vincis invincibilem! quam cito tremendum Judicem convertis in piissimum patrem!

Debet pœnitentia esse amara [8] : *Planctum unigeniti fac tibi.* Voluntaria; Augustinus : « Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcumque faceret homo pro differenda morte moriturus. » Perfecta; Augustinus : « Nulla pœnitentia est sera, dummodo sit vera. » Accelerata [9] : *Ne tardes converti ad Dominum.* Hieronymus : « Naviculæ hærenti in solo funem po-

[1] *Matth.*, v, 5. — [2] Imo Gennad., *de Eccles. Dogm.*, c. LIV. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXVI. — [4] *Psal.* XXXI, 4. — [5] Aug., lib. L *Homil.*, hom. XLI, al. CCCXCIII. — [6] *Matth.*, XXVII, 3. — [7] *Sap.*, V, 3. — [8] *Jerem.*, VI, 26. — [9] *Eccli.*, V, 8.

(a) *Suppl.* per Joannem Baptistam.

Digitized by Google

tius præcide, quam solve. » Perseverans [1] : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Fortis; Hieronymus [2] : « Licet in limine jaceat pater, licet mater ubera, quibus te nutrierat, ostendat, per calcatum perge patrem, » etc. Item resurrectio spiritualis, quæ est pœnitentia, debet esse cum Christo semper victuro, non cum Lazaro iterum morituro. Pœnitentia debet esse prompta, et non diu dilata : primo, ne infructuosi simus, quia diu expectamur; unde in Isaia [3] : *Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Secundo, quia ad magna vocamur [4] : *Ego ero merces tua magna.* Tertio, ne ab æternis nuptiis excludamur, sicut factum est fatuis virginibus [5], quæ differebant se præparare. Quarto, ne ab hostibus impediamur, sicut filii Israel a Pharaone, ne egrederentur de Ægypto. Quinto, quia relinquere peccatum etiam pœnis compellimur ; Gregorius [6] : « Contemnendus esset hic mundus, etiamsi rebus prosperis abundaret. At cum tot adversitatibus animum pulsat, cum tot calamitates ingeminat, quid aliud, quam ut non ametur, clamat? » Sexto, ne blande seducamur, sicut avis per fistulam aucupis, et sicut piscis per escam in hamo, et sicut ursus per mel. Septimo, ne morte præveniamur; Gregorius : « Nihil certius morte, » etc. Octavo, ne consuetudine teneamur, sicut arbor de facili non evellitur, cum bene radicatur [7] : *Numquid Æthiops potest mutare pellem suam,* etc.

Ad agendam pœnitentiam movent quatuor, de quibus Bernardus : « Nimis durum est cor, quod non emolliunt beneficia, nec terrent supplicia, nec alliciunt promissa, nec castigant flagella. »

Impedimenta pœnitentiæ sunt 1. pusillanimitas aggrediendi : tales sunt sicut equus umbraticus, qui trunco vel umbra terretur. 2. Pudor confitendi; sed, sicut ait Augustinus, verecundia magna pars pœnitentiæ est. 3. Horror satisfaciendi; sed, sicut dicit Apostolus [8] : *Hoc momentaneum et leve tribulationis*, etc. 4. Delectatio peccandi : sed temporale est, quod delectat; æternum, quod cruciat. 5. Spes diu vivendi; sed Dominus ait [9] : *Securis jam ad radicem arborum posita est.* 6. Desperatio gratiam obtinendi; sed contra (*a*) dicit [10] : *Quacumque hora ingemuerit peccator*, etc. 7. Timor recidivandi; Augustinus : « Quando cecidi, erexit me; quando steti, tenuit me; quando ivi, duxit me. » Ita loquitur de Deo. 8. Exemplum delinquendi; sed stultus est qui vidit aliquem cadentem in foveam, si non sit in eodem loco cautior. 9. Consuetudo peccandi, sicut Balaam, consuetus monstris, non curavit quod asina loqueretur. 10. Confidentia de Dei misericordia, quod quando pœnituerit, ipsum recipiet; sed hoc est peccare in Spiritum sanctum. Gregorius : « Misericordiam Dei debemus saltem erubescere, si justitiam ejus nolumus formidare. »

CAPUT XXII.

De effectu Pœnitentiæ.

Per pœnitentiam absolvitur homo a peccato, restituitur Ecclesiæ, reconciliatur Deo, donis spiritualibus ditatur, de filio diaboli filius Dei efficitur, paradisus Dei aperitur. Hæc est quæ angelos lætificat, impium justificat, amissa bona revocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat.

Item pœnitentia est secunda tabula post naufragium, ad quam potest homo recurrere, quandiu est in statu vitæ præsentis, quandocumque et quotiescumque divinam misericordiam voluerit implorare. Duplex est enim naufragium, scilicet peccati originalis, et actualis; sed de primo liberamur per tabulam baptismi, quæ virtutem et efficaciam accepit a tabula crucis Christi; de secundo autem liberamur per tabulam pœnitentiæ, quam divina clementia providit homini, quia pro peccato actuali non potest iterum baptizari.

Nota quod a reatu peccati liberamur per gratiam; a sequelis autem peccatorum, per pœnitentiam et partes pœnitentiæ; a miseria vero per gloriam. Item nota qualiter opera mortificata vivificentur : quia licet verum sit quod a privatione ad habitum non sit regressus in vita naturali, non tamen est verum in vita morali : nam a privatione ad habitum voluntarius est regressus, scilicet a morte culpæ ad vitam gratiæ. Unde dicimus, quod sicut peccata actualia transeunt actu, et remanent reatu, ita bona opera transeunt actu, et remanent merito. Secundum autem quod manent, dicuntur mortificari, vel vivificari. Bona igitur opera, quandiu

[1] *Cant.*, v, 3. — [2] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I. — [3] *Isa.*, v, 4. — [4] *Gen.*, xv, 1. — [5] *Matth.*, xxv, 12. — [6] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. xxxviii. — [7] *Jerem.*, xiii, 23. — [8] II *Cor.*, iv, 17. — [9] *Luc.*, iii, 9. — [10] *Ezech.*, xxxiii, 12, quoad sensum.

(*a*) *Suppl.* Propheta.

Digitized by Google

sunt conjuncta radici merendi, scilicet charitati, dicuntur vivere; quando autem ab illa separantur, dicuntur mortificari; et quando revertuntur, dicuntur vivificari, quia redeunt ad statum suæ originis, videlicet gratiæ et charitatis, et quia valent ad majorem radicationem charitatis.

CAPUT XXIII.

De partibus Pœnitentiæ.

Partes pœnitentiæ integrales sunt tres, scilicet contritio, confessio et satisfactio. Quamvis enim complementum peccati possit esse in actu solum oris, et cordis solum, vel trium simul; tamen ad perfectionem pœnitentiæ exigitur horum trium aggregatio, licet ad esse simplex sufficiat contritio in actu, et confessio et satisfactio in proposito. Non enim in his, quæ habent esse successivum, exigitur quod partes integrales sint simul; sed exigitur hoc in toto, quod habet esse permanens.

Quod autem tres sint partes pœnitentiæ, sic ostenditur : Pœnitentia est quoddam spontaneum judicium, in quo contritio est quasi quædam citatio; ubi sequitur rei ante judicem spontanea confessio; deinde sequitur per judicem impositæ emendæ solutio. Sed in hoc differt judicium fori a judicio poli, quia ibi confessus a jure condemnatur, et hic absolvitur.

Alia est partium istarum sufficientia : quia cum omne peccatum committatur corde, ore, vel opere, justum est ut per contrarium curetur, scilicet ut peccator culpam animo detestetur, verbo accuset, et facto puniat. Item per peccatum offendit homo Deum, Ecclesiam et seipsum; sed per contritionem reconciliatur Deo, per confessionem Ecclesiæ, et per satisfactionem sibi. Item istæ tres pœnitentiæ partes sunt tres diætæ, quibus itur ad terram promissionis, de quibus dicitur [1] : *Ibimus viam trium dierum.* Item istæ tres partes significant tres mortuos moraliter, quos Dominus suscitavit : quoniam per contritionem suscitatur puella [2] in domo, per confessionem juvenis [3] in porta, per satisfactionem Lazarus [4] in sepulcro.

CAPUT XXIV.

De Contritione.

Contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, et satisfaciendi. Hæc diffinitio magistralis est: et ponitur hic *dolor* pro genere; *voluntarie assumptus* ponitur ad differentiam doloris naturalis, qui non est meritorius, cum non sit in genere moris: sed voluntas tantum ponitur in genere moris. *Pro peccatis* ponitur ibi pro materia doloris, ad differentiam doloris invidiæ, qui est de bono alieno. Sic ergo diffinitur contritio, prout est actus virtutis; sed prout est pars sacramenti pœnitentiæ, oportet quod aliquid comparatione ad alias partes addatur : et ideo ponitur *cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

Nota quod cor dicitur *durum*, quando divinæ inspirationi se tangenti non cedit, sed obviat, in affectu peccati demorando; *frangi* vero dicitur, quando incipit a proposito peccandi resipiscere, licet nondum totaliter convertatur; conteri autem dicitur, quando voluntas perfecte ab effectu peccandi resilit.

In contritione duplex est dolor : unus est voluntatis, qui non est aliud quam peccati displicentia; alius est sensualis. Primus est de essentia contritionis, et de hoc dolore intelligitur illud [5]: *Luctum unigeniti fac tibi*, quia homo ex ratione debet magis velle nunquam peccasse, quam unigenitum vivere. Secundus vero dolor non requiritur de contritionis necessitate, sed de ejus perfectione, quia talis dolor non est in nostra potestate.

Nota etiam quod contritio potest tantum intendi, quod non solum culpa, sed etiam tota pœna dimittatur : hoc autem potest fieri dupliciter. Uno modo, ex parte charitatis, quæ displicentiam peccati causat : quia quandoque contingit tantum charitatem intendi in actu, quod contritio inde sequens merebitur absolutionem ab omni pœna. Alio modo fit istud ex parte doloris sensualis, quem voluntas in contritione excitat, quia ille dolor quædam pœna est, quæ tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem culpæ et pœnæ.

Differentia autem est inter attritionem et contritionem, sicut inter informe et formatum, secundum quod dicitur de fide informi et formata. Utrum autem attritio fiat contritio, distinguendum est, quia contritio dicitur *cum* gratia *tritio*; hoc autem potest esse dupliciter: uno modo per concomitantiam, quia gratia associatur motui existenti in anima, et illum informat, quamvis non eliciat; alio modo per cau-

[1] *Exod.*, III, 18. — [2] *Matth.*, IX, 25. — [3] *Luc.*, VII, 15. — [4] *Joan.*, XI, 43. — [5] *Jerem.*, VI, 26.

Digitized by Google

sam, ita quod motus a gratia eliciatur. Primo modo attritio fit contritio, quia actus ille simplex manens in anima formatur adveniente gratia, sicut color adveniente luce; secundo modo impossibile est quod attritio fiat contritio.

Sed si quæritur, quandiu quis de peccato dolere debeat, respondeo, sicut dicit Hugo de sancto Victore : « Deus, quando absolvit hominem a vinculo peccati, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis. » Sed detestatio peccati duplex est : quædam in habitu, ad quam semper tenetur homo etiam post perfectam peccati remissionem : de qua dicit Augustinus [1] loquens de pœnitente, quod pœnitens semper doleat, et de dolore gaudeat, et non semper doluisse doleat. Alia detestatio est in actu : ad hanc homo non semper tenetur. Sciendum autem quod beati, et damnati, et hi qui sunt in purgatorio, non habent contritionem proprie : cujus ratio est, quia in contritione proprie sumpta sunt tria, scilicet gratia, dolor, et effectus meriti satisfacientis; in beatis autem non est dolor; in damnatis vero non est gratia, et hi qui sunt in purgatorio non merentur.

CAPUT XXV.

De Confessione.

Confessio est, ut ait Augustinus, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. Hæc confessio sacramentalis, quæ est pars pœnitentiæ, convenienter describitur per materiam, quæ est *peccatum*, et per actum, qui est *aperire*, et per finem, qui est *spes veniæ*.

Duplex est confessio : quædam est mentalis, quæ fit Deo, et hæc est de jure naturali; quædam est vocalis, quæ fit homini, et hæc non est de jure naturali. Igitur ante incarnationem Christi sufficiebat confessio mentalis, quia Deus nondum erat homo; sed postquam factus est homo, debet confessio fieri homini vicario Christi. In hoc enim quod ministris sacramentorum Christus dedit potestatem ligandi atque solvendi, insinuavit confessionem eis tanquam judicibus fieri debere. Sic ergo Christus instituit confessionem tacite; sed Apostoli promulgaverunt eam expresse.

Quamvis igitur in contritione remittatur peccatum communiter, tamen confessio vocalis est necessaria : vel in re, quando habetur opportunitas; vel in proposito, quando articulus necessitatis eam excludit, et non contemptus religionis. Et ista necessitas confitendi post contritionem, non est in tali casu propter necessitatem remedii, cum peccatum jam sit dimissum; sed propter obligationem præcepti.

Confessio et satisfactio necessaria est non solum propter reconciliationem in judicio Dei, sed etiam in judicio Ecclesiæ.

Quas etiam circumstantias teneamur confiteri. Nota quod circumstantiarum quædam sunt trahentes in aliud genus peccati, ut coire cum muliere conjugata : et has tenetur homo confiteri. Quædam sunt aggravantes in eadem specie, et harum quædam sunt non aggravantes notabiliter, sicut scientia, et hujusmodi : has non tenetur quis confiteri, quia sunt quasi venialia peccata. Quædam sunt aggravantes notabiliter, et has secundum quosdam tenetur homo confiteri : non enim sufficit illi, qui accepit centum marchas de alieno, dicere : « Ego accepi alienum, » cum hoc posset verificari, si solum accepisset unum denarium; secundum alios communius, sed non tutius opinantes, non oportet. Circumstantiæ aggravantes peccatum notantur his versibus :

Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus,
Lucta pusilla, modus, culpa, genus, et status altus,
Conditio, numerus, ætas, et scandala, sexus.

Quamvis peccata alicujus nota sint sacerdoti, tamen oportet ea confiteri, quia non sunt ei nota ut judici.

Quandiu possit quis differre confessionem, duæ sunt opiniones : quidam enim dicunt, quod peccator debet statim confiteri habita opportunitate sufficienti; alii communius dicunt, quod cum confessio sit inter præcepta affirmativa, non obligat nisi pro loco et tempore. Ecclesia autem determinat in Decretalibus [2], quod omnis homo confiteatur semel in anno, quia tunc quilibet de necessitate communicare tenetur. In casibus tamen quatuor tenetur quis ante hoc tempus confiteri : unus est ratione sacramenti, quando quis vult communicare, vel celebrare; alius ratione periculi, ut si est in periculo mortis; tertius est ratione conscientiæ, ut si dictat sibi conscientia, quod statim teneatur (*a*); quartus est ratione dubii, ut si non sperat illo anno amplius habere confessorem, quem modo habet,

[1] Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XIII, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [2] Extrav., tit. XXXVIII, *de Pœnit. et Remiss.*, c. *Omnis utriusque sextus.* — (*a*) *Cæt. edit.* teneamur.

Digitized by Google

vel si habet casum de quo potest solus Papa absolvere, et modo habet copiam pœnitentiarii domini Papæ.

Si quæratur utrum confessio facta in peccato mortali valeat, dicendum est, quod confessio est in remedium, et in præceptum: in quantum est in remedium, non valet in mortali facta: tamen absolvitur homo a præcepto, sicut ficte baptismum suscipiens.

Utrum confessio sit iteranda. Nota quod regulariter nullus tenetur confessionem bona fide factam amplius iterare. Sunt tamen quatuor casus in quibus tenetur quis iterare confessionem, quorum duo sunt propter confessorem, et duo propter confitentem. Primus, si deficit confessori clavis potentiæ, eo quod non habet potestatem ab illo peccato absolvere. Secundus est, si deficit ei clavis scientiæ, quia nescit discernere. Tertius est, si confitens dimidiavit confessionem: oportet enim quod uni fiat confessio integre omnium, quæ habentur in memoria. Si vero aliqua exciderant a memoria, non ideo debet reputari confessio dimidiata. Quartus est, si contempsit, seu neglexit, et oblitus est satisfactionem: nam si sciret, et adimplere vellet, non oporteret confessionem iterare.

Si vero aliquis cadat in peccatum postquam bona fide fecit confessionem, quæstio est, utrum teneatur confessionem prius factam iterare: et est opinio quod non in specie, sed in genere; licet aliter dicant quidam.

Nota quod confessio facta per nuntium vel per epistolam, licet sit quoddam opus bonum et meritorium, tamen in quantum est pars sacramenti pœnitentiæ, non potest sic fieri: quia determinatam habet materiam, scilicet actum sermonis, quo conscientia hominis manifestari consuevit. Unde sine necessitate non licet aliter confiteri; in necessitate potest defectus per æquipollentem actum suppleri.

CAPUT XXVI.

De qualitate et effectu Confessionis.

Qualis debeat esse confessio, notatur his versibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Vera, frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Ad multa valet confessio: 1. A morte liberat, quia sicut confessio in foro contentioso damnat, sic in spirituali liberat. 2. Vulnera mentis sanat; Hieronymus: « Vulnus non intellectum tardius sanatur. » 3. Deum homini manifestat; Augustinus: « Si nollem confiteri, non me tibi absconderem, sed te mihi. » 4. Paradisum aperit; Augustinus: « O breve verbum *Peccavi*, quod portas aperit paradisi! » Exemplum in latrone dextro. 5. Peccata tegit; unde quædam Glossa: « Si homo peccatum detegit, Deus tegit. » 6. Misericordiam divinam emollit: Glossa super illud Psalmi [1]: *Delictum meum cognitum tibi feci.* Si homo agnoscit, Deus ignoscit. 7. Animum jucundat [2]: *In voce exultationis et confessionis*, etc. 8. Intercessores multiplicat: sacerdotes enim pro suis confessis orant. 9. Conscientiam mundat; Augustinus [3]: « Confitendo, fit homo de fœdo pulcher. » 10. Fœdus diaboli rumpit, sicut cum aliquis secretum alterius detegit. 11. Deo hominem conjungit; Augustinus: « Quid propius auribus tuis, quam confitens cor, et vita quæ est ex fide? 12. In via salutis dirigit [4]: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur*, etc. 13. Peccatum delet [1]: *Dixi: Confitebor adversum me*, etc. 14. Satisfactionem supplet; Glossa super Matthæum (*a*): « Jubemur confiteri peccata nostra, ut erubescentiam patiamur pro pœna. » 15. Malum præcavet: exemplum de dente putrido, qui extrahitur, ne alii computrescant.

CAPUT XXVII.

Cui debeat fieri Confessio.

Generaliter teneas, quod confessio debet fieri sacerdoti habenti claves, quæ sunt scientia discernendi, et potestas ligandi atque solvendi. Sciendum autem quod sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et pœnitentia. Unde sicut baptismus duplicem habet ministrum: unum cui competit baptizare ex officio, scilicet sacerdotem; alium cui committitur dispensatio baptismi ratione necessitatis: ita et minister pœnitentiæ duplex est: unus est cui confessio fit ex officio, sicut est sacerdos; alius, qui audiendo confessionem vicem supplere potest sacerdotis in necessitate, ut est laicus. Dicunt tamen aliqui quod cum deest copia sacerdotis, non oportet confiteri laico, sed sufficit soli Deo.

Quamvis omnes sacerdotes claves habeant,

[1] *Psal.* XXXI, 5.— [2] *Psal.* XLI, 5.— [3] Aug., *in Psal.* XCV, *Enarr.*, n. 7. — [4] *Prov.*, XXVIII, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* Matthæo.

Digitized by Google

non tamen possunt omnes ligare et solvere, sicut excommunicati, suspensi, hæretici, et damnati. Hoc autem non est propter defectum ordinis, sed quia non habent materiam debitam, scilicet subditos, qui auferuntur ab eis cum excommunicantur. Possunt tamen tales baptizare, quia hoc est sacramentum necessitatis. Possunt etiam tales Eucharistiam consecrare, quia hoc substantialiter adhæret ordini.

Dicendum etiam quod nullus potest absolvere confitentem, nisi proprius sacerdos. Proprius vero sacerdos dicitur sex modis : primo modo ipse Pastor Ecclesiæ ; secundo, per determinationem superioris, ut vicarii ; tertio, per privilegium quibusdam indultum, ut sunt Fratres Prædicatores, et Minores ; quarto, per licentiam proprii sacerdotis, dum tamen non licentietur nisi vir discretus, et honestus, et vere sacerdos; quinto, propter necessitatem, quia instante mortis periculo quilibet sacerdos potest absolvere, et peregrini absolvuntur ab illis, apud quos sunt. Sexto, propter defectum sui sacerdotis, quando scilicet est idiota, vel proditor confessionis, vel quando solet mulieres confitentes procari : tunc enim, si non invenit aliquem qui auctoritatem habeat, efficitur ei sacerdos proprius non quilibet, sed discretus, et honestus, et notus, vel ex ordine, vel ex persona.

CAPUT XXVIII.

De sigillo Confessionis.

Ea quæ geruntur exterius in sacramentis sunt signa rerum, quæ interius contingunt : et ideo confessio, qua quis sacerdoti se subjicit, signum est interioris, qua quis Deo subjicitur. Deus autem peccatum illius, qui se sibi per pœnitentiam subjicit, tegit. Unde oportet de necessitate sacramenti, quod sacerdos celet confessionem. Sunt et aliæ hujus celationis utilitates : quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, et simplicius peccata confitentur. Sacerdos autem non solum debet celare peccatum quod in confessione recipit, sed etiam omnia alia signa per quæ posset peccator aut peccatum comprehendi. Potest autem pœnitens facere, ut illud quod sacerdos per confessionem sibi factam sciebat ut Deus, sciat ut homo. Et hoc facit, dum licentiat eum ad dicendum: et ideo si dicit, non frangit sigillum confessionis. Si autem quæratur, utrum id quod scit sacerdos per confessionem, et scit alio modo, possit revelare ; super hoc diversæ sunt opiniones, sed hæc est verior, quia sive sacerdos sciat illud peccatum ante confessionem sibi factam, sive post, non tenetur celare, quantum ad id quod scit ut homo. Nota quod iste est modus dicendi : « Dico tibi in confessione ; » et non clauditur talo dictum sigillo confessionis, quia non servatur ibi modus confessionis vel ordo.

CAPUT XXIX.

De Satisfactione.

Sicut in bellis et controversiis, restituta amicitia, non statim restituitur debitum illati damni ; ita post remissionem culpæ in contritione, seu confessione, remanet debitum pœnæ satisfactoriæ. Injungit autem sacerdos quædam ad satisfactionis fundamentum, sicut abstinere a peccato, et restituere ablatum; quædam ad satisfactionis expeditionem, ut est vitare consortia malorum; quædam injungit ad substantiam satisfactionis, ut jejunare, vigilare, dare eleemosynam, peregrinari, et hujusmodi opera pœnalia; quædam injungit ad perfectionem et securitatem satisfactionis, ut sunt opera supererogationis.

Satisfactio debet respondere culpæ in tribus, scilicet 1. in numero [1] : *Lavabo per singulas noctes*, etc. 2. In pondere ; Augustinus : « Libenter debet facere immortalis futurus, quæcumque faceret pro differenda morte moriturus. » 3. In mensura ; Gregorius : « Tanto tempore debet esse amaritudo in pœnitentia, quanto fuit in culpa. » Ista tria requiruntur in pœnitentia secundum convenientiam, non secundum necessitatem.

CAPUT XXX.

De singulis partibus Satisfactionis in communi.

Satisfactionis quædam sunt partes principales, scilicet oratio, jejunium, et eleemosyna; quædam vero secundariæ, quæ ad has reducuntur, ut vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ. Dicendum ergo quod omnia opera carnem affligentia reducuntur ad jejunium; omnia opera vero spiritualia, ad orationem; omnia autem opera misericordiæ, ad eleemosynam.

Sufficientia partium principalium potest accipi respectu termini a quo est motus satisfac-

[1] *Psal.* VI, 7.

Digitized by Google

tionis, quia per jejunium revocamur a concupiscentia carnis; per orationem, a superbia vitæ; per eleemosynam, a concupiscentia oculorum. Alio modo sumitur ista sufficientia ex parte termini ad quem fit satisfactio, quia per jejunium ordinatur homo in seipso, per eleemosynam ad proximum, per orationem ad Deum. Tertio modo sumitur hæc sufficientia ex parte materiæ, de qua fit : per eleemosynam enim fit satisfactio de bonis exterioris substantiæ; per jejunium, de bonis corporis, per orationem, de bonis mentis. Quarto modo sumitur hæc sufficientia ex parte modorum satisfaciendi : fit enim satisfactio tribus modis, vel per punitionem, vel per redemptionem, vel per supplicationem. Primum facimus jejunando; secundum, eleemosynas dando; tertium, orando. Quinto sumitur hæc sufficientia ex parte effectus : per satisfactionem enim tria magna bona nobis proveniunt, scilicet impetratio gratiæ, remissio pœnæ, expurgatio reliquiarum culpæ. Ad primum videtur valere eleemosyna propter multiplicationem intercessorum; ad secundum, jejunium; ad tertium, oratio.

CAPUT XXXI.

De singulis partibus Satisfactionis.

Eleemosyna dupliciter potest accipi : aut intentione sublevandi necessitatem proximi, et sic est opus misericordiæ; aut intentione recompensandi pro debito offensæ divinæ, et sic est opus justitiæ. Unde primo modo proprie pertinet ad meritum vitæ; secundo modo, ad meritum dimissionis pœnæ, quia eleemosyna sic data proprie est satisfactoria.

De jejunio quoque sciendum est, quod in carne duo sunt : unum, natura, quæ debet sustentari; et aliud, vitium, quod debet domari. Jejunium ergo quod naturam servat, et vitium domat, bonum est, et satisfactorium; aliud vero non.

Oratio dupliciter habet fieri : aut pro impetratione bonorum, et sic est pars vel opus contemplationis : aut pro amotione malorum, et sic est proprie pars satisfactionis.

CAPUT XXXII.

De Justificatione impii.

Justificatio impii est motus ab injustitia ad justitiam. In justificatione impii quatuor requiruntur, scilicet motus liberi arbitrii, contritio, infusio gratiæ, et remissio culpæ. Horum prima duo sunt ex parte suscipientis, alia vero ex parte agentis. Prædicta autem quatuor sunt simul tempore, non natura. Prioritas autem et posterioritas, quæ secundum ordinem naturæ est, reducitur aliquo modo ad ordinem causæ et causati. Inter ista vero videtur hic ordo causalitatis esse. Causaliter enim motus liberi arbitrii prior aliis tribus est, quia requiritur consensus voluntatis in hujusmodi mutatione. Voluntas autem et liberum arbitrium sumuntur hic pro eodem. Præterea motus iste appellatur motus liberi arbitrii. Iste quoque motus qui per liberum arbitrium consentit Deo, ut primo motori, vocatur motus fidei, quia habet aliquid cognitionis, et aliquid affectionis, sicut fides. Dicamus ergo quod motus liberi arbitrii, sive motus fidei in Deum, causaliter est prior, quam motus quo de peccato quis convertitur : quia sicut in generatione peccati prior est conversio, quam aversio, cum conversio causet aversionem, ita in ejus destructione prior est conversio ad Deum per liberum arbitrium, quam aversio a creatura per contritionem de peccato. Quod enim primum est in compositione, ultimum est in resolutione. Isti vero duo motus liberi arbitrii et contritionis sunt priores, quam gratia infundatur, quia sunt causa præparatoria ut gratia detur. Quamvis enim Deus sine ulla præparatione possit impium justificare, tamen requiritur præparatio ex parte nostra : quoniam sicut requiritur præparatio ex parte materiæ in naturali mutatione ad recipiendam formam; ita in mutatione voluntaria : et hoc non est ex impotentia agentis, sed suscipientis. Alia ratio est, quia in justificatione peccatoris fit introductio unius formæ, et expulsio contrariæ : ideo requiruntur prædicta duo, scilicet motus liberi arbitrii disponens ad gratiæ susceptionem, et contritio, id est recessus a peccato, disponens ad culpæ expulsionem. Gratia vero prius infunditur, quam culpa remittatur, quia per gratiam culpa remittitur, sicut in introductione formæ prior naturaliter est forma, quæ expellit a parte agentis, quam illa, quæ expellenda est, removeri possit.

Qualiter autem justificatio fiat, in instanti, vel successive, nota distinctionem : potest enim justificatio dupliciter accipi, sicut et generatio : uno modo, ut dicat motum ad justitiam cum termino ejusdem, et sic fit successive, ut quando

Digitized by Google

succedit successiva præparatio; alio modo potest accipi, ut dicat solummodo mutationem sine motu : et hoc modo fit justificatio in instanti, et hoc triplici ratione : prima, quia fit virtute infinita et simplici, quæ immediate operatur; secunda est, quia fit in subjecto simplici, scilicet in mente; tertia est, quia ipsa forma, tam quæ expellitur, scilicet culpa, quam quæ introducitur, scilicet gratia, omnino simplex est. Ad illud quod dicit Augustinus [1], quod majus est justificare impium, quam creare cœlum et terram, dicendum est quod majus est quantum ad id quod fit, quia melius est, sed non quoad modum faciendi. Quamvis enim in justificatione impii sit resistentia formalis, scilicet contrarii ad contrarium, non tamen est ibi resistentia qua aliquid resistat agenti, scilicet Deo, cujus virtuti nihil resistere potest. In justificatione enim impii aliquid est ex parte Dei, et aliquid ex parte peccatoris, et aliquid ex parte Ecclesiæ. Ex parte Dei sunt duo, scilicet misericordia, quæ reatum indulget; et justitia, quæ emendam aliquantulam exigit, vel hic, vel in futuro, scilicet in purgatorio : hæc significatur per binos discipulos [2], quos *misit Dominus in omnem locum, quo erat ipse venturus*; tunc quidem corporaliter, nunc autem per gratiam et spiritualiter. Ex parte peccatoris sunt etiam duo, scilicet amor, et dolor : et hi sunt duæ molæ quibus peccatum conteritur, quæ secundum legem [3] non debent diabolo in pignore obligari. Ex parte Ecclesiæ similiter sunt duo : primum est meritum, præcipue Christi, quod est inexhausibile, et aliorum sanctorum, qui fecerunt opera multa supererogationis, quæ omnia sub potestate clavium sunt posita, ut quod minus est in uno membro Ecclesiæ, compensetur in alio : unde si aliquis non est membrum Ecclesiæ, non influit in ipsum meritum prædictum; secundum est indulgentia, quam dat Ecclesia per Papam et episcopos : tamen ut ipsa indulgentia tantum valeat, quantum promittitur, exigitur auctoritas et causa, scilicet communis utilitas ex parte dantis; exigitur etiam fides formata et obedientia ex parte recipientis, hoc est, ut solvat id propter quod datur.

CAPUT XXXIII.

De Pœnitentia venialium.

Pœnitentia est remedium institutum ad expiandum peccatum, cui debetur pœna sensibilis : quæ cum debeatur peccato non solum mortali, sed etiam veniali, patet quod pœnitentia est remedium contra utrumque, quia non est simpliciter de venialibus, sed de mortalibus, quia pœnitentia introducta est ad reconciliandum amicitiam, quam mortale peccatum tollit. Licet igitur pœnitentia non sit de venialibus simpliciter, tamen est per accidens, et hoc est tribus modis : primo, ratione dubii, ut quando creduntur esse mortalia; secundo, ratione statuti, ut quando homo, qui tenetur confiteri semel in anno, non habet nisi venialia; tertio, ratione periculi, ut quando venialis delectatio ad hoc producta est, quod nisi homo se avertat ab ea, trahit in mortale.

De remissione autem venialis peccati sciendum, quod in duobus casibus non remittitur. Primus est, si talis habeat peccatum mortale : quoniam sine mortali nunquam dimittitur veniale; licet e converso possit fieri, scilicet quod mortale dimittatur sine veniali. Cum enim peccatum mortale tollat charitatem, quæ universa delicta operit; constat quod existenti in peccato mortali nullum veniale remittitur. Secundus est, quando voluntas fixa manet in affectu alicujus peccati venialis determinati, quoniam illud idem tolli non potest, et hoc multiplici ratione. Prima est, quoniam omne peccatum remissione indiget quoad duo, scilicet quoad culpam, et quoad pœnam : sed non potest esse remissio secunda sine prima; quia quandiu homo culpam habet, debitor est pœnæ : culpa autem consistit in deordinatione voluntatis : unde voluntas sic manens pertinax reordinari non potest, alioquin duo opposita simul essent in eodem. Alia ratio est, quia manente causa non potest tolli effectus : sed voluntas inordinata ad aliquid est causa venialis peccati : unde manente voluntate fixa in illo, non remittitur ipsum peccatum veniale.

Sciendum etiam quod unum peccatum veniale bene potest dimitti sine alio, quia peccatum mortale, quod majoris est adhærentiæ, potest etiam remitti sine veniali. Alia ratio est, quia peccatum mortale ita Deo displicet, quod facit ipsum peccantem Deo displicere. Sed veniale, licet Deo displiceat, cum inordinatum sit, tamen non facit peccatorem Deo displicere : quia per illud non privatur gratia, sed obnubilatur, in quantum ejus processus ad ulteriora (*a*)

[1] Aug., *in Joan.*, tract. LXXII, n. 3. — [2] *Luc.*, X, 1. — [3] *Deut.*, XXIV, 6. — (*a*) *Cæt. edit.* exteriora.

Digitized by Google

impeditur : et propter hoc unum veniale non impedit, quin aliud remitti possit. Tertia ratio est, quia venialia non habent connexionem ad invicem, nec ex parte aversionis, quia non avertunt a summo bono; nec ex parte conversionis : et ideo unum dimitti potest sine alio. Non est autem sic de mortalibus, ubi non dimittitur unum sine alio, quia connexionem habent ad invicem ex parte aversionis. Quodlibet enim mortale avertit a Deo, licet non habeant connexionem ex parte conversionis.

Ex prædictis colligitur, quod aliter se habent mortalia ad invicem, et aliter venialia ad invicem, et aliter mortalia ad venialia. Mortalia enim sic se habent, quod unum non dimittitur sine altero; venialia vero sic se habent ad invicem, quod unum potest remitti sine altero. Mortalia autem sic se habent ad venialia, quod mortale remittitur sine veniali, sed non veniale sine mortali. Cujus duplex est ratio : prima est, quia mortale et veniale se habent sicut habitus et dispositio : sed ablato habitu potest manere dispositio, et non e converso. Secunda ratio est, quia mortale opponitur charitati; veniale autem, fervori ejus : sed sublata charitate tollitur fervor, et non e converso.

CAPUT XXXIV.

Propter quid dimittatur peccatum veniale.

Ad peccati venialis remissionem non exigitur novus charitatis habitus, sed sufficit novus motus : quia peccatum veniale non tollebat virtutis habitum, sed impediebat ipsius actum.

Notandum autem quod peccatum veniale non dimittitur contritione : cujus hæc est ratio, quia quandiu voluntas in aliquo veniali fixa manet, nunquam dimittitur : sed voluntatem ab eo avertere quod quis prius volebat, est displicere ei quod voluit : talis autem displicentia dolor contritionis dicitur.

Sed sciendum quod contritio potest accipi tripliciter, scilicet vel in actu, vel in habitu, vel medio modo. Contritio in habitu non sufficit ad peccati venialis remissionem, quia tunc quicumque haberet pœnitentiæ virtutis habitum, non posset habere veniale peccatum : et sic veniale peccatum non posset esse cum gratia. Contritio quoque in actu non semper requiritur, quia sequeretur quod peccatum quod quis in memoria non habet, remitti non posset: propter hoc requiritur contritio medio modo, scilicet ut peccatum displiceat actualiter, vel explicite, vel implicite. Dico autem *implicite*, quia talis actus sufficit, quia displiceret explicite peccatum veniale, si cogitatio ferretur ad illud.

Notandum etiam quod tam fervens potest esse motus charitatis in Deum, quod omnia peccata venialia consumat, etiam sine actuali cogitatione ipsorum : quia quando quis ferventer in Deum fertur, displicet ei quidquid a Deo retardat : et ita licet explicite de peccato veniali non cogitet, tamen in illo motu continetur implicite displicentia peccati venialis, vel unius, vel omnium.

Sciendum etiam quod in contritione de venialibus non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali exigitur; sed sufficit quod displiceat ei peccatum præteritum, et infirmitas qua ad peccatum veniale inclinatur, quamvis ab eo omnino immunis esse non possit : ita tamen quod voluntas non maneat fixa in uno veniali, quia illud sic retentum non dimitteretur in contritione generali, nec speciali; et hæc est ratio : quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, ut vitentur, non solum singula, sed etiam omnia; venialia vero etsi singula vitari possunt, non tamen omnia : quod ex infirmitate naturæ contingit.

Multa sunt per quæ tolluntur peccata venialia, quæ per tria comprehenduntur : primo sunt omnia illa quæ gratiam conferunt, ut omnia sacramenta Ecclesiæ; secundo, illa quibus impedimenta fervoris et gratiæ tolluntur, sicut est aqua benedicta, quæ virtutem inimici reprimit, et episcopalis benedictio; tertio est exercitium humilitatis ex parte nostra, sicut est tunsio pectoris, Oratio Dominicalis, eleemosyna, jejunium, et hujusmodi. Ratio autem horum est, quia cum venialia dimittantur per fervorem charitatis, quæ implicite vel explicite continet omnia illa, quæ nata sunt de se fervorem charitatis excitare, dicuntur venialia peccata dimittere : talia vero sunt omnia, quæ prædicta sunt. Unde cum secundum quantitatem fervoris sit quantitas remissionis, patet quod prout per enumerata major vel minor excitatur fervor, qui implicite vel explicite contritionem continet, plura vel pauciora venialia dimittuntur, non tamen semper omnia.

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

De Extrema Unctione.

Mediator Dei et hominum non solum vocatur *Jesus*, in quantum habet salvare, sed etiam *Christus*, in quantum habet unctionis gratiam in alios diffundere. Tribus vicibus inunctus fuit David : primo in domo patris sui [1], in signum regni futuri : hæc significat unctionem in baptismo ; secundo in Hebron [2] super Judam, et postea multa bella habuit : hæc significat unctionem in confirmatione ; tertio, iterum in Hebron super omnem Israel [3], post hanc autem in pace regnavit : hæc significat unctionem in extremis.

De substantia hujus sacramenti sunt quinque : primum est, quod hanc unctionem faciens sit sacerdos ; secundum est intentio debita ; tertium est materia debita, scilicet oleum infirmorum ; quartum est forma verborum, hæc scilicet : *Per istam unctionem*, etc., quam formam dicere debet injungens; quintum est locus inungendus, quia fit ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad lumbos, et ad manus, etc.

In hoc sacramento forma verborum est deprecativa, quia istud sacramentum debet valere per orationem Ecclesiæ, et per modum suffragii : datur enim ad effectum, quem homo per propria opera posset consequi, nisi infirmitas impediret. Unde nota quod in alio (*a*) sacramento verborum forma non est in sola oratione, nisi in isto. Dicit enim Jacobus [4] : *Si quis infirmatur, inducat presbyteros, et orent super eum.* In quibusdam vero sacramentis consistit in sola enuntiatione verborum virtus, sicut in baptismo ; dixit enim Dominus [5] : *Baptizantes eos,* non faciens mentionem de oratione. In aliquo autem sacramento, secundum quosdam, consistit forma in oratione et enuntiatione, ut in sacramento pœnitentiæ ; consueverunt enim confessores primo orare, dicentes : *Absolutionem, remissionem*, etc., et postea dicere : *Absolvo te.* Cum enim in peccato offendatur Deus et Ecclesia, contra primum merito fit oratio, et contra secundum absolutio. Istud autem sacramentum non datur nisi adultis qui peccata venialia videntur habere, contra quæ institutum est ; nec datur aliis quam infirmis in periculo mortis constitutis. Sanis autem non datur hoc sacramentum, quia habent aliud remedium paratum, scilicet pœnitentiam ; nec datur nisi postulantibus, qui devotione sursum eriguntur. Et si sæpe infirmatur quis ad mortem, sæpe potest inungi ; sed in una infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas ultra annum protrahatur, ita quod in uno anno propter eamdem infirmitatem nemo bis inungatur.

Effectus hujus sacramenti multiplex est : unus est sanitas, quæ est duplex : una est principalis, scilicet liberatio ab infirmitate spirituali, quæ contrahitur per peccata venialia, quibus anima debilis efficitur ad exequendum actum gratiæ et gloriæ ; alia est secundaria sanitas, quæ est quasi effectus est signum prioris sanitatis, scilicet sanitas corporalis : et hoc est verum, quando sanitas corporalis expedit sanitati spirituali : tunc enim istud sacramentum causat utrumque in suscipientibus digne. Interdum enim utilis est sanitas corporalis, scilicet ad meritum gloriæ cumulandum. Valet etiam ad devotionem excitandam, et velociorem transitum ad cœlum.

In hoc sacramento, sicut in cæteris, tria sunt : unum est sacramentum tantum, scilicet unctio exterior ; aliud est res tantum, scilicet effectus duplicis sanitatis, ut dictum est ; tertium est sacramentum et res, scilicet quædam unctio spiritualis interior, id est, mentis jucunditas et solatium.

CAPUT XXXVI.

De Sacramento Ordinis.

Quinque sacramenta, de quibus dictum est, pertinent ad statum personæ ; sed duo, de quibus dicendum est, pertinent ad communem statum Ecclesiæ : quia ordo pertinet ad generationem spiritualem ; matrimonium vero, ad generationem carnalem.

Ordinem præcedit prima tonsura, quia in omni transitu de statu ad statum convenienter interponitur aliqua dispositio media. Unde in transitu a statu laicorum ad statum ministrorum Dei, convenienter prima tonsura interponitur. Fit etiam in hac tonsura aliquorum capillorum resecatio in modum coronæ, quia in ministerium illius assumitur, cui servire, regnare est.

Est itaque duplex signum distinctivum in ordinatis, scilicet exterius tonsura, et interius character. Ad esse autem ordinis tonsura non

[1] I *Reg.*, XVI, 13. — [2] II *Reg.*, II, 4. — [3] Ibid., V, 3. — [4] *Jac.*, V, 14. — [5] *Matth.*, XXVIII, 19. — (*a*) *Al.* aliquo.

Digitized by Google

præexigitur, sed ad bene esse [1], quia dispositio congruitatis est ipsa tonsura ad ordinem, non necessitatis.

Hugo de Sancto Victore ordinem sic describit: « Ordo est signaculum quoddam, in quo potestas spiritualis traditur ordinatis, et officium. » Hic nota quod sicut in naturalibus dedit Deus superiora corpora in regimen inferiorum, sic et in spiritualibus quosdam posuit superiores, quosdam inferiores, ut illi potestatem habeant super istos: sicut sunt clerici, qui præsunt in spiritualibus, et principes ac judices sæculares, qui præsunt in temporalibus.

De substantia hujus sacramenti sunt sex: primum est potestas ordinis, quia oportet quod sit episcopus; secundum est materia, scilicet unctio in sacerdotibus, et tactus illorum quæ tangenda sunt in aliis; tertium est forma verborum; quartum est sexus virilis, quia mulier non recipit characterem ordinis; quintum est intentio recta; sextum est quod ordinandus sit baptizatus, quia baptismus est janua omnium sacramentorum.

Quoddam est hic sacramentum tantum, ut visibile signum, quo potestas traditur; quoddam est res tantum, scilicet gratia quæ confertur digne recipienti; quoddam est res et sacramentum, ut character.

Septem sunt ordines, scilicet Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, et Presbyter, qui omnium ordinum est perfectissimus, et terminus aliorum. Illi autem sunt quasi septem gradus, quibus ascenditur ad thronum Salomonis. Actus ostiariorum est custodire locum confectionis sacramentorum ab iis qui immundi determinati sunt, id est, excommunicatis. Actus lectorum est legere prophetias. Actus exorcistarum est arcere dæmones, ne dominentur in corpore nondum baptizati, scilicet per conjurationes. Actus acolytorum est deferre lumen Evangelii in lumine corporali. Actus subdiaconorum est accipere oblationes offerentibus, easque offerre diacono; legere autem epistolas, non est actus eorum principalis, sed consequens. Actus diaconorum est ordinare hostias in altari; legere autem Evangelium, vel prædicare, est actus consequens. Actus presbyterorum est consecrare corpus et sanguinem Christi, et est actus principalis; alius est consequens, scilicet ligare et solvere, per quem actum corpus mysticum præparatur, ut sit aptum et idoneum ad perceptionem corporis Christi veri.

In quolibet ordine character imprimitur; sed quando fiat, nunc dicendum est. Ostiariis quidem character imprimitur, quando datur eis clavis, et dicitur: *Sic agite tanquam rationem reddituri Deo de rebus, quæ clavibus istis recluduntur.* Lectoribus character imprimitur, cum Episcopus porrigit eis librum cum debita forma verborum; Exorcistis vero, cum dat eis librum exorcismorum cum debita forma verborum; Acolytis autem in verbis quæ dicit Episcopus, dum dat eis candelabrum; Subdiaconis imprimitur, quando Episcopus cum forma verborum dat eis calicem vacuum, et cætera vasa quorum usus est in confectione Eucharistiæ. Diaconis et Presbyteris imprimitur, quando Episcopus imponit manum capiti cum verbis ad hoc statutis.

Prædictos autem ordines Christus exercuit: ostiariatum, quando ementes et vendentes de templo ejecit; lectoratum, cum in medio seniorum librum Isaiæ [2] aperiens, legit in eo; exorcistatum, quando dæmoniacos sanavit; acolytatum, quando dixit [3]: *Ego sum lux mundi*; subdiaconatum, quando [4] linteo se præcinxit, et pedes discipulorum lavit; diaconatum, quando in cœna corpus et sanguinem suum ministravit discipulis, et dormientes apostolos excitavit; presbyteratum, quando se in ara crucis obtulit, et quando in cœna panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertit.

CAPUT XXXVII.

De qualitate Ordinandorum.

Qualitas ordinandorum consistit in duobus, scilicet in faciendis, et in evitandis. Facienda sunt hæc: In moribus sit pudicus (*Decret.* part. I, dist. XXXI (*a*), (c. VI). In habitu honestus (*Decr.* part. II, caus. XXI, quæst. IV, per totum). Cibo et potu temperatus (*Extrav.* de vit. et hon. cler., c. *A crapula*). Competenter, quâmvis non eminenter litteratus (*Extrav.* de elect., c. *Cum nobis*). Mansuetus, et moderatus (*Decret.* part. I, dist. XLI, c. I et II per totum). Tonsuram deferat clericalem (*Extrav.* de vit. et hon. cler., c. *Clericis* (*b*). Hospitalis (*Decret.* part. I, dist. XLII, c. *Si quis* et *Quiescamus* (*c*), et part. II, caus. XVI, quæst. I, c.

[1] Vid. huj. edit. tom. VI, p. 151 et seq. — [2] *Luc.*, IV, 17. — [3] *Joan.*, VIII, 12. — [4] *Joan.*, XIII, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* dist. XLIII. — (*b*) *Cæt. edit. deest* c. *Clericis.* — (*c*) *Item deest* c. *Si quis* et *Quiescamus*, etc.

Digitized by Google

Quoniam). Doctor in prædicatione (I, dist. XLIII, c. *Sit rector*). Correptor vitiorum per virgam disciplinæ (I, dist. LXXXVI, c. III). Exemplum præbeat bonæ vitæ (I, dist. XXIII, c. *His igitur*). Bonæ famæ (I, dist. XXVIII, c. *Priusquam*). Residentiam faciat in ecclesia sua, vel beneficio (*Extrav.* de cler. non resident, per totum). Unicum sufficiat beneficium habens curam animarum (*Extrav.* de præbendis, c. *De multa*). Bonus sit gubernator familiæ (I, dist. XLVII, in fin).

De necessitate clericis sunt hæc vitanda : Crimen mortalis peccati (*Extrav.* de tempor. ord., c. *Extraordinarie*). Non litigiosus (I, dist. XLVI, c. *Ecce*, et c. sequenti). Non cupidus (I, dist. XLVII, c. IV). Non lusor (*Extrav.* de vit. et hon. cler., c. *Cum decorem* et *Clerici officia*). Non negotiator (*Extrav.*, Ne clerici, vel monachi, per totum). Non exerceat venationes clamosas (*Extrav.* de cler. venatore, per totum). Non sit incontinens, nec mulieribus cohabitet (*Extrav.* de cohabit. cler. et mulier., c. *A nobis*). Non sit in comessationibus, conviviis et fabulis (I, dist. XLIV). Non intersit spectaculis (*Extrav.* de vit. et hon. clericorum). Non immisceat se negotiis sæcularibus (*Extrav.* Ne clerici, vel monachi, c. II). Nec joculatoribus, et histrionibus (*Extrav.* de vit. et hon. cleric). Tabernas debet evitare, nisi in itinere (*Extrav.* de vit. et hon. cleric). Horas non debet negligere (*Extrav.*, de celebr. Miss., c. I). Justum judicium non debet vendere (II, caus. XXVII, quæst. I, c. *Si quis Episcopus*). Ecclesiastica sacramenta non pacto, sed gratis debet dare (*Extrav.* de Simonia, c. *Tuam*, et per totum). Non sit excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis (*Extrav.* de sent. excom., c. *Cum illorum*). Non apostata (*Extrav.* de Aposta., c. ult.). Non simoniacus in ordine, vel beneficio (caus. I, quæst. I, et *Extrav.* de Simonia, per totum). Non solemniter pœnitens (de Pœnitentia, dist. I).

Ante ordinis susceptionem se quilibet per confessionem præparet (dist. XXIV, c. ult.). In peccato mortali non accedat (*Extrav.* de tempor. ordin., c. *Ad aures*). Primam tonsuram non negligat (c. *Clericis*). Nullus ordinetur, nisi examinatio præcedat (I, dist. XXIV, per totum). Non accipiantur simul minores ordines cum subdiaconatu, nec etiam simul duo ordines sacri, sed gradatim (*Extrav.* de temporibus ordin., c. *Litteras*). Nec per saltum recipiat quis ordines (I, dist. LII, cap. I). Nec ab alieno episcopo, sed a suo (I, dist. XXX, c. *Perlectis*). Nec contra Episcopi prohibitionem, et sine titulo (*Extrav.* de vit. et hon. cler., c. *Cum secundum Apostolum*). Nec furtive (*Extrav.* de eo qui furt. ordin. suscep., c. I et ult.) Missam, in qua ordinatur, et audiat, et tangat omnia quæ sunt tangenda, unusquisque in susceptione sui ordinis (I, dist. XXV, c. *Perlectis*). Non accedat non licentiatus et præsentatus (*Extrav.* de scrutin., c. I). Jejunus a jejuno suscipiat ordines (*Extrav.* de tempor., c. *Litteras*). Non recipiantur ordines, nec conferantur, nisi temporibus ab Ecclesia institutis (*Extrav.* de tempor. ordin., c. I et III).

Multa sunt, quæ impediunt promovendum etiam sine culpa, licet non sine causa. Non debet enim promoveri ignotus (*Extrav.* de peregrin., c. I). Bigamus (I, dist. XXVI, c. *A cunctis*). Neophytus (I, dist. XLVIII, c. *Quoniam*). Corpore vitiatus (II, caus. XVI, quæst. I, c. *Legi*). Qui non est de legitimo matrimonio natus (*Extrav.* de fil. presbyt., c. I). Servus (*Extrav.* de serv. non ordin., c. I et II). Obligatus ad ratiocinia quandoque expellitur ab ordinibus.

Ex prædictis patet, quod dignitas clericalis, nec ordines non conferuntur a quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec in quolibet tempore.

CAPUT XXXVIII.

De sacramento Matrimonii.

Matrimonium est conjunctio maris et feminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Matrimonium per sponsalia initiatur, per consensum animorum, expressum per verba de præsenti, ratificatur, per carnalem copulam consummatur et perficitur.

Ad hoc autem, sciendum quod duplex est perfectio : prima est in esse simpliciter, secunda in esse completo, sicut patet in puero, in quo est perfectio quantum ad esse hominis simpliciter, sed non est in eo perfectio quantum ad esse completum, secundum quantitatem et operationem hominis. Eodem modo dicendum est de matrimonio, in quo duplex est perfectio : prima est quæ facit matrimonium, scilicet consensus animorum per verba de præsenti expressus : et ad hanc non exigitur copula carnalis. Secunda perfectio est quæ matrimonium consummat : et ad hanc exigitur carnalis copula.

Bonum matrimonii triplex est, scilicet fides, ut neuter alieno thoro maculetur; proles, ut ad cultum Dei nutriatur; sacramentum, ut non

Digitized by Google

dissolvatur. Licet enim Ecclesia possit divortia propter impedimenta matrimonii facere, nunquam tamen potest nec debet matrimonium, quod legitime celebratum est, dissolvere : quia quos [1] *Deus conjunxit*, homo non potest, quantæcumque auctoritatis sit, separare. Tamen solvitur matrimonium per mortem.

Sciendum quod duplex est conjunctio in matrimonio, et duplex est mors correspondens illi. Est enim conjunctio spiritualis per consensum animorum, quæ solvitur per mortem spiritualem, qua homo moritur mundo per religionis ingressum; alia est conjunctio carnalis per commixtionem sexuum, quæ solvitur per mortem corporalem.

Est autem causa matrimonii quadruplex, scilicet efficiens, ut consensus animorum per verba de præsenti expressus; materialis, ut ipsæ personæ legitimæ; formalis, ut benedictio, annuli subarrhatio, et hujusmodi; finalis, duplex est : una principalis, scilicet prolis procreatio, et fornicationis evitatio, quia matrimonium non solum in officium, sed in remedium institutum fuit, licet fuerit primo solum in officium. Alia est secundaria, et illa est multiplex; unde versus :

Hostes conciliat, et eo discernitur hæres;
Bis ligat, alma notat, jus transfert, auget honorem.

Quadruplex distinguitur matrimonium : primum est carnale inter virum et mulierem; secundum est morale inter Deum et animam in Ecclesia militanti per gratiam; tertium est allegoricum inter Christum et Ecclesiam; quartum anagogicum inter Deum et animam in Ecclesia triumphante per conjunctionem gloriæ.

Potest quis accedere ad uxorem suam quatuor de causis, scilicet causa prolis, causa reddendi debitum, causa vitandæ incontinentiæ. Istis tribus causis non est peccatum. Quarto potest fieri causa explendæ libidinis : et hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis, vel mortalis.

Fit autem peccatum in conjugali coitu quinque modis; unde versus :

Quinque modis peccat uxore maritus abutens,
Tempore, mente, loco, conditione, modo.

Nota quod uxor dimissa propter fornicationem, reconciliatur viro multis modis. Unde versus :

Ultimo mœchatur, retinet, nec conciliatur,
Absens prostituit, jus, fraus revocant mulierem.

Tria sunt ornamenta sponsæ, scilicet annulus in digito, monile in pectore, corona in capite. Primum significat operis puritatem, quia in manu est opus. Secundum, affectus sinceritatem, quia in pectore est affectus. Tertium, contemplationis claritatem, quia in capite est perspicacitas intellectus.

Multis de causis beata Virgo fuit desponsata viro : primo, ut designaret Ecclesiam desponsatam Christo, quæ similiter est virgo; secundo, ut Joseph testis esset integerrimæ castitatis ejus; tertio, ut per Joseph origo ejus ostenderetur, quia per viros genealogia texitur; quarto, ne infamaretur, si generaret non habens maritum; quinto, ne velut incontinens damnaretur, quia de tribu erat sacerdotali, et tales comburebantur, aliæ adulteræ lapidabantur; sexto, ut virgo virili solatio sustentaretur; septimo, ut partus diabolo celaretur; octavo, ne Judæi Christum tanquam illegitimum juste persequi viderentur; nono, ne legi, quæ commendat matrimonium, contrariari Dominus videretur.

Notandum, quod duodecim sunt impedimenta matrimonii. Unde versus :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis :
Hæc socianda vetant conjugia, juncta retractant.

[1] *Matth.*, XIX, 6.

Digitized by Google

LIBER SEPTIMUS

DE ULTIMIS TEMPORIBUS

CAPUT PRIMUM.

De fine mundi.

Finale judicium quædam sunt antecedentia, quædam concomitantia, quædam sequentia. Antecedentia judicium tria sunt, scilicet pœna purgatorii, Ecclesiæ suffragia, persecutio Antichristi. Concomitantia judicium duo sunt, scilicet conflagratio mundi, et resurrectio corporum. Consequentia judicium duo sunt, scilicet pœna infernalis, et gloria cœlestis. De quibus per ordinem dicendum.

CAPUT II.

De Purgatorio.

Purgatorius ignis corporeus est, per quem tantummodo spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam, neque satisfactionem condignam, affliguntur. Hi qui sunt in purgatorio, spem habent evasionis, quia sciunt se non esse in inferno; et tamen propter pœnarum magnitudinem hoc aliquando non advertunt.

Multæ rationes sunt, quare oportet esse purgatorium. Prima est, quia secundum Augustinum [1] tria sunt genera hominum : quidam sunt valde mali, quibus non prosunt Ecclesiæ suffragia; quidam valde boni, quibus non sunt necessaria; quidam nec valde mali, nec valde boni, qui habent venialia, et his debetur pœna purgatorii. Secunda est, quia sicut summa bonitas non patitur quod bonum remaneat irremuneratum, ita summa justitia non patitur quod malum remaneat impunitum. Tertia est, quia divinæ lucis tanta est dignitas, quod eam soli mundi oculi cernere possunt. Unde oportet, quod quilibet veniat ad munditiam baptismalem, antequam conspectui divino præsentetur. Quarta est, quia culpa est offensiva divinæ majestatis, et damnosa Ecclesiæ, et deformativa in nobis imaginis divinæ. Sed offensa requirit punitionem, damnum requirit satisfactionem, et deformatio expurgationem : propter quod necesse est, quod peccato pœna vel hic, vel alibi respondeat. Quinta est, quia contraria contrariis curantur : sed peccatum oritur ex delectatione : unde debet per pœnam deleri. Sexta est, quia nulli debet negligentia suffragari : sed si non puniretur talis, videretur in futuro commodum reportare de negligentia pœnitentiæ dilatæ. Septima est, quia justum est, ut spiritus, qui contempto summo subjecit se infimo, id est, peccato, subjiciatur postea inferioribus, id est, pœnis.

Nota quod animæ, postquam fuerint in igne sufficienter purgatæ, statim evolant ad gloriam; et hoc patet multiplici ratione : primo, quia post purgationem nulla remanet ad gloriam dissimilitudo in anima : unde merito illi debet jungi. Secundo, quia janua cœli illis semper est aperta, qui nullum habent obstaculum. Tertio, quia necesse est illos spiritus, in quibus est charitas sursum elevans, et nihil retardans, sursum elevari ad gloriam. Quarto, quia cum Deus sit pronior ad miserendum, quam ad puniendum, merito debet purgatos conjungere gloriæ, quos purgandos subjecit pœnæ. Quinto, quia non punit Deus bis in idipsum. Unde cum iste sufficienter satisfecerit in pœnis ignium, non amplius debet puniri in dilatione præmiorum. Sexto, quia post purgationem non debet talis esse in purgatorio; neque in limbo, quia non est de numero illorum puerorum; neque in inferno, quia non est de numero damnatorum : ergo debet esse in cœlo, quia post mortem non sunt alia receptacula animarum. Septimo, quia efficacior est charitas quam iniquitas : sed iniquitas statim ducit ad supplicia : ergo charitas statim ducit ad præmium. Octavo, quia sicut cessante impedimento corpora gravia feruntur deorsum, et levia sursum; sic malorum spiritus, remoto carnis onere, statim feruntur ad locum suppliciorum, propter peccati

[1] Aug., *Enchirid.*, c. CX, n. 29.

Digitized by Google

gravitatem; spiritus vero bonorum, si non sit impedimentum alicujus culpæ, vel pœnæ debitæ, statim feruntur ad locum præmiorum.

CAPUT III.

De acerbitate pœnæ Purgatorii.

In purgatorio duplex est pœna: una est damni, de carentia divinæ visionis; alia sensus est, de afflictione ignis: et quantum ad utrumque minima pœna purgatorii major est maxima pœna mundi. Istud patet de pœna damni: quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est, quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum jam tempus habendi advenerit: ideo carentia ejus molestius toleratur. Istud etiam patet de pœna sensus, quia cum dolor non sit essentialiter læsio, sed læsionis sensus, tanto magis dolet anima, quanto magis sentit sensitivum aliquid. Ideo ab igne in ipsam agente maxime affligitur.

Ratio acerbitatis pœnæ purgatorii hæc est, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multo majorem non ita voluntariam in futuro, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi. Unde oportet ut quod ibi deficit in voluntate, hic suppleatur in acerbitate.

De igne qui purgat animas, dupliciter est loquendum: vel quantum ad id, quod primo animas affligit, et sic est corporeus; vel quantum ad quod proxime affligit, et immediate, sic est incorporeus. Primo modo dicitur ignis vere; secundo modo, similitudinarie, sicut leo verus, et leo pictus. Utrumque tangit Gregorius, quando dicit [1]: « In eo ardent, dum ardorem vident. » Ille autem ignis corporeus dupliciter potest considerari: primo (*a*) est instrumentum naturæ, sic agere potest in corpus, et non in animam; secundo, prout instrumentum divinæ justitiæ, sic agit in animam, imprimendo illi speciem suam, per quam affligitur, quia violenter illa specie informatur. Sicut enim anima secundum ordinem naturæ unitur corpori, ut instituat vitam, sic merito secundum ordinem justitiæ unitur igni, a quo suscipiat pœnam.

[1] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. IX. — [2] Vid. sup., pag. 165. — [3] I *Cor.*, III, 12.

Nota quod dæmones non puniunt animas in purgatorio; sed illic eas adducunt, vel etiam assistunt, ut communiter dicitur. Ex permissione tamen Dei dæmones in hac vita quandoque bonos affligunt; sed hæc est ratio: quia in præsenti durat pugna inter dæmonem et hominem, quia dæmon habet in eo potestatem exercitii; sed post hanc vitam non sic. Unde aer iste caliginosus est assignatus dæmonibus magis propter tentandi officium, quam propter supplicium.

De locis pœnalibus, ubi sint et quot, require sup., lib. IV, cap. *de Descensu Christi ad inferos* [2]. Sciendum tamen de loco purgationis, quod dupliciter assignatur: aut secundum legem communem, et sic est in uno loco in parte inferni circa limbum patrum; aut secundum dispensationem specialem, et sic purgantur animæ aliquando in diversis locis, in quibus peccaverunt. Hoc autem fit propter aliquam suam relevationem per suffragia eorum, quibus apparent in illis locis, vel etiam propter aliquam ædificationem viventium. Ignis autem ille plus vel minus cruciat, secundum quod plus vel minus de combustibili, seu cremabili, quisque secum tulit. Oportet enim, priusquam facies Dei videatur, sicut legimus [3], quod ligna, fœnum, stipula, id est, majora, minima, mediocria, et venialia totaliter per crematione consumantur. Prædicta vero pœnæ diversitas non est ex diversitate ignis ardentis, seu agentis, sed subjecti patientis, sicut ab eodem sole unus plus æstuat, alter minus, ut dicit Gregorius. Necesse est autem, ut dicit Augustinus, quod tantum urat dolor, quantum hæserat amor: tanto enim quisque torquebitur diutius, quanto affectus ejus venialibus adhærebat fortius.

CAPUT IV.

De suffragiis Ecclesiæ.

Sicut pertinet ad divinæ justitiæ severitatem bonos propter venialia puniri, ita pertinet ad bonitatem divinæ misericordiæ eosdem per suffragia relevari. Prosunt ergo suffragia defunctis, non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ; et hoc, vel ad pœnarum mitigationem, vel ad celeriorem liberationem.

Sunt autem quatuor modi suffragiorum generales, ad quos omnes alii reducuntur, sci-

(*a*) *Suppl.* prout.

Digitized by Google

licet oratio, jejunium, eleemosyna, et sacramentum altaris. Quorum numerus sic accipitur : quoniam defuncti a pœna absolvi possunt duobus modis, scilicet per viam gratiæ, et per viam justitiæ. Per viam gratiæ dupliciter : primo per intercessionem publicam capitis, quæ est in oblatione sacramenti altaris; secundo per intercessionem quasi privatam membrorum, scilicet per orationes justorum. Similiter per viam justitiæ dupliciter : primo per modum redemptionis pœnæ, scilicet in eleemosynarum largitione; secundo per modum solutionis pœnæ, scilicet in jejuniorum afflictione. Si autem quæritur, quando incipiat valere defuncto id quod pro se fieri mandavit; dicendum quod opus operans, id est, meritum auctoris statim consequitur mortuum de bonis, quæ præcepit pro anima sua fieri; sed non opus operatum, id est fructus ipsius operis, usquequo fiat (*a*) : quia primum valet ex merito absoluto, sed secundum ex merito conditionali.

CAPUT V.

Quorum suffragia prosint, et quibus.

Ad hoc quod valeant suffragia, requiritur aliquid ex parte agentis, et aliquid ex parte mortui recipientis. Ex parte agentis requiritur quod sit in charitate, et quod intentionem suam dirigat ad illos, quibus vult ut opera sua proficiant. Distinguendum est tamen quod suffragia per malum possunt fieri dupliciter : vel ut per auctorem, et sic non prosunt nisi forte per accidens, scilicet in quantum per eleemosynas mali hominis excitantur boni pauperes ad orandum pro defunctis; vel ut per ministrum, et hoc dupliciter, quia vel facit ea ut (*b*) minister publicus Dei et Ecclesiæ, sicut quando sacerdos malus celebrat Missam, vel agit exequias mortuorum, et talia semper prosunt, quia malitia ministri non nocet operi boni auctoris : sicut patet in domino justo dante eleemosynam per servum malum. Si vero facit ea ut minister privatæ personæ, existentis tamen in charitate, sive defuncti, sive alterius, etiam talia prosunt, quia opus illud, licet sit mortuum quoad ministrum, non tamen quoad auctorem. Si vero malus minister facit aliqua de mandato ejus qui non est in charitate, non prosunt.

(*a*) *Cæt. edit.* fiant. — (*b*) *Al. deest* ut. — (*c*) valet.

Aliquid etiam exigitur ex parte accipientis ad hoc ut suffragia prosint illi. Primum est, quod ipse sit in charitate. Unde non valent (*c*) his, qui sunt in inferno, quia sunt a corpore Christi mystico separati : unde nulla spiritualis influentia pervenit ad eos, sicut nec influentia corporalis valet membris a corpore amputatis. Secundum est indigentia : unde non valent beatis, qui non sunt amplius in via, sed in termino, nec possunt ad altiora ascendere; sed potius e converso illorum suffragia prosunt nobis. Utrumque autem est in his qui sunt in purgatorio, scilicet charitas et indigentia : unde sicut potest homo satisfacere pro altero vivente, qui per se non valet, ita potest etiam pro defuncto.

Nota quod suffragia prosunt defunctis, sed magis aut minus pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro charitate vivorum, qui magis sollicitantur pro aliquibus, quam pro aliis. Illa enim suffragia, quæ specialiter fiunt pro aliquibus, plus valent illis, quam aliis, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Suffragia vero, quæ communiter pro defunctis fiunt, quamvis pro modulo suo omnibus prosint, illis tamen amplius, qui, dum essent in via, magis meruerunt ut sibi prodessent. Quamvis autem, ut dictum est, suffragia non prosint iis qui sunt in cœlo, nec illis qui sunt in inferno, tamen aliquo modo prosunt etiam illis. Unde nota quod valent illis qui sunt in purgatorio, per modum purgationis; valent salvatis qui sunt in cœlo, per modum conjunctionis, quia multiplicatio salvandorum augmentat gloriam accidentalem. Valent et damnatis in inferno per modum diminutionis : quanto enim plures salvantur per meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur, et ita minor erit pœna per subtractionem consortii illorum : valent etiam impiis facientibus per modum meriti, quia cum pro parvulis defunctis celebrantur Missæ mortuorum, hoc non fit propter illorum indigentiam, cum statim evolent ad gloriam, sed propter gratiarum actionem.

CAPUT VI.

Utrum Indulgentiæ prosint defunctis.

Papales indulgentiæ prosunt defunctis in purgatorio : quod patet, quia crux aliquando datur pro duabus, vel tribus, vel quatuor, vel decem animabus. In Ecclesia enim est thesaurus meritorum tam Christi, quam perfecto-

Digitized by Google

rum, de quo solus Papa, qui habet claves hujus thesauri, pro necessitate Ecclesiæ potest accipere et dispensare. Alii autem, sicut Episcopi, non habent in his potestatem generalem, sed limitatam, et non nisi per summi Pontificis dispensationem. Dicendum ergo quod Papa proprie non absolvit defunctos a pœna, sed quasi pro eis de communi thesauro Ecclesiæ solvit : sicut aliter creditor liberat debitorem, dum eum a debito absolvit, et aliter amicus debitoris, dum pro eo debitum solvit : sed viventes utroque modo absolvit Papa. Illi autem quibus datur indulgentia, non possunt eam ulterius dare, neque vivis, neque defunctis : et hoc duplici ratione. Primo, quia indulgentia non est donum collativum gratiæ, sed privativum, pœnæ : privatio cum nihil sit, aliis communicari non potest Secundo, quia dare indulgentiam auctoritatis est et jurisdictionis, quam non habent laici, ex eo quod indulgentiam ab aliis recipiunt : unde non possunt defunctis impendere indulgentiam per auctoritatem, sed solum boni operis sui suffragium per charitatem : Papa vero potest utrumque.

CAPUT VII.

De adventu Antichristi.

Antequam Dominus veniat ad judicium, regni Romani fiet destructio. Nam, sicut dicit Glossa [1] super Apostolum : « Prius erit discessio ab utroque imperio, qua completa aderit Antichristus. » Hic ex parentum seminibus concipietur ; sed post conceptum descendet spiritus malignus in matris uterum, cujus virtute et operatione deinceps puer nascetur, aletur, adolescet : propter quod et filius perditionis vocabitur. Nascetur autem in Babylonia de tribu Dan, sicut dicit Glossa super Apostolum. Post hoc veniet in Hierusalem, et circumcidet se, dicens Judæis se esse Christum illis promissum : unde plebs judæa specialiter ei adhærebit, sicut dicit Haymo super Apocalypsi, donec Enoch et Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint salvandi, ad Christum revertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam ; sed quando ita obstinabitur in peccato, quod dicet se esse Deum, et extollet se super omne id quod dicitur Deus aut colitur, sicut dicit [2] Apostolus, tunc primo deseret eum angelus ex toto, nec habebit eum postmodum ad promotionem, sed ad accusationem.

[1] II *Thess.*, II, 3. — [2] Ibid.,4. — [3] *Dan.*, XI, 37. — [4] *Dan.*, VIII, 25. — [5] Gloss. *in Dan.*, VIII. — [6] *Psal.* IX, 27. — [7] *Apoc.*, XVI, 9 et seq. — [8] *Dan.*, XI, 36. — [9] *Apoc.*, XIII, 16. — [10] II *Thess.*, II, 4. — [11] *Coloss.*, II, 9. — [12] *Gen.*, XLIX, 17.

CAPUT VIII.

De vita Antichristi.

Antichristus erit luxuriosus, et *in concupiscentiis feminarum* [3], ut habetur in Daniele ; in aperto tamen per hypocrisim simulabit sanctitatem, ut facilius decipere possit. Cor suum per superbiam magnificabitur, sicut dicit Daniel [4] : *Contra principem principum consurget*, id est, contra Deum. Et ut dicit Glossa super *Danielem* [5], « in tantam elevabitur superbiam, quod leges et cærimonias mutare conabitur, vel cursum temporum. » Tantæ quoque præsumptionis erit, quod non putabit se a Deo puniendum, propter hoc quod judicium differtur [6] : *Auferentur judicia tua a facie ejus.* Erit etiam blasphemus, sicut in Apocalypsi [7] dicitur. Unde Daniel [8] : *Adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Item ad majorem Dei contumeliam faciet imaginem suam adorari, et omnes suo charactere signari *in manu dextera et frontibus suis*, sicut habetur in Apocalypsi [9]. Confitebitur enim se verum filium Dei, et filium hominis [10], *ita ut in templo Dei sedeat tanquam ipse sit Deus*, et se faciet adorari. Judæi namque templum, quod Romani destruxerunt, reædificabunt. Affirmabit ante se nullum fuisse Christum, sed Antichristos fuisse, ut dicitur in Glossa, quia sicut in Christo [11] *omnis plenitudo divinitatis habitat*, ita et in Antichristo plenitudo omnis iniquitatis : quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus.

CAPUT IX.

De quatuor modis quibus decipiet.

Merito comparatur Antichristus cerasti [12], qui est serpens cornutus, quia quatuor cornibus armabitur, scilicet callida persuasione, miraculorum operatione, donorum largitione, et tormentorum exhibitione.

Primus ergo modus subvertendi homines erit callida persuasio. Prædicabit enim legem novam pravam esse, et legem Christi pro posse destruet. Prædicatores enim sui discurrent per universas partes mundi. Impedient quoque

Digitized by Google

apostoli Antichristi, ne Scriptura secundum veritatem exponatur a catholicis doctoribus, vel a (*a*) fidelibus audiatur; ipsi autem bonos se simulabunt, et tamen mala suadebunt.

Secundus modus subvertendi erit per fallacia miracula, quia per artem magicam illa faciet. Unde Glossa super Apocalypsi : « Magica arte statuam faciet loqui et futura prædicere, et *faciet*, sicut dicitur in Apocalypsi [1], *ignem de cœlo descendere in terram*. Glossa : « Id est, malignum spiritum faciet super eos descendere, ut loquantur variis linguis. » Spiritus enim malignus descendet in eos in conspectu hominum, sicut Spiritus sanctus descendit in apostolos Christi. Unde jactabunt se esse meliores apostolis Christi, qui Spiritum acceperunt in conclavi. Item per artem magicam simulabit se mortuum, et feretur a dæmonibus in aera, quasi ascendat in cœlum : et sic putabitur ab hominibus resurrexisse, qui prius mortuus putabatur : et tunc mirabuntur populi, et adorabunt eum, atque laudabunt. Ecclesia vero non faciet tunc miracula. De hoc modo decipiendi dicitur in Psalmo [2] : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua*. Glossa : « Recte Antichristus comparatur leoni existenti in spelunca, quia in eo vis et dolus operatur : vis enim per leonem, dolus per speluncam intelligitur. » Gregorius [3] : « Pensemus quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr corpus tormentis subjiciet, et tamen tortor ante ejus oculos miracula faciet. Sicut enim Antichristus finget se a mortuis resurgere, ita etiam finget se ad cœlum ascendere. » [b] *Et plaga mortis ejus curata est*; Glossa : « Arte magica ascendet Antichristus in aera, ferentibus eum dæmonibus. Faciet arbores cito florere, arescere, mare turbari, naturas in diversas figuras mutari : mortuos etiam in conspectu hominum suscitabit. »

Tertio decipiet per munera. Ipse namque Antichristus inveniet thesauros absconditos, per quos ad sequendum se inclinabit plurimos : ditabit enim bonis divites hujus sæculi, et tunc eorum falsam felicitatem ad decipiendum alios ostendet.

Quarto compellet per minas et tormenta, quos aliter vincere non poterit. *Tanta* vero, sicut ait Dominus [5], *tunc erit tribulatio, ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi*. Et hoc innuitur in Apocalypsi, ubi dicitur [6] : *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti*. Per pedes ultima Christi membra, per caminum vero vehemens tribulatio designatur. Exhibebit enim cuncta, quæ in præcedentibus martyribus impleta sunt genera tormentorum; sed in illis regionibus, tunc fideles maxime sunt vexandi, et vehementius, ubi Dominus fuit crucifixus. Et dicit Haymo super Apocalypsi : « Illa tentatio non per partes, sed simul totum examinabit mundum. » Solventur enim dæmones, qui modo ligati sunt ne possint nocere quantum vellent. Fideles quoque illo tempore non prædicabunt, quia tanquam excommunicati habebuntur tunc boni. Nihil vendetur eis, nec emetur ab eis, nisi habeant characterem, id est, signum aliquod, ad litteram, ut adhærentes sibi cognoscantur, et alii interficiantur : aut nomen bestiæ, id est, confessionem oris; aut numerum nominis ejus, id est, multiplicationem operum, ut habetur in Apocalypsi. Antichristus autem sicut erit crudelior omnibus persecutoribus, ita sancti tunc temporis fortiores erunt omnibus retro martyribus.

[1] *Apoc.*, XIII, 13. — [2] *Psal.* X, 9. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XII. — [b] *Apoc.*, XIII, 3. — [5] *Matth.*, XXIV, 24. — [6] *Apoc.*, I, 15. — [7] *Apoc.*, XII, 4. — [8] *Apoc.*, XIII, 1. — [9] *Apoc.*, XI, 3. — (*a*) *Al. deest* a.

CAPUT X.

De sequentibus Antichristum.

Prædictis quatuor modis Antichristus multos ad se attrahet; unde in Apocalypsi [7] : *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram*. Attrahet autem malos per munera, bonos per tormenta, simplices per prædicationem et miracula. Qui enim sancti et justi credebantur, adhærebunt ei pro suæ arbitrio voluntatis. Habebit secum magos et maleficos, reges quoque et principes. Unde in Apocalypsi [8] : *Vidi de mari bestiam ascendentem*, etc.; Glossa : « Id est, Antichristum; » *habentem capita septem*, id est, principes universos; *cornua decem*, id est, eos qui impugnant decalogum. Nota igitur, quod Antichristus primo veniet in benignitate, et miraculorum operatione, et tunc a Judæis suscipietur, qui ei specialiter adhærebunt : ad quorum conversionem venient [9] Elias et Enoch, et tunc Antichristus in apertam persecutionem consurget.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Gog et Magog.

De Gog et Magog dicunt quidam, quod sunt decem tribus intra Montes Caspios clausæ : non ita tamen quin exire possent, si permitterentur, sed non permittuntur a regina Amazonum, sub cujus regno et ditione vivunt. Has dicunt Judæi in fine sæculi exituras, et venturas in Hierusalem, et cum suo Messia ecclesias destructuras. Alii dicunt, quod per Gog et Magog intelligitur exercitus Antichristi, qui in fine sæculi veniet ad expugnandam Ecclesiam. Per Gog enim, secundum Glossam, illi per quos latenter diabolus persequetur fideles, designantur; per Magog, illi per quos aperte Ecclesia opprimetur, vel illi qui tempore Antichristi prius occulte, et postmodum aperte Ecclesiam persequentur. Secundum Augustinum, Gog refertur ad gentes, Magog ad diabolum, quia *Gog* interpretatur occultatio, et *Magog* dejectio vel destitutio.

CAPUT XII.

De Elia et Enoch.

Inter occultum adventum Antichristi, qui est per nativitatem, et manifestum ejus adventum, qui est per prædicationem et apertam persecutionem, venient Elias et Enoch, et convertent, sicut dicit Malachias [1], *corda patrum in filios ;* Glossa : « Ad instructionem præteritorum de fide Salvatoris, in quantum et ipsi crediderunt : *et cor filiorum ad patres eorum* ; » Glossa : « Quia suscipient fidem, quam illi habuerunt. » Unde et Christiani et Judæi tunc in Christum pari religione consentient. De eorum prædicatione et sancta conversatione dicitur in Apocalypsi [2] : *Dabo duobus testibus meis*, scilicet Eliæ et Enoch, *et prophetabunt*, id est, prædicabunt, *diebus* (a) *mille ducentis et sexaginta*, id est, tribus annis, sicut ipse Christus prædicavit, *amicti saccis ;* Glossa : « Prædicantes pœnitentiam, et exemplum ostendentes. » *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra ;* Glossa : « Id est, lumen dantes aliis. » Tandem Antichristus *occidet eos* in Hierusalem : *et jacebunt corpora eorum in plateis* tribus diebus et tribus noctibus cum dimidio, quia nullus audebit corpora eorum sepelire, propter metum Antichristi. Occisores autem eorum erunt valde læti propter mortem eorum; *post dies* autem *tres et dimidium* resurgent, et eorum occisores audient vocem talem : « Elias et Enoch, ascendite huc : » et ascendent in cœlum in nube. Antichristus vero quindecim diebus post mortem illorum regnabit.

[1] *Malac.*, IV, 16. — [2] *Apoc.*, XI, 3 et seq. — [3] Gloss. in I *Thess.*, V. — [4] *Dan.*, XII, 7. — [5] *Matth.*, XXIV, 22. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XII, ante med. —

CAPUT XIII.

De duratione hujus Persecutionis.

Regnabit Antichristus, sicut dicit Glossa super Apostolum [3], tribus annis cum dimidio. Unde Daniel [4] : *Juravit angelus per viventem in æternum, quod in tempus*, scilicet unius anni, *et tempora*, scilicet duorum annorum, *et dimidium temporis*, id est, dimidii anni; Glossa : « Hoc spatio dicitur duratura desolatio sub Antichristo. » *Nisi autem*, ut dicitur in Matthæo [5], *breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro.* Gregorius [6] : « Quia enim et superbos nos et infirmos aspicit Deus, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviandos dicit. » Et Glossa super Matthæo : « Hæc tribulatio quanto cæteris gravior, tanto brevitate moderatior. »

CAPUT XIV.

De morte Antichristi.

Potestate sua Dominus occidet Antichristum, sicut dicit Glossa [7] super Apostolum, sive per se, sive per Michaelem. Occidetur autem in monte Oliveti, in papilione et solio suo, in loco circa quem Dominus ascendit in cœlum. Interfecto autem Antichristo, non statim veniet Dominus ad judicium, secundum Glossam [8] super Danielem; concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium sanctorum, et ad conversionem et pœnitentiam subversorum. Quantum autem spatium sit inter illos quadraginta quinque dies, et finem mundi, nemo scit. Ministri vero Antichristi post mortem illius gaudebunt, ducentes uxores, et dicentes : « Licet princeps noster mortuus sit, habemus tamen potestatem, pacem, et securitatem. » Et cum talia dixerint, *repentinus eis* [9] *superveniet interitus.* Judæi vero tunc convertentur ad fidem, et sancta Ecclesia usque ad finem pacificata quiescet, quia tunc

[7] Gloss. in I *Thess.*, V. — [8] Gloss. in *Dan.*, XII. — [9] I *Thess.*, V, 3.

(a) Cæt. edit. deest *diebus*.

Digitized by Google

fraudulentia et sævitia diaboli penitus ubique deficiet.

CAPUT XV.

De Conflagratione mundi.

Ignis [1] maximus *præcedet* faciem judicis, quia virtute divina non solum ignis qui est in sphæra sua, sed etiam omnes ignes qui in terra et super terram sunt, concurrent ad mundi conflagrationem. Ignis autem iste habebit officium quatuor ignium, scilicet ignis infernalis, reprobos puniendo; et ignis purgatorii, bonos a venialibus purgando; et ignis terrestris, vegetabilia et sensibilia consumendo, et omnium hominum corpora incinerando; et ignis elementaris, elementa subtiliando, et ad innovationem disponendo. Per illum igitur ita facies terræ exuretur, quod figura hujus mundi peribit, sicut olim factum fuit per diluvium. Et merito primum Dei judicium fuit per aquam, contra ardorem luxuriæ, qui tunc viguit; ultimum vero judicium per ignem erit, contra torporem charitatis, quæ tunc [2] quasi senescente mundo *refrigescet*. Istius autem ignis actio erit successiva : habebit enim initium, medium, et finem. Primo namque judicis adventum præveniet, et quasi simul per illum fiet purgatio justorum, punitio malorum, et incineratio corporum cum consumptione terræ nascentium, sicut dictum est. Quo facto, statim erit resurrectio corporum cum adventu judicis ad judicium, et tunc inflammabitur totus mundus per circuitum. Terminato autem judicio, tota caliditas illius ignis exequetur sententiam judicis : involvet enim peccatores, et trahet in infernum. Et ita patet, quod ignis ille adventum judicis præveniet et præcedet, et comitabitur, et sequetur.

Post prædicta fiet mundi innovatio; sed inter purgationem et innovationem multiplex est differentia : primo, quia purgatio erit qualitatum pœnalium detractio, sed innovatio erit pulchrioris formæ inductio; secundo, quia purgatio est elementorum ab impuritate, quam habent ex conjunctione, ad puritatem mutatio, innovatio vero est cœlorum a statu veteri in statum novum commutatio, et hoc per cessationem a motu. In cœlis enim, propter impermixtionem, nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus : unde non erit in eis purgatio per ignem, sed a motu cessatio. Ita autem purgabuntur elementa, quod præcidetur ab igne vis combustibilis, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, a terra vero gravitas et opacitas.

[1] *Psal.* XCVI, 3. — [2] *Matth.*, XXIV, 12. — [3] I *Cor.*, XV, 52; I *Thess.*, IV, 15. — [4] *Luc.*, XII, 7; XXI, 18.

CAPUT XVI.

De Resurrectione generali.

Deus sicut est potentissimus in constitutione naturarum, ita est clementissimus in collatione gratiarum, et justissimus in retributione stipendiorum. Quoniam igitur homo, vel meruit, vel demeruit in anima simul et corpore, punietur vel præmiabitur in utroque. Unde in eisdem oportet eum resurgere.

Ad vocem autem tubæ resurgent mortui, sicut dicit [3] Apostolus. Dupliciter autem intelligitur illa vox. Secundum enim quosdam vox tubæ est imperium Christi resurgere imperantis; secundum alios vox tubæ est manifesta Christi apparitio. Unde Gregorius : « Tubam sonare, nihil aliud est, quam mundo Dei Filium judicem demonstrare. » Resurgent igitur omnes, nulla in eis existente differentia quantum ad ordinem temporis, sed magna quantum ad ordinem dignitatis. Nam mali resurgent deformes et passibiles; in bonis autem natura servabitur, et vitia detrahentur. Omnes vero, tam boni, quam mali, resurgent integri corpore, debita statura secundum ætatem plenitudinis Christi.

Resurrectio igitur tria corriget in natura, scilicet defectum, sicut in pueris et mutilatis, sive in diminuta natura membrorum; superfluum, scilicet unguium, crinium, et hujusmodi; errorem, sicut in monstruositate membrorum. Resurgent quoque corpora eadem natura, qua (*a*) prius erant, et eodem numero, ex eodem pulvere in quem reducta fuerant : ita quod in quascumque auras vel sinus pulvis ille dispersus fuerit, ad eamdem animam redeat, quæ ipsum primitus, ut viveret et cresceret, animavit. Nec solum resurgent corpora quantum ad membra principalia, sed etiam salvis capillis [4] et cæteris membris, quæ faciunt ad decorem. Resurgent etiam homines quantum ad esse, et quantum ad integrum esse, et quantum ad decorum (*b*) esse; et resurget unumquodque corpus in optimo suo esse.

Et quia duplex est mors, animæ scilicet per

(*a*) *Al.* quæ. — (*b*) *Al.* decorem.

Digitized by Google

culpam, et corporis, per pœnam; his respondet duplex resurrectio, scilicet animæ per gratiam, et corporis per gloriam. Et sicut in primis parentibus mors culpæ intulit mortem pœnæ, ita resurrectio animæ per gratiam causabit resurrectionem corporis per gloriam. In resurrectione concurrent quatuor causæ, scilicet efficiens, ipse Deus; materialis, scilicet pulveres; formalis, scilicet conjunctio corporis et animæ; finalis, scilicet [1] *ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* Resurgent tunc homines velociter, integraliter, socialiter, æternaliter. Et erit ista resurrectio justa quantum ad Deum; perfecta quantum ad resurgentes; miraculosa quantum ad ipsam resurrectionem.

CAPUT XVII.

De Judicio extremo.

Post resurrectionem statim erit judicium. Ipsum vero judicium præcedet trina citatio. Prima fuit per prophetas; unde illud [2]: *Vocavi, et renuistis.* Secunda, per apostolos et prædicatores [3]: *Misit servos suos hora cœnæ dicere invitatis,* etc. Tertia erit per ultimam vocem tubæ, et hæc citatio erit peremptoria.

Secundum Richardum triplex est judicium. Primum est uniforme, hoc est judicium præsentis Ecclesiæ, quæ non judicat, nisi de sola qualitate retributionum, et in genere tantum, secundum quod bona bonis, et malis mala reddentur: sed numerum et quantitatem retributionum nescit (*a*). Secundum dicitur multiforme, scilicet quod quilibet experitur in morte, accipiendo sententiam de omnibus bonis et malis quæ gessit; sed non omnia bona, vel mala, statim recipit, quia in anima tantum, et non in corpore. Tertium dicitur omniforme, id est, ultimum judicium, quando recipit unusquisque secundum numerum et quantitatem sive bona, sive mala, in corpore et in anima.

Ultimum judicium est horribile ex omni parte, quia supra erit judex austerus et iratus; subtus, patens infernus; intus, conscientia remordens; extra, mundus ardens; a dextris, peccata accusantia; a sinistris dæmonia terrentia; circa illa boni angeli in inferna propellentes; ibidem omnes sancti judicis sententiam approbantes, et omnes mali cum bonis peccata damnatorum cognoscentes.

De qualitate autem judicii nota quod erit horribile [4]: *Virtutes cœlorum movebuntur.* Intolerabile [5]: *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me?* etc. Inevitabile; Apostolus [6]: *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi.* Inopinabile, quia [7] *dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Inexorabile [8]: *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Erubescibile; Apostolus [9]: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Prædicta vero erubescentia erit in duobus: primo, in veniendo ad judicium, quia mali cum habeant corpora ponderosa, oportet eos illuc portari ab angelis, sicut Habacuc [10] portatus fuit ad lacum leonum in Babylonem; secundo, in stando coram judice, quia peccata eorum omnibus erunt manifesta. Unde illud [11]: *Revelabo pudenda tua in facie tua,* etc.

Locus judicii erit in valle Josaphat, et hoc multiplici ratione. Primo, quia locum judicii oportet esse communem: sed Hierusalem et terra adjacens videtur esse communis, cum sit quasi medius nostræ habitationis locus. Secundo, quia debet esse publicus: sed locus prædictus est famosissimus propter opera nostræ redemptionis, quæ ibidem gesta sunt. Tertio competit locus ille ratione negotii, quia tractandum est ibi opus misericordiæ et justitiæ. Mons *Oliveti*, qui est apud illam vallem, designat misericordiam; *Josaphat* autem, quod interpretatur judicium, designat justitiam.

CAPUT XVIII.

De Judicantibus.

Non solum secundum potestatem divinam, sed etiam in forma humana Christus judicabit: quia in jurisdictione ordinaria judicabit, ut Deus, cum tota Trinitate; sed in jurisdictione delegata judicabit, ut homo.

Unde nota, quod quinque sunt modi judicandi. Primus modus est primæ auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas. Secundus modus est secundæ auctoritatis, quo judicabit Christus, ut homo. Tertius est accessoriæ dignitatis, quo judicabunt apostoli et viri perfecti, qui cum judice eminentius residebunt vel judicabunt, tanquam melius scientes leges et consuetudines

[1] II *Cor.*, v, 10. — [2] *Prov.*, I, 24. — [3] *Luc.*, XIV, 17. — [4] *Luc.*, XXI, 26. — [5] *Job*, XIV, 13. — [6] II *Cor.*, v, 10. — [7] I *Thess.*, v, 2. — [8] *Prov.*, VI, 34. — [9] *Rom.*, VI, 21. — [10] *Dan.*, XIV, 35. — [11] *Nah.*, III, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* scit.

Digitized by Google

regni Dei, quibus implendis et sciendis operam dederunt. Quartus est approbationis, quo judicabunt omnes sancti, et etiam angeli. Quintus modus judicandi est culpam judicandorum manifestare : sic etiam mali judicabunt.

In judicando Christus habebit duos actus oppositos : unum passive, et alium active. Primus vero est infirmitatis, et alius potestatis. In primo enim adventu Christus venit ad judicium passive ; in secundo veniet ad judicium active. In primo venit in forma infirma; in secundo apparebit in forma gloriosa. Hinc est quod Christum in judicio videbunt justi tam in natura divinitatis, quam humanitatis ; a malis autem nullo modo videri poterit in forma divinitatis : et hoc duplici ratione. Primo propter defectum dispositionis in ipso vidente, quia natura sine gratia non sufficit ad Dei visionem. Secundo, propter demeritum delectationis, quæ est in visione divinitatis : quia videre Deum, secundum Joannem [1], *vita æterna* est : quæ non potest communicari reprobis.

Ex prædictis patet, quod Christus apparebit blandus justis, et terribilis injustis, sicut dicit Gregorius. Quod figuratum est in columna nubis in die, et ignis in nocte. Videbunt mali humanitatem Christi, ut timeant; et non divinitatem, ne gaudeant. Boni autem utramque Christi naturam videbunt. Stigmata quoque Christus monstrabit, et insignia passionis suæ, scilicet crucem, clavos, etc. Sedebit quoque Christus supra in eminentiori loco cum sanctis; mali vero, subtus in terra, quam dilexerunt. Et merito tunc Christus judicium exercebit, tum quia vere scit merita singulorum [2], *in quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei absconditi*; tum quia non est reus de aliquo illorum, de quibus judicabit : *Non* enim [3] *fecit peccatum, nec inventus est dolus in ore ejus* : et hæc duo præcipue decent judicem.

CAPUT XIX.

De Judicandis

Ordines quatuor erunt in judicio. Quidam enim judicabuntur et damnabuntur, ut quorum merita damnabilia permixta sunt aliquibus bonis, sicut illorum, qui habuerunt fidem sine operibus. Quidam judicabuntur et salvabuntur, ut quorum merita bona permixta sunt aliquibus venialibus malis. Quidam non judicabuntur et damnabuntur, ut quorum mala merita omnino impermixta sunt bonis, ut qui caruerunt fundamento fidei. Quidam vero non judicabuntur, sed judicabunt et salvabuntur, ut quorum merita bona impermixta sunt malis, sicut perfectorum pauperum Christi, de quibus in Matthæo [4] : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me*, etc.

De prædictis quatuor ordinibus nota, quod omnes homines judicabuntur judicio retributionis, sed non judicio disceptationis. Infideles enim, quia non fuerunt cives civitatis Dei, tanquam hostes, sine ulla meritorum discussione et audientia punientur. Fideles vero mali, tanquam cives, cum meritorum discussione et audientia punientur. Justi vero non judicabuntur ut eorum merita de novo discutiantur, an bona vel mala sint; sed ut bonorum præeminentia omnibus manifestetur, et ut contra malos appareat justa sententia damnationis.

Duæ sententiæ ferentur in judicio : una pro bonis, alia contra malos. Sententia pro bonis continet septem clausulas. Prima est amabilis vocatio, ibi [5] : *Venite*. Secunda, divina benedictio, ibi : *Benedicti*. Tertia, paterna dilectio, ibi : *Patris mei*. Quarta est remunerationis retributio, ibi : *Percipite* (*a*). Quinta est regni assignatio, ibi : *Regnum*. Sexta est gloriæ præparatio, ibi : *Quod vobis paratum est*. Septima est æterna prædestinatio, ibi : *Ab origine mundi*.

Item sententia contra malos continet in ipsa sex clausulas. Primo, a Deo separationem, cum dicitur [6] : *Ite*. Secundo, maledictionem, ibi : *Maledicti*. Tertio, incarcerationem, per hanc præpositionem, *In*, designatam. Quarto, pœnæ acerbitatem, ibi : *Ignem*. Quinto, liberationis desperationem, ibi : *Æternum*. Sexto, dæmonum associationem, ibi : *Qui paratus est diabolo, et angelis ejus*.

CAPUT XX.

De innovatione mundi.

Terminato judicio, statim erit innovatio mundi, quæ non complebitur quandiu peccator est in mundo, id est, quousque detrudatur in infernum. Sicut enim ille maximus ignis elementa purgabit, cum habeat virtutem expul-

[1] *Joan.*, XVII, 3. — [2] *Coloss.*, II, 3. — [3] I *Petr.*, II, 22. — [4] *Matth.*, XIX, 28. — [5] *Matth.*, XXV, 34. — [6] Ibid., 41.

(*a*) Vulg. *possidete.*

Digitized by Google

sivam formæ extrinsecæ; sic mundum innovabit, cum habeat virtutem subtiliativam.

Mundum autem innovari, id est, pulchriorem formam accipere, ostenditur multiplici ratione: primo, quia sicut dignum fuit, quod elementa purgarentur, pro eo quod infecta erant propter peccatum hominis, ita dignum est ut mundus innovetur, propter glorificationem hominis. Secundo, ut creaturæ remunerentur pro labore, quo homini servierunt. Tertio, ut totus mundus, prout est possibile, conformetur homini glorificato. Quarto, quia mundus factus est, ut homo nunc per speculum creaturæ Deum cognosceret, quem in sua natura videre non potuit. Unde in futuro oportet speculum meliorari, et purgari, ut in pulchritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris: hoc autem non erit ad necessitatem, quasi Deus aliter videri non possit, sicut modo; sed ad jucunditatem, ut scilicet delectationi visionis intellectualis addatur delectatio visionis sensualis.

Orbes autem cœlestes et sidera, propter impermixtionem, nulla indigebunt purgatione, sicut elementa; sed tantummodo motus cessatione: et ideo innovabuntur, sed non purgabuntur. Innovatio autem in illis duo requirit, scilicet motus cessationem, et claritatem splendoris ampliorem, quando stabit Sol in Oriente, et Luna in Occidente, ubi creati sunt. Hujus dicti hæc est ratio, quia corpora superiora facta sunt ad usum hominis dupliciter: uno modo, propter necessitatem corporis, scilicet statum generationis et corruptionis, et ideo cessante illo cessabit motus; alio modo, propter delectationem in pulchritudine creaturæ, et propter cognitionem Dei in illis: ideo lux illorum non cessabit, sed magis augebitur.

Circa elementa autem nota, quod terra erit sicut crystallus, et complanabitur. Aer erit clarior, nec habebit impressiones quas modo habet, quia non erunt nubes, neque venti, neque pluviæ, neque ros, neque nix, neque tonitrua, neque fulgura. Ignis etiam et aqua fient puriores, et manebunt non solum secundum substantiam, sed etiam secundum suas qualitates, quas habebunt quantum ad habitum, sed non quantum ad usum: quia cum in his duobus elementis magis vigeant qualitates activæ, scilicet frigiditas in aqua, et caliditas in igne, magis sunt generationis et corruptionis principium: et talis effectus illorum non erit amplius: propter hoc dicuntur interire. Vel ideo secundum aliquos dicuntur hæc duo elementa interire, quia Dominus ea intercidet in illis, teste Basilio super Psalmos [1]: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ita quod calidum ustivum et frigidum glaciale tendent inferius, perspicuum autem in aqua, et lux in igne manebunt: quia de omnibus elementis ignobile tendet deorsum, sicut grossum, et terrenum, et opacum, ac tenebrosum, et hujusmodi.

Patet ergo quod cœlum et terra transibunt quantum ad formam; sed non quantum ad substantiam. Patet etiam ex prædictis terminari transmutationes elementorum, et generationes animalium et plantarum, quia causæ illorum cessabunt: et propter ista dicuntur elementa interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem et passionem. Corpora vero cœlestia, habita quiete et lumine clariori, dicuntur renovari. Verumtamen illa, quæ, sicut dictum est, intereunt, in homine salvabuntur, qui similitudinem habet cum omni genere creaturæ, et propter hæc in hominis innovatione et glorificatione possunt dici omnia renovari.

CAPUT XXI.

De pœnis Inferni.

Sicut patet divina potentia in creando, sapientia in gubernando, clementia in reparando, sic patebit divina justitia in puniendo. Dignum est enim, ut non remaneat dedecus culpæ sine decore justitiæ.

Licet autem peccatum sit transitorium, tamen erit pœna perpetua multiplici ratione. Prima, quia homo peccavit in suo æterno, ideo punietur in æterno Dei. Secunda, quia materia ignis infernalis est æterna, sic et peccati macula: ideo et pœna. Tertia, quia peccatum est contra illum, qui est infinitus: unde et pœna debet ei esse infinita, non quidem acerbitate, sed duratione. Quarta, quia homo per peccatum perimit in se bonum, quod posset esse æternum bonum: et ideo merito perpetuum incurrit malum. Quinta, quia mala voluntas reproborum æterna est: vellent enim in peccato, si possent, perpetuo delectari: et ideo perpetuo debent puniri. Sexta, quia in infinitum errat rationalis, cum præponit finitum infinito in judicando; similiter concupiscibilis in appetendo, et irascibilis in adhærendo: unde et merito pœna erit

[1] *Psal.* XXVIII, 7.

Digitized by Google

infinita. Septima, quia damnatus de peccato perpetrato nunquam habebit veram pœnitentiam : ideo Deus nunquam mutabit punitionis illius sententiam. Octava, quia peccatum a vita perpetua separat, scilicet a Deo : ideo mortem perpetuam peccator incurrit.

Post rationes inducam exempla de eadem materia. Videmus enim quod emptio momentanea dat jus possidendi perpetuum. Item vulneratio momentanea dat mortem perpetuam. Item casus in foveam temporalis est, detentio perpetua. Item crimen læsæ majestatis temporale est, servitus perpetua. Item plaga temporalis est, livor perpetuus.

Quoniam in peccato est delectatio cum contemptu Dei, merito præcipitatur peccator in locum infimum et despectum, et maxime a statu gloriæ Dei elongatum, scilicet in infernum, ubi a despectis rebus puniatur, scilicet a fœcibus corporum mundanorum, quia in innovatione mundi quidquid est ignobile in mundo, ad locum pœnarum defluet, et ibi horrorem carceris multiplicabit.

CAPUT XXII.

De diversitate Pœnarum.

Cum in damnatis sit diversitas peccatorum, erit et diversitas pœnarum. Unde cum in peccato sit aversio a Creatore, et conversio ad bonum commutabile, et deordinatio voluntatis contra dictamen rationis, merito pœna variabitur propter ista. Unde propter aversionem erit carentia visionis divinæ, sed propter conversionem erit pœna materialis incendii; propter deordinationem autem rationis et voluntatis erit pœna universalis, quæ consistit in afflictione varia, acerba, et æterna.

Ignis autem infernalis non omnes æqualiter cruciabit, sed ab eodem igne alii plus, alii minus torquebuntur, secundum quod plus aut minus peccaverunt, sicut ab eodem igne aliter uritur palea, et aliter lignum.

Quamvis autem ignis ille sit corporeus, nec possit agere in spiritum, ipsum calefaciendo; agit tamen in ipsum [1], ut instrumentum divinæ justitiæ, ipsum lædendo : et ille dolor est maximus, tum propter potentiam divinæ manus ipsum ignem moventis, tum propter sensibilitatem patientis, tum propter immediationem conjunctionis.

Infernus est locus tenebrosus, cum sit locus justitiæ. Lumen autem, cum sit delectabile, tamen ingerit tristitiam per accidens, scilicet in quantum ostendit aliquid triste. Unde in inferno est aliquid obscuri luminis, quo damnati videre possint unde doleant, et non unde lætentur.

Reprobi vident [2] usque ad diem judicii gloriam beatorum in universali, non in particulari, quia vident eos in magna gloria, sed non in quali. De hujusmodi autem visione non lætantur, sed tristantur, tum propter invidiam alienæ felicitatis, tum propter carentiam propriæ beatitudinis. Post judicium vero ad proprias pœnas ita deflectetur eorum consideratio, quod de sanctorum gloria non cogitabunt.

In damnatis erit fletus [3] spiritualis, scilicet dolor interior, et non fletus corporalis, qui est cum resolutione lacrymarum, quia cessante cœli motu, nulla jam erit generatio vel corruptio. Vermis autem, quem Dominus in Isaia [4] comminatur, nequaquam materialis est, quia nullum animal præter hominem remanebit. Erit autem ibi vermis conscientiæ, rodens animam, et non corpus. In summo loco sola est lætitia; in loco infimo sola est tristitia; in medio, hoc est, in mundo, hæc sunt modo permixta.

Post diem judicii tria tantummodo loca erunt habitata, scilicet cœlum, infernus, et limbus. Quot sint loca pœnarum, require in libro quarto, *De Descensu Christi ad inferos* [5].

Octo genera pœnarum in legibus esse scripsit Tullius, scilicet damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Hæc omnia possunt pœnis infernalibus adaptari. Primum patet, quia damnati amiserunt Deum, et omnia bona tam gratiæ, quam gloriæ, non solum in re, sed etiam in spe. Non remanebit [6] *testa, ut hauriatur parum aquæ de fovea*, scilicet divinæ misericordiæ, aut *deportetur igniculus* (*a*) *de incendio*, scilicet charitatis : quia, secundum Jeremiam [7], *transiit æstas, consummata est messis* (*b*). De secundo [8] : *Ligatis manibus et pedibus*, etc. De tertio [9] : *Mallei percutientes impiorum corporibus*. Istud autem non intelligitur de malleis materialibus, sed de di-

[1] *Luc.*, XVI, 24. — [2] Ibid., 23. — [3] *Matth.*, XIII, 42. — [4] *Isa.*, LXVI, 24. — [5] Vid. sup., lib. IV, c. XXII, p. 165. — [6] *Isa.*, XXX, 14. — [7] *Jerem.*, VIII, 20. — [8] *Matth.*, XXII, 13. — [9] *Prov.*, XIX, 29.

(*a*) Vulg. *portetur ignis.* — (*b*) Vulg. *transiit messis, finita est æstas.*

Digitized by Google

versitate pœnarum, quibus impii malleantur. De quarto [1] : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit*, etc. De quinto [2] : *Facies combustæ vultus eorum.* Imo tam ignominiosum erit corpus peccatoris, quod anima resumens ipsum stupebit, quando tam terribile illud videbit, et vellet habere tale, sicut fuit quando dimidium comestum fuit a vermibus. De sexto [3] : *Projicite* (*a*) *eum in tenebras*, etc. De septimo, Gregorius : « Ibi mors semper vivit : » et *hæc*, sicut dicitur in Apocalypsi [4], erit *mors secunda.* De octavo [5] : *Princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Nota, quod damnati sub tributo pœnarum semper servient, et tamen nunquam persolvent. Ex prædictis collige, quod erit ibi calor ignis, rigor frigoris (*b*), tenebræ, fumus, lacrymæ, mœrores, aspectus dæmonum, clamor improperii, ariditas, sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, invidia, rancor, carentia visionis divinæ, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, erit eis pœna, quia [6] *quærent mortem* naturalem, *et non invenient.* Ibi erit, sicut ait Dionysius, proterva phantasia, demens concupiscentia, et furor irascibilis.

CAPUT XXIII.

De Gloria Sanctorum.

Unumquodque tanto perfectius est, quanto magis conjungitur essendi principio. Homo autem, qui perfectum esse expectat, duplicem habet finem ultimum : unum extrinsecum, qui est beatitudo creata, quæ nos in patria beatificabit formaliter; alium habet finem intrinsecum, qui est beatitudo increata, quæ nos beatificabit effective, scilicet ipsum Deum. Prima, scilicet beatitudo creata, est tanquam finis quo; secunda vero, scilicet increata, tanquam finis in quo quiescitur.

Alio modo judicabant philosophi de beatitudine; sed male. Dicebant enim Stoici beatitudinem in virtute animi consistere; Peripatetici vero, in cognitione veritatis; Epicurei autem, in voluptate. Nos autem dicimus duplicem esse beatitudinem, sicut dictum est : Deus enim remunerat suos secundum merita; Apostolus [7] : *Unusquisque propriam mercedem accipiet*, etc. Propter merita [8] : *Gratiam pro gratia.* [9] *Ite et vos in vineam meam*, etc. Supra merita; unde illud [10] : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam*, etc.

[1] *Apoc.*, XVIII, 7. — [2] *Isa.*, XIII, 8. — [3] *Matth.*, XXII, 13. — [4] *Apoc.*, XX, 14. — [5] *Thren.*, I, 1. — [6] *Apoc.*, IX, 6. — [7] I *Cor.*, III, 8. — [8] *Joan.*, I, 16. — [9] *Matth.*, XX, 7. — [10] *Luc.*, VI, 38. — [11] *Joan.*, III, 29. — (*a*) *Vulg. mittite*, seu (XXV, 38), *ejicite.* — (*b*) *Al.* stridor rigoris.

CAPUT XXIV.

De Dotibus in communi.

Dos in patria est illud, quod immediate animam Deo conjungit, ut est visio, dilectio, et comprehensio. Sunt enim dona quædam patriæ, sicut est sapientia et intellectus, quæ licet Deo animam conjungant, non tamen sine habitu medio : et propter hoc non dicuntur dotes, sed animæ præmiationes. Dotes enim non appellantur dona quælibet, quæ dantur animæ in introductione sui in gloriam; sed dona præcipua, per quæ ad actum vitæ gloriosæ disponitur : sicut in præsenti non appellatur proprie dos quodcumque donum datum sponsæ in sua traductione, sed donum præcipuum de quo sustentari debeat.

Dotes sunt duplices : quædam enim sunt a parte animæ, quibus Deo, tanquam principio vitæ suæ, sine habitu medio conjungitur, et per quas introducitur in amplexus sponsi sui indissolubiles, et fruitionem ejusdem; quædam vero dotes sunt ex parte corporis, quibus ipsum corpus subjicitur animæ suæ, tanquam principio vitæ suæ, ne per ipsum anima ab actu gloriæ retardetur.

Notandum autem quod dotes animæ sunt de præmio substantiali, dotes autem corporis de præmio accidentali. Christus dotes non habet, quia [11] sponsus est : sed anima sponsa : et est dos possessio sponsæ, quæ usum ejus habebit post mortem viri. Similiter, nec angeli dicuntur habere dotes, quia cum in nuptiis sit consensus animorum et unio corporum, secundum non est in angelis, licet primum habeant. Unde angeli non possunt dici sponsæ, ut homo : ergo nec dotes proprie habebunt.

Sponsis carnalibus dantur tria, scilicet dos, donatio propter nuptias, et parapherna. Dos autem est donatio facta sponsæ ex parte patris, et hoc ad usum sponsi propter onera matrimonii, sed ad possessionem sponsæ. In divinis autem Deus Pater dat sponsæ dotem ad possidendum, sed sponso Christo ad gloriam et

Digitized by Google

honorem, et non ad usum, quia [1] *bonorum nostrorum non eget*. Donatio autem propter nuptias est, quæ a sponso datur sponsæ : et hoc erit in futuro gaudium quod habebit anima in visione Christi hominis. Parapherna sunt, quod habet sponsa præter dotem, sicut sunt munera, quæ ei dantur ab amicis, et hujusmodi : istud erit in patria per gaudium quod habebit anima de societate beatorum, et de congratulatione felicitatis eorum.

CAPUT XXV.

De Dotibus animæ in generali.

Dotes animæ sunt tres, scilicet cognitio, dilectio, et inhæsio sive tentio, quæ a quibusdam appellatur comprehensio, a quibusdam vero fruitio. Harum dotium numerus multipliciter accipitur : primo ex parte virtutum theologicarum, quia cognitio succedit fidei, dilectio vero charitati, comprehensio autem spei. Accipitur alio modo ex parte potentiarum animæ. Cognitio autem potest appropriari intelligentiæ, dilectio voluntati, comprehensio memoriæ. Appropriantur etiam a quibusdam aliis tribus potentiis, scilicet rationali, concupiscibili, et irascibili. Sensitiva non possunt intelligi, quia Deus non est objectum potentiæ sensitivæ, sed intellectivæ. Possunt etiam prædictæ dotes accipi secundum tria, quæ tribus personis appropriantur : ita ut comprehensio respiciat Patris potentiam; cognitio, Filii sapientiam; et dilectio, bonitatem Spiritus sancti. Circa istas dotes nota, quod cognitio rei visæ in se ponit præsentiam, comprehensio ponit rei contingentiam, dilectio ponit amantis ad rem amatam colligantiam.

CAPUT XXVI.

De Dotibus animæ in speciali.

Prima dos animæ est cognitio, qua divina essentia videbitur tota ab omnibus, sed non totaliter prout est infinita. Videbitur tamen divina essentia limpidius ab uno, quam ab alio : et iste defectus erit ex parte videntis, non visi, quia idem erit visum. Beatitudo autem consistit in perfecta operatione potentiæ altissimæ, scilicet intellectivæ, et circa objectum altissimum, scilicet Deum. Ex parte igitur objecti, cum sit unum simplicissimum, nulla potest esse diversitas; sed ex parte potentiæ : nam in quantum una potentia magis erit perfecta lumine gloriæ, quam altera, tanto perfectius operabitur circa unum et idem subjectum, sive objectum, sicut idem sol diversimode a diversis aspicitur, vel eadem littera a diversis legentibus, secundum quod oculus est magis, vel minus dispositus.

Tribus modis cognoscitur aliquid : vel (*a*) secundum quod est, vel sicut est, vel quantum est (*b*). Primo modo cognoscitur Deus in via etiam a malis; secundo modo videbitur in patria a bonis. Unde Joannes [2] : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, id est, suam majestatem, claritatem, et bonitatem. Tertio modo nec a bonis videbitur, nec a malis, nec in via, nec in patria, quia finitum nunquam capiet infinitum. Videbimus tamen Deum in se, et Deum in nobis, et nos in Deo, et Deum in creaturis, et creaturas in Deo.

Cognoscere autem Deum in sua essentia, est visio meridiana; cognoscere vero creaturas in Verbo, est visio matutina; sed cognoscere creaturas in se, hoc est, in proprio genere, appellatur visio vespertina. Videbit enim unusquisque cogitationes alterius, prout vult ipse cogitans manifestare. Unde Gregorius : « Uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. » Videbunt itaque justi Deum, ut gaudeant; videbunt gloriam sanctorum, ut congaudeant; videbunt quoque pœnas reproborum, ut de evasione periculorum gratias agant.

Ad sciendum autem qualiter Deus sine medio videatur, nota quod triplex est medium, scilicet differens, obnubilans, et disponens. Sine medio igitur differente videbitur Deus, quia Dei visio non est per distantiam, sed per præsentiam, cum ipse sit essentialiter ubique. Videbitur etiam sine medio obnubilante, quia tolletur [3] speculum et ænigma, quæ ambo sunt in via. Cum enim visus noster in præsenti non possit propter debilitatem in excellentem lucem figi, necesse est habere medium, scilicet speculum creaturæ. Quia vero infinita est distantia inter speculum, et rem visam; propter hoc obscure relucet ibi similitudo : unde videmus *in ænigmate*, id est, obscure. Videbitur quoque sine medio similari, quia Deus cognoscetur in seipso, et non per aliquam abstractam similitudinem : alias creatura esset terminus,

[1] *Psal.* XV, 2. — [2] 1 *Joan.*, III, 2. — [3] 1 *Cor.*, XIII, 12.

(*a*) *Cæt. edit. deest* vel. — (*b*) *Item* vel quantum est.

Digitized by Google

et Deus non esset vere finis omnium. Non autem videbitur Deus sine medio disponente, quod est gratia et gloria. Oportet enim proportionem esse inter videntem et visum : hæc autem dispositio erit ex parte videntis, et non rei visæ.

Sciendum autem quod multiplex est medium. Primum est medium peccati [1] : *Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum* : istud est medium impiorum. Secundum est medium creaturæ; Apostolus [2] : *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta*, etc. : hoc est medium philosophorum. Tertium est medium figuræ; Apostolus [3] : *Omnia in figura contingebant illis:* hoc est medium prophetarum et patriarcharum. Quartum est medium scripturæ [4] : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis :* hoc est medium theologorum. Quintum est medium fidei [5] : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi*, etc. : hoc est medium fidelium, quo tanquam in ænigmate vident Deum.

Secunda dos animæ est dilectio; sed inter dilectionem et virtutem differentia est duplex : una est secundum habitum, quia virtus est proprie illud, quod transit de statu gratiæ ad statum gloriæ ; dos autem est id, quod supra meritum datur in inductione sponsæ. Alia est differentia, ut penes objectum, quia licet objectum utrobique erit Deus, non tamen secundum quod Deus: sed erit objectum virtutis in quantum est summa bonitas; objectum autem dotis, in quantum unibilis in unum spiritum.

Nota quod fides et spes secundum rem evacuabuntur [6] in patria; charitas vero neque secundum rem, neque secundum actum ejus evacuabitur, sed solum secundum modum, quia imperfectio ejus tolletur. Dicit autem Augustinus, quod fidei succedit spes, quam videbimus; spei vero succedit beatitudo, ad quam perventuri sumus; sed charitati nihil succedet, sed potius augebitur.

Tertia dos animæ est comprehensio, quæ est tentio visi et amati, vel tentio veri boni et præmii : et istud verum est, prout *comprehendere* sumitur pro *attingere*, et non pro *circumplecti* divinam immensitatem.

CAPUT XXVII.

De Dotibus corporis in generali.

Unaquæque pars perfectius habet esse in suo toto, quam in se. Unde sicut anima nunc a corpore corruptibili separata perfectius habet esse, quam ei conjuncta, sic in futuro reconjuncta corpori incorruptibili perfectius esse habebit, quam modo separata : maxime cum non impediatur tunc a corpore, sicut modo; quin potius de glorificatione corporis habebit tunc gaudium speciale.

Dotes corporis sunt quatuor, quarum numerus sic habetur. Nam ad hoc quod corpus perfecte subjectum sit animæ, nec impediat eam in operibus gloriæ, quatuor requiruntur, quorum duo pertinent ad sensum, alia duo pertinent ad motum. Quoad sensum duo requiruntur : unum, ut sit facile receptibile specierum sensibilium, ad quod disponit claritas; alterum, ut non sit receptibile passionum ignobilium, ad quod disponit impassibilitas. Quoad motum etiam duo requiruntur : unum est, ut per contrariam inclinationem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas, aliud, ut corpora, per quæ movetur, non resistant ei, ad quod disponit subtilitas.

Alia sufficientia talis est, quia in homine quadruplex est compositio. Prima est qualitatum contrariarum : hæc compositio tunc erit perfecta, quando qualitates ita æquabuntur, ut nulla sit pugna unius contra aliam : et hoc faciet impassibilitas. Secunda est compositio materiæ cum forma : hæc autem compositio tunc erit perfecta, quando materia vincetur a forma: penes hanc perfectionem sumitur subtilitas. Tertia est compositio corporis organici cum anima: perfectio istius compositionis est, quod omnia organa sine impedimento sint mobilia ab anima : penes hanc perfectionem sumitur agilitas. Quarta compositio est corporis cum spiritibus lucidis, quibus movetur corpus ab anima : et huic compositioni secundum perfectum statum respondet claritas.

Tertio sumitur prædictarum dotium numerus secundum proprietates, quæ sunt in elementis. Nam penes aquæ transparentiam sumitur claritas; penes terræ soliditatem sumitur impassibilitas; penes tenuitatem ignis sumitur subtilitas; penes mobilitatem aeris sumitur agilitas.

Quarto sumuntur istæ dotes secundum quatuor defectus, quos habet corpus humanum a quatuor elementis, de quibus componitur. Habet enim corpus humanum ab igne calidita-

[1] *Isa.*, LIX, 2. — [2] *Rom.*, I, 20. — [3] I *Cor.*, X, 6. — [4] *Psal.* CXVIII, 130. — [5] *Apoc.*, II, 10. — [6] I *Cor.*, XIII, 13.

Digitized by Google

tem, et inde nigredinem; a terra grossitiem; ab aere passibilitatem; ab aqua frigiditatem, et inde tarditatem. Sed tolluntur per quatuor dotes corporis.

Christus assumpsit quatuor dotes ante passionem suam, sicut dicit Hugo de Sancto Victore: claritatem, in transfiguratione; agilitatem, quando ambulavit supra mare; subtilitatem, in nativitate, quia salva virginali integritate matris natus fuit; impassibilitatem, in cœna, quando corpus suum discipulis suis manducandum dedit.

CAPUT XXVIII.

De Dotibus corporis in speciali.

Prima dos corporis est claritas. Sed nota quod aliquid dicitur clarum dupliciter: aut quia pervium, sicut dicitur vitrum *clarum;* aut quia lucidum, sicut dicitur stella *clara.* Corpus autem glorificatum erit et pervium et lucidum: unde utroque modo erunt corpora clara. Duo enim sunt, quæ nunc causant obscuritatem in humano corpore: unum est materiæ impuritas; alterum, luminis paucitas. Tunc vero tolletur utrumque, scilicet illa impura densitas, et obscuritas quæ ex modicitate luminis est: et ideo erunt corpora clarissima.

Nota quod corpora glorificata, septies tunc erunt clariora, quam sol sit modo, sicut Dominus ait [1]: *Quia justi fulgebunt sicut sol.* Sed teste Isaia [2]: *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.*

Sciendum quoque quod corpora sanctorum non erunt æqualiter clara, quia melior anima habebit corpus lucidius. Unde licet corpus Christi supra modum excedat claritatem aliorum; tamen, in comparatione sanctorum, potest claritas ejus assimilari claritati solis, secundum illud Malachiæ [3]: *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ,* id est, Christus. Claritas sanctorum potest respectu Christi comparari claritati stellarum; unde Apostolus [4]: *Stella differt a stella in claritate,* hoc est, quod sancti plus vel minus lucent, secundum differentiam meritorum. Claritas vero puerorum, qui post baptismum moriuntur, antequam veniant ad annos discretionis, comparari potest lumini lunæ, quia, sicut luna non habet lumen a se, sed a sole, ita isti non habent gloriam ex merito proprio, sed ex merito Christi: baptismus enim ex passione Christi habet efficaciam.

Secunda dos corporis est impassibilitas, quæ resultat ex virtute animæ corpus suum potenter continentis, ita ut a nullo exteriore agente valeat immutari. Præterea, quamvis corpora sanctorum sint composita ex contrariis, illa tamen contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem et concordiam redacta.

Dixerunt quidam, quod impassibilitas sanctorum corporum resultabit ex natura quinti corporis, id est, quintæ essentiæ. Sed hoc non est verum, quia nihil de quinto corpore venit in compositionem materialem corporum inferiorum.

Differentia est inter impassibilitatem sanctorum, et Adæ in statu innocentiæ, et puerorum, quia impassibilitas sanctorum erit non posse pati; impassibilitas Adæ fuit posse non pati; impassibilitas puerorum in limbo erit nihil pati: et hoc, non ex (*a*) potentia resistendi læsioni (*b*) extrinsecæ, quam non habebunt, sed ex ordinatione divinæ misericordiæ, quæ non permittit aliquid eis adhiberi per quod possint lædi. Ex quo patet, quod si tales pueri ponerentur ad ignem post resurrectionem, læderentur ab eo, nisi obstaret divina misericordia. Secus est de corporibus glorificatis, quæ etiamsi ponerentur in inferno, non sentirent aliquam læsionem.

Subtilitas est tertia dos, quæ aufert grossitiem corporis causatam ex materialitate elementi, et compositione elementalium qualitatum. Nota ergo, quod duplex est subtilitas: una ex raritate partium stantium non propinque, sed ex tali subtilitate efficitur corpus facile divisibile, et ea non erit in corporibus glorificatis; alia est ex perfecta victoria formæ super materiam: et hujusmodi subtilitas est unitæ substantiæ, sicut dicitur cœlum subtile: et hoc modo erunt corpora sanctorum subtilia.

Et est sciendum, quod sicut duo corpora non glorificata non possunt esse simul in eodem loco, sic nec duo glorificata. Alioquin sequeretur inconveniens, scilicet quod in unoquoque corpore glorificato esset potentia agendi ac intrandi partes alterius corporis; in alio vero esset impotentia resistendi: corpus vero glorificatum potest esse simul in eodem loco cum corpore non glorioso. Nam sicut in cor-

[1] *Matth.*, XIII, 43. — [2] *Isa.*, XXX, 26. — [3] *Malac.*, IV, 2. — [4] *I Cor.*, XV, 41.

(*a*) *Cæt. edit.* est. — (*b*) læsionis.

Digitized by Google

poribus non gloriosis ipsa grossities impedit, ne duo corpora possint esse in eodem loco, quia unum alteri resistit; ita grossities ista per gloriæ subtilitatam tolletur, adeo quod corpus non gloriosum non possit resistere glorioso : ita quod corpora gloriosa penetrabunt alia corpora, non ea dividendo, sed subintrando, manente distinctione dimensionum utriusque corporis.

Quarta dos corporis est agilitas, quæ tanta erit, sicut dicit Augustinus [1], quod protinus, ubi volet spiritus, ibi erit et corpus. Verumtamen sicut melior anima habebit corpus lucidius, (*a*) ita et agilius : ita tamen quod voluntas Sanctorum erit omnino conjuncta rationi. Unde voluntas eorum nunquam appetet, quod non debet. Sed enim voluntas animæ melioris volet rationabiliter citius moveri corpus suum, quam alterius; et spiritus minoris gloriæ non volet corpus suum tam cito moveri, sicut alterius. Unde patet quod in omnibus verificabitur dictum Augustini, quod ubi volet spiritus, protinus erit et corpus. Quare corpora modo sunt tarda, et tunc agilia, hæc est ratio, quia tunc in corpore duplex est motor, scilicet natura elementi prædominans, quæ movet ad medium locum, et voluntas animæ, quæ movet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda sunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, quia terra prædominans naturaliter deorsum trahit; in futuro autem natura erit totaliter subjecta voluntati : unde et tunc corpus movebitur ad imperium spiritus.

CAPUT XXIX.

De Aureolis in genere.

Aureola est mentis speciale gaudium, veniens ex opere præcellenti et privilegiato. Sciendum autem quod sicut ex gaudio præmii essentialis, quod est aurea, redundat in corpore quidam decor, qui est gloria corporis; ita et ex aureolæ gaudio resultat aliquid speciale in corpore, ut sic aureola non tantum principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Sciendum autem quod decor cicatricum, qui in martyrum corporibus apparebit, non potest dici aureola, quia martyres aliqui cicatrices non habebunt, utpote qui submersi sunt, vel famis inedia, vel squalore carceris interempti; et tamen isti aureolam habebunt.

Tribus generibus hominum debetur aureola : quod patet multiplici ratione. Primo ex operibus excellentissimis trium animæ potentiarum: excellentissimum autem opus concupiscibilis, est observatio castitatis virginalis; excellentissimum vero opus rationalis, est prædicatio veritatis; excellentissimum opus irascibilis, est perpessio mortis. Unde patet quod virginibus, prædicatoribus, et martyribus debetur aureola.

Secundo patet horum numerus et sufficientia ex hostibus, quos per pugnas magnificas vincimus, qui sunt mundus, caro, dæmonia. Martyres enim vincunt mundum; virgines, carnem; prædicatores, diabolum, quem non solum de se, sed etiam de cordibus aliorum expellunt.

Tertio patet id per victoriam triplicium passionum. Sunt enim passiones innatæ, illatæ, et in cordibus alienis inflictæ (*b*). Sed passiones innatas superant virgines; illatas, martyres; illas autem quæ sunt in cordibus alienis, prædicatores.

Quarto distinguuntur aureolæ secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur. Christus enim fuit doctor, veritatem mundo manifestando; martyr, a mundo passionem et mortem sustinendo; virgo, puritatem servando.

Quinto sumuntur aureolæ secundum præfigurationem in Veteri Testamento. Tria namque habebant aureolas, ut legitur [2] : scilicet altare incensi, arca fœderis, et mensa propositionis. Prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare passionis immolaverunt. Secunda significat aureolam virginum, quia sicut arca fœderis fuit intus et extra auro decorata, ita virginitas mentem et corpus decorat et ornat. Tertia significat aureolam prædicatorum, qui sunt in mensa propositionis ministrantes panes prædicationis et doctrinæ.

Aureola diminutive dicitur, et hoc in comparatione ad *auream*. Unde nota, quod inter auream, et aureolam, et palmam est differentia. Aurea enim præmium est substantiale, quod metaphorice dicitur corona : tum ex parte meriti, quia non respondet generi operis, sed radici charitatis; tum ex parte præmii, quia per hoc efficitur homo particeps divinitatis, et

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX. — [2] *Exod.*, XXVII, 1 et seq.; XXXV, 12 et seq.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et. — (*b*) *Forte leg.* insculptæ *vel* inolitæ.

Digitized by Google

per consequens regiæ potestatis; tum etiam ratione perfectionis, quod significat figura circularis. Aureola vero est præmium accidentale, non tamen quodlibet accidentale, sed illud quod respondet operi excellenti et privilegiato, scilicet virginitati, martyrio, et prædicationi. Palma est præmium accidentale, quod nec radici, nec operi debetur, sed voluntati. Tale præmium habuit sanctus Martinus, eo quod martyrium desideravit, licet opus non fuerit subsecutum : unde de ipso cantatur [1] : *Quam*, scilicet animam, *etsi gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit.* Hæc autem palma nec *aurea*, nec *aureola* debet dici.

CAPUT XXX.

De Aureolis in specie.

Aureola prima debetur martyribus, in quibus est perfectissima victoria de impugnatione exteriori; et hæc perfectio victoriæ consideratur ex duobus : primo, ex magnitudine passionis, quia inter omnes passiones illatas exterius, mors supremum tenet locum. Et præterea dolor tactus omnibus aliis doloribus præeminet : et ideo in hoc gloriosior victoria est. Secundo considera'ur ex causa pugnæ, quæ ipse Christus est. « Martyrem enim [2] non facit pœna, sed causa, » id est, mors propter Christum suscepta.

Sciendum autem quod martyrio non debetur præmium secundum quod ab exteriori, sed secundum quod voluntarie pro Christi nomine sustinetur : quia non meremur nisi per ea quæ sunt intra nos, non per ea quæ sunt extra nos, sicut nec demeremur nisi per ea quæ sunt intra nos. Quanto autem id quod quis voluntarie sustinet, difficilius est voluntari sustinere, tanto voluntas, quæ propter Christum id sustinet, ostenditur firmius in Christo fixa : et ideo excellentius ei præmium debetur.

Aureola secunda debetur virginibus, propter singularem victoriam, quam de carne obtinent, contra quam quotidie bellum geritur. Quamvis autem et viduæ pugnent contra carnem, perfectius tamen virgines triumphant, quia nobilissimum genus victoriæ est nunquam hosti cessisse. Illis autem virginibus tantummodo debetur aureola, qui vel quæ habuerunt propositum servandi virginitatem, quamvis hoc propositum sit interruptum, integritate tamen carnis manente : dummodo in fine vitæ inveniantur ad primum propositum rediisse, quia virginitas mentis reparari potest, sed non virginitas corporis, sive carnis. Si aliqua sit carne virgo, etiamsi propositum non habuit perpetuo servandi virginitatem, non est tamen dubium quin habitura sit speciale gaudium de incorruptione carnis, et superessentiale gaudium : sicut etiam Innocentes de hoc gaudebunt, quod immunes a peccato fuerunt, quamvis peccati opportunitatem non habuerunt.

Nota quod aliqua potest corrumpi carne, nec tamen aureolam amittit : sicut illa, quæ violenter opprimitur. Unde sancta Lucia dixit : « Si invitam me corrumpas, merces mihi duplicabitur ad coronam. » Quod non est intelligendum de aureola duplicata, sed quia duplex præmium reportabit : unum pro integritate servata; aliud pro injuria, quam passa est.

Insuper sciendum est, quod virginibus debetur *fructus centesimus* [3] : et hoc, quia cœlestem vitam ducunt, quæ significatur per C, quia numerus ille de læva transit ad dexteram. Viduis debetur fructus sexagesimus, quia tales exercere se debent in operibus misericordiæ, quæ significantur per LX. Conjugatis autem debetur fructus tricesimus (XXX), quia talibus sufficit implere decalogum in fide Trinitatis : ex ductu enim ternarii in denarium fiunt triginta.

Aureola tertia est pugnantium, seu prædicatorum, quia perfectissima victoria contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam ipsum de regno ejus expellit, et non solum a se, sed etiam ab aliis. Nec est dicendum, ut quidam voluerunt, quod hæc aureola debeatur tantummodo illis quibus competit prædicare ex officio, et docere; sed quibuscumque [4] exercentibus licite actum istum. Prælatis autem non debetur hæc aureola, quamvis habeant officium prædicandi, nisi et actu prædicent, quia aureola non debetur habitui, sed actui pugnæ, secundum illud Apostoli [5] : *Non coronabitur, nisi qui legitime* (a) *certaverit.* Prædicare et docere, cum sint actus misericordiæ, inter spirituales eleemosynas computantur.

[1] In 2. Vesp. S. Martin., ad Antiph. *Magnificat.* — [2] Aug., *ad Fest.*, epist. CLXVII, al. LXXXIX, n. 2, et alias passim. — [3] *Matth.*, XIII, 23. — [4] *Dan.*, XII, 3. — [5] II *Tim.*, II, 5. — (a) Vulg. *Non coronatur, nisi legitime.*

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Enumeratio cœlestium gaudiorum.

Ultimo cœlorum gaudia sub epilogo enumeremus, non quidem singula generum, sed genera singulorum. Tot enim sunt gaudia particularia, quæ quilibet habet in se vel in aliis, quot ea solius Dei notitia comprehendit, et illi quos summa sapientia voluerit ea scire. Tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio : quod tamen non est intelligendum de intentione gaudii, sed de numero gaudiorum. Tot igitur et tanta sunt ibi gaudia, quot omnes arithmetici hujus mundi non possent ea numerare, nec geometrici mensurare, nec grammatici, dialectici, rhetorici aut theologi explicare : quia [1] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor*, etc. Gaudebunt sancti supra se de Dei visione, infra se de cœli et aliarum creaturarum corporalium pulchritudine, intra se de corporis glorificatione, extra se de angelorum et hominum associatione. Deus enim omnes sensus spirituales ineffabili delectatione reficiet, cum ipse sit objectum omnium sensuum spiritualium futurus. Erit namque Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos tactui. Ibi erit candor lucis æstualis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hyemalis. Ibi, teste Augustino [2], fulget quod non capit locus, sonat quod non capit tempus, olet quod non spargit flatus, sapit quod non minuit edacitas, non erit quod divellat satietas. Ibi, sicut ait Augustinus, Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Ibi videbitur stultitia sapientia Salomonis ; ibi erit deformitas pulchritudo Absalonis ; ibi erit tarditas velocitas Asaelis ; ibi judicabitur infirmitas fortitudo Samsonis ; ibi erit mortalitas longa vita Mathusalem; ibi erit paupertas regnum Augusti. Ibi, secundum Augustinum, nihil obest, nihil deest, nihil affluit; nihil est extra, quod appetatur ; nihil intra, quod fastidiatur. Ibi, secundum Bernardum [3] : « Deus erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. » Item Augustinus de corporis et animæ misera vita : « O caro, illam vitam amplecti debuisti, ubi vita sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi lux sine tenebris, ubi gaudium sine tristitia, ubi pax sine discordia, ubi voluntas sine injuria, ubi regnum sine mutatione. » Bernardus : « Merces sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari ; tam multa, quod non potest numerari ; tam copiosa, quod non potest finiri ; tam pretiosa, quod non potest æstimari. » Item Augustinus : « Illud quod promittit Deus, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria et vota transcendit, acquiri potest, æstimari non potest. » Ibi, secundum Augustinum, carmina non desunt, præmia non deficiunt : ibi nihil, quod amabitur, deerit : ibi nihil desiderabitur, quod non adsit. Illa beatitudo, sicut ait Augustinus [4], in duobus consistit, scilicet in necessaria præsentia omnis boni, et in necessaria absentia omnis mali. Item Augustinus : « O vita vitalis, dulcis et amabilis ; et semper memorabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, ubi æterna beatitudo, ubi beata certitudo, ubi certa visio, et sine fine laudatio. Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, et confluentia bonorum. »

Denique de gaudiis cœlestibus nota hos versus :

Mens cognoscendo lætatur (*a*), amando, fruendo.
Est subtile, citum, clarum corpus, patiens nil.
Corpora Sanctorum cita; libera, fortia, sana,
Pulchra, voluptatis plena, sed absque pati, puta pœnas (*b*).
Sensus amicitiæ (*c*), concordia, plena potestas,
Pax secura, decus, et gaudia sunt animabus.
Gaudia, pax, requies libera ac secura juventus
Non peccat, sapiensque senex, cunctis resonat (*d*) laus.
Aureolam Martyr, Doctor, Virgoque meretur.
Fructus centenus, sexagenusque tricenus
Virginibus, viduis et conjugibus tribuetur.

Ex omnibus prædictis collige, spectare quoddam gaudium solum ad animam, quoddam ad corpus, quoddam ad totum conjunctum, quæ cum felici fine quisque beatus secundum merita recipiet sine fine. Amen.

[1] *Isa.*, LXIV, 4 ; I *Cor.*, II, 9. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXVI, c. XXX, n. 5. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. XI, post med. — [4] Imo auctor, quicumque sit, *Manual.*, c. V, inter Op. S. Aug., append. tom. VI.

(*a*) Cæt. edit. *datur*. — (*b*) Cæt. edit. *pati pœna*, deest *puta*. — (*c*) Cæt. edit. *Sensus amicitias*. — (*d*) Cæt. edit. *sapiens, sanus, duris, redolens*.

Digitized by Google

OPUSCULUM

DIÆTA SALUTIS [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Diætæ nomen significationes varias sortitur : nam habitationem in hortis amœnitatis et voluptatis causa extructam significat, et cœnaculum in ædibus. Unde quidam *diætas* affirmant dictas, eo quod in eis per diem ederetur, idque Varronis auctoritate fulciunt. *Diæta* quoque vocatur victus ratio; et illa pars medicinæ, quæ victui (*a*) medetur, *diætetica* nuncupatur. Postremo *diæta* unius diei iter significat, ut legitur in capite *Nonnulli*, de Rescr., et in c. *Quamvis*, tit. XVI, de offic. ord., in sexto. Ex hac significatione S. Bonaventura huic opusculo nomen dedit *Diætæ salutis*, *diætamque* pro via usurpat, ut ex ipso procemio patet. Dividitur autem hoc Opusculum in novem diætas, et decem titulos cum appendice quadam. Ratio autem quare plures sint tituli, quam diætæ, hæc est : quia novem viis ab Auctore constitutis ad ultimum terminum pervenitur, extra quem non est ulterius progrediendum : ideoque tituli novem sunt pro diætarum ratione, de peccatis, de pœnitentia, etc.; titulus vero decimus de gloria paradisi et de pœnis inferni tractat, quia post judicium generale, electi ad cœlestem paradisi patriam æternis afficiendi præmiis convolabunt; reprobi vero in inferni baratrum æternis affligendi cruciatibus detrudentur. Has omnes vias sanctissimus David complexus est brevi illo versu Ps. XXXVI [2] : *Declina a malo, et fac bonum*. Nam primæ diætæ initium seu terminus, a quo ad pœnitentiam pervenitur, peccatum est, ab eoque statim declinare oportet, nihilque in eo immorari. *Beatus* enim *vir* ille est, ut idem propheta, Ps. I, testatur, *qui in via peccatorum non stetit*. Itaque statim hac via declinata, per alias diætas sive vias, quæ ad bonum faciendum spectant, progrediendum est, quousque ad æternam patriam perveniamus. Appendix vero applicationem materiarum *Dietæ salutis* continet, quibus in dominicis et festivitatibus Sanctorum per annum occurrentibus, quodam tibi proposito themate, concionatores utantur. Est sane Opusculum hoc miro artificio compositum, sacræ Scripturæ locis totum refertum, pulchris etiam similitudinibus ornatum : quibus res, de qua agitur, confirmari, et veluti imago ad vivum expressa ob oculos poni possit. Ideoque omnibus legentibus non mediocrem utilitatem præstat; iis vero maximam, qui in prædicationis verbi Dei munere versantur.

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, pag. 285; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, pag. 283; edit. Ven., an. 1754, tom. XII, pag. 248. — [2] *Psal.* XXXVI, 29.

(*a*) Edit. Vat. *victu*.

Digitized by Google

PROŒMIUM

Hæc est via : ambulate in ea, et non declinetis ad dexteram neque ad sinistram [1], ait Isaias. Magnam misericordiam facit, qui erranti viam ostendit, maxime de nocte, in terra hostium, et tempore guerrarum. Errantes sunt peccatores, juxta illud quod dicitur [2] : *Omnes enim peccaverunt, et egent gratia Dei.* Et Joannes dicit [3]: *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Cum igitur omnes simus peccatores, omnes sumus errantes, sicut dicitur [4] : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* Nox est peccatum, instar nivis frigidum, id est infrigidans dilectionem; obscurum, id est obscurans rationem, ineptum faciens ad bonam operationem. *Venit*, inquit [5], *nox, quando nemo poterit operari.* Terra hostium est mundus, in quo principatur diabolus, ut testatur Dominus, dicens [6] : *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Tempus guerræ est tempus præsentis vitæ, quia nunc [7] *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*, ut dicit Apostolus. Quia igitur omnes peccatores et errantes sumus, per consequens extra viam veritatis imus, et in nocte, et in terra hostili, et in tempore guerræ mortales sumus et existimus : ideo prædicator verbi divini maximam misericordiam facit errantibus, in tantis periculis constitutis, quando viam salutis eis ostendit : unde magnum meritum apud Deum et coronam acquirit. Ideo dicitur [8] : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet* (a) *multitudinem peccatorum.*

Officium prædicatoris.

Officium enim prædicantis verbum Dei est proprie errantes dirigere, et ad viam salutis revocare. In cujus persona verbum Dei, promissum peccatoribus errantibus, est authentice proclamatum, cum dicitur : *Hæc est via, ambulate in ea.*

Peccatores tripliciter possunt errare

Quoniam autem peccatores tripliciter possunt errare, scilicet malam viam eligendo, et in via errando, et a via divertendo; ideo prædicator in verbis istis propositis, docet nos specialiter tria de via ista salutis, scilicet salubriter eligere, viriliter incedere, et viæ salutis insistere. Primo igitur docet nos viam salutis subtiliter eligere, cum dicit : *Hæc est via*, scilicet hæc (b), et nulla alia ad salutem eligenda. Secundo docet nos per viam salutis viriliter incedere, cum dicit : *Ambulate in ea*; quasi diceret : Studete remanere in illa. Tertio docet nos viæ salutis insistere, cum infertur : *Nec ad dexteram, nec ad sinistram*; quasi diceret : Nolite divertere ab ea. Primo ergo docet nos prædicator viam salutis eligere, cum dicit : *Hæc est via*, id est, non erroris, sed veritatis; non periclitationis, sed salutis; non ad infernum, sed ad cœlum. Et nota, quod hæc via salutis habet specialiter novem diætas. Prima est a peccato ad pœnitentiam, tanquam ad medicinam et remedium peccatorum; secunda, a pœnitentia ad præcepta; tertia est a præceptis ad consilia; quarta est a consiliis ad virtutes, tanquam ad instrumenta quæ docent operari recte; quinta est a virtutibus ad dona Spiritus sancti, quæ docent operari faciliter et expedite; sexta est a donis ad beatitudines, quæ docent operari perfecte; septima est a beatitudinibus ad fructus spiritus, qui docent operari delectabiliter et deliciose; octava est a fructibus ad judicium; nona est a judicio ad cœlum. Et secundum hoc in præsenti opere, quod dicitur *Via* vel *Diæta salutis*, sunt decem tituli.

In primo agitur de vitiis, a quibus est removendum, et recedendum; in secundo agitur de pœnitentia; in tertio, de præceptis moralibus, a Deo hominibus datis; in quarto, de consiliis evangelicis; in quinto, de virtutibus theologicis et cardinalibus; in sexto, de septem donis Spiritus sancti; in septimo, de beatitudinibus evangelicis; in octavo, de duodecim fructibus spiritus; in nono, de judicio generali; in decimo de inferno et pœnis, necnon et de gloria paradisi.

[1] *Isa.*, XXX, 21. — [2] *Rom.*, III, 23. — [3] I *Joan.*, I, 8. — [4] *Isa.*, LIII, 6. — [5] *Joan.*, IX, 4. — [6] *Joan.*, XII, 31. — [7] *Gal.*, V, 17. — [8] *Jac.*, V, 20.

(a) Cæt. edit. *operit.* — (b) *Cæt. edit. deest* hæc.

Digitized by Google

TITULUS PRIMUS

DE PECCATIS

CAPUT PRIMUM.

De Peccato in communi.

Difinitio peccati. Primo igitur nota de peccato, vel vitio in communi. Et est sciendum, quod « peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, » ut dicit Augustinus [1]. Et est sciendum, quod est vitandum specialiter et præcipue propter tria : primo, quia est deformitas, quam Deus detestatur; 2° iniquitas, quam dæmon amplexatur; et 3° infirmitas, qua mundus dissipatur. Primo, peccatum est detestandum, quia est deformitas, quam Deus summe detestatur. Unde nota, quod nihil posset cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati : ipse enim propter peccatum semel fere dissipavit omnia opera sua, scilicet totum mundum per diluvium, ut patet in *Genesi*. Alii autem reges et potentes in præjudicium inimicorum depopulantur terras eorum; Deus autem dissipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram suam. Item non solum habet peccatum odio, sed et quidquid peccatum tangit. Alii autem homines, propter vinum corruptum, non projiciunt in mari vasa aurea, vel argentea; sed servant vasa, et vinum effundunt : Deus autem non solum peccatum, sed etiam vasa peccati, id est, creaturas rationales, scilicet animas ad suam imaginem factas, et suo pretioso sanguine redemptas, in odium peccati projicit in oceano infernali, quia, ut dicitur [2], *odio est Deo impius, et impietas ejus*. Deus insuper in tantum peccatum odit, quod propter peccata mundi innocentem Unigenitum interfecit. Unde dicitur [3] : *Propter scelus populi mei percussi eum*. Et ipsemet Dei Filius, ut peccatum interficeret, vel occideret, *tradidit in mortem animam suam*, ut dicitur similiter ibidem [4]. Nullus autem invenitur, qui tam odiat inimicum, quod in ejus odium vellet interficere unigenitum proprium, vel etiam semetipsum. Item Deus persecutus est peccatum ab initio in tantum, quod projecit ipsum de cœlo, et videns quod remanserat in mundo, ipse in propria persona descendit in mundum, ut de ipso fugaret peccatum, et tandem in judicio projiciet, et includet ipsum in inferno, quia dicitur [5] : *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*.

Secundo peccatum est iniquitas, quam dæmon amplexatur. Et nota quod triplex est signum, quod peccatum placet diabolo. Primum signum est, quia in nullo alio delectatur, quia ipse non vult aliud bonum (*a*), non quærit aurum, non amat argentum, quia in persona ejus dicitur [6] : *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. Sicut enim avis rapax amat cor prædæ, sic ipse cor hominis : ut patet de illo qui interrogavit diabolum quid plus amabat; et diabolus respondit, quod tria præcipue, scilicet lunam primam, rotam solis, et ferrum molle : hoc est cor [7], quod componitur ex tribus litteris, quæ habent illas tres figuras. Secundum signum quod Diabolus amat peccatum, est, quia in procurando peccatum nunquam fatigatur. Etenim sex millia annorum sunt, et amplius, quod nihil aliud fecit, quam procurare peccata. Unde, quando Dominus interrogavit eum [8] : *Unde venis?* respondit : *Circuivi terram, et perambulavi eam*, etc. Non licet enim sibi capere cibum nec somnum, tantum est occupatus in negotio peccatorum, juxta illud [9] : *Qui me comedunt, non dormiunt*. Tertium signum quod diabolus amat peccatum, est, quia nunquam potuit nec poterit peccato saturari. Jam enim non possunt numerari illa infinita millia hominum peccatorum, quos absorbuit et devoravit; et tamen est adhuc famelicus, et *sicut leo circuit quærens quem devoret*, ut habetur in prima Petri [10]. Adhuc etiam est insatiabilis peccato, non solum famelicus, sed etiam sitibundus. Unde dicitur [11] : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat*

[1] Aug., *cont. Faust.* lib. XXII, c. XXVII. — [2] *Sap.*, XIV, 9. — [3] *Isa.*, LIII, 8. — [4] Ibid., 12. — [5] *Mich.*, VII, 19. — [6] *Gen.*, XIV, 21. — [7] Scilicet C, O et R. — [8] *Job*, I, 7. — [9] *Job*, XXX, 17. — [10] *Petr.*, V, 8. — [11] *Job*, XL, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* balneum.

Digitized by Google

Jordanis in os ejus. Peccatores cum impetu currentes in os ejus, id est, in infernum, vocantur hic fluvius quem absorbet diabolus, et non miratur; justi vero quieti et pacifici dicuntur *Jordanis*, qui interpretatur humilis descensus, et tales summe diabolus desiderat absorbere. Exemplum in *Vitis Patrum* de capitulo dæmonum, et singulis dæmonibus de peccatis et malis, quæ procuraverant, reddentibus rationem, et de illo qui specialiter fuit laudatus et honoratus a principe eorum, et in cathedra collocatus, quia fecerat fornicari unum monachum, quem in quadraginta annis vix traxerat ad peccatum.

Tertio peccatum est infirmitas, qua mundus dissipatur. Et nota, quod peccatum est febris tertiana propter triplicem concupiscentiam, scilicet divitiarum, deliciarum, et honorum, de qua dicitur [1]: *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Quartana etiam est propter quadruplicem gradum peccati, scilicet cordis, oris, operis, et consuetudinis, contra quæ dicitur [2]: *Revertere, revertere, Sunamitis* (*a*), id est, anima misera: quater dicit: *Revertere*, propter illa quatuor prædicta. Est etiam febris quotidiana propter peccatum superbiæ, quod est in omni peccato; et continue, vel continua est, quia est valde periculosa. Nam sicut febris continua aliquando aufert vitam temporalem, vel corporalem, et confert mortem corporalem; sic peccati infirmitas aufert vitam, non solum temporalem, sed et aliquando spiritualem, quia confert mortem infernalem, vel æternalem. Podagra pedum vel gutta est, propter peccatum acediæ; paralysis manuum est, propter peccatum invidiæ, vel iræ; hydropisis est propter peccatum avaritiæ; dolor viscerum vel tortiones, propter peccatum iracundiæ; squinantia, propter peccatum gulæ; lepra, propter peccatum luxuriæ. Et propter hæc omnia dicitur de peccatore [3]: *A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.*

CAPUT II.

De Peccato in speciali.

Secundo, nota de vitiis in speciali. Et est sciendum, quod septem sunt vitia principalia et capitalia: quinque dicuntur spiritualia, scilicet superbia, invidia, avaritia, ira, et acedia; duo vero dicuntur carnalia, scilicet luxuria, et gula. Unde versus:

Dat septem vitia dictio *saligia:*

In qua scilicet sunt tot litteræ, quot sunt varia capitalia, licet non sit in vitiis et litteris idem ordo. De quolibet vitio nota præcipue tria, scilicet typum, quem præfert; fœtum, quem profert; et damnum, quod infert.

Similitudines peccati in communi.

Primo enim notandæ sunt adaptationes peccati in communi. Et nota, quod peccatum est sicut putredo in pomo. Sicut enim putredo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem et saporem; sic peccatum aufert animæ decorem vitæ, et odorem famæ, valorem gratiæ, et saporem gloriæ. Unde dicitur [4]: *Quasi putredo consumendus sum.*

Secundo peccatum est sicut vulnus in corpore humano: nam recenter vulneratus permittit se tangi, et vulnus premi et investigari; sed post tertium diem non sine magno dolore tangitur in vulnere: sic peccatum in sua recentia cito curatur, et post tertium diem est gravissimus dolor vulnerum. Unde dicitur [5]: *Die tertio, quando gravissimus dolor vulnerum erat, acceptis gladiis duo filii Jacob Simeon et Levi, fratres Dinæ, ingressi sunt urbem confidenter, et Hemor* (*a*) *et Sichem pariter necaverunt:* quia scilicet quasi intolerabilis est correctio, vel sanatio peccati post tres dies. Tres dies isti sunt peccati perpetratio, peccandi consuetudo, et peccati obstinatio. Nam post istum tertium diem, peccator non permittit se tangi per correctionem, juxta illud [6]: *Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Dicunt enim illud [7]: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores:* [8] *Excæcavit enim eos malitia eorum.* Unde etiam *odio habuerunt corripientem in porta*, ut habetur in Amos [9].

Tertio peccatum est sicut falsitas in panno. Nam sicut mercator de falso panno non ostendit emptori medium, neque finem, sed tantum caput; sic diabolus, qui est mercator peccati, ostendit fatuo emptori solum caput panni, id est, delectationem culpæ, non medium, id est, remorsum conscientiæ, vel finem, id est pœnam gehennæ. De hac mercantia dicitur [10]: *Si-*

(*a*) Vulg. *Sulamitis.* — (*b*) Cæt. edit. *Emor*, et sic deinceps.

[1] *Joan.*, II, 16. — [2] *Cant.*, VI, 12. — [3] *Isa.*, I, 6. — [4] *Job*, XIII, 28. — [5] *Gen.*, XXXIV, 25. — [6] *Prov.*, XVIII, 1. — [7] *Isa.*, XXX, 10. — [8] *Sap.*, II, 21. — [9] *Amos.*, V, 10. — [10] *Isa.*, XXIV, 2.

Digitized by Google

cut emens, sic ille qui vendit; quia scilicet tam peccator quam diabolus in mercatura peccati est deceptus.

Quarto peccatum est sicut taberna diaboli, in qua vendit vinum voluptatis in mundo pro pretio animæ : et sicut tabernarius ponit tres taxillos in taberna, quibus occupantur ribaldi; sic diabolus in taberna peccati ponit pro ribaldis, id est, pro amatoribus voluptatis, tres taxillos, id est, tres concupiscentias mundanas, de quibus habetur in Joanne [1] : *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Quinto peccatum est sicut ludus aleatoris, qui vulgo dicitur ludus corrigiæ. Nam sicut ille falsus aleator, id est, corrigiator permittit illos homines in principio aliquid lucrari, et finaliter aufert et recuperat totum quod amiserat, et cum hoc lucratur ab eis quidquid habent, etiam quandoque vestes; sic diabolus, tanquam falsus aleator, permittit peccatorem in aliquo temporali prosperari, sed finaliter aufert animam et corpus, gratiam, et gloriam temporalem, et substantiam. Contra quod Sara gloriabatur, dicens [2] : *Nunquam cum ludentibus miscui me*, id est, cum dæmonibus sive aleatoribus.

Sexto peccatum est sicut rete, et sicut virga inviscata; nam sicut piscis in retibus, se agitando, se plus involvit, et avis plus ambulans per virgam inviscatam fortius se capit, sic peccator magis elongatur a Deo, et strictius illaqueatur a Diabolo, quia de tali dicitur [3] : *Tenebitur planta illius laqueo.*

Septimo peccatum est sicut vinculum, quo ducitur porcus ad macellum, et bos ad victimam, et quo ligatur falco ad perticam, et simia ad truncum. Sicut enim carnifex, ducens porcum, non stringit nimis pedem ejus, ne clamet; sic diabolus non stringit nimis peccatorem per temporalem adversitatem, ne clamet per confessionem vel orationem, ut sic ducat eum liberius ad macellum infernale. Unde dicitur [4] : *Ignorat, quod ad vincula stultus trahitur* (*b*). Item, sicut bos ligatus non sentit se esse ligatum, quando ducitur ad macellum, nisi quando vult fugere : item, sicut simia non sentit se esse ligatam, nisi cum vult pilotam a se removere; nec falco, nisi cum vult de pertica volare : sic peccator non sentit vinculum peccati, dum perpetrat et in peccato perseverat; sed tunc vincula sentit, cum anima infelix a corpore recedit.

[1] I *Joan.*, II, 16. — [2] *Tob.*, III, 17. — [3] *Job*, XVIII, 9. — [4] *Prov.*, VII, 2. — [5] Ex Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. VIII, c. XIV, n. 31; *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII. — [6] *Gen.*, III, 19. — [7] *Psal.* XXXVI, 20. — [8] *Isa.*, LIX, 5.

(*a*) Vulg. *trahatur.*

CAPUT III.

De Superbia.

Superbia est [5] libido dominandi, vel appetitus propriæ excellentiæ. De qua nota tria : typum, quem præfert; fœtum, quem profert; et damnum, quod infert. Superbia igitur, quæ est primum et principale, ac capitale vitium, habet multiplicem typum in natura, et in Scriptura, cui congrue comparatur.

Novem comparationes superbiæ.

Comparatur primo vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, et exsiccat rorem, et exsufflat pulverem : sic superbia extinguit lucem sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsiccat vel exsufflat pulverem vanitatis mundanæ; et ideo cum homo sit pulvis ex sua conditione, juxta illud [6] : *Pulvis es, et in pulverem reverteris*: magis timendus est ventus superbiæ in alto quam in basso, id est, in statu prælationis, quam subjectionis : quia ventus, si in alto pulverem inveniret, citius exsufflaret, quia *perflant altissima venti*, ut dicit Poeta.

Secundo comparatur superbia fumo, quia, sicut fumus magis ascendendo deficit, sic superbus, plus exaltatus, plus evanescit, juxta illud [7] : *Mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

Tertio comparatur paleæ propter levitatem, et inconstantiam, et defectum valoris, quia sicut torrens trahit paleas et ista levia ad Oceanum, sic torrens tentationis trahit secum vanos, non humiles, ad oceanum inferni.

Quarto comparatur stillæ aquosæ, quæ inflat, et statim adnihilatur, et vesicæ, quæ mox deficit, dum tamen acu pungatur : sic superbus mox inflando deficit, et punctus modica febre, vel tribulatione, adnihilatur.

Quinto comparatur araneæ, quia sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat; sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam. Unde dicitur [8] : *Telas araneæ texuerunt.*

Sexto comparatur feretro, quia sicut feretrum tunc solum ornatur, cum mortuus in eo ponitur; sic viri, et mulieres præcipue, tunc ornant feretrum corporis sui per exteriorum vestium

Digitized by Google

paraturam, cum anima intus est mortua per superbiam.

Septimo comparatur superbus luctatori incauto : nam sicut (*a*), si in lucta unus de luctatoribus possit levare pedem alterius, dejicit ipsum; sic si dæmon possit levare pedem, id est, hominis affectionem per superbiam, dejicit eum in damnationem æternam. Unde dicitur [1] : *Dejecisti eos, dum allevarentur.*

Octavo comparatur gallinæ, quia, sicut gallina statim cantat, cum posuerit ovum; sic superbus statim vult videri, cum fecerit aliquod opus bonum.

Nono comparatur lupo : dicitur enim quod lupus uno mense vivit de vento; sic superbus uno mense, id est mensura vitæ suæ, vivit, vel pascitur vento gloriæ mundanæ, juxta illud [2] : *Ephraim pascit ventum*, id est, gloriam mundanam; *sequitur æstum tota die*, id est, superbus est semper famelicus laudis humanæ.

Superbia damna quinque homini infert.

Damna vero, quæ superbia facit in homine, sunt specialiter quinque. Primum enim hominem arefacit, ut melius accendatur, id est, illum sine humore gratiæ et sine compassione efficit. Unde dicitur [3] : *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ*, et sequitur : *ut non derelinquaris ut lignum aridum in eremo*, id est, in inferno, ubi concremabuntur arbores infructuosæ, id est, peccatores. Secundo hominem consumit, id est, omne bonum hominis adnihilat et perdit, juxta illud [4] : *Consumit brachia ipsius*, id est, hominis superbi, *primogenita mors*, id est, superbia, quæ est primogenita filia peccati, vel diaboli. Tertio homines infatuat et decipit : cujus signum est, quia superbus pretiosa vilipendit, id est, gratiam et gloriam, et vilia care emit, id est, gloriam transitoriam, juxta illud [5] : *Arrogantia et superbia cordis tui decepit te.* Quarto hominem præcipitat, et ideo hominem ad alta levat, ut major et gravior sit ruina, de qua dicitur [6] : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Quinto hominem penitus facit infelicem : superbus enim ab eo est infelix, quia de bono semine malam messem colligit : quæ enim sunt bona aliis, in malum convertit. De sanitate enim infirmatur; de vita moritur; de medicamine vulneratur; a victo vincitur; a mortuo superatur atque occiditur. Hæc omnia eveniunt superbo, quia de dono suo gloriatur, et sic de bono efficitur malus, et de virtute efficitur vitiosus juxta illud [7] : *Contritio et infelicitas in viis eorum*, id est, superborum.

Superbiæ filiæ septem.

Filiæ vero superbiæ sunt septem, scilicet præsumptio, ambitio, inobedientia, irreverentia, erubescentia boni, et irrisio bonorum, vel simplicium, vana gloria et hypocrisis. Hæc autem peccata, quæ a superbia nascuntur, figurantur per septem annos, quibus filii Israel servierunt Chusan Rasathaim regi Mesopotamiæ [8] : *Chusan Rasathaim* interpretatur tenebrosa iniquitas, per quam figuratur diabolus, qui ex iniquitate tenebrosus est, qui bene dicitur rex Mesopotamiæ, quæ dicitur elevata per superbiam : quia ipse est *rex super omnes filios superbiæ*, ut dicitur in Job [9].

CAPUT IV.

De Invidia.

Invidia est [10] tristitia alienæ felicitatis, et in adversitate lætitia. De invidia nota specialiter tria, scilicet typum quem gerit, actum quem facit, et fœtum quem parit.

Novem similitudines invidiæ aptatæ.

Invidia enim habet multas similitudines odiosas : est enim sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea in vestimento. Nam sicut ista rodunt proprium subjectum, et consumunt illud plusquam alia; sic invidia rodit invidum, et plus invidus nocet sibi quam aliis.

Secundo, est sicut draco; sicut enim draco insidiatur elephantis partui, ut ipsum pungat, et mordeat, vel comedat, sic invidus bono alieno insidiatur judicio pravæ suspicionis, et postea mordet vel pungit aculeo murmurationis, et inficit veneno detractionis. Unde de invido dicitur [11] : *Frater fui draconum, et socius struthionum.*

Tertio, similis est leproso, Judæ proditori, et diabolo. Leprosus enim vellet quod nullus esset sanus; et diabolus, quod nullus esset bonus. Unde dicitur [12] : *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum.* Judas contristatus fuit de effusione unguenti super Christum, ut habetur in *Matthæo* [13] : sic invidus, instar leprosi et diaboli, dolet de bono proximi; etiam ad modum Judæ proditoris, tristatur de bona fama fratris, et odore virtutis. Unde magnam injuriam faceret Dominus invido, si eum poneret in para-

[1] *Psal.* LXXII, 18. — [2] *Ose.*, XII, 1. — [3] *Eccli.*, VI, 2. — [4] *Job*, XVIII, 13. — [5] *Jerem.*, XLIX, 16. — [6] *Luc.*, XIV, 11. — [7] *Psal.* XIII, 3. — [8] *Judic.*, III, 8. — [9] *Job*, XLI, 25. — [10] Ex Aug., *Enarr. in Psal.* CIV, n. 17. — [11] *Job*, XXX, 29. — [12] *Sap.*, II, 24. — [13] *Matth.*, XXVI, 8. — (*a*) *Cæt. edit. deest* sicut.

Digitized by Google

diso; moreretur enim præ dolore, ubi videret alios gaudere.

Quarto, similis est invidus oculo menstruatæ. Nam sicut illa inficit speculum, cum respicit eum; sic invidus inficit proximum, cum respicit ejus bonum, quoniam omni studio laborat ponere aliquam maculam in proximo. Unde dicitur [1]: *Bona in mala convertit insidiator, et in electis ponit maculam.*

Quinto, similis est invidus noctuæ et igni græco. Noctua enim de nocte videt, de die excæcatur; et ignis græcus in aqua fortius inardescit, sive succenditur: sic invidia in aquis gratiarum fortius exardescit, unde deberet extingui, et ad modum noctuæ a luce excæcatur, unde deberet illuminari: sicut Heli, qui non poterat videre lucernam, donec extingueretur, ut dicitur in libro *Regum* [2].

Sexto, invidus similis est aquæ, et navi, et candelæ serpentinæ. Nam in aqua virga recta apparet tortuosa; et in navi existentibus, cum ipsi fortiter descendunt, videtur quod montes currant velociter; et ad lucem candelæ serpentinæ, omnes paleæ videntur esse serpentes. Fit autem candela serpentina de cera temperata in aqua, in qua serpens coctus est, et post, cum candela illa facta de tali cera ardet, videtur hominibus quod omnes paleæ et omnes aliæ candelæ quæ ibi ardent, sint serpentes: sic invidus ad modum aquæ recta facit tortuosa: et instar existentium in navi, quia cum ipsi invidi ad infernum descendunt, videtur eis quod montes, id est, viri sancti et stabiles ad damnationem currant: et ad lucem candelæ serpentinæ, scilicet invidiæ, innocentes et bonos existimant serpentinos. Omnia enim in malum convertunt, ut dicitur in Ecclesiastico [3]: *Bonum in malum concertit insidiator.*

Septimo, comparatur invidus Cain, de quo dicitur [4]: *Quicumque invenerit me, occidet me:* sic invidum interficit omnis homo, quia aut videt bonum in homine, et tunc dolet; aut malum, et sic gaudet: et sic in omni homine peccat, vel moritur per peccatum.

Octavo, invidus comparatur acrisiæ Sodomorum, id est, cæcitati, qua percussit Dominus Sodomitas, ut dicitur in Genesi. Acrisia autem est passio, quæ àufert judicium, et dicitur ab *a*, quod est *sine*, et *crisis* (κρίσις), quod est *judicium*, quia invidus non judicat illa, quæ oportet videre et judicare.

Nono, invidus similis est nihilo, pro eo, quod dissimilis est tam Creatori, quam omni creaturæ, sive bono creato: Creator enim communicat bona sua liberaliter, et creatura similiter. Nam videmus in sole, quod lumen suum communicat omnibus creaturis, et ignis calorem suum, et sic de aliis; sed invidus non solum non communicat bona sua, sed etiam, quantum in se est, adnihilat aliena, quia sibi valde displicent, et etiam cum solus invidus sit nihil, ita vellet, quod nihil nisi invidia esset.

Invidiæ damna quinque.

Damna invidiæ sunt specialiter quinque. Primum est, quia claudit viam salutis, et aditum paradisi: est enim blasphemia in Spiritum sanctum, quæ *non remittitur in hoc sæculo, neque in futuro*, ut dicitur in *Matthæo* [5]. Sunt autem sex peccata in Spiritum sanctum, quorum invidia est unum: scilicet invidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, præsumptio de impunitate, obstinatio mentis, desperatio, et finalis impœnitentia. Dicuntur enim peccata in Spiritum sanctum, scilicet quia impugnant gratiam Spiritus sancti. Secundum est, quod implet hominem omni malo: unde, ut plenum dolium vino, quod vulgo dicitur, est plenum usque ad oculum; sic invidus, cujus signum est, quia malitia invidi per oculum exit. Nam dicitur in Ecclesiastico [6]: *Nequam est oculus invidi* (*a*); et in Matthæo [7]: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Tertium est, quod spoliat hominem omni bono: et causa est, quia odit et impugnat omne bonum. Alia namque vitia opponuntur uni virtuti, ut superbia humilitati, luxuria castitati, avaritia largitati, et sic de aliis; invidia vero, ut dictum est, opponitur omni bono: unde non tantum dicitur mala, sed pessima. Hæc est enim *fera pessima*, quæ *devoravit* Joseph, sicut dicitur in Genesi [8]. Quartum est, quia facit hominem penitus immisericordem; sicut patet in Cain, qui ex invidia non pepercit Abel fratri suo innocenti; sicut patuit etiam in filiis Jacob, qui, invidia stimulante, non pepercerunt Joseph innocenti; sicut patuit etiam in Judæis, qui non pepercerunt Christo innocentissimo, imo innocentiæ Domino: cujus causa fuit invidia, ut patet in *Matthæo;* quia Pilatus [9]

Peccata in Spiritum sanctum.

[1] *Eccli.*, XI, 33. — [2] Liber *Regum* I, III, 2-3, sic habet: *Heli... oculi ejus caligaverant, nec poterat videre: lucerna antequam extingueretur*, etc. — [3] *Eccli.*, XI, 33. — [4] *Gen.*, IV, 14. — [5] *Matth.*, XII, 31. — [6] *Eccli.*, XIV, 8. — [7] *Matth.*, XX, 15. — [8] *Gen.*, XXXVII, 20. — [9] *Matth.*, XXVII, 18.

(*a*) Vulg. *lividi.*

Digitized by Google

sciebat, quod per invidiam tradidissent eum. Quintum est, quia facit hominem penitus infelicem: invidus enim de bonis aliorum affligitur, et de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine macrescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, et ipse amittere se putat, quod alii lucrantur. Et sicut [1] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ita invido omnia cooperantur in malum. Unde quidam pulcherrime describens invidum, ait [2]:

Pallor in ore sedet; macies in corpore toto;
Nusquam recta acies; livent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi movere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum: carpitque, et carpitur una,
Suppliciumque suum est.

Filiæ invidiæ duæ.

Duæ sunt filiæ invidiæ, scilicet tristitia in prosperis proximi, et exultatio in adversis: quæ contrariantur specialiter charitati, cujus officium est [3] *gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus*, ut dicitur *ad Romanos.* Istæ duæ filiæ figurantur per Oola et Ooliba [4], quod interpretatur tabernaculum meum, quia in persona diaboli dicitur, quod [5] *assumpsit septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi*, scilicet in invido. De istis filiabus dicitur alibi [6]: *Duæ mulieres filiæ unius matris fuerunt*, scilicet invidiæ, quæ ipsas ex diabolo concepit. Unde illæ duæ filiæ possunt valde proprie dici diabolicæ; imitantur enim diabolum patrem suum, qui de bono dolet, et de malo gaudet. Ideo dicitur [7]: *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum*: *imitantur autem illum, quia* (*a*) *sunt ex parte illius.*

CAPUT V.

De Ira.

Ira est libido vel appetitus vindictæ. De ira nota specialiter tria, scilicet odiosam ejus effigiem, ejus ruinosam perniciem, ejus vitiosam propaginem.

Octo similitudines, quibus ira significatur.

Ira plures habet adaptationes et figuras, inter quas primo comparatur igni: nam sicut ignis domum ligneam, et omnem materiam aridam accendit, sic ira accendit præcipue aridos, id est, homines iracundos, qui carent humore gratiæ. Unde homo iracundus est sicut homo habens domum ligneam, qui mane est dives, et in vespere nihil habet: quia ignis iræ combussit sibi domum, id est, conscientiam, et per consequens abstulit sibi quidquid habebat.

Secundo, iracundus est similis ollæ bullienti: sicut enim olla bulliendo emittit aquam, et omnia alia; sic iracundus, ebulliendo per iram, emittit stultitiam et verba inordinata, juxta illud [8]: *Os fatuorum ebullit stultitiam.*

Tertio, iracundus similis est apro: nam, sicut aper ex furore impingit, et currit contra gladium; sic iracundus currit ad peccatum, scilicet contentionem, injuriam, et homicidium. De talibus dicitur [9]: *Pedes eorum ad malum currunt.* Et Gregorius in *Pastorali* [10]: « Mentem impellit furor, quo non trahit desiderium; et agit incommoda, velut nesciens, quæ postea dolet sciens. »

Quarto, iracundus similis est insano, vel arreptitio, qui præcipitat se in ignem vel aquam: sic iracundus in quamcumque malitiam. Unde dicitur de illo arreptitio, quod [11] *ubicumque apprehendit eum, allidit eum*: sic ira iracundum allidit, per impatientiam molestando: et spumat, per clamores contendendo vel contemnendo: et stridet dentibus, malitiam machinando: et arescit, odium et rancorem concipiendo. Hæc enim sunt signa iræ, et opera iracundiæ.

Quinto, iracundus similis est calculo emittenti ignem. Nam sicut calculus, percussus malleo, emittit scintillam; sic iracundus, tactus verbo, ostendit impatientiam suam. Et sicut calculus non emittit ignem, nisi tangatur aliquo duro; sic multi reputantur patientes, qui tamen exardescunt in iram, tacti aliquo verbo contumelioso, Dicitur enim [12] quod *lapisc aloreso lutus, in æs convertitur.* Lapis, animus durus et lapideus, qui, quando solvitur calore iracundiæ, statim ad modum æris reddit sonum indignationis et contumeliæ.

Sexto, iracundus similis est rhamno. Rhamnus enim est quidam frutex spinosissimus, habens ita duras spinas, quod ad impetum venti emittit scintillas, ut dicit Josephus [13]; sic iratus propter ventum indignationis emittit scintillas spinosissimæ contentionis. Unde dicitur [14]: *Egre-*

[1] *Rom.*, VIII, 28. — [2] Ovid., *Metamorph.*, lib. II, fab. 12. — [3] *Rom.*, XII, 15. — [4] *Ezech.*, XXIII, 4. — [5] *Matth.*, XII, 45. — [6] *Ezech.*, XXIII, 2. — [7] *Sap.*, II, 24. — [8] *Prov.*, XV, 2. — [9] *Prov.*, I, 16. — [10] Greg., *de Cur. Pastor.*, lib. III, c. I, adm. 10, statim a princ.— [11] *Marc.*, IX, 18. — [12] *Job*, XXVIII, 2. — [13] Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. V, c. IX, non longe a princ. — [14] *Judic.*, IX, 15.

(*a*) Vulg. *qui.*

Digitized by Google

diatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani, id est, superbos et potentes hujus sæculi, quia specialiter consueverunt esse iracundi.

Septimo, iracundus similis est vasi vacuo, posito juxta ignem. Videmus enim quod si vas vacuum et terreum ponatur ad ignem, frangitur; si autem sit plenum aquæ, in nullo lædit tur : sic homo, qui est de sua conditione terreus, si ponatur ad ignem adversitatis, vel tribulationis, statim frangitur per impatientiam, si sit gratia vacuus ; si autem sit gratia plenus, non lædit ur. Et ideo dicitur [1] : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*

Damna iræ quinque.

Damna iræ sunt specialiter quinque. Primo enim excæcat rationis oculum, nam dicitur [2] : *Turbatus est a furore oculus meus*, id est rationis : et per consequens non potest videre iratus quid justum, vel injustum. Unde dicitur [3] : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.* Et Seneca dicit, quod duo impediunt consilium, scilicet festinantia, et ira. Secundo, ira facit hominem pronum ad quodcumque peccatum. Vulgo namque dicitur de homine valde irato vel accenso, quod omnia faceret. Et ideo dicitur [4] : *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* Tertio reddit hominem stultum et quasi rabidum. Unde eo tempore, quo homo est iratus, perit ratio et humanitas in homine, et sic per consequens mutatur homo, et efficitur bestia. Nam homo est animal mansuetum natura, ut dicit Philosophus. De stultitia hominis iracundi dicitur [5] : *Virum stultum interficit iracundia.* Quarto, aufert homini seipsum, sicut vulgo dicitur, quod homo turbatus vel iratus non est in seipso. Satis autem damnificatur, qui perdit seipsum. De tali damno dicitur [6] : *Qui impatiens est, sustinebit damnum*, scilicet sui ipsius. Sic e contrario patientia servat hominem sibi ipsi. Nam dicitur [7] : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quinto aufert homini omnem misericordiam et compassionem. Ideo dicitur [8] : *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* Unde homo iratus fugiendus est, sicut canis rabidus, et leo concitatus.

Filiæ iræ sex.

Filiæ sunt sex, scilicet odium, lis, guerra, incendium, homicidium, et rapina. Ista sex figurantur in *Ezechiele*, cum dicit [9] : *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris*, id est de superbia, quæ est porta ad iram; *quæ respicit ad aquilonem*, id est, adversitatem, quæ (*a*) generat iram, vel turbationem; *et uniuscujusque* (*b*) *vas interitus in manu ejus*, quia isti filii et filiæ iracundiæ sunt quasi sex vasa interitus, vel mortis æternæ.

[1] *Eccli.*, XXVII, 6. — [2] *Psal.* VI, 8. — [3] *Jac.*, I, 20. — [4] *Prov.*, XXIX, 22. — [5] *Job*, V, 2. — [6] *Prov.*, XIX, 19. — [7] *Luc.*, XXI, 19. — [8] *Prov.*, XXVII, 4. — [9] *Ezech.*, IX, 2. — [10] *Eccle.*, I, 7. — [11] *Habac.*, II, 5. — [12] *Luc.*, XVI, 9. — [13] *Ezech.*, VII, 19. — [14] *Job*, I, 21.

(*a*) *Cæt edit.* qui. — (*b*) *Item* unusquisque. — (*c*) Vulg. *non.*

CAPUT VI.

De Avaritia.

Avaritia est immoderatus amor pecuniæ acquirendæ vel retinendæ. De qua nota specialiter tria, scilicet typum ridiculosum, et damnum periculosum, et partum perniciosum.

Novem similitudinibus avaritia ostenditur.

Avaritia multas habet comparationes. Primo enim comparatur avaritia mari, morti, et inferno. Nam sicut *mare nunquam* (*c*) *redundat*, ut dicitur in *Ecclesiaste* [10]; sic avarus nunquam redundat dando eleemosynam, vel faciendo restitutionem, licet ad modum maris omnes fluvios mundi bibat, id est, absorbeat omnes divitias per cupiditatem. Unde ratione hujus insatiabilitatis comparatur mari, et eodem modo morti, vel inferno, quia nunquam satiatur illa occidendo, et ille deglutiendo. Unde de avaro dicitur [11] : *Dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimplebitur.*

Secundo, avarus similis es ttalpæ in quatuor : avarus enim ad modum talpæ est niger per nequitiam; cæcus per ignorantiam; quot habet possessiones, tot habet tumulos in quibus sepelit seipsum per continuam sollicitudinem; quidquid fodit, ponit supra se, quia de omnibus facit Deum.

Tertio, comparatur sterquilinio, quia, sicut sterquilinium congregatum corrumpitur et fœtet, dispersum vero facit agros fructificare; sic divitiæ avari, quandiu sunt congregatæ, animam corrumpunt, sed dispersæ pauperibus, ipsos nutriunt, et divitum peccata redimunt, juxta illud [12] : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* De hoc sterquilinio dicitur [13] : *Aurum eorum in sterquilinium erit.*

Quarto, avarus similis est rotæ molendini; quantumcumque enim, et quotiescumque vertatur, semper tamen in eodem loco invenitur; sic avarus, qui nudus in mundum venit, quantumcumque laboret, nudus tamen de mundo recedit solum. Unde dicitur [14] : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.*

Digitized by Google

Quinto, avarus similis est porco : porcus enim nihil valet, dum vivit; sed quando moritur, valere incipit : sic avarus non valet aliquid in vita, quia vivens non vult restituere, nec eleemosynam dare; sed moriens quandoque incipit liberalis esse de hoc quod non potest secum portare, quia diaboli habent animam, vermes corpus, amici divitias, quia divitiæ deserunt eum, non ipse divitias. Sicut canis, sequens duos homines, in capite viarum ostendit quis sit dominus ejus, quia tunc sequitur dominum suum proprium, et dimittit extraneum; sic divitiæ in capite mortis sequuntur mundum, et dimittunt avarum. Nam dicit Apostolus [1] : *Nihil enim intulimus in hunc mundum : nec dubium, quia* (a) *nec auferre quid possumus.*

Sexto, similis est avarus pyxidi perforatæ superius, quæ recipit pecuniam, quam nunquam potest reddere, nisi frangatur : sic avarus, et præcipue usurarius, pecunias et divitias haurit et congregat, sed nunquam, nisi morte frangatur, eas restituere curat. Ideo dicitur de avaro [2] : *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida.*

Septimo, avarus similis est trunco arboris. Nam sicut dominus, qui habet truncum in horto, potest inferre ramum cujuscumque generis voluerit; sic diabolus, quando potest in corde hominis inserere avaritiam vel cupiditatem, omnia vitia inserit, quia jam habet omnium malorum radicem et principium, juxta illud Apostoli [3] : *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Octavo, avarus similis est gallinæ : nam gallina naturaliter surda est in augusto vel æstate; sic avarus in æstate, id est, in statu meriti, vel in tempore gratiæ, quando debet colligere bonorum operum messem, ad modum gallinæ surdus est, quia non vult audire prædicatores. Unde avaris dicitur in persona Domini [4] : *Vocavi, et renuistis,* etc.

Nono, avarus similis est apostemati quod est proximum cordi, et rei quæ ponitur immediate super pupillam oculi. Apostema enim tunc est periculosum, quando est juxta cor; sic divitiæ tunc sunt mortiferæ, quando diliguntur nimio amore. Unde dicitur in Psalmo [5] : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Per eamdem etiam rationem comparatur rei quæ ponitur immediate super pupillam oculi. Nunquam enim res bene potest videri, quæ nimis est propinqua oculo; ideo avarus male videt divitias, quia nimis prope apponit mentis oculum, et nimis diligit eas. Ideo dicit idem Psalmista [6] : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Damna avaritiæ sunt præcipue novem. Primo enim facit hominem nudum; unde dicitur in Apocalypsi [7] : *Dicis, quia dives sum et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Nota hic quinque infortunia avari. Est enim *miser*, quia divitias cum labore acquirit; *miserabilis*, quia cum timore custodit; *pauper*, quia cum dolore perdit; *cæcus*, quia nihil aliud respicit; et *nudus*, quia nullum aliud bonum facit. Secundo avaritia facit hominem servum : nam divitiæ non sunt avarorum, sed sunt avari divitiarum. Ideo signanter dicit Propheta in Psalmo [8] : *Viri divitiarum*, non virorum divitiæ. Tertio avaritia facit hominem stultum : nam stultus non præcavet periculo, quamvis sit propinquum; sic avarus non fugit periculum inferni, cum sit etiam morti propinquus. Ideo dicitur avaro in Luca [9] : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te,* scilicet dæmones. *Hæc autem quæ parasti,* id est, congregasti, *cujus erunt?* quia [10] *thesaurizat* impius, *et ignorat cui congregabit ea.* Quarto avaritia facit hominem abominabilem; unde dicitur in Osea [11] : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Non enim mirum est, si Deus abominatur avarum, cum ipse tantum Deum contemnat, quia plus diligit nummum, vel obolum, quam Deum. Cujus signum est, quia pro obolo aliquando non veretur mentiri, nec vult dare obolum pauperi pro amore Dei. Quinto facit insatiabilem; unde avarus comparatur hydropico, qui bibit et nunquam satiatur. Unde dicit Ecclesiastes [12] : *Avarus non implebitur pecunia.* Sexto facit hominem insatiabilem, vel solitarium : sicut aves rapaces volant non congregatim, sed solitariæ; sic avarus semper est solitarius, quia nunquam vult socium in pecunia. Unde de avaro dicitur in Ecclesiaste [13] : *Unus est, et secundum non habet.* Et ideo sua est hæc maledictio, quæ ibidem scribitur : *Væ soli, quia si ceciderit,* etc. Septimo facit hominem obliviosum propriæ salutis; et in signum hujus Manasses et Ephraim fuerunt fratres, ut habetur in Genesi. Manasses interpretatur *oblivio* :

[1] I *Tim.*, VI, 7. — [2] *Isa.*, XXX, 14. — [3] I *Tim.*, VI, 10. — [4] *Prov.*, I, 24. — [5] *Psal.* LXI, 11. — [6] *Psal.* XVI, 11. — [7] *Apoc.*, III, 17. — [8] *Psal.* LXXV, 6. — [9] *Luc.*, XII, 20. — [10] *Psal.* XXXVIII, 7. — [11] *Ose.*, IX, 10. — [12] *Eccle.*, V, 9. — [13] *Eccle.*, IV, 8, 10. — (a) Vulg. *haud dubium, quod.*

Digitized by Google

Ephraim *fructificans*, vel *crescens*, et figurat avarum, qui est crescens (*Ephraim*), id est, in divitiis; et est *Manasses*, quia scilicet obliviscitur propriæ salutis. Octavo facit hominem angustiosum, nam dicitur in Ecclesiaste [1] : *Labor stultorum affligens eos.* Ideo divitiæ dicuntur spinæ in *Luca* [2], quia cruciant possidentes, sicut videmus quod spina in pede non sinit hominem quiete dormire. Nono facit hominem tempestuosum; nunquam enim cupidus, vel avarus potest habere, nec in conscientia, nec in domo propria pacem. Unde dicitur in Proverbiis [3] : *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam.* Est enim talis sicut canis, qui dum rodit os, irascitur omni appropinquanti sibi, sive sit extraneus, sive notus : quia vulgo dicitur, quod canis non vult socium in coquina.

Filiæ avaritiæ sunt duodecim.

Filiæ autem avaritiæ sunt duodecim, scilicet usura, rapina, latrocinium, talliæ injustæ, fraus negotiatorum, deceptio advocatorum, acceptio munerum, simonia pro promotione consanguineorum, peccata anachoritarum, id est, illorum qui promoventur favore et potentia principum, fraus mercatorum, avaritia scientiæ, et iniquitas lusorum. Ista enim peccata, quæ generat avaritia, figurantur per duodecim duces [4], quos Ismael generavit. Ismael enim erat idololatra, et figurat avarum, de quo dicitur ad Ephesios [5] : *Avaritia est idolorum servitus.* Filii ejus recte dicuntur duces, quia fere totus mundus regitur et ducitur istis duodecim peccatis, quæ ex avaritia nascuntur. Nam dicit Isaias [6] : *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam, a summo usque ad novissimum.* Et in Hieremia dicitur [7], quod *a minori usque ad majorem omnes avaritiæ student.*

CAPUT VII.

De Acedia.

Acedia est parvus amor boni, cum tædio et inordinata animi tristitia, et impatientia rei divinæ. De acedia nota specialiter tria, scilicet typum turpissimum, damnum gravissimum, et partum vilissimum.

Sex acediæ comparationes.

Acedia habet multas figuras, et similitudines detestandas. Primo comparatur acedia salicibus, quæ sunt arbores infructuosæ, et solum faciunt umbram : sic acediosi et otiosi nullum faciunt fructum, sed solum umbram diabolo et refrigerium. Unde dicitur de diabolo in Job [8] : *Circumdant eum*, scilicet diabolum, *salices infructuosæ.* Secundo comparatur acedia febri hecticæ, vel phthisicæ, vel lassæ, vel paralysi. Febris hectica vel phthisica, fit ex consumptione humoris naturalis : sic acedia fit, quia deficit humor divinæ dilectionis, et devotionis. Similiter febri lassæ comparatur; nam febris hujusmodi vix aut nunquam curatur; sic piger, vel otiosus, cum sit semimortuus, vix corrigitur. Est enim languor, de quo dicitur in Ecclesiastico [9] : *Languor prolixior gravat medicum.* Comparatur etiam paralysi, quæ facit membra arida et impotentia; sic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, et membra omnia ad laborem pœnitentiæ sustinendum. Unde de talibus dicitur in Psalmo [10] : *Manus habet, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt.* Tertio comparatur Adonibezech, de quo dicitur [11], quod amputavit manus et pedes septuaginta regibus. Adonibezech enim interpretatur *dominator egestatis*, et significat acediam, quæ facit subditos suos egentes et inopes : nam dicitur in Proverbiis [12] : *Egestatem operata est manus remissa*, id est pigra. Iste Adonibezech amputat manus et pedes regibus, quia, ad litteram, reges et prælati volunt vivere nunc otiosi. Vel *reges* dicuntur viri religiosi, juxta illud Ecclesiastici [13] : *Qui ungis reges ad pœnitentiam.* Religiosi quidem deberent se et alios regere per vitam et doctrinam; sed aliqui habent manus et pedes amputatos per acediam. Quarto comparatur otiosus cani famelico : hujusmodi enim piger et otiosus ad modum canis esurit, et omnes sensus universalem famem patiuntur, juxta illud Psalmi [14] : *Famem patientur ut canes* : os enim ejus esurit cibaria delicata, lingua verba vana, manus vilia, cor honores, auris rumores, et oculi vanitates. Ideo dicitur in Proverbiis [15]: *Desideria occidunt pigrum.* Quinto comparatur otiosus vel piger ferro, terræ, et aquæ, et vesti, scholari negligenti, homini stanti et non ambulanti : istis enim sex eadem ratione adaptatur. Ferrum quidem, quod non tractatur, cito rubiginatur. Terra quæ non colitur, malas herbas generat. Aqua quæ non movetur, cito corrumpitur. Vestis quæ non portatur, de facili

[1] *Eccle.*, X, 15. — [2] *Luc.*, VIII, 15. — [3] *Prov.*, XV, 27. — [4] *Gen.*, XVII, 20. — [5] *Ephes.*, V, 3. — [6] *Isa.*, LVI, 11. — [7] *Jerem.*, VI, 13. — [8] *Job*, XL, 17. — [9] *Eccli.*, X, 11. — [10] *Psal.* CXIII, 7. — [11] *Judic.*, I, 7. — [12] *Prov.*, X, 4. — [13] *Eccli.*, XLVIII, 8. — [14] *Psal.* LVIII, 7. — [15] *Prov.*, XXI, 25.

Digitized by Google

a tinea corroditur. Scholaris negligens, qui non addiscit, de necessitate nihil scit. Homo stans qui non vadit, facilius cadit, quam ille qui semper incedit. Sic acediosus, quia non exercet se in aliquo bono opere, ideo succumbit vitiis, et vincitur tentatione. Unde dicit Hieronymus ad Rusticum monachum [1] : « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus non inveniat otiosum. » Facilius enim diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos. Nam [2] *immundus spiritus cum invenit domum vacantem,* scilicet per acediam, *assumit alios septem spiritus nequiores se,* id est universa vitia, *et ingressi habitant ibi,* ut dicitur in *Matthæo.* Sexto comparatur otiosus et piger lethargico, qui moritur dormiendo, sicut Sisara, de quo dicitur [3], quod *soporem morti socians, defecit, et mortuus est.* Et sicut vulgo dicitur, quod nimis fortiter et profunde dormit, qui culcitram sibi furari permittit; sic piger nimis oppressus est somno acediæ, qui permittit sibi furari culcitram, id est quietem bonæ conscientiæ.

Damna, quæ infert acedia, septem.

Damna acediæ sunt specialiter septem. Primum est paupertas, quæ facit hominem egentem tam corporaliter, quam spiritualiter. Ideo dicitur in Proverbiis [4] : *Egestatem operata est manus remissa.* Et in *Matthæo* [5] dicitur de servo pigro : *Tollite ab eo talentum;* quia vere talentum gratiæ meretur amittere, qui illud negligit multiplicare. Secundum est vilitas, facit enim acedia hominem vilem; unde dicitur in *Ecclesiasto* [6]*: In lapide luteo lapidabitur piger.* Lapis luteus potest dici peccatum immundum, ad quod acedia facit hominem pronum. Tertium est timor, vel pusillanimitas : facit enim hominem pavidum et pusillanimem ad modum leporis. Unde dicitur in Proverbiis [7] : *Timor dejicit pigrum,* scilicet de cacumine virtutis. Quartum est spiritualis corruptio : corrumpitur enim ad instar aquæ non motæ. Ideo dicit Hieremias [8] : *Moab non est transfusus de vase in vas.* Moab interpretatur *acediosus,* qui de vase in vas non est transfusus, quia in bonis operibus non est occupatus. Quintum est vitiorum accumulatio : replet enim acedia hominem universis vitiis. Nam dicitur in Proverbiis [9] : *Per agrum hominis pigri transivi; et ecce totum repleverant urticæ.* Urtica recte figurat acediam : nam urtica habet molle folium, sed in folio habet aculeum pungitivum : sic acedia, ad modum urticæ, habet in mollitie remissionis aculeum pungitivæ tentationis. Sicut asinus libenter pascitur hujusmodi pungitivis, id est cardonibus; sic piger libenter pascitur hujusmodi pungitivis, id est delectationibus perversis, quasi aculeatis. Sextum est exprobrabilis accusatio : facit enim acedia hominem exprobratione dignum. Unde dicitur in Proverbiis [10] : *Usquequo, piger, dormies?* Et ideo ad confusionem suæ negligentiæ, immittitur otiosus in scholam (*a*) formicæ ad discendum, juxta illud quod scribitur in Proverbiis [11] : *Vade ad formicam, o piger.* Et satis est homini magna confusio, quod oporteat eum addiscere a tam parvo et despecto magistro.

Pigritia in decem casibus est reprehensibilis.

Et nota, quod pigritia vel negligentia est præcipue reprehensibilis in decem casibus. Primo, quando est magnum iter, et tempus breve : sic nos habemus magnum iter, scilicet usque ad cœlum, juxta quod dictum est Eliæ [12]: *Grandis enim restat tibi via;* et tempus est valde breve, scilicet vita (*b*) nostra quæ est [13] *quasi transitus umbræ,* ut dicitur in libro *Sapientiæ.* Secundo est reprehensibilis negligentia, quando quis expectatur a magistris, et pigritat venire : sic nos periculose pigritamus, qui expectamur ab angelis et sanctis. Tertio, quando quis vocatur ad magna; sic pigritari est periculosum, quia vocamur ad magna, scilicet ad regnum cœlorum. Quarto, quando multa impedimenta sunt in via : sic nos nullo modo debemus pigri esse, quia viam nostram impediunt tentationes diversæ. Quinto, quando res impignorata non redimitur in termino : sic nobis periculosum est si negligamus animam redimere, quæ est impignorata diabolo per peccati delectationem. Sexto, quando præscriptio est prope terminum suum : sic nobis est valde periculosum, cum diabolus præscripserit hominem seu animam per peccata multo tempore, si non inquiratur ejus præscriptio, scilicet lacryma, confessione et oratione, et hoc ante terminum præscriptionis, scilicet ante diem mortis, quia dicitur in Ecclesiastico [14] : *Ante mortem confitere.* Et iterum : *Vivus et sanus confiteberis.* Septimo, quando quis cecidit in turpem locum : turpis enim locus in quem cecidimus est peccatum, quod est quid

[1] Hieron., *ad Rustic. Monach.,* epist. IV, circa med. — [2] *Matth.,* XII, 43 et seq. — [3] *Judic.,* IV, 21. — [4] *Prov.,* X, 4. — [5] *Matth.,* XXV, 28. — [6] *Eccli.,* XXII, 1. — [7] *Prov.,* XVIII, 8. — [8] *Jerem.,* XLVIII, 11. — [9] *Prov.,* XXIV, 31. — [10] Ibid., VI, 9. — [11] Ibid., 6. — [12] III *Reg.,* XIX, 7. — [13] *Sap.,* II, 5. — [14] *Eccli.,* XVII, 26, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* schola. — (*b*) *Item* via.

Digitized by Google

turpissimum, et ideo non debemus esse pigri ad surgendum. Octavo, quando magnum donum offertur : hoc donum est divina gratia ; et si illud negligimus accipere, hæc negligentia est valde periculosa. Nono, quando quis est in magno periculo; nisi ei succurratur, est valde periculosum ei : sic negligentia valde periculosa est homini pigro, nisi cito animæ succurrat, quæ est in periculo infernalis præcipitii. Decimo, quando tempus est plantandi arbores, et non plantantur; putandi vineas, et non putantur; seminandi agros, et non seminantur; metendi messes, et non metuntur; domandi animalia, et non domantur; curandi vulnera, et non curantur; lavandi vestes, et non lavantur; saliendi carnes, et non saliuntur. In omnibus istis valde periculosa pigri negligentia, et merito sunt reprehensibiles, qui in istis specialiter sunt negligentes : est enim modo tempus ad omnia prædicta specialiter facienda : nunc enim est tempus plantandi per charitatis radicationem; putandi per peccatorum confessionem; serendi per eleemosynarum largitionem; metendi per bonorum operum accumulationem; domandi animalia per carnis mortificationem; curandi vulnera per pœnitentiæ medicationem, lavandi vestes per lacrymarum effusionem; saliendi carnes per continentiæ satisfactionem. Hæc enim decem prædicta sunt [1] *quæ oportet fieri cito*, ut dicitur in *Apocalypsi*.

Filiæ acediæ quindecim.

Filiæ acediæ sunt quindecim : tepiditas, mollities, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperseverantia, remissio, dissolutio, ignavia, indevotio, tristitia, tædium vitæ, desperatio. Hæc quindecim peccata, quæ nascuntur ex acedia, figurantur per quindecim cubitos, quibus ascendit aqua diluvii super montes universos. Sicut enim aqua diluvii submersit mundum, sic acedia suffocat otiosum. Et sicut tunc quindecim cubitis super omnes montes effluxit aqua; sic ex acedia quindecim generantur peccata. Ideo nota quod contra prædicta peccata, summum remedium est diversitas occupationum.

Remedium contra acediam.

CAPUT VIII.

De Gula.

Gula est immoderatus appetitus edendi et potandi. De gula nota specialiter tria, scilicet typum reprobandum, damnum lamentandum, et partum detestandum.

Gulæ comparationes octo.

Gula multis rebus detestabilibus comparatur. Primo est squinantiæ similis; nam squinantia est morbus gutturis, et cito suffocat hominem; sic gula, quæ ad litteram est gutturis vitium, faciliter strangulat hominem per peccatum. Unde dicitur in *Ecclesiastico* [2] : *Propter crapulam multi obierunt* : morte quadruplici, scilice morte naturæ, culpæ, infamiæ, et gehennæ. Secundo comparatur morbo regio; nam ille morbus requirit magnas expensas, et inde dicitur regius, quia soli reges et homines potentes possunt specialiter sufficere ad expensas tam grandes : sic gulæ vitium est tam magnarum expensarum, quod vix potest ei aliquid sufficere. Nam dicitur in *Ecclesiaste* [3] : *Omnis labor hominis est in ore suo*, id est, quidquid ex labore acquirit, ore suo gulose consumit. Tertio comparatur bolismo; nam bolismus est caninus appetitus, qui interficit hominem gulosum, quia non potest satiari : sic gula maledicta, ad modum appetitus canini, interficit gulosum, qui nunquam potest satiari. Unde dicitur in *Proverbiis* [4] : *Venter impiorum insaturabilis*. Quarto comparatur gulosus sacco pertuso vel perforato in fundo, qui quantumcumque ex una parte accipit, tantum ex altera parte perdit : talis saccus est gulosus homo, qui ex una parte habet coquinam ad implendum ventrem, et ex altera latrinam ad evacuandum. Et satis miser est homo, qui semper est deditus tam vili officio. Unde dicitur [5] : *Qui mercedes congregavit, et misit eas in saccum pertusum* (*a*). Quinto gulosus comparatur porco; nam porcus est animal deditum gulæ; diabolus autem nutrit et impinguat porcos et bachones suos, scilicet gulosos, et postea ad fumum inferni ponit eos, ut in æternum devoret et pascatur. Unde dicitur in *Matthæo* [6] : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos*, id est in gulosos. Sexto comparatur gula freno : nam sicut sessor ducit equum quocumque voluerit, postquam ipsum infrenavit; sic gula ducit gulosum ad omne peccatum, ex quo homo vitio gulæ infrenari se permittit : ideo de guloso dicitur in Psalmo [7] : *In camo et freno maxillas eorum constringe*. Septimo gulosus comparatur Esau, qui pro cibo lenticulæ vendidit primogenita

[1] *Apoc.*, I, 19. — [2] *Eccli.*, XXXVII, 34. — [3] *Eccle.*, VI, 7. — [4] *Prov.*, XIII, 25. — [5] *Agg.*, I, 6. — [6] *Matth.*, VIII, 31. — [7] *Psal.* XXXI, 9.

(*a*) Cæt. edit. *sacco pertuso*.

Digitized by Google

sua : sic gulosi pro gula vendunt præmia æterna. Nam dicitur in *Threnis* [1] : *Dederunt quæque pretiosa pro cibo.* Octavo comparatur pisci et avi ; nam sicut piscis per guttur capitur cum hamo, et avis per collum cum laqueo tenetur ; sic gulosus per guttur et collum capitur gulæ vitio. Et præcipue inter aves gulosus similis est avibus pinguibus propter tria specaliter : primo quippe, quia avis pinguis non potest multum alte volare ; sic gulosus nec cœlestia desiderare. Item avis pinguis, sicut sunt coturnices in vindemiis, quando sunt bene pingues, de facili capiuntur ab accipitre ; sic homines dediti gulæ facile vincuntur a tentatione. Item sicut avis pinguis, scilicet accipiter, quando est bene satur, non vult venire ad manum domini, quantumcumque sibi ostendantur carnes ; sic gulosi fugiunt manus Dei, quantumcumque ostendat eis carnes rubeas, scilicet benedictæ passionis Christi. Nam in *Deuteronomio* dicitur de guloso [2] : *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Comparatur gulosus cani, qui ducit cæcum in lutum. Nam canis ducens cæcum, propter id quod videt in luto, ducit cæcum in lutum : sic gula ducit gulosum in lutum, scilicet in immunditiam peccati. Et ideo suadet Sapiens [3] : *Post concupiscentias tuas non eas.*

Damna gulæ sex

Damna gulæ sunt specialiter sex. Primum est mentis brutalitas quantum ad rationis defectum ; nam dicit Petrus [4] : *Hi*, scilicet gulosi, *sunt velut irrationabilia pecora* : et etiam quantum ad defectum compassionis ; nulla enim compassione movetur gulosus ad pauperem et afflictum, ac si esset animal brutum. Unde dicitur in *Amos* [5] : *Bibentes vinum in phiala, nihil compatiebantur super contrione Joseph*, id est pauperis. Exemplum de divite epulone [6], qui non est compassus Lazaro, cui tamen compatiebantur canes, ejus ulcera lingendo. Secundum est corporis infirmitas ; nam dicitur in *Ecclesiastico* [7] : *In multis escis non deerit infirmitas ;* et etiam mors triplex, scilicet naturæ, culpæ, et gehennæ. Tertium est oris loquacitas, sicut patet de Herode, qui [8] in convivio temere promisit et juravit saltatrici puellæ, se daturum quidquid peteret, et ad petitionem ejus præcepit amputari caput Joannis Baptistæ, ut dicitur in *Marco*. Quartum est inopia rerum : exemplum de filio prodigo, qui dissipavit omnia bona sua, quousque fuit ita pauper, quod cupiebat de siliquis porcorum satiari, quæ idem sunt, quod furfur secundum aliquos, et secundum alios, cortices fabarum. Quintum est carnis luxuria, nam ex vicinitate membrorum, scilicet ventris et genitalium, intelligitur confœderatio vitiorum. Ideo dicit Jeremias [9] : *Saturavi eos, et mœchati sunt.* Sextum est cordis stultitia ; unde dicitur in *Proverbiis* [10] : *Quicumque his* (*a*) *delectatur, non erit sapiens* ; et Oseas dicit [11], quod *vinum et ebrietas auferunt cor.*

Filiæ gulæ sunt duæ, scilicet gastrimargia, et ebrietas. Gastrimargia est excessus in cibo : et dicitur a *Castro* et *Mergo*, ideo quod omnia mergit in castro ventris. Ebrietas est excessus in potu : et dicitur ebrietas quasi *extra briam.* Nam *bria* dicebatur antiquitus calix vel poculum, qui erat mensura potus : nam vinum dabatur ad mensuram. Et istæ duæ filiæ sunt illæ filiæ, de quibus dicitur in *Proverbiis* [12] : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer.* Sanguisuga dicitur venter, quia ad modum sanguisugæ citius obruitur quam satiatur, ut dicit Bernardus [13]. Hujusmodi ergo sanguisugæ, scilicet ventris, duæ sunt filiæ, scilicet gastrimargia et ebrietas, dicentes : *Affer.* Nam gastrimargia dicit : *Affer cibum* : ebrietas dicit : *Affer potum.* Una vult aliquantulum comedere post potum ; et alia aliquantulum bibere post cibum. Et sic in infinitum.

CAPUT IX.

De Luxuria.

Luxuria est immoderatus appetitus secundum tactum. De luxuria nota specialiter tria, scilicet quod habet typum odiosum, damnum remorsivum, partum perniciosum.

Luxuriæ comparationes novem.

Luxuria habet multas figuras detestabiles, et similitudines odiosas. Primo enim comparatur gehennæ : nam in gehenna sunt specialiter tria, scilicet ignis ardens, vermis rodens, et sulphur fœtens : sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ, vermis, scilicet remorsus conscientiæ, et sulphur, scilicet fumus infamiæ. Et ideo qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ. Unde dicitur in *Mat-*

[1] *Thren.*, I, 11. — [2] *Deut.*, XXXII, 15. — [3] *Eccli.*, XVIII, 30. — [4] II *Petr.*, II, 12. — [5] *Amos.*, VI, 6. — [6] *Luc.*, XVI, 21. — [7] *Eccli.*, XXXVII, 33. — [8] *Marc*, VI, 22 et seq. — [9] *Jerem.*, V, 7. — [10] *Prov.*, XX, 1. — [11] *Ose.*, IV, 11. — [12] *Prov.*, XXX, 15. — [13] Bern., *Apolog., ad Guill. abb.*, post. med.

(*a*) Item *bis.*

Digitized by Google

thæo[1] : *Expedit tibi*, scilicet o luxuriose, *ut pereat unum membrum*, scilicet illud vilissimum et innominandum, *quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Secundo comparatur luxuriosus fatuo mercatori, qui rem pretiosam dat pro vili pretio : sic luxuriosus dat pro vili pretio, scilicet pro peccato. Unde dicitur in *Proverbiis*[2] : *Pretium scorti vix est unius panis, mulier autem pretiosam animam viri rapit* : et facit magnam injuriam iste fatuus mercator Christo, qui carissime emerat animam ejus. Debuisset enim dixisse diabolo, qui emit animas ad tam vile pretium : « Non possum tibi vendere animam meam, quia alius, scilicet Christus, satis majori pretio emit eam. » Juxta illud quod dicit Apostolus[3] : *Empti enim estis pretio magno*. Iste enim fatuus mercator, scilicet luxuriosus, qui tam magnum forum fecit de mercibus suis, non est mirum si cito amisit capitale suum. Et ideo inter omnes peccatores, luxuriosus veniet ad judicium pauperrimus. Nam ipse vendidit et destruxit quidquid habebat; scilicet Deum et sanctos, animam, famam, gloriam, substantiam, et gratiam. Tertio comparatur luxuriosus corvo, qui cadaveribus adhæsit, ut dicitur in *Genesi*[4] : sic facit luxuriosus, quia dimissa arca continentiæ et castitatis, adhæret cadaveribus, id est delectationibus immundis. Quarto luxuriosus comparatur fatuo bellatori, scilicet inermi, qui vix cavet hostem suum, quando ipsum melius videt armatum. Arma namque diaboli sunt mulieres; illæ enim sunt balistæ diaboli de longe infigentes. Tunc enim fatuus est luxuriosus, qui non curat hostem suum fugere, sed attendit pulchritudinem balistæ. Similiter mulier compta et pulchra cum suis ornamentis, est gladius diaboli bene scindens et bene limatus. Luxuriosus est tantum infatuatus et attentus circa pulchritudinem istius gladii, quod non curat fugere ictum inimici sui. Similiter mulieres sunt castra in quibus diabolus ponit vexilla, id est diversa paramenta. Luxuriosus nimis appropinquat ad castrum, ubi videt arma diaboli; quia non cavet, percutitur et jaculatur, tantum tactus est pulchritudine vexillorum. Unde bene figuratur luxuriosus per Abimelech, de quo dicitur, quod[5] *veniens ad oppidum Abimelech appropinquavit ad turrim, et ecce una mulier fragmen molæ desuper caput ejus jaciens, confregit caput ejus, cerebrumque effudit*. Abimelech iste nimis appropinquans ad turrim, est homo luxuriosus, incaute appropinquans ad mulierem. Fragmen molæ quod mulier jecit, et Abimelech interfecit, est tentatio quæ a muliere procedit, et miserum luxuriosum interficit. Quinto comparatur luxuria sagenæ ; nam sagena omne genus piscium capit, nec facit aliquam differentiam, sed quidquid invenit, apprehendit : sic peccatum luxuriæ fere totum mundum involvit. Nam dicitur de diabolo, qui piscatur cum hac sagena[6] : *Totum in hamo sublevavit, totum traxit in sagena sua*. Sexto comparatur luxuria igni græco : ignis enim græcus horribiliter ardet et aquas comburit, et vix potest extingui; sic ignis luxuriæ etiam in frigidis et mortificatis ardet, et fere omnia devorat. Nam dicitur de luxuria[7] : *Ignis est usque ad consumptionem* (*a*) *devorans*. Et in *Joel*[8] : *Ignis*, scilicet luxuriæ, *comedit speciosa deserti*, id est pulchros viros et mulieres hujus mundi. Et nota, quod ignis iste græcus consuevit extingui cum duobus, scilicet cum arena, et cum aceto : quia luxuria habet ista duo magna remedia, arenam, id est, considerationem infructuositatis hujus mundi, et acetum, id est, acrimoniam et austeritatem pœnitentiæ. Septimo comparatur luxuriosus equo : nam equus nihil valet sine calcaribus et freno; sic homo, nisi habeat frenum continentiæ cum calcaribus pœnitentiæ, efficitur inutilis ad modum equi non frenati, propter luxuriæ lasciviam. Ideo dicitur in Psalmo[9] : *Nolite fieri sicut equus et mulus*, etc. Octavo comparatur luxuriosus navi, quæ a nauta sine ullo gubernatore ducitur, sed solum aquæ fluxum sequi permittitur, juxta illud quod vulgo dicitur : « Qui vadit ad votum suum, vadit ad dolorem suum. » Navis enim nunquam per se ad portum ducitur, nisi recte a nauta ducatur, vel regatur. Caro nostra est navis, et spiritus est nauta; sed nunquam caro veniet ad portum salutis, nisi a spiritu ducatur gubernaculo virtutis; imo sequeretur fluxum aquæ, id est, impetum luxuriæ, et tandem præcipitaret hominem in mare oceanum damnationis æternæ. In figura hujus dicitur in *Mattheo*, quod[10] *navicula operiebatur fluctibus*, quia vere caro nostra mergeretur fluctibus tentationis, nisi adesset auxilium divinæ virtutis.

[1] *Matth.*, v, 29. — [2] *Prov.*, vi, 26. — [3] I *Cor.*, vi, 20. — [4] *Gen.*, viii, 6. — [5] *Judic.*, ix, 52 et seq. — [6] *Habac.*, i, 15. — [7] *Job*, xxxi, 12. — [8] *Joel.*, i, 19. — [9] *Psal.* xxxi, 8. — [10] *Matth.*, viii, 24.

(*a*) Vulg. *perditionem*.

Digitized by Google

Nono comparatur luxuria stercori et luto propter vilitatem : nam sicut porcus fovetur in luto, et equus jacet in proprio fimo, sic luxuriosi perseverantes interdum moriuntur in proprio peccato. Et ideo dicitur in *Joele*[1] : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Super quo dicit beatus Gregorius[2] : « Jumenta in stercore suo putrescere, est luxuriosum in fœtore luxuriæ vitam finire. »

Damna luxuriæ sunt sex. Primo enim hominem ducit ad maximam paupertatem ; aufert siquidem gloriam et gratiam, et propriam substantiam. Unde dicitur[3], quod filius prodigus, per quem luxuriosus figuratur, *dissipavit substantiam suam in meretricibus, vivendo luxuriose.* Secundo dejicit in pessimam servitutem ; facit enim quod turpior et vilior pars quæ est in homine, dominatur ei. Hæc servitus figuratur per servitutem Ægypti, quæ erat servitus[4] *luti et lateris*, ut dicitur in *Exodo* : per quam bene intelligitur luxuria, quæ est servitus lutosæ delectationis. Tertio projicit hominem in maximam vilitatem, quia hominem, qui similis est Deo et angelis, facit esse parem brutis. Unde dicitur in Psalmo[5] : *Homo cum in honore esset, non intellexit* (*a*), scilicet quod ad imaginem Dei creatus sit; *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Quarto luxuria privat hominem omni ratione, sicut animalia bruta turpiter infatuat; sicut patet in Salomone, qui tantæ fuit sapientiæ ; et tamen de ipso dicitur[6], quod *depravatum est cor ejus propter mulieres.* Quinto hominem acriter mortificat : occidit enim triplici morte, scilicet morte culpæ, morte infamiæ, morte gehennæ. Et ideo dicitur in *Ecclesiaste*[7] : *Inveni amariorem morte mulierem.* Mors enim naturæ simplex est et transitoria ; sed mors luxuriæ multiplex est et sempiterna. Sexto hominem fortiter illaqueat ; unde dicitur etiam in *Ecclesiaste* de muliere[8] : *Laqueus venatorum est,* id est dæmonum, qui venantur animas peccatorum : *sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* Et nota hic de muliere triplex genus capturæ, scilicet *laqueum* quo capiuntur volatilia, *sagenam* qua capiuntur natatilia, et *vincula* quibus capiuntur animalia silvestria et terrestria. Luxuria vero capit volatilia, id est superbos ; natatilia, id est deliciosos ; et animalia terrestria, id est avaros : et sic fere nihil sibi evadit.

Filiæ luxuriæ quinque.

Filiæ luxuriæ sunt quinque, scilicet fornicatio ; quæ est cum muliere soluta ; adulterium, quod fit cum conjugata ; stuprum, quod est cum virgine, vel religiosa ; et incestus, qui est cum affine, vel consanguinea ; et peccata contra naturam. De istis quinque filiabus habetur in figura in quarto *Regum*, ubi dicitur[9] quod *quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis vendebatur.* Stercus columbæ, quæ est avis luxuriosa, figurat immunditiam luxuriæ. Quinque argentei, quibus stercus emitur, vel venditur, sunt ista quinque peccata, quibus delectatio luxuriæ procreatur. Et bene quarta pars stercoris emitur quinque argenteis, quia cum quatuor sint in peccato luxuriæ, scilicet cogitatio, delectatio, consensus, et operatio, unum solum de istis, scilicet delectationem, id est, quartam peccati præcipue emit, et procurat luxuriosus. Ab his omnibus vitiis supradictis nos clementer absolvat et potenter eripiat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

[1] *Joel.*, I, 17. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XI, post med.; *in Psal.* L *Pœnitentiæ*, ad hæc verba : *Benigne fac*, etc. — [3] *Luc.*, XV, 30. — [4] *Exod.*, I, 14. — [5] *Psal.* XLVIII, 21. — [6] III *Reg.*, XI, 4. — [7] *Eccle.*, VII, 27. — [8] Ibid. — [9] IV *Reg.*, VI, 25.

(*a*) Edit. Ven. *intellexerit.*

Digitized by Google

TITULUS SECUNDUS

DE PŒNITENTIA, ET EJUS PARTIBUS

CAPUT PRIMUM.

De Pœnitentia in genere.

Post tractatum de vitiis, sequitur tractatus de pœnitentia, quæ est prima diæta salutis, scilicet a peccatis ad pœnitentiam pervenire. Et nota primo de pœnitentia specialiter tria, scilicet laudes multifarias, partes necessarias, et partes meritorias; vel per alia verba, laudes ejus figurales, ejus partes integrales, et virtuales. Laudes ejus monstrat multiplex ejus figura et comparatio; partes ejus integrales sunt contritio, confessio et satisfactio; partes ejus virtuales sunt jejunium, eleemosyna et oratio.

Pœnitentiæ laudes, et triplex ejus comparatio.

Habet igitur pœnitentia laudes multiplices, secundum diversas ipsius figuras et comparationes. Comparatur autem primo specialiter tribus. Est enim pœnitentia sicut aqua calida contra canes, sicut clamor contra fures, sicut arma contra hostes. Est itaque pœnitentia sicut aqua calida contra canes, et maxime quantum ad contritionem. Sicut enim aqua calida ejicitur canis de coquina; sic cum aqua lacrymarum ferventium, ejicitur diabolus et peccatum de anima. Cujus figura dicitur in Genesi [1]: *Anna* (*a*) *invenit aquas calidas primo in deserto* (*b*). Anna, qui interpretatur *donatus*, vel *sanctificatus*, signat pœnitentem; *aquæ calidæ*, id est lacrymæ, monstrant pœnitentis contritionem; *solitudo* vero in qua aquæ calidæ inveniuntur, designat vitam solitariam pœnitentis seu mundificationem, vel meditationem. De qua Ambrosius [2]: « Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri. » Iste est Anna, qui invenit aquam calidam, cum pasceret asinos patris sui sacerdotis. Comparatur autem pœnitens arbori, cujus radix est contritio, frondes confessio, et flores sancta devotio, fructus bona opera, humor gratiæ diffusio. Vel dicuntur pœnitentes radicati in Christo per humilitatem, extensi per charitatem, operti cortice per austeritatem, dantes umbram aliis per bona exempla, et consilia. Unde dicitur in Apocalypsi [3]: *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus.* Hæ arbores sunt oliva, vitis, et ficus. Oliva, activi misericordes; ficus, contemplativi claustrales; vitis, sancti prædicatores. Et in libro *Judicum* dicitur [4], quod ficus noluit regnare super ligna silvarum, id est super homines infructuosos. Est etiam pœnitentia sicut clamor contra fures quantum ad confessionem : nam sicut ad clamorem fugiunt fures, sic pœnitentis clamosa confessio, vel oratio, fugat dæmones. Unde in figura hujus dicitur in libro primo *Machabæorum* [5], quod timore Judæ, qui interpretatur confessio, repulsi sunt inimici ejus. Est insuper pœnitentia sicut arma contra hostes, maxime quantum ad satisfactionem : nam satisfactio pœnitentis, sicut jejunium et eleemosyna, sunt quædam pœnitentis arma. Nam dicit Apostolus [6]: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed...* supple, carnem macerantia. De eleemosyna dicitur in *Ecclesiastico* [7]: *Super scutum potentis, et super lanceam pugnabit* (*c*) *adversus inimicum tuum.* Item pœnitentia est turbativa instar maris, accensiva instar ignis, et conclusiva instar sepis. Est itaque pœnitentia sicut quædam maris turbatio. Nam sicut mare non emittit immunditias, nisi sit turbatum; sic anima mea non emittit peccatum, nisi in se habeat pœnitentiæ et contritionis conturbationem et motum. Unde de pœnitentia dicitur in *Threnis* [8]: *Magna est velut mare contritio tua.* Est etiam pœnitentia sicut quædam ignis accensio. Nam sicut ignis producit fumum de viridibus lignis, sic virtus pœnitentiæ de peccatoribus educit fumum contritionis : et sicut ligna viridia reddunt aliquem humorem per virtutem ignis, sic peccatorum oculi eructant virtute pœnitentiæ humorem lacrymo-

[1] *Gen.*, XXXVI, 24. — [2] Ambros., *in Luc.*, lib. X, n. 89; et apud Ambros., serm. in fer. III, hebdom. Sanctæ, qui est XLVIII *de Tempore*. — [3] *Apoc.*, VII, 3. — [4] *Judic.*, IX, 10. — [5] I *Mach.*, IV, 22. — [6] II *Cor.*, X, 7. — [7] *Eccli.*, XXIX, 18. — [8] *Thren.*, II, 13.

(*a*) Vulg. *Ana.* — (*b*) Vulg. *calidas in solitudine.* — (*c*) Ita Vulg.; cæt. edit. *pugnabis.*

Digitized by Google

sæ compunctionis. Nam dicitur in Psalmo [1]: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Et sicut ligna viridia, quæ sunt bene accensa, fortius ardent, vel calefiunt; sic peccatores pœnitentes, qui sunt igne pœnitentiæ vehementer accensi, fortius diligunt, sicut patet in *Luca*, ubi dicit Salvator [2]: *Cui multum dimittitur, multum* (*a*) *diligit.* Sed sunt multi qui non inveniunt ignem, sed *aquam crassam*, ut dicitur in secundo *Machabæorum* [3]. Tales sunt qui cogitant vitam suam præteritam, non ad contritionem, sed ad delectationem. Est item pœnitentia sicut quædam sepis conclusio : nam agricola cum eisdem spinis quas extrahit de vinea, claudit vineam contra porcos et bestias; sic pœnitens cogitando peccata sua, debet claudere et munire cor suum contra tentationes bestiales et immundas. Hæc est spes, de qua dicit Sapiens [4]: *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* Quia vere ubi non est sepes pœnitentiæ, quæ animam claudit contra recidivum, facile dirumpitur possessio virtutum.

Pœnitentia imponenda discrete, assumenda devote, et implenda perfecte.

Item pœnitentia est discrete imponenda, devote assumenda et perfecte adimplenda. Est enim pœnitentia discrete imponenda : nam sicut virus serpenti vitam conservat, sed homini mortem propinat; et sicut ignis aurum probat, et virgulta incinerat; et sicut talpa moritur in luce, et sub terra vivit; et sicut ignis, quem cætera animalia timent, salamandram nutrit; et sicut homo sub aqua moritur, ubi piscis delectatur: sic eadem pœnitentia non omnibus est imponenda, vel injungenda, nec contra omnia peccata, sed diversis diversa. Nam sacerdos debet discernere inter pœnitentiam et pœnitentiam, et culpam et culpam : sicut in (*b*) lege Domini debebat sacerdos, ex mandato Domini [5], discernere *inter lepram et lepram*, ut dicitur in *Levitico*. Est etiam pœnitentia devote assumenda. Sicut enim miles non recusat onus, vel pondus armorum; sic pœnitens non debet recusare onus pœnitentiarum. Et sicut avis non recusat onus pennarum, nec peregrinus onus baculi, nec equus onus quadrigæ; sic pœnitens non debet recusare onus pœnitentiæ. Unde ille bonus pœnitens David comparat se jumento, cum dicit in Psalmo [6]: *Ut jumentum factus sum apud te.* Est insuper pœnitentia perfecte adimplenda, ut non solum pœnitens peccatum vitet' sed peccati recidivum, et importunitates omnes, quasi quasdam radices et germina peccatorum. Sicut enim herba falcata reviviscit, sed eradicata non; ita peccata de facili pullulant, si non fuerint radicitus evulsa. Ideo dicit Augustinus [7]: « Pœnitentia est causas peccatorum excidere, et eis aditum non indulgere. » Item bonus et perfectus pœnitens fugit diabolum, sequitur Christum, spernit mundum, et appetit cœlum. Pœnitens itaque perfectus fugit diabolum, et currit ad latibulum pœnitentiæ: sicut enim avicula ponit se inter spinas, ut possit accipitrem evadere; et eadem ratione, sicut lilium inter spinas crescit valde bene, ut dicitur in Canticis [8]: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias :* spinæ siquidem quibus lilium clauditur, prohibent ne lilium tangatur: per hunc modum spinæ pœnitentiæ custodiunt animam instar aviculæ a prædali accipitre, instar lilii ab omni tactu delectationis immundæ. Bonus pœnitens sequitur Christum, et imitatur. Nam certe pœnitentia fuit via, qua Christus ambulavit. Unde post baptismum statim intravit desertum, ut dicitur in *Luca* [9]. Pœnitentia etiam fuit prima doctrina, quam Christus prædicavit, ut habetur in *Matthæo* [10]. Pœnitens igitur, si est bonus discipulus, libenter intrat cum Christo pœnitentiæ desertum, contra simulatos pœnitentes, qui ad modum usurarii volunt esse discipuli Christi. Sicut enim usurarius vult esse illius socius, cui mutuat pecuniam, in lucro, et non in damno; sic multi vellent sequi Christum in prosperis, et non in adversis: vellent cum Christo regnare in cœlo, sicut filii Zebedæi, et non cum ipso certare in stadio. Unde dictum est eis illud [11]: *Nescitis quid petatis.* Pœnitens nihilominus spernit mundi prospera, contra aliquos, qui sunt quasi simia: quando invenit nuces novas et recentes, propter exterioris corticis amaritudinem, judicat nucem esse amaram, et spernit nucleum interiorem; sic a multis repudiatur pœnitentia, quia videtur carni amara. Ideo dicitur [12]: *Omnis disciplina in præsenti non est gaudii, sed mœroris.* Pœnitens insuper appetit cœlum : et sicut puer rumpit vestem veterem, ut citius habeat novam, sic bonus pœnitens lacerat secum carnes, ut citius animæ suæ acquirat sto-

Documenta pro confessoribus et pœnitentibus.

[1] *Psal.* CXVIII, 136. — [2] *Luc.*, VII, 47. — [3] II *Mach.*, I, 20. — [4] *Eccli.*, XXXVI, 27. — [5] *Levit.*, XIII, et XIV. — [6] *Psal.* LXXII, 23. — [7] Imo Gennad., *de Eccles. Dogm.*, c. LIV, inter Oper. S. Aug., append. tom. VIII. — [8] *Cant.*, II, 2. — [9] *Luc.*, IV, 1. — [10] *Matth.*, IV, 17. — [11] *Matth.*, XX, 22. — [12] *Hebr.*, XII, 11.

(*a*) Vulg. *minus dimittitur, minus.* — (*b*) *Cæt. edit.* ex.

Digitized by Google

lam felicitatis æternæ. Unde dicitur [1]: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

CAPUT II.

De Contritione.

Nota partes pœnitentiæ integrales, et nota quod pœnitentia habet tres partes ipsam virtualiter integrantes, scilicet contritionem cordis, confessionem oris, et satisfactionem operis.

Condiciones septem veræ contritionis.

Nota de pœnitentia primo quantum ad contritionem, quæ est pars prima pœnitentiæ. Nota quod contritio de peccatis specialiter debet esse septiformis : nam debet esse morosa et intenta, non perfunctoria; solitaria, non publica; integra, non diminuta; ordinata, non confusa; propria, non aliena; gemebunda, non deliciosa; et justa, non simulata. Et hæc septem sunt in versu [2]: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et iste versiculus debet esse perpetuæ memoriæ illorum septem, quæ vera contritio debet habere.

Primo enim, ut dictum est, debet esse intenta, non perfunctoria: ideo dicit: *Recogitabo*, contra illos, qui veniunt ad confessionem incogitati de peccatis, quia nullam vel modicam videntur habere sollicitudinem, cum tamen hæc sint majora debita et majora negotia quæ homo habet, vel habere possit in hac vita. Ista enim debita sunt decem millium talentorum, ut dicitur in *Matthæo* [3]: Ista enim sunt negotia, pro quibus Filius Dei mortuus est, et pro quibus congregabit angelos de cœlo, et sanctos etiam homines de mundo, et omnes dæmones de inferno, ut dicitur in *Matthæo* [4]. Bene autem est fatuus, qui de his maximis debitis et negotiis nunquam est sollicitus, ut dicit bonus pœnitens David [5]: *Cogitabo pro peccato meo;* non dicit *pro nummo*, ut avarus; nec *de cibo*, ut gulosus; nec *de luto*, ut immundus; nec *de vento*, ut superbus; nec *de mendacio*, ut verbosus: sed : « De peccatis meis ero dolens et sollicitus, » quia vulgo dicitur :

Quo dolor est dentis, versatur lingua dolentis.

Secundo, contritio debet esse solitaria, non publica: ideo dicit, *Tibi*, quia debet esse solum in conspectu Dei, juxta illud [6]: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Infirmus non consuevit stare in platea, sed in camera clausa; et consilia ardui negotii non tractantur in publico, sed in loco secreto. Ideo dicitur [7]: *Tu autem cum oraveris* pro peccatis tuis, *intra cubiculum*, scilicet cordis tui.

Tertio debet esse integra, non dimidia. Ideo dicitur : *Omnes;* modicum enim de liquore corrupto inficeret vas, si remaneret in illo. Ideo dicitur [8]: *Effunde sicut aquam cor tuum.* Bene autem dicit *sicut aquam*, quia alius liquor vix potest bene effundi, quin ibi remaneat aliquid de colore, vel de odore, vel sapore. Videmus enim quod post effusionem lactis remanet in vase color; post effusionem vini, odor; post effusionem mellis, sapor. Debet igitur pœnitens effundere non sicut lac, ne scilicet maneat color pristinæ conversationis; nec sicut vinum, ne remaneat odor pravæ imaginationis; nec sicut mel, ne remaneat sapor immundæ delectationis: sed *sicut aquam* perfectæ et integræ contritionis.

Quarto debet esse contritio ordinata, non confusa. Ideo dicit : *Annos* : annus namque distinguitur per quatuor tempora, scilicet hiemem, ver, æstatem, et autumnum. Debet igitur pœnitens annos, vel circulum vitæ suæ distinguere per tempora, ut sua melius possit invenire peccata; et præcipue debet investigare peccator, si in vita sua inveniat hiemem et frigiditatem temporis, id est, torporis et acediæ; ver autem, id est, humiditatem corporalis lasciviæ; et æstatem, id est, caliditatem indignationis et iracundiæ; et autumnum, id est siccitatem cupiditatis et avaritiæ. Hæc sunt tempora, quibus distinguuntur anni peccatorum, de quibus dicitur [9]: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Aranea siquidem meditatur, et totum studium suum ponit, ut ordinet telam vilem et fragilem ad capiendum muscas : talis est vita hominis fragilis et vilis, et solum muscas capit, id est, delectationes immundas. Unde dicitur [10]: *Ipsi telas araneæ texuerunt.*

Quinto, debet esse contritio propria, non aliena, id est, de peccatis propriis, non alienis; propter hoc dicit : *Meos.* Vix enim homo prosperatur, qui dimissis negotiis propriis, sollicitus est de alienis. Unde dicit Salvator [11]: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete.* Et sic vult Christus, quod nunquam fleamus, vel plangamus, mortem suam benedictam,

[1] *Psal.* XXIX, 12. — [2] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [3] *Matth.*, XVIII, 24. — [4] *Matth.*, XXV, 32. — [5] *Psal.* XXXVII, 19. — [6] *Psal.* XVIII, 15. — [7] *Matth.*, VI, 6. — [8] *Thren.*, II, 19. — [9] *Psal.* LXXXIX, 10. — [10] *Isa.*, LIX, 5. — [11] *Luc.*, XXIII, 28.

Digitized by Google

quousque luxerimus culpam propriam. Nihilominus non habet gratum, quod nos judicemus culpam alienam; sed, sicut vulgo dicitur: « Quilibet plangit telam suam, » id est, damnum proprium, juxta illud Apostoli [1]: *Unusquisque onus suum portabit.*

Sexto, debet esse contritio gemebunda. Ideo dicit: *In amaritudine*; non in risu. Risus signum est mortis, quando infirmus ridet fervore infirmitatis, et maxime quando ægrotus affligitur et anxiatur, et vivaciter sentit ægritudinem, sicut crisim et terminum subsequentem. Unde dicitur [2]: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Contritio namque amara pro incursu divinæ offensæ; amarior, pro damno supernæ patriæ; amarissima, pro reatu pœnæ æternæ. Facit infirmum quiescere, et cruciatum terminare, et ægrotam facit animam creticare.

Septimo, et ultimo, contritio debet esse intima, non ficta, vel simulata. Ideo dicit: *Animæ meæ.* Emplastrum enim debet poni super locum doloris infirmi, sicut collyrium ponitur super oculum, non in calcaneo: et ideo, quia peccatum est morbus animæ, ipsa præcipue debet contritionem peccati sentire. Unde dicitur [3]: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra,* contra illos, quorum pœnitentia est in vultu, non in spiritu; in veste, non in corde; cum Hypocrates noster, medicus Christus animarum nostrarum, doceat [4] pœnitentem faciem lavare, vestes componere, caput ungere, et cor pungere, ut dicitur in *Matthæo.*

CAPUT III.

De Confessione.

Secundo, nota de pœnitentia quantum ad confessionem, quæ est secunda pars, eam virtualiter integrans.

Septem conditiones confessionis

Et est sciendum, quod septem sunt in confessione attendenda. Primo enim debet esse festina, non tarda, contra aliquos, qui quanto plus possunt, differunt confiteri, nisi in infirmitate gravissima; et tales sunt similes latronibus, quorum confessio aculeo et quæstionibus extorquetur, quia talium confessionem torquet Deus per aculeum febris acutæ, vel gravis infirmitatis, cum tamen dicat Propheta [5]: *Præoccupemus faciem ejus in confessione,* sicut ille, qui diffidit de jure suo, debet ante judicium de pace et compositione tractare, et diem suum prævenire.

Secundo, confessio debet esse humilis et verecunda, juxta illud Apostoli [6]: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Latrones enim demisso capite, et rubore perfusi, scelera confitentur, contra aliquos, quorum sunt horrenda facinora, qui nec timent Deum, nec homines verentur. Latrones timent patibulum, cum sit tamen breve supplicium et transitorium; et tales non timent infernum, et interminabilem cruciatum. Latrones verecundantur, et tamen parum aut nihil prodest eorum verecundia; isti autem non erubescunt, cum tamen pars pœnitentiæ sit ipsa erubescentia. De talibus dicitur [7]: *Confusi sunt, quia abominationem Deo fecerunt,* qui post confessionem *non sunt confusi, et erubescere nescierunt;* quia tales habent utique erubescentiæ causam et meritum, et tamen non habent utique erubescentiæ signum.

Tertio, confessio debet esse aperta, non palliata: et dicitur aperta confessio in qua peccator se accusat, exprimendo omnes peccati differentias, et præcipue aggravantes circumstantias, quia dicitur [8]: *Justus prior est accusator sui.* Sic confitebatur David, qui dicebat [9]: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino;* non dicit: *Pro me,* se laudando, vel adulando, sicut faciebat Pharisæus; sed: *Adversum me,* se accusando, sicut faciebat Publicanus, sicut dicitur in *Luca* [10].

Quarto, debet esse confessio vera, non ficta; et dicitur vera confessio, quæ est cum proposito emendandi, non solum oris, sed etiam cordis. De qua dicit David [11]: *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo*: contra aliquos, quorum confessio est lupi, de quo narrat fabula, quod semel confitebatur iniquitates suas, et interim erat multum sollicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit confessori suo quòd cito eum absolveret, ut scilicet posset sequi oves: sic confitentur aliqui in Quadragesima, proponentes ad peccatum redire post Pascha.

Quinto, debet esse confessio integra, non dimidia: parum enim valeret, si infirmus medico febrem revelaret, et pestem febris celaret; et si nauta aliqua navis foramina obstrueret, et aliqua non. Debet igitur pœnitens Deo integram offerre confessionem. Deus enim est rex nobilis,

[1] *Gal.*, VI, 5. — [2] *Isa.*, XXXVIII, 17. — [3] *Joel.*, II, 13. — [4] *Matth.*, VI, 17. — [5] *Psal.* XCIV, 2. — [6] *Rom.*, VI, 21. — [7] *Jerem.*, VI, 15. — [8] *Prov.*, XVIII, 17. — [9] *Psal.* XXXI, 5. — [10] *Luc.*, XVIII, 13. — [11] *Psal.* CX, 1.

Digitized by Google

et in mensa regia poni debent panes integri, non fragmenta. Deus enim non consuevit dimidiare veniam. Ideo totum hominem sanum facit in sabbato, ut dicitur in *Joanne* [1]. Et sicut magni mercatores in grosso, non obolatam, non denariatam vendunt, sicut pauperes mercatores; præ cæteris, quia mercatura Dei, scilicet gratia et venia, est res indivisibilis, cum ipse sit summus mercator, ista duo erunt indivisibilia, instar margaritæ, vel alterius lapidis pretiosi, qui totus emitur, vel totus dimittitur. Ipse autem est negotiator margaritarum, qui quærit bonas margaritas, ut dicitur in *Matthæo* [2].

Sexto, confessio debet esse flebilis et lacrymosa, sicut Petri et Magdalenæ, quia misericordia et lacrymæ ad invicem sunt valde amicæ; et ideo ubi est lacryma, ibi est statim amica sua misericordia. Hæc est enim aqua, quam Christus valde sitit; et nullus fons tantum eum delectat, quantum puteus lacrymarum. In cujus figura quievit juxta puteum Samariæ, et petiit aquam Samaritanæ, scilicet lacrymarum, a muliere Samaritana, id est, a peccatrice anima, ut habetur in *Joanne* [3].

Septimo, et ultimo, confessio debet esse obediens et prompta, ut scilicet pœnitens studeat suscipere et observare sacerdotis mandata. Infirmus, qui nihil vult facere pro medico, vix aut nunquam curatur a morbo. Unde obedire debet pœnitens, non contendere, sicut David, qui dicebat [4]: *Ut jumentum factus sum apud te*: ad jumentum namque non pertinet sibi onera taxare, vel imponere, sed taxata et imposita portare.

Confessio triplex.

Nota quod triplex est confessio. Prima est confessio peccati. De qua dicitur [5]: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* In hoc autem verbo tanguntur sex, quæ debet vera confessio habere. Primum est præmeditatio, quod notatur cum dicitur: *Dixi.* Secundum est compunctio cordis et oris, ut ore simul et corde fiat, quod notatur per *Confitebor.* Tertium est, quod sit accusans, non excusans; quod notatur per *Adversum me.* Quartum, quod de malis, non de bonis; quod notatur per *Injustitiam.* Quintum, quod sit propria, id est, de peccatis propriis, non alienis; quod notatur per *Meam.* Sextum, quod sit ad honorem Dei, et honestatem sui; quod notatur per *Domino*: et talis confessio est utilis. Unde sequitur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Secunda est confessio laudis, de qua in *Ecclesiastico* dicitur [6]: *Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo*; et de his duobus dicit Psalmista [7]: *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi.* Tertia est confessio fidei, de qua dicit Aposlolus [8]: *Corde creditur ad justitiam*, etc. Et nota, quod confessio in qua sunt septem conditiones prædictæ, comparatur vielæ, in qua sunt septem chordæ. Unde viela confessionis, quæ habet istam septuplicem chordam, reddit in auribus Dei suavissimam et dulcissimam melodiam: nec est aliquod organum musicum quod ita libenter Deus audiat, sicut veram confessionem peccatorum: et ideo manus quæ sic tangit vielam confessionis coram Deo, statim reportat salarium, id est veniam de omnibus peccatis. Unde dicitur [9]: *Narra si quod habes, ut justificeris.* Et David consulit omnibus nimis, id est peccatoribus pœnitentibus, qui volunt in curiam regis æterni introire, ut tangant eo modo vielam confessionis, ut supra dictum est. Dicit enim Psalmista [10]: *Introite portas ejus in confessione.*

[1] *Joan.*, VII, 23. — [2] *Matth.*, XIII, 45. — [3] *Joan.*, IV, 7. — [4] *Psal.* LXXII, 23. — [5] *Psal.* XXXI, 5. — [6] *Eccli.*, LI, 1. — [7] *Psal.* LXXIV, 2. — [8] *Rom.*, X, 10. — [9] *Isa.*, XLIII, 26. — [10] *Psal.* XCIV, 2. — [11] *Joan.*, VIII, 11.

CAPUT IV.

De Satisfactione.

Tertio nota de pœnitentia, quantum ad satisfactionem. Et sunt præcipue septem notanda ad hoc necessaria, ut sit perfecta pœnitentia, et peccati medicina.

Satisfactionis conditiones septem.

Primo enim ad satisfactionem requiritur abstinentia a peccato. Sicut enim prima lex quam medicus ponit infirmo, est abstinentia a cibo; ita primum, quod est necessarium pœnitenti, est diæta, scilicet abstinentia a peccato. Hanc legem imponebat Hippocrates noster Christus ægrotis suis, quos habebat in cura, sicut patet in adultera, cui Christus dixit [11]: *Vade, et amplius noli peccare.*

Secundo requiritur ad satisfactionem pœnitentiæ, restitutio rei alienæ: et hæc est sicut quædam minutio, vel phlebotomia (*a*): minuit enim sanguinis substantiam, sed aufert febris materiam et conservat vitam. Sic qui aliena restituit, pecuniam minuit; sed aufert cupiditatis et mortis æternæ materiam, et conservat gratiam, et animæ vitam. Et sicut sunt quæ-

(*a*) *Cæt. edit.* fleubotomia; *et sic deinceps.*

Digitized by Google

dam infirmitates, quæ non possunt sine phlebotomia curari; sic quædam sunt peccata, a quibus non potest quis sine restitutione curari, aut justificari, sicut furtum, usura, simonia, rapina, et hujusmodi, quia « non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, » ut dicit Augustinus [1]. Hanc phlebotomiam faciebat sibi Zachæus, qui dicebat [2] : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Sed utinam usurarii modo redderent simplum !

Tertio requiritur ad satisfactionem cinis humilitatis : cinis enim et aqua calida faciunt bonum lixivium; sic cinis veræ humilitatis, et aqua calida lacrymarum faciunt pœnitentiam purgativam. Et sicut aqua, quantumcumque calida, nisi transeat per cinerem, non bene purgat sordes vestium, sic lacrymæ quamvis calidæ, nisi transeant per cinerem humilitatis, non lavant sordes vitiorum. Ideo dicebat Job [3] : *Ago pœnitentiam in favilla et cinere* : in *favilla* devotionis, et *cinere* humilitatis.

Quarto requiritur ad satisfactionem pœnitentis, cilicium mortificationis. Hoc est proprium et speciale malagma, et emplastrum carnalis repressivum luxuriæ, et carnalis lasciviæ; et sicut emplastrum temperat et reprimit dolorem lateris, sic cilicium mortificationis reprimit libidinem. Hoc emplastrum ponebat directe super locum doloris Judith, de qua dicitur [4], quod *habens supra lumbos suos cilicium, jejunabat : cilicium*, contra luxuriam, et *jejunium* contra gulam.

Quinto requiritur ad satisfactionm pœnitentis, jejunium afflictivum : quia ad litteram panis et aqua est cibus et vita infirmi, et præcipue prohibetur vinum infirmis. Unde ille bonus medicus Paulus dicit [5] : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed nota, quod omnia conceduntur infirmis de quorum salute dubitatur et desperatur; sed aliis, de quibus habetur spes quod curentur, subtrahuntur nociva, quantumcumque delectabilia, ut dicitur in Joel [6] : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.* Et sequitur ibi [7] : *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus?* quasi diceret : Ex quo Deus, qui est summus medicus, jejunare nos præcipit, nequaquam de nostra salute diffidit.

Sexto requiritur ad satisfactionem pœnitentis, eleemosyna : et hoc est quasi salarium medici : fidelius enim laborat medicus, quando sperat bene se remunerari. Et nota quod salarium est taxandum medico, secundum quod plus vel minus laboravit circa infirmum, et quanto a majori et periculosiori morbo liberavit ægrotum. Bene est igitur remunerandus medicus noster Christus, qui tantum circa nos laboravit, imo propter infirmitatem nostram [8] *animam suam morti tradidit*, ut dicitur in *Isaia;* et etiam qui a tam gravi et multiplici infirmitate nos liberavit. Ipse enim, *qui sanat omnes infirmitates* nostras, *et redimit de interitu vitam* nostram, ut dicitur in Psalmo [9]. Si enim bene remuneretur iste medicus, nequaquam de morte timeat ægrotus. Debet enim remunerari, non in se, quia [10] *bonorum nostrorum non eget*, sed in hæredibus suis, scilicet pauperibus. Reputat enim sibimet factum, quod fit pauperibus amore ipsius. Unde ipsa veritas dicit [11] : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* De isto salario eleemosynæ dicitur in Tobia [12] : *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.*

Septimo et ultimo requiritur ad satisfactionem pœnitentis, oratio devota. Sicut enim mater pro filio ægroto facit candelam, et emittit votum, cum nullum consilium, vel auxilium superest medicorum; sic quando videmus spiritum nostrum periclitari gravi morbo peccati, debemus Deo facere candelam bonæ operationis, juxta illud [13] : *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, et emittere votum devotæ orationis. Et *hoc genus dæmoniorum* [14], scilicet peccatum, *non ejicietur, nisi in oratione, et jejunio*, ut dicitur in *Matthæo.* Oratio namque pestes mentis curat, et jejunium pestes corporis.

CAPUT V.

De Oratione.

Tertio nota partes pœnitentiæ virtuales, quæ sunt tres, scilicet oratio, jejunium, et eleemosyna. Primo specialiter de oratione est dicendum, quid est. Oratio est petitio decentium, in Deo, vel a Deo; vel oratio est mentis elevatio in Deum [15], Damasceno auctore.

De oratione nota specialiter quinque : scilicet

[1] Aug., *ad Maced.*, epist. LIV, post med. — [2] *Luc.*, XIX, 8. — [3] *Job*, XLII, 6. — [4] *Judith*, VIII, 6. — [5] *Ephes.*, V, 18. — [6] *Joel.*, II, 12. — [7] Ibid., 14. — [8] *Isa.*, LIII, 12. — [9] *Psal.* CII, 3-4. — [10] *Psal.* XV, 2. — [11] *Matth.*, XXV, 40. — [12] *Tob.*, IV, 11. — [13] *Luc.*, XII, 35. — [14] *Matth.*, XVII, 20. — [15] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XXIV.

Digitized by Google

typus decens, virtus ingens, modus competens, locus congruens, et tempus conveniens. Habet igitur oratio typum decentem, et figuram elegantem. Comparatur autem specialiter tribus : est enim oratio sicut incensum divinæ miserationi offerendum, sicut scutum divinæ indignationi opponendum, sicut tributum divinæ dominationi persolvendum. Est ergo oratio primo similis thuri vel incenso, quod divinæ miserationi debemus offerre. Sicut enim thus vel incensum, super carbones positum, spirat suavem et redolentem odorem, vel fumum; sic oratio incensa super carbone devotionis multum fragrat in conspectu divinæ majestatis. Et ideo dicitur [1] : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secundo, est oratio similis scuto, quod divinæ indignationi debemus opponere : nam sicut scutum prohibet ictum lanceæ, vel sagittæ; sic oratio servat hominem a lancea vel a sagitta sententiæ et iræ Dei. Unde dicitur de Aaron [2], quod *proferens scutum orationis* (a), *restitit iræ.* Tertio, oratio est similis tributo, quod divinæ dominationi debemus persolvere : sicut enim emphyteuta, vel feudatarius, solvit tributum regi pro emphyteusi vel feudo, quod tenet ab ipso, sic tributum laudis et orationis solvendum est Deo pro emphyteusi corporis et animæ quam accepimus in feudo, juxta illud [3] : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.*

Orationis comparationes.

Item oratio habet triplicem figuram aliam valde pulchram. Est enim vir orans sicut homo regi portans encœnium, sicut a rege petens judicium, sicut a rege petens succursum. Est itaque homo qui orat, sicut ille qui præsentat regi magnum encœnium et nobile, ut homo magnus, vel nobilis domicellus : sic oratio est encœnium adeo nobile et magnum, quod solum debet præsentari Deo per hominem magnum, scilicet justum. Hoc est enim officium Christi hominis et mediatoris nostri, qui orationes nostras et opera nostra præsentat Deo Patri. Quod figurat diaconus in ecclesia, vel in missa, cum offert thuribulum sacerdoti. Hoc est officium angeli, qui nostras orationes similiter offert in conspectu Dei, sicut dixit Angelus ad Tobiam [4] : *Quando orabas cum lacrymis,* et sequitur ibidem : *Ego orationem tuam offerebam Domino.* Et sicut regi non offert, qui sibi ministrat, ferculum coopertum cum muscis; sic qui orat, non debet Regi regum offerre ferculum cum muscis, id est cogitationibus vanis et immundis. Est etiam homo qui orat, sicut ille qui a rege petit judicium : sicut enim ille qui in judicio loquitur, debet habere testes de his quæ proponit, alioquin non crederetur sibi, vel audiretur, imo a judice puniretur; sic oratio vocalis debet habere testimonium cordis. Sed tamen cavendum est, ne cor orantis sit falsus vel corruptus testis, corruptione scilicet iniquitatis, quia dicitur [5] : *Iniquitatem si aspexi in corde meo,* etc. Sed si conscientia bona, et testimonium fidele ferat, orans judicium pro se reportat. Nam dicit Apostolus [6] : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Est insuper orans, sicut ille, qui a rege in obsidione quærit vel petit succursum. Nam sicut ille qui tenet castrum regis, si obsideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, nisi castrum regi denuntiaret obsessum, vel peteret succursum, vel nisi expectaret a rege auxilium, vel si post auxilium redderet hostibus castrum; sic cum hostes visibiles et invisibiles obsident animam tentationibus, statim debemus Regi regum nuntium orationis mittere, et obsidionem denuntiare, sicut Propheta, qui dicebat [7] : *Concilium malignantium obsedit me.* Deus enim non differt auxilium mittere, quia *fidelis* [8], et statim faciet succursum, cum ad tentationem fuerit perventum, ut dicit Apostolus *ad Corinthios.*

Ritus.

Item, qui orat, debet clamare sicut clamat parvulus, qui vult ubera; sicut clamat catulus, cum sentit verbera; et sicut clamat populus, cum videt pericula. Est itaque homo qui orat, sicut parvulus volens ubera : nam sicut parvulus clamat pro desiderio lactis; sic viri spirituales debent emittere ululatum orationis devotæ pro uberibus consolationis divinæ, juxta illud quod dicitur [9] : *Meliora sunt ubera tua vino.* Est etiam homo qui orat, sicut catulus sentiens verbera : nam sicut catulus, sentiens verbera, clamat plus, cum plus percutitur; sic plus debet clamare orando, qui a Domino tribulationis verbere castigatur; nam dicitur [10] : *Ad Dominum, cum tribularer,* etc. Est insuper homo qui orat, sicut populus videns pericula : sicut enim consuevit populus clamare præcipue propter tria, scilicet contra aquam, ignem, et hostes; sic homo debet emittere clamorem contra triplex

[1] *Psal.* CXL, 2. — [2] *Sap.*, XVIII, 21. — [3] *Matth.*, XXII, 21. — [4] *Tob.*, XII, 12. — [5] *Psal.* LXV, 18. — [6] II *Cor.*, I, 12. — [7] *Psal.* XXI, 17. — [8] I *Cor.*, X, 13. — [9] *Cant.*, I, 1. — [10] *Psal.* CXIX, 1.

(a) Vulg. *servitutis suæ scutum, orationem.*

Digitized by Google

genus tentationis, scilicet contra carnalem concupiscentiam, quæ per ignem figuratur; contra concupiscentiam terrenam seu mundanam, quæ per aquam effluentem intelligitur; contra diabolicam guerram, quæ proprie hostis appellatur. Hæc pericula timebat David, qui dicebat [1] : *Pericula inferni invenerunt me.*

Item in oratione debemus os cordis aperire, sicut rheumaticus (*a*) aeri, sicut pulliculus (*b*) matri, et sicut infantulus nutrici. Est itaque orans sicut homo rheumaticus, qui nares habet strictas, necessaria est enim ad respirandum apertio oris; sic qui habet imperfectum odoratum, scilicet desiderii cœlestis, debet aperire os, et mittere vocem orationis. Nam dicit Propheta [2] : *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* Est etiam os aperiendum orationi, sicut infans aperit nutrici. Sicut enim nutrix pascere infantem non posset, si puer os non aperiret; sic si volumus nutrimentum vitæ suscipere, orando aperiamus os nostrum ad nutrimentum vitæ æternæ, scilicet gratiæ divinæ, ut dicitur in libro *Sapientiæ* [3]. Est insuper homo qui orat, sicut pulliculus, qui quando sentit venire matrem, aperit rostrum versus cœlum; sic cum frequenter visitet nos Deus per inspirationem suam, quasi semper debemus habere os apertum per orationem devotam, sicut dicit Apostolus [4] : *Sine intermissione orate.* Et de viro justo dicitur [5] : *Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur.*

Item oratio est sicut armatura militem ornans, sicut lucerna viam demonstrans, et sicut columba olivam portans. Est itaque oratio sicut armatura : nam sicut miles non exit sine armis ad bellum, ita sine armis orationis nullo modo debemus intrare tentationis conflictum. In cujus figura dicitur [6], quod *Moyse elevante manus* ad orationem, *vincebat Israel*; *et cum remittebat* (*c*) *manus, superabat Amalech*, id est diabolus. Est autem oratio sicut lucerna viam demonstrans : nam sicut lucerna est necessaria in tenebris, sic oratio in rebus dubiis. In cujus figura *mulier* illa evangelica [7], id est anima devota, *accendit lucernam, et invenit drachmam*, ut dicitur in *Luca*. Lucerna est orationis instantia; drachma vero est gratia divina, quæ quasi perdita fuerit, reperitur cum oratione devota. Et sicut lucerna dirigit gressus, sic oratio dirigit omne bonum opus. Unde dicit Hieronymus *ad Paulam* [8] : « In principio cujuslibet operis boni, præmitte signum crucis in fronte cum Oratione Dominica. » Est insuper oratio sicut columba, quæ [9] reversa est ad arcam cum oliva, ut habetur in *Genesi*. Nam sicut illa denuntiavit pacem, et jam cessasse diluvium; sic oratio denuntiat pœnitentiam, reconciliationem, et veniam peccatorum. Ei sicut columba illa portavit ramum olivæ, sic oratio ramum divinæ gratiæ. Et sicut columba habet duplicem alam, sic oratio habet duplices alas, scilicet jejunium et eleemosynam. Unde dicitur [10] : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo* per orationem, *et requiescam* per devotionem?

CAPUT VI.

De Jejunio.

Jejunii comparationes.

De jejunio nota specialiter tria : quibus jejunium comparatur; quid in jejunio reprobatur; et quale jejunium commendatur.

Primo enim comparatur jejunium pluribus, et specialiter tribus : est enim sicut parcitas ignis vel lignorum sub olla; sicut agilitas in navicula; et sicut concavitas in viela. Est itaque jejunium sicut parcitas ignis vel lignorum sub olla : sicut enim subtrahendo ligna vel ignem de sub olla, cessat ejus ebullitio; sic corpori subtrahendo cibaria, cessat tentatio carnis. Unde versus :

Luxuriat raro non bene pasta caro.

Unde nota, quod ancilla provida tripliciter impedit ebullitionem ollæ, scilicet ligna subtrahendo, aquam infundendo, et quæ sunt in olla movendo : sic anima pœnitens, instar ancillæ, contra ebullitionem carnalis concupiscentiæ, debet ligna subtrahere parce comedendo; unde versus :

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Debet aquam infundere, ad litteram aquam, bibendo vinum bene lymphatum. Debet ollam movere, se utiliter occupando; unde dicit Apostolus [11] : *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis,*

[1] *Psal.* CXIV, 3. — [2] *Psal.* CXVIII, 131. — [3] *Sap.*, XVI, 15 : *Omnium nutrici gratiæ*, etc. — [4] I *Thess.*, V, 17. — [5] *Eccli.*, XXXIX, 7. — [6] *Exod.*, XVII, 11. — [7] *Luc.*, XV, 8. — [8] Est simile apud Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, post med. — [9] *Gen.*, VIII, 11. — [10] *Psal.* LIV, 7. — [11] II *Cor.*, XI, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* reumaticus, *et sic deinceps.* — (*b*) *Item* pullicus. — (*c*) Vulg. *Cumque levaret Moyses... sin autem paululum remisisset.*

Digitized by Google

scilicet occupemus nos. Nam caro nostra ad flatum diaboli, sicut carbo ignis, accenditur, et sicut ollæ succensæ atque ferventes. Unde dicitur [1] : *Halitus ejus prunas ardere facit.* Est etiam jejunium sicut agilitas in avicula. Nam sicut avis macilenta est agilis ad fugiendum accipitrem, ad volatum sublimem; sic mens hominis jejunantis et abstinentis est habilis ad fugiendum accipitrem, id est hostis tentationem, ad sublimem volatum contemplationis. De tali dicitur [2] : *Volavit super pennas ventorum.* Volavit fugiendo tentationem, et volavit se elevando ad contemplationem. E contrario vero est de gravi et pingui, sicut de coturnice tempore vindemiarum, quæ non potest accipitrem fugere, nec alte volare : sic homines carni dediti, nec bene possunt tentationem diaboli vitare, nec bene cœlestia contemplari. Unde in figura istorum Elias [3] *jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, ut scilicet persecutionem Jezabel evaderet, et ad montem Dei Horeb (*a*) celeriter perveniret, ut legitur in libris *Regum*. Elias in figura signat animam hominis abstinentis; persecutio Jezabel designat tentationem carnis; et mons Dei Horeb significat sublimitatem contemplationis. Est etiam jejunium, sicut concavitas in viela : nam sicut viela, nisi esset concava, et chordæ superextensæ, non esset sonosa; sic homo, nisi vacuus per abstinentiam, et extensus per rigidam pœnitentiam, non reddit sonorosam divinæ laudis melodiam. Unde in figura hujus dixit Dominus Moysi [4], quod faceret *altare concavum, non solidum, sed inane* (*b*). Concavum altare est cor pœnitentis, ubi debet immolari sacrificium contritionis et sacrificium laudis; quod quidem non debet esse solidum, id est, deliciis plenum, sed inane, et concavum, id est pœnitentia et jejunio attenuatum.

Est etiam jejunium remedium ad expiandum morbum, bonum consilium ad effugiendum lupum, et certum ingenium ad impugnandum castrum. Est itaque jejunium remedium valde sanum ad curandum morbum : nam sicut lex prima medicorum infirmantibus corporaliter est diæta, sic primum auxilium vexati febribus tentationis, est jejunium et abstinentia. Unde jejunium ponitur primo inter opera pœnitentiæ, quæ suadet summus ille Hippocrates Deus in suis aphorismis, dicens [5] : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio*, etc. Est etiam jejunium valde bonum consilium ad fugandum lupum; sicut enim vulgo dicitur : « Fames ejicit lupum de nemore; » sic abstinentia et jejunium fugant diabolum ab homine. Unde dicitur [6]; *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio et oratione.* Nam oratio fugat pestes cordis, et jejunium pestes corporis, ut dicit Augustinus. In figura etiam hujus Judith jejunans occidit Holofernem, ut dicitur in *Judith* [7]. Judith, quæ *confitens* interpretatur, signat pœnitentem, qui peccata sua confitetur. Holofernes, quem Judith jejunans occidit, signat diabolum, qui confessione et abstinentia superatur. Est insuper jejunium valde certum ingenium ad expugnandum castrum : sicut enim non est adeo forte castrum, quod non possit expugnari, si possent ei victualia subtrahi; sic non est adeo rebellis caro spiritui, quin, subtrahendo cibaria, non valeat a spiritu subjugari. Caro siquidem nostra castrum diaboli est, quæ semper rebellat se contra spiritum. De hoc castro dicitur [8] : *Cum fortis armatus* scilicet *custodit atrium suum* : atrium diaboli est castrum corporis immundi; tunc *in pace sunt omnia quæ possidet*, habens scilicet turres superbiæ, fossatum avaritiæ, rupes invidiæ, habens pro muro defensionem culpæ propriæ, habens etiam portas conversationis indisciplinatæ, habens pacem perversam intrinsecus delectationis immundæ; sed tamen, quantumcumque muniatur, per jejunium, ut dictum est, subtrahendo cibaria, expugnatur.

Quatuor in jejunio reprobantur.

Idem nota quod quatuor in jejunio reprobantur, scilicet cum jejunans vacat culpæ, cum jejunans inhiat famæ; cum jejunans parcit bursæ, et cum jejunans servit gulæ. Est igitur reprobandum in jejunio, cum jejunans vacat peccato. Qui enim jejunat a cibo et non abstinet a peccato, similis est diabolo, cui esca non est, et malitia semper inest, ut dicit Isidorus [9]. De hoc jejunio dicitur [10] : *Hoc est jejunium, quod elegi : Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Sed in eodem capitulo dicitur [11] : *Ecce ad lites et contentiones jejunatis.* Est etiam in jejunio reprobandum, quando je-

[1] *Job*, XLI, 12. — [2] *Psal.* XVII, 11. — [3] III *Reg.*, XIX, 8. — [4] *Exod.*, XXXVIII, 7. — [5] *Joel.*, II, 12. — [6] *Matth.*, XVII, 20. — [7] *Judith*, VIII, 6; XIII, 10. — [8] *Luc.*, XI, 21. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XLIV, sent. 8. — [10] *Isa.*, LVIII, 6. — [11] Ibid., 4.

(*a*) *Cæt. edit.* Oreb, *et sic deinceps.* — (*b*) Vulg. *Altare non erat solidum, sed cavum ex tabulis, et intus vacuum.*

Digitized by Google

junans quærit ex hoc laudem humanam, et gloriæ transitoriæ famam : nam qui jejunat propter humanam laudem, de hoc, quod subtrahit uni hosti, pascit duplicem hostem : quod enim unico adversario, scilicet carni, subtrahitur per jejunium, de hoc pascit alios duos, scilicet diabolum et mundum. Tale erat jejunium Pharisæorum, de quibus dicitur [1] : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*, etc. Est tertio reprobandum valde in jejunio, quando jejunans ideo jejunat, ut parcat bursæ; talis enim nihil aliud videtur facere, nisi quod subtrahit sibi, et ponit in ore diaboli, id est in bursa, quæ est os diaboli. Unde avarus videtur multum diligere diabolum, quando subtrahit ori proprio, unde pascat et impinguet ipsum. Tale jejunium reputat Sapiens infelicissimum, dicens [2] : *Vir cui dederit Deus divitias, substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eo; sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et magna miseria est.* Est insuper reprobandum in jejunio, quando jejunans ideo jejunat, ut Deo suo, scilicet gulæ serviat et ventri, quod fit præcipue tribus modis. Quidam enim sunt, qui ideo jejunant, ut postea melius comedant : tales nihil aliud faciunt, nisi quod solemnitatem Dei sui, scilicet ventris, præveniunt vigilia jejunii detestabilis. Sunt etiam alii, qui tempore jejunii, quærunt magis delicata cibaria, et tunc volunt comedere splendidius et lautius, et tantum una vice comedunt, quantum in duabus, quando non jejunant : et tales talem gratiam solum faciunt Deo, scilicet quod duos obolos dent sibi pro uno denario, et eamdem gratiam facerent Judæo vel Saraceno. Sunt nihilominus aliqui, qui tribus diebus plus manducant pro uno miserrimo jejunio, quod jejunant. Nam die præcedenti dicunt : « Cras jejunabimus. » Die sequenti dicunt : « Heri jejunavimus. » Die ipsius jejunii dicunt : « Hodie jejunamus. » Et ita defraudant Deum, quia pro tribus obolis non solvunt, nisi unum denarium. De talibus conqueritur Dominus [3] : *Circumvenit me in negotiatione sua* (*a*) *Ephraim.* De tali jejunio potest intelligi illud [4] : *Nolite jejunare, sicut ad hanc diem.*

Jejunium triplex.

Item triplex jejunium in sacro eloquio commendatur, scilicet bonum, melius, et optimum. Bonum est, quando quis jejunat pro satisfactione peccati; melius, quando quis jejunat ad honorem Dei; optimum, quando quis jejunat cum exercitio boni operis. Bonum igitur dicitur, quando quis jam, post mortem peccati, per contritionem et confessionem resurrexit, et in charitate existit, et jejunat pro peccatis quæ fecit; si autem charitatem non habet, bonum amittit quod habet, quia dicitur [5] : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest;* et offert quasi cadaver mortuum Deo, qui jejunat in peccato mortali, cum debeamus Deo offerre [6] *corpora nostra hostias viventes*, ut dicit Apostolus *ad Romanos.* Melius vero jejunium vocatur, quod ad Dei honorem et sanctorum suorum gratis et cum devotione celebratur. De quo intelligitur illud [7] : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum*, scilicet oleo unctuosæ compassionis, *et faciem tuam lava* aqua lacrymosæ contritionis, ut dicit Glossa. Deo jejunat, qui pro ejus amore se macerat, et qui, quod sibi subtrahit, pauperibus elargitur. Optimum jejunium dicitur, quando homo exterior jejunat, et homo interior orat, ut dicit Isidorus [8] ; et quando qui (*b*) jejunat, ex una parte jejunando macerat corpus, et ex altera parte bona agere non cessat, contra aliquos, qui nihil possunt facere, cum jejunant; imo tunc ludunt ad scacos, ut jejunium non sentiant; et sic otiando, otium vitant, contra hoc, quod dicit Boetius, quod pro otio vitando, otia sectari ridiculosum est. Jejunium bonum significatur per jejunium Mosyi [9], ut habetur in *Exodo*; jejunium melius significatur per jejunium Eliæ [10], sicut dicitur in libris *Regum*; jejunium optimum significatur per jejunium Christi [11], ut habetur in *Matthæo.*

Triplex commendatur in Scriptura.

CAPUT VII.

De Eleemosyna.

De eleemosyna quatuor sunt specialiter notanda, scilicet typus elegans, motus stimulans, modus regulans, et fructus abundans.

Habet ergo eleemosyna typum vel similitudinem elegantem, et specialiter triplicem : est enim eleemosyna sicut lumen radiosum, sicut

Eleemosynæ similia.

[1] *Matth.*, VI, 16. — [2] *Eccles.*, VI, 2. — [3] *Ose.*, XI, 12. — [4] *Isa.*, LVIII, 4. — [5] I *Cor.*, XIII, 3. — [6] *Rom.*, XII, 1. — [7] *Matth.*, VI, 17. — [8] Isid., de *Sum. Bon.*, lib. II, c. XLIV, sent. 1. — [9] *Exod.*, XXIV, 18. — [10] III *Reg.*, XIX, 8. — [11] *Matth.*, IV, 2.

(*a*) Vulg. *Circumdedit me in negatione.* Hebr. בכחש, id est, *in mendacio.* — (*b*) *Cæt. edit.* quis.

Digitized by Google

flumen copiosum, et sicut semen fructuosum. Est itaque eleemosyna sicut lumen radiosum : nam sicut lumen serenat aerem, sic eleemosyna serenat mentem ; et sicut lumen fugat omnem tenebram, sic eleemosyna fugat omnem culpam ; et sicut lumen debet portari non post, sed ante hominem, sic homo prudens facit eleemosynam in vita sua, non post mortem. Qui autem eleemosynam non facit in vita sua, sed post mortem suam, similis est homini, qui post tergum vult portare lumen, id est lucernam. Dicit enim Sapiens [1] : *Ante mortem benefac amico tuo,* id est animæ tuæ, vel Christo in suis membris. Est etiam eleemosyna sicut flumen : nam sicut flumen manat ex influentia fontis, sic eleemosyna ex influentia pietatis. Et sicut fons, unde manat fluvius, per occultos meatus procedit a mari ; sic pietas hominis, unde manat eleemosyna, per occultam inspirationem venit ex gratia Dei : et sic eleemosyna venit a Deo, et datur Deo. Nam dicit Sapiens [2] : *Ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Et sicut flumen quandoque exit extra ripas, nec est contentum propriis alveis ; ita interdum eleemosyna danda est bonis indifferenter et malis, maxime tempore necessitatis, sicut *Pater cœlestis* [3], qui *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*, ut dicitur in *Matthæo.* Est insuper eleemosyna sicut semen ; et nota quod sex sunt quibus eleemosyna bene semini comparatur : primo, quia sicut semen debet abscondi, ita eleemosyna debet occulte dari : nam dicitur [4] : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Secundo, quia sicut semen videtur perdi, cum tamen potius renovetur ; sic eleemosyna videtur amitti, cum datur, quæ tamen tunc optime servatur, et thesaurizatur in thesauro Paradisi. Unde dicitur sic [5] : *Perde pecuniam propter fratrem.* Tertio, semen cum fœnore surgit : sic qui dat eleemosynam, a Deo centuplum accipiet. Unde super illud [6] : *Fœneratur Domino, qui miseretur proximo,* dicit Glossa : « Centuplum accepturus. » Quarto, semen quod est pretiosum, sicut triticum, in uno anno seritur, et in alio metitur ; vile vero, sicut hordeum et millium, in eodem anno metitur et seminatur : sic eleemosyna pretiosa est, quæ hic in anno gratiæ seritur, sed fructus ejus in alio anno, scilicet gloriæ, expectatur. Vilis vero respectu hujus videtur eleemosyna illa, quæ in præsenti remuneratur, quia dicit Salvator [7] : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Pretiosa vero non solum in præsenti et temporaliter, sed etiam remuneratur æternaliter, quia dicit Apostolus [8], quod *pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Quinto, sicut semen gelu pressum et retardatum profert uberiorem fructum ; sic eleemosyna quam quis facit dum sustinet tribulationem, uberiorem est habitura repromissionem, seu fructum, vel remunerationem. Unde dicitur [9] : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem,* etc. Sexto, semen sustinet molestias multas, sicut gelu, grandines et pluvias ; sic homo, qui libens eleemosynam dat, cum cor habeat compassione plenum, talis sustinet omnes necessitates pauperum, et miserias afflictorum. In cujus persona dicit Apostolus [10] : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* Item eleemosynarius est sicut arbor, quæ fructum facit ; sicut nutrix, quæ puerum nutrit, et sicut mercator, qui merces vendit. Est itaque bonus eleemosynarius ut arbor : sicut enim arbor melius crescit et fructificat, cum ab ea resecantur superflua ; sic divites melius proficiunt in gratia, resecantes divitias suas, scilicet dando eleemosynam, quæ est de superfluis danda, vel facienda, sicut dicitur [11] : *Quod superest, date eleemosynam.* Et sicut agricola tolerat in vinea aliquas infructuosas arbores, quæ sustinent vites ; sic summus agricola Deus in vinea sua, scilicet in Ecclesia tolerat multos divites, qui cum eorum eleemosyna sustentant pauperes. Unde dicitur [12] : *Vineam pastinavit homo.* In vinea siquidem non solum sunt vites, quæ fructificant, imo et paxilli aridi : sic in Ecclesia Dei sunt peccatores et injusti, qui vites fructificantes, id est justos, suis eleemosynis sustentant. Homo etiam eleemosynarius est sicut nutrix, quæ lactat puerum : nam sicut nutrices consueverunt impinguari, ut abundent in lacte, et bene nutriant pueros ; sic Dominus impinguat divites bonis temporalibus, ut abundent in lacte compassionis, et nutriant filios, id est pauperes suos. Unde dicitur [13] : *Impinguasti in oleo caput meum.* Tunc enim Dominus oleo caput impinguat, quando mentem ad pauperes oleo compassionis hu-

[1] *Eccli.*, XIV, 13. — [2] *Eccle.*, I, 7. — [3] *Matth.*, V, 45. — [4] *Eccli.*, XXIX, 15. — [5] *Eccli.*, XXIX, 13. — [6] *Prov.*, XIX, 17. — [7] *Matth.*, VI, 2. — [8] I *Tim.*, IV, 8. — [9] *Psal.* CXXV, 6, 7. — [10] II *Cor.*, XI, 29. — [11] *Luc.*, XI, 41. — [12] *Marc.*, XII, 1. — [13] *Psal.* XXII, 5.

Digitized by Google

mectat. Est insuper homo eleemosynarius sicut mercator industrius. Nam sicut mercatores pecuniam suam non tradunt eis qui reddere non possunt, vel eis qui ad nundinas venturi non sunt; sic homo prudens non dat eleemosynam histrionibus, qui nihil habent, scilicet de gratia Dei, et qui venturi non sunt ad nundinas paradisi. Ideo dicitur [1] : *Benefac humili, et ne dederis impio.* Hoc vero in duobus casibus intelligitur : unus, quando datur histrionibus non intuitu pietatis, sed ratione histrionatus; alius est, si credas quod, propter eleemosynam tuam, impius negligat justitiam. Et sicut pedagium non petitur ab illis qui transeunt vacui, sed ab aliis qui sunt onerati; sic Dominus pedagium eleemosynæ non petit a pauperibus, qui sunt vacui rebus transitoriis; sed a divitibus, qui sunt onerati divitiis, et pleni temporalibus bonis. Unde dicit Apostolus [2] : *Divitibus hujus sæculi præcipe, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum in futurum.* Et sicut dominus terrenus mercatoribus, qui furantur pedagium, aufert quandoque totum capitale; sic illis divitibus, qui pedagio eleemosynæ defraudant pauperem, aufert Dominus non solum gratiam, imo interdum temporalem substantiam. De tali dicitur [3] : *Tollite ab eo talentum, et date illi qui decem talenta habet.* Avaro siquidem tollenda est temporalis substantia, et danda illi qui, miserando pauperibus, implet mandata Domini.

Eleemosyna triplicem motum stimulantem habet.

Secundo eleemosyna habet motum stimulantem, et specialiter triplicem. Unde nota, quod ille, a quo petitur eleemosyna, debet præcipue considerare tria, scilicet : quis petit; pro quo petit; et ad quid petit. Primo igitur, quando pauper petit eleemosynam, debet dives considerare quis eam petit : quia Dominus, pro cujus amore petit eam mendicus. Debet enim adeo diligere pauperes, quod quidquid fit eis propter amorem suum, reputat sibi factum. Nam dicitur [4] : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Petit ergo eleemosynam per pauperem suum ille, a quo dives petit quandoque regnum : et ideo cum pauperi negat dives modicum fructum panis, timere debet, quod Deus non audiat eum, cum petit ab eo regnum æternæ felicitatis, quia dicitur [5] : *Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, clamabit ipse, et non audietur.* Debet secundo considerare dives, quid petit Deus, quando eleemosynam petit in suis pauperibus : petit enim Deus non nostrum, sed suum. Ideo valde ingratus est Deo, qui pauperi negat modicam eleemosynam, cum de bonis Dei habeat abundanter ad mensam suam. Hoc consideravit David, qui dicit [6] : *Tua sunt, Domine, omnia, et quæ de tua manu accepimus, dedimus tibi.* Tertio, debet considerare dives homo, ad quid petit Deus. Deus enim petit non ad dandum, sed ad mutuandum; nec tantum ad triplas, imo ad centuplas usuras. Unde dicit Augustinus : « Homo, quod fœneras homini, fœnerare Deo, et centuplum accipies, et vitam æternam possidebis. » Et ideo nimis ingratus est, qui ad tales usuras non vult commodare Deo, ad quales mutuaret Judæo, vel Saraceno.

Eleemosyna habet triplicem modum regulantem

Tertio, eleemosyna habet modum regulantem, et specialiter triplicem. Unde nota, quod in dando eleemosynam, debet esse modus justus, modus gratus, et modus pius : justus, sine injuria; gratus, sine tristitia; et pius, sine superbia. Primo igitur, qui dat eleemosynam, debet habere modum justum, ut scilicet det suum, et non alienum. Sicut enim aqua munda lavat, et immunda coinquinat; sic eleemosyna munda, quæ scilicet est sine peccato usuræ, vel rapinæ, dantem mundat, pauperem lavat, et Deum placat. Unde dicitur [7] : *Honora Dominum de tua substantia,* non de aliena : quia eleemosyna de alieno, ut de rapina, usura, vel de furto, dantem inficit, proximum lædit, et Deum offendit. Unde in figura hujus dicitur [8] : *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento erit,* scilicet usuræ, furti, vel rapinæ, vel cujuscumque acquisitionis injustæ. Secundo, qui dat eleemosynam, debet habere modum gratum, ut scilicet ostendat pauperi lætum vultum, dulce verbum et promptam manum. Nam de læto vultu dicit Apostolus [9] : *Hilarem enim datorem diligit Deus.* De dulci verbo, dicitur [10] : *Responde illi,* scilicet pauperi, *pacifice in mansuetudine.* De prompta manu dicitur [11] : *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Tertio, qui dat eleemosynam, debet habere modum pium, et sine omni superbia vel præsumptione, ut scilicet, dando eleemosynam, laudem non quærat, pauperem ne despiciat, seipsum sine eleemosyna non dimittat. Qui

[1] *Eccli.*, XII, 6. — [2] I *Tim.*, VI, 17. — [3] *Matth.*, XXV, 28. — [4] Ibid., 40. — [5] *Prov.*, XXI, 13. — [6] I *Paral.*, XXIX, 14. — [7] *Prov.*, III, 9. — [8] *Levit.*, II, 11. — [9] II *Cor.*, IX, 7. — [10] *Eccli.*, IV, 8. — [11] *Prov.*, III, 28.

(a) Vulg. *pacifice.*

Digitized by Google

enim dat eleemosynam, laudem vitet humanam : nam dicitur [1] : *Te autem faciente eleemosynam, nesciat,* etc. Debet etiam, qui dat eleemosynam, non propter hoc pauperem despicere, quia dicitur [2] : *Et carnem tuam ne despexeris.* Nec debet seipsum sine eleemosyna dimittere, qui vult aliis misericors esse. Dicitur enim [3] : *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Et Augustinus in *Enchiridio* (*a*) [4] : « Qui vult eleemosynam ordinate dare, a seipso debet incipere. » Sicut enim non deberet dici misericors, qui extraneis faceret misericordiam, et matri propriæ crudelis et immisericors esset; sic multo minus dicenda est misericordia, vel eleemosyna, quam quis faceret aliis, anima sua neglecta, et in peccato dimissa. Unde dicitur [5] : *Qui sibi nequam est, cui bonus?* Et Augustinus : « Quid est miserius misero non miserante sibi ipsi? »

TITULUS TERTIUS

DE PRÆCEPTIS DIVINIS

CAPUT PRIMUM.

De præceptis in communi.

Tria de præceptis divinis consideranda.

Postquam dictum est de pœnitentia, dicendum est de præceptis, quia hæc est secunda diæta salutis, scilicet a pœnitentia venire ad præcepta. Et ideo nota de præceptis divinis specialiter tria, scilicet : qualiter sunt descripta indelebiliter; distincta rationabiliter; edita universaliter.

Circa præceptorum descriptionem est notandum, quod ad observandum præcepta divina, debet nos monere præceptorum scriptura tripliciter, si attendamus quis scripsit, ubi scripsit, et quo modo scripsit. Primo enim si quæris, quis scripsit? dicitur quod digitus Dei, scilicet Spiritus sanctus. Scriptura enim magis est authentica et plus observanda, quando per manum publici tabellionis est confecta. Iste tabellio est Spiritus sanctus, scilicet qui ex nihilo fecit cœlum et terram, et omnia elementa, et corpus Christi formavit in virginali utero, et de pulvere formavit corpora nostra. Item idem scripsit decem præcepta : ille enim est notarius publicus, qui fecit instrumentum de matrimonio quod conjunxit Dei Filium in virgine Ecclesia, et in nostra carne. Et ipse scripsit testamentum, quod condidit Christus in cruce, in quo legavit spiritum Deo Patri, matrem Joanni, et Paradisum latroni. Iste tabellio scribet in die judicii æquitatem divinæ sententiæ. Iste scribet electos in libro vitæ. Et breviter, iste scribet omnes chartas et scripturas, et instrumenta divina. Bene igitur observanda est præceptorum scriptura. Unde dicitur [6] : *Deus dedit Moysi tabulas scriptas,* utrasque *digito Dei* vivi.

Secundo, si quæras ubi scripsit; dico, quod in tribus locis, scilicet in lapidibus marmoreis, in profundo pectoris, et in pergameno humani cordis. De scriptura marmoris, nota quod duo fuerunt paria tabularum : primæ post scripturam fuerunt fractæ; instar illarum fuerunt aliæ renovatæ. Primæ significant innocentiam, secundæ pœnitentiam. Et ideo si contingat tabulas innocentiæ frangi, debent saltem præcepta in tabulis pœnitentiæ transcribi. Est enim mire cautum, quod si instrumenta vetustate vel aliquo casu consumpta sunt, per manum notarii exemplanda, eamdem auctoritatem cum originalibus habitura sint : quia pœnitentia reducit in gradum pristinum, et omnes defectus revocat ad perfectum, ut dicit Augustinus [7] in *Hypognostico* (*b*). Unde dicit Dominus Moysi [8] : *Præcide duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti.* De scriptura præceptorum in corde, nota, quod in hac scriptura scriptor, ut diximus, est digitus

[1] *Matth.*, VI, 3. — [2] *Isa.*, LVIII, 7. — [3] *Eccli.*, XXX, 24. — [4] Aug., *Enchirid.*, c. LXXVI. — [5] *Eccli.*, XIV, 5. — [6] *Deut.*, IX, 10. — [7] Vel auctor, quisquis ille sit, libri cui tit. *Hypognosticon*, sive *Hypomnesticon*, lib. III, paulo post med., inter Oper. S. Aug., append. tom. X. — [8] *Exod.*, XXXIV, 1.

(*a*) Cæt. edit. *Enchiridion.* — (*b*) Item *Hypognosticon.*

Digitized by Google

Dei scribentis; calamus, lingua prædicantis, juxta illud [1] : *Lingua mea calamus scribæ*; et Spiritus sanctus scribens. Pergamenum est munditia cordis : nam in pergameno lutoso vel immundo littera non bene formatur, nec appareret scriptura, imo oportet quod sit album et mundum. Unde dicebat Propheta [2] : *Cor mundum crea in me, Deus.* Incaustum hujus scripturæ est gratia Spiritus sancti. Rubrica ornans totam scripturam, est sanguis Christi. Continentia scripturæ est dilectio Dei et proximi, quia [3] *finis præcepti est charitas*, ut dicit Apostolus scribens ad Timotheum. Hæc scriptura, quia tam chara fuit, ideo intima et secreta est. Ideo sicut jocalia cara et pretiosa reponuntur cum magno studio in loco secreto et scrinio pretioso, ideo, etc. Et de hac scriptura chara et intima dicitur [4] : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* De scriptura præceptorum in corde, nota, quod in triplici parte corporis nostri quodam modo scripta sunt præcepta Dei, quasi pro sempiterno et continuo memoriali. Scripta enim sunt in manibus, ubi sunt decem digiti; in pedibus, ubi sunt decem articuli; et in quinque sensibus, ubi sunt organa : sicut duo oculi ad videndum, duæ aures ad audiendum, duæ nares ad odorandum, duæ fauces ad gustandum, duæ manus ad tangendum. Per quod patet, quod præcepta divina debent in nobis dirigere gressus affectionis : ideo sunt decem articuli pedum, quasi memoriale decem præceptorum. Debent etiam regere sensus affectionis, actus operationis : propter quod sunt decem digiti manuum ad designandum decem præcepta, seu præceptorum mandata. Debent nihilominus moderari sensus nostræ conversationis; propter hoc in sensibus sunt decem organa ad designandum decem præcepta. Hic est *liber scriptus intus et foris*, ut dicitur in *Ezechiele* [5], quia præcepta, ut dictum est, debent esse scripta intus, scilicet in corde per dilectionem, et foris per operationem, scilicet in corpore.

Tertio, si quæras quo modo scripsit; dico : Indelebiliter. Et nota quod tria sunt, quæ consueverunt delere scripturam, aqua scilicet, ignis (*a*), et vetustas : sic spiritualiter aqua transitoriæ delectationis, ignis afflictivæ persecutionis, vetustas defectivæ conversationis. In aqua significatur tentatio carnis inficientis; in igne, tentatio hostis decipientis; in vetustate, tentatio mundi deficientis. In quibusdam enim delet præcepta aqua, vel liquor carnalis delectationis; in quibusdam ignis, vel fervor hostilis persecutionis; in quibusdam vetustas mundialis conversationis. Et ideo, contra ista tria, Deus voluit præcepta sua indelebiliter in lapide scribere, ut nunquam delerentur, nec carnali bestialitate, nec mundiali prosperitate, nec hostili adversitate. Unde dicitur [6] : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Item nota, quod tres scripturæ sunt specialiter indelebiles, et immobiles, scilicet leges imperatorum, donatio inter vivos, et ultimum testamentum. Præcepta autem Dei sunt leges Imperatoris summi, editæ in consistorio Trinitatis : quæ leguntur a Doctoribus per catholicam prædicationem, repetuntur a scholaribus per bonam operationem. Unde dicitur [7] : *Hic est liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Sunt enim præcepta divina æterna sicut donatio inter vivos; et irrevocabiliter donatur vita æterna illis, qui inter vivos, id est in statu gratiæ observant mandata divina. Ideo dicitur [8] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Bene autem dicitur donatio inter vivos, et non inter mortuos, quia in statu culpæ non potest quis divina præcepta observare. Sunt nihilominus præcepta divina sicut ultimum testamentum. Nam primum testamentum fuit Judæorum, qui præcepta observabant ex timore : et illud fuit revocatum. Secundum testamentum fuit Christi, scilicet tempore gratiæ, in quo observantur præcepta ex charitate : et illud fuit in morte Christi confirmatum. Unde Christus dixit in suo ultimo testamento [9] : *Hoc est præceptum meum*, ut habetur in *Joanne*.

CAPUT II.

De præceptis primæ tabulæ.

Circa præceptorum secundam distinctionem, notandum est primo in generali de omnibus. Et nota secundum Josephum [10], qui fuit doctor historicus, quod præcepta divina fuerunt per æquas partes in duas tabulas distincta, quia quinque fuerunt in una tabula, et quinque in alia. Sed secundum Origenem [11], et beatum

[1] *Psal.* XLIV, 2. — [2] *Psal.* L, 12. — [3] I *Tim.*, I, 5. — [4] *Jerem.*, XXXI, 33. — [5] *Ezech.*, II, 9. — [6] *Matth.*, XXIV, 35. — [7] *Baruch*, IV, 1. — [8] *Matth.*, XIX, 17. — [9] *Joan.*, XV, 11. — [10] Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. III, c. IV. — [11] Orig., *in Exod.*, XX, hom. VIII.

(*a*) *Cæt. edit.* aqua, ignis, scilicet.

Digitized by Google

Augustinum [1], et alios doctores mysticos et morales, prima tabula dicitur continere tantum illa præcepta, quæ ordinant hominem ad Deum, vel ad vitam contemplativam, quæ sunt tria, scilicet : *Non habebis deos alienos*, etc. Secunda autem tabula continet tantum illa præcepta, quæ ordinant hominem ad proximum, quæ sunt septem, scilicet : *Honora patrem tuum et matrem tuam*, etc. Et hæc breviter fuerunt, sicut Josephus narrat ad litteram. Et nota hic, quod Deus habitat in cœlo, et proximus in mundo. Peccator igitur, qui non observat præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, non meretur habitare in cœlo, ubi Deus est : et qui non observat præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum, non est dignus habitare in terra vel in mundo, ubi est proximus : et sic per consequens relinquitur, quod habitet in inferno, ubi est diabolus, juxta illud [2] : *Ligatis manibus et pedibus, projicite* (*a*) *eum in tenebras exteriores*. Prima tabula dicitur tantum continere illa præcepta, quæ ordinant hominem ad Deum, vel ad vitam contemplativam ; secunda, quæ ordinant hominem ad proximum, vel ad vitam activam.

Primæ tabulæ præcepta tria. Secundo notandum est in speciali, quod in prima tabula sunt tria præcepta, hominem ad Deum ordinantia in vitam contemplativam. Primum est : *Non habebis Deos alienos*. Secundum est : *Non assumes nomen Dei in vanum*. Et tertium est : *Memento, ut diem sabbati sanctifices*.

Præceptum I. Primum igitur præceptum primæ tabulæ est : *Non habebis Deos alienos*, sed unum solum, scilicet Deum vivum et verum, juxta illud [3] : *Audi, Israel, Dominus Deus vester Deus unus est*. In hoc igitur præcepto prohibetur omnis idololatria ; et contra hoc faciunt, non solum infideles, pagani et hæretici, verum etiam omnis homo qui amorem præcipuum, quem debet ponere in Deo, ponit in quocumque bono creato ; sicut ambitiosus, qui summe diligit nummum ; et gulosus, qui summe diligit ventrem suum. Et ideo nota, quod triplex est idololatria, scilicet paganorum, avarorum, et gulosorum. Idololatria paganorum est mala, quia colunt aurum et argentum, juxta illud [4] : *Simulacra gentium argentum et aurum*. Idololatria avarorum est pejor, quia quasi Deum adorant nummum : nam avaritia est *idolorum servitus* [5], secundum Apostolum. Idololatria gulosorum est pessima, quia gulosi colunt Deum vilissimum, scilicet ventrem suum, qui est latrina et immunditia, de quibus dicit Apostolus [6] : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum*. Pagani comparant Deum auro pretioso ; avari, nummo rubiginoso ; gulosi, ventri ignominioso.

Idololatria triplex.

Secundum præceptum est : *Non assumes nomen Dei in vanum*. In quo prohibetur perjurium et blasphemia, et omne peccatum vel inordinatio linguæ, maxime contra Deum. Et nota tria hic specialiter de perjurio, vel blasphemia. Primo, quia perjurus, vel blasphemus pessimus destruit animam suam : provocat enim contra se tres personas, quarum favor valde est necessarius in judicio ad sententiam obtinendam, scilicet judicem, testes et advocatos. Qui enim false jurat per Deum, habet contra se judicem, scilicet Deum, qui est *justus* [7], ut dicitur in Psalmo. Qui jurat false per Sanctos, habet contra se advocatos, scilicet Sanctos, qui sunt advocati nostri, et specialiter qui jurat per Virginem matrem Dei : nam de illa cantat Ecclesia [8] : *Eia ergo, advocata nostra*, etc. Summum advocatum provocat contra se, qui false jurat per Christum, vel per corpus suum, vel altare sacrum, quia ipse est præcipuus advocatus noster, juxta illud [9] : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum*, etc. Qui vero false jurat per sancta Dei Evangelia, fidem vel conscientiam suam, habet contra se (*b*) testes : nam sancta Dei Evangelia sunt testimonia veritatis ; et fides et conscientia nostra sunt testes nostri, juxta illud [10] : *Gloria nostra hæc est*, etc. Quomodo ergo blasphemus vel perjurus faciet, qui veritatem, judicem, advocatum et testes contra se habet ? Per quam viam incedet in extremo et justo judicio Dei, ubi vix justus salvabitur, qui quando credit pro se sententiam habere, habet contra se ? De talibus conqueritur Dominus, dicens [11] : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur*. Non mireris ergo si perjurus et blasphemus damnentur, qui nomen Dei gloriosum assumunt in vanum, Virginem gloriosam, fidem suam, et conscientiam suam, sancta Evangelia, et Christum, et omnes Sanctos, et omne bonum assumunt in vanum, et omnia, ut videtur, habent pro nihilo. Non erit, inquam, mirum, si a Deo, et Virgine, et

Præceptum II.

[1] Aug., *in Exod.*, lib. II, q. LXXI. — [2] *Matth.*, XXII, 13. — [3] *Deut.*, VI, 5. — [4] *Psal.* CXIII, 4. — [5] *Ephes.*, V, 5. — [6] *Philip.*, III, 19. — [7] *Psal.* X, 8. — [8] Antiph. *Salve Regina*. — [9] I *Joan.*, II, 1. — [10] II *Cor.*, I, 12. — [11] *Isa.*, LII, 5.

(*a*) Vulg. *mittite*. — (*b*) *Cæt. edit. deest* se.

Digitized by Google

Sanctis omnibus in judicio illo tremendo procul repellentur.

Præceptum III. Tertium præceptum est: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Et nota, quod transgressores hujus præcepti videntur specialiter memoriam amisisse. Unde istis solum dicitur: *Memento*, etc. Primo igitur, tales videntur memoriam amisisse, quia non reminiscuntur eorum quæ vident in natura, nec eorum quæ legunt vel audiunt in Scriptura. Videmus enim in natura quod omnia quietem appetunt post laborem. Herbæ namque et plantæ, segetes et arbores fructificant, et suo modo laborant, scilicet in vere, autumno, et æstate, et quiescunt in hieme, et quodammodo somniant. Legimus autem in Scriptura, quod Deus fecit cœlum, terram, et omnia, quæ in eis sunt, in sex diebus; tamen in die septima requievit. Apostoli et martyres, et alii sancti, laboraverunt in hoc mundo, et tamen nunc requiescunt in cœlo. Solus vero diabolus nunquam quiescit, nec illi qui sunt in inferno. Transgressores ergo hujus præcepti sunt illi, qui laborant per totam illam septimanam, nec quiescunt, nec cessant in diebus dominicis, nec in aliis festis. Non enim sunt, ut patet, similes Deo, qui requievit septima die; nec creaturis, quæ requiescunt in hieme; nec Sanctis, qui requiescunt in cœlo: sed sunt similes diabolo et damnatis, quia nunquam requiescunt, sed semper laborant, et laborabunt in inferno. Nam de damnato dicitur [1]: *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* Secundo tales videntur memoriam amisisse, quia intentio fuit Dei, ut in die festo vacaremus divino cultui: tales autem faciunt totum contrarium. Nam diebus festivis vadunt ad mercata, et nundinas, et similia, et dimittunt sermones et missas, et fugiunt a Deo, et vacant mundo, et quod pejus est, peccato. Tales enim sunt similes cancro, qui semper vadit et serpit ex transverso retrogradiendo. Tertio tales videntur perdidisse memoriam, quia Dominus mandat sanctificari sabbatum; et illi polluunt sabbatum: et quod pejus est, quasi sanctificant septimanam, vacant enim in septimana operibus licitis; in sabbato, vel die festo, ebrietatibus et immunditiis, sordibus et peccatis: per totam septimanam dant corpus victui misero, et in die festo dant animam diabolo. De his conqueritur Dominus, dicens [2]: *Sanctuaria mea sprevistis, et sabbata mea polluistis.*

[1] *Psal.* XLVIII, 9. — [2] *Ezech.*, XXII, 8. — [3] *Eccli.*, VII, 29. — [4] *Prov.*, I, 8. — [5] *Eccli.*, III, 11.

CAPUT III.

De præceptis secundæ tabulæ, et primo de honore parentum.

Secunda tabulæ præcepta septem. De præceptis secundæ tabulæ est notandum, quod septem sunt in universo. Primum est: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Secundum: *Non occides.* Tertium: *Non mœchaberis.* Quartum: *Non furtum facies.* Quintum: *Non falsum testimonium dices.* Sextum: *Non concupisces rem proximi tui.* Septimum: *Non desiderabis uxorem proximi tui.* Et de istis septem primum est affirmativum, et alia sunt negativa. Præcepta autem affirmativa ligant semper, sed non ad semper, sed pro loco, et tempore; negativa vero ligant semper et pro semper.

Præceptum I. Primum ergo præceptum secundæ tabulæ est: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, et est affirmativum. Et nota, quod triplex est ratio, quare honorandi sunt parentes, scilicet quia nos genuerunt, nutrierunt, et instruxerunt. Quia per ipsos sumus geniti, debemus eis corporale obsequium; quia per ipsos sumus nutriti, debemus eis temporale nutrimentum, vel subsidium; et quia per ipsos sumus instructi, debemus eis imitationis exemplum. Prima ergo ratio honorandi parentes, est, quia ipsi nos genuerunt. Unde dicitur [3]: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris, meditando quia nisi per illos non fuisses.* Et propter hoc, ut dictum est, debemus eis corporale obsequium, scilicet: corde debemus eos diligere, contra illos qui eos contemnunt, et desiderant mortem eorum, maxime quando senescunt; lingua debemus eis reverenter loqui et benedicere, contra illos, qui non benedicunt, sed maledicunt; auribus debemus eis obedire, contra illos, qui eorum præcepta parvipendunt; manibus debemus eis servire, contra illos qui eos percutiunt.

Triplex ratio, ob quam sunt honorandi parentes

Secunda ratio honorandi parentes est, quia ipsi nos nutrierunt, et propter hoc debemus eis temporale nutrimentum, vel subsidium.

Tertia ratio honorandi parentes est, quia ipsi nos instruxerunt. Unde debemus eis imitationis exemplum, scilicet in bonum, quia dicitur [4]: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.* Unde vide salarium: Filius bonus est [5] *benedictio* patris et matris, quia in eo benedicuntur pater et mater; sicut vulgo di-

Digitized by Google

citur (*a*) bono filio : « Benedicatur pater tuus, et mater tua. » Sicut illa bona mulier dixit Salvatori nostro [1] : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Et e converso pro salario mali filii, patris, et matris, dicitur (*a*) malo filio : « Maledicatur pater qui te genuit, et mater quæ te lactavit. » Exemplum de Linecio, de quo narrat Boetius in libro *de Disciplina Scholarium.*

Triplex pœna eorum, qui parentes non honorant.

Item nota, quod triplex est pœna eorum, qui non honorant parentes suos. Prima est filiorum suorum inobedientia, nam eamdem salsam dabunt eis filii sui, quam ipsi dederunt parentibus, juxta illud [2] : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Secunda pœna est infamia : nam secundum canonicas et legitimas sanctiones, maligni parentibus infames sunt, et ex eorum malignitate potest testamentum et donatio revocari, et possunt omni facultate et hereditate privari paterna, et ultra hoc tales frequenter mala morte moriuntur in hac vita, et interdum horribiliter puniuntur vel perimuntur. Tertia pœna est brevis vita, sicut præmium honorantium est vita longa, ut dicitur [3] : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Nec est mirum si tales reputantur indigni vita æterna, qui etiam reputantur indigni, vel judicantur (*b*) hac vita misera transitoria; et istis vita subtrahatur, cum aliis peccatoribus conceditur ad pœnitentiam faciendam.

CAPUT IV.

De non lædendo proximo, vel occidendo.

Præceptum II.

Secundum præceptum secundæ tabulæ est : *Non occides,* scilicet injuste. Nam istis tribus modis : vel actu mortem inferendo, vel lingua mortem procurando, vel corde proximum odiendo, homicidium perpetratur. De ultimo enim, de quo minus videtur, dicitur [4] : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.*

Item nota specialiter quod tria sunt homicidarum genera. Sunt enim quidam qui interficiunt seipsos pro peccatis, et secundum Augustinum [5] illi inter omnes sceleratissimi homicidæ sunt. De his dicitur [6] : *Qui facit peccatum et iniquitatem, hostis est animæ suæ.* Sunt alii qui spiritualiter interficiunt proximum per scandalum et malum exemplum, quod figuratur in morte primogenitorum Ægypti, ut habetur in *Exodo.* Tunc enim moriuntur primogenita in Ægypto, quando majores præstant minoribus materiam peccati vel ruinæ, suo malo exemplo. Sunt etiam alii qui procurant abortum, scilicet quando bonum propositum in se extinguunt, quod eis misericorditer inspiratur, ex quo per gratiam imprægnantur, sicut in persona ipsorum dicitur [7] : *A facie tua, Domine, concepimus, et peperimus spiritum salutis.* Mali vero concipiunt, sed non parturiunt, quia suffocant conceptum. De his dicitur [8] : *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.*

Pœna triplex homicidarum.

Item nota, quod triplex est homicidarum pœna, scilicet exilium, patibulum, et irregularitatis impedimentum. Homicidæ enim exulantur; quando autem possunt capi, suspenduntur : sic qui occidunt se vel alios per peccatum, exules sunt a gratia, et patria. Homicidæ autem suspenduntur, quando possunt tangi, in patibulo judicis : sic spiritualiter homicida suspenditur in patibulo inferni, quando moritur. Homicidæ etiam non possunt ad sacros ordines promoveri : sic animæ homicidarum non promovebuntur ad ordines angelorum, sed erunt in inferno, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat,* ut habetur in Job [9].

CAPUT V.

De prohibitione concubitus illiciti.

Præceptum III.

Tertium præceptum secundæ tabulæ est : *Non mœchaberis;* ubi prohibetur omnis concubitus illicitus, et actus carnis inordinatus, tam contra ordinem naturæ, quam contra ordinem Scripturæ et gratiæ.

Luxuria ob triplicem causam prohibetur.

Et notandum quod triplex est ratio, quare prohibetur mœchia vel luxuria. Primo igitur mœchia est hujusmodi mundi quasi vilis infirmitas, quia fere totus mundus tabescit et ægrotat, vel moritur in peccato, et est morbus ita contagiosus, quod solo aspectu inficit hominem. Unde Salvator noster prohibuit aspectum illicitum dicens [10] : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Mulier namque adultera, sicut basilicus, solo aspectu interficit hominem : propter quod nos non debemus nimis propinquare, vel familiares esse eis, sicut nec infirmis qui laborant morbo

[1] *Luc.*, XI, 27. — [2] *Luc.*, VI, 38. — [3] *Exod.*, XX, 12. — [4] I *Joan.*, III, 15. — [5] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. XVII. — [6] *Tob.*, XII, 10. — [7] *Isa.*, XXVI, 18. — [8] *Isa.*, XXXVII, 3. — [9] *Job*, X, 22. — [10] *Matth.*, V, 28.

(*a*) *Cæt. edit. add.* de. — (*b*) *Cæt. edit. add.* in.

Digitized by Google

contagioso; quia dicitur [1]: *De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.*

Secundo, quia mœchia est major mercatura diaboli. In aliis enim peccatis lucratur diabolus unum peccatorem pro uno peccato; sed in mœchia, ut vulgo dicitur, lucratur pro peccato duos, imo tres, et interdum plures, scilicet adulterum, et adulteram, et vetulam quæ procurat peccatum. Quia etiam diabolus in hoc magis multiplicat usuras suas, ideo huic mercaturæ vel negotio plus intendit, imo non curat dormire, vel comedere, tantum est intentus huic pessimæ mercaturæ. Dicitur enim [2]: *Qui me comedunt*, scilicet, tentando, *non dormiunt*, scilicet a tentatione cessando.

Tertio, quia etiam mœchia est communior via inferni, hoc est strata publica magis lata, quia plures ambulant per eam. Alia peccata vendicant sibi specialia hominum genera; sed luxuria nulli parcit, et fere ad omne genus hominum se extendit. Exemplum de diabolo, qui secundum fabulam habuit uxorem, et ex illa habuit septem filias, et maritavit eas. Superbiam dedit mulieribus quæ totum studium suum ponunt in vanitate et speculo, pectine et crinibus, et monilibus, et ornatu capitum, etc.; usuram dedit burgensibus; rapinam militibus et magnatibus; simoniam clericis et prælatis; hypocrisim religiosis, et luxuriam universis. De hac via dicitur [3]: *Lata est porta et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.*

CAPUT VI.

De prohibitione furti.

Præceptum IV.

Quartum præceptum secundæ tabulæ est: *Non furtum facies*, in quo prohibetur furtum, rapina, et simonia, et omnis illicita contractio rei alienæ.

Furtum est contra triplicem legem.

Et nota, quod furtum cum suis comitibus est contra triplicem legem. Est enim primo contra legem naturæ, secundum quam omnia debent esse communia; fures autem et sui comites non solum retinent sua propria, imo usurpant aliena, contra illud præceptum naturæ, quod scriptum est [4]: *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri aliquando facias.* Est contra legem scripturæ, ut dicitur [5]: *Non furtum facies.* Est etiam contra legem gratiæ: nam charitas quæ est secundum præceptum legis gratiæ [6], *non quærit sua, sed aliena.* Charitas præcipit dare, dicens [7]: *Date, et dabitur vobis*, communicando; hæc autem potius nititur auferre. Charitas autem communicata facit nos similes Deo, qui non solum, et sua, et æterna, sed etiam seipsum pro nobis dedit, ut habetur *ad Ephesios* [8]. Fures, raptores et usurarii, auferendo aliis, sunt similes morti et diabolo: nam mors nititur furari et auferre corpus; diabolus autem, animam. De talibus dicitur [9]: *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno*, id est diabolo, *fecimus pactum*, qui furatur animam. Et præcipue usurarii, fures vel raptores, qui auferunt sua pauperibus, sunt similes morti, quia (a) auferunt pauperibus victum suum necessarium, et per consequens vitam suam. Nam dicitur [10]: *Panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

CAPUT VII.

De non dicendo falso testimonio, et de peccatis linguæ.

Præceptum V.

Quintum præceptum secundæ tabulæ est: *Non falsum testimonium dices;* in quo prohibetur omne peccatum et omnis inordinatio linguæ, et specialiter contra proximum.

Linguæ peccata viginti duo.

Sunt autem, secundum Doctores, viginti duo peccata vel deordinationes linguæ; et omnes prohibentur: scilicet blasphemia, murmur, defensio peccati, perjurium, mendacium, detractio, accusatio, multiloquium, verbum otiosum, scurrilitas quæ ad rem non pertinet, indiscretio, convicium, contentio, bonorum derisio, pravum consilium, seminare discordias, maledictio, adulatio, peccatum bilinguium, rumor, jactantia, et secreti revelatio specialiter.

Falsus testis.

Et nota, quod falsus testis tribus personis est obnoxius, ut dicit Isidorus [11] (*de Summo Bono*): est enim obnoxius Deo, quem contemnit; et judici, quem decipit; et proximo, quem lædit. Mendax est sicut denarius falsus, vel potius sicut falsus monetarius, qui fabricat falsam monetam; et talis de jure punitur morte æterna, juxta illud [12]: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Detractor similis est cani, qui lambit in homine non carnem suam, sed ulcera et saniem. Murmurans autem similis est rotæ dete-

[1] *Eccli.*, XLII, 13. — [2] *Job*, XXX, 17. — [3] *Matth.*, VII, 13. — [4] *Tob.*, IV, 16. — [5] *Exod.*, XX, 13. — [6] 1 *Cor.*, XIII, 5. — [7] *Luc.*, VI, 38. — [8] *Ephes.*, V, 2: *Tradidit semetipsum.* — [9] *Isa.*, XXVIII, 15. — [10] *Eccli.*, XXXIV, 25. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LIX, sent. 2. — [12] *Psal.* V, 7. — (a) *Cæt. edit.* qui.

Digitized by Google

riori carri, quæ plus est quam aliæ garrulosa, quia scilicet non est uncta oleo : sic isti deficit unctio Spiritus sancti. Jactans similis est cuculo, qui nescit nuntiare nisi de seipso. Adulatores similes sunt canibus, qui, cum obviant sibi invicem, osculantur se in loco immundo. Bilinguis, vel reportator verborum, similis est serpenti, qui habet linguam bifurcatam; sic tales loquuntur ad duas partes. Qui stulte promittit, similis est arbori quæ habet lata folia, sicut vitis, quæ cito folia defluit, ut dicitur in Psalmo[1]. Qui loquitur scurriliter, similis est porco, qui ubicumque ponit pedem, non veretur ponere os. Qui peccatum defendit vel excusat, similis est Adæ, qui retorsit culpam suam in Deum, dicens[2] : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*, etc. Qui maledicit, similis est histrioni viliori; imo vilissimus est inter omnes, qui vulgo dicitur joculator : sic de maledicente, qui multis est odiosus. Qui multum loquitur, est sicut fatuus mercator, qui sine numero, pondere et mensura vendit merces suas; et ideo non est mirum si interdum defraudetur. Qui indiscrete comminatur, similis est cani, qui plus latrat et minus facit; nobilis enim canis, sicut leporarius, vix latrat. Qui convitiatur, est sicut canis macelli, qui semper os portat sanguinolentum. Qui contendit, vel contentionem incipit, est sicut ille qui a diabolo mutuum recipit; qui in contentione recontendit, diabolo usuras solvit. Qui prave consulit, est sicut serpens, qui inficit quidquid lingua ejus tangit. Qui rumores multos narrat, similis est lupo, qui, ut dicunt, uno mense vivit de vento. Qui loquitur verba otiosa, est sicut ulmus et aliæ arbores, quæ nullum fructum ferunt, sed folia tantum. Qui bonos deridet, est sicut cæcus, qui spuit, et nescit ubi; sed spuit aliquando super vultum alicujus, quando credit spuere super terram vel lutum. Qui seminat discordias, est sicut serpens ignitus (*a*), quia talis vomit ignem et incendit rancorem. Qui secreta revelat, est sicut saccus sine fundo, et sicut vas sine opertorio. De blasphemo et perjuro dictum est supra[3]. Et propter hoc per talia, quæ a lingua procedunt, vocatur *universitas iniquitatum*[4] in *Jacobo* (*b*).

[1] *Psal.* I, 3. — [2] *Gen.*, III, 12. — [3] Sup., huj. tit. c. II, pag. 277, col. 2. — [4] *Jac.*, III, 6. — [5] *Psal.* XVII, 43. — [6] *Job*, XXXI, 12. — [7] *Psal.* I, 4. — [8] *Prov.*, XXX, 15. — [9] *Agg.*, I, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* ignominiosus. — (*b*) *Cæt. edit.* Zacharia. — (*c*) *Cæt. edit. add.* carnis. — (*d*) *Cæt. edit.* quæ.

CAPUT VIII.

De prohibitione concupiscentiæ.

Præceptum VI et VII.

Sextum præceptum secundæ tabulæ est : *Non concupisces rem proximi tui*. Septimum præceptum est : *Non desiderabis uxorem ejus*. In primo prohibetur concupiscentia oculorum; in secundo concupiscentia carnis.

Triplex ratio, ob quam duplex concupiscentia (*c*) prohibetur.

Et nota quod triplex est ratio, quare specialis ista concupiscentia (*c*) duplex prohibetur : tum quia est quædam animæ labes, quæ cito maculat, et vix potest tergi; tum quia est quidam animæ ignis, qui subito inflammat, et vix potest extingui; tum quia est quædam animæ sitis, quæ semper cruciat, et vix potest satiari. Primo igitur hæc duplex concupiscentia est animæ labes, quæ vix potest tergi : una istarum, id est, concupiscentia carnis, est sicut aqua propter labilitatem transitoriæ delectationis; altera, scilicet concupiscentia oculorum, est sicut terra propter ariditatem terrenæ affectionis. Sicut ergo ex aqua et terra fit lutum materiale, ita ex hac duplici concupiscentia fit lutum spirituale, quo anima sordidatur, et per consequens fœtet, et displicet in conspectu Dei ad modum vilissimi luti. Unde dicitur in Psalmo[5] : *Ut lutum platearum delebo eos*.

Secundo ista duplex concupiscentia est animæ ignis, qui (*d*) vix potest extingui. De quo dicitur in Job[6] : *Ignis est usque ad perditionem devorans*. Inflammat enim animam, et inflammando incinerat; et tunc tertia soror earum, scilicet superbia vitæ, quæ est sicut ventus, insufflat in animam sic redactam in cineres, et dispergit eam in ventum, et per consequens annihilat. Et ideo dicitur in Psalmo[7], quod impius est *sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*.

Tertio ista duplex concupiscentia est animæ sitis, quæ vix potest satiari; cujus duæ sunt sanguisugæ filiæ, dicentes[8] : *Affer, affer*, sicut dicitur in *Proverbiis*. Concupiscentia oculorum dicit : *Affer* divitias; concupiscentia carnis dicit : *Affer* delicias. Una non cessat congregare; alia non cessat effundere. Unde dicit Aggæus[9] : *Qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum*. Homo mundanus, divitiarum et deliciarum sitibundus, saccus dicitur pertusus; et ideo non est mirum si nunquam potest satiari, quia

Digitized by Google

nunquam potest impleri, ad modum sacci pertusi.

CAPUT IX.

De præceptorum editione ac promulgatione.

De præceptorum editione, vel promulgatione, notandum, quod sunt utiliter edita, et sub triplici pœna. Et primo sub pœna corporis et animæ : lex enim imperatoris editur sub pœna corporis tantum ; sed lex Creatoris sub pœna animæ et corporis, ut dicitur in *Matthæo* [1] : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, etc. Secundo, præcepta divina edicuntur, vel mandantur, sub pœna bonorum mobilium et immobilium. Bona mobilia dicuntur bona gratiæ, quia possunt perdi et recuperari ; bona immobilia dicuntur bona gloriæ, quia semel habita nunquam possunt amitti. Transgressores ergo præceptorum divinorum, bonis gratiæ et gloriæ privantur. Ideo observantibus datur gratia in præsenti, et gloria in futuro, juxta illud Psalmi [2] : *Gratiam et gloriam dabit nobis Dominus.* Tertio, præcepta divina edicuntur sub pœna patibuli infernalis ; transgressor ergo divini præcepti jam est in via, qua ducitur a diabolo ad patibulum inferni. Et nota, quod tria sunt quæ fiunt latroni, quando ducitur ad patibulum : oculis velatur, manibus ligatur, et veste nudatur ; sic peccatori qui ducitur ad infernum, velantur oculi rationis, ligantur manus bonæ operationis, denudatur veste honestæ conversationis. Sic ergo præcepta divina edicuntur sub multiplici pœna. Ideo dicitur in Psalmo [3] : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

CAPUT X.

Quod transgressores præceptorum, instar Pharaonis, decem mulctantur.

Transgressores decalogi decem.

Nota, quod sicut decalogus est decem præceptorum Dei, sic sunt decem transgressores decalogi, qui figurantur per decem plagas Ægypti, quæ fuerunt sanguis, rana, cinifes et muscæ, animalium pestis, et vesica, grando, et locusta, tenebræ, et mors primogenitorum. Et per istas decem plagas Ægypti figurantur, ut dictum est, transgressores decalogi : nam sicut plagæ illæ vastaverunt Ægyptum, sic plagæ peccatorum corrumpunt mundum istum. Prima ergo plaga Ægypti fuit sanguis : omnes enim aquæ Ægypti versæ fuerunt in sanguinem ; et hoc signat sanguinem et corruptionem luxuriæ. Secunda plaga fuit rana : tota enim Ægyptus bullivit ranis ; et significat loquacitatem et peccata linguæ. Tertia plaga fuit cinifes, cujus aculeus amarus quasi invisibiliter pungit ; et significat aculeum invidiæ. Quarta plaga fuit musca gravissima ; et hæc significat indignationem, et peccatum iræ. Quinta plaga fuit pestis animalium ; et hæc significat languorem, vel peccatum acediæ. Sexta plaga fuit vesica turgens et ampulosa, et hæc significat inflationem, et peccatum superbiæ. Septima fuit grando ; et hæc significat persecutionem, et peccatum injuriæ, quia ex superfluitate (*a*) nascitur injuria vel malitia. Octava fuit locusta, quæ devoravit quidquid residuum fuit in grandine ; et significat voracitatem, et peccatum gulæ. Nona plaga fuit palpabilis tenebra ; et hæc significat cæcitatem ignorantiæ. Decima et ultima fuit mors primogenitorum ; et hæc significat scandalum, vel notam infamiæ, quando scilicet majores præbent occasionem peccandi, vel materiam ruinæ. Hæ fuerunt plagæ Ægyptiorum ad litteram, et istæ sunt mysticæ plagæ peccatorum transgressionis decem præceptorum. Unde sicut Ægyptii post plagas istas fuerunt submersi in Mari Rubro ; sic homines mundani, post plagas istorum peccatorum, si non fuerunt per pœnitentiam loti, vel sanati, submergentur in inferno cum Pharaone et suis curribus, id est, cum diabolo et angelis suis. Qui autem fuerit transgressor divini præcepti, non erit immunis a plagis peccatorum, et a gutture tormentorum, quia dicitur in *Ecclesiaste* [4] : *Qui custodit præcepta, non experietur quidquam mali.*

[1] *Matth.*, x, 28. — [2] *Psal.* LXXXIII, 12. — [3] *Psal.* CXVIII, 4. — [4] *Eccle.*, VIII, 5.

(*a*) *Suppl.* verborum.

Digitized by Google

TITULUS QUARTUS

DE CONSILIIS EVANGELICIS

CAPUT PRIMUM.

De Religione.

Post tractatum de præceptis, dicendum est de consiliis evangelicis. Hæc est enim tertia diæta salutis, scilicet de præceptis ad consilia evangelica, sicut a minus perfectis ad magis perfecta pervenire. Et quoniam istam diætam ambulant viri perfecti, sicut religiosi, ideo dicendum est hic de religione in communi.

Tria de religione notanda.

Unde in nomine Domini de religione, vel congregatione, nota specialiter tria, scilicet typum cui comparatur, ortum unde derivatur, votum quo ligatur. Habet ergo religio typum multiplicem, qui ipsam reddit commendabilem. Unde nota, quod tria commendantur in religione vel religiosis, scilicet pondus maturitatis, amor communitatis, et fuga proprietatis. Religiosus ergo debet habere pondus maturitatis. Sicut verus trapezita, vel campsor, cognoscit meliores denarios ad pondus, sic absque dubio in pondere maturitatis cognoscitur religiosus. Nam in Psalmo dicitur [1] : *In populo gravi laudabo te.* Religiosus debet amare communitatem, et hoc multiplici exemplo : videmus enim quod plures homines, quando sunt congregati, incedunt securius, resistunt fortius, solatiantur jucundius. Unde dicitur in *Ecclesiaste* [2] : *Melius est duos esse simul quam unum.* Videmus insuper e contrario, quod avis sola singularis, vel est rapax, ut accipiter, vel amisit socium, ut turtur; sic religiosus singularis, vel est rapax detrahendo, vel judicando patrem vel proximum, vel amisit socium, id est, Christum; quia dicitur etiam in *Ecclesiaste* [3] : *Væ soli.* Ideo in oblatione Domini in templo, fuit *par turturum* [4], non sola turtur, ut dicitur in *Luca.* Videmus enim quod sola candela per ventum extinguitur, sed non ita de facili, quando cum aliis ardet : sic plures congregati, vinculo charitatis juncti, melius lucent per exemplum, vehementius ardent per desiderium divinum. Unde dicitur in Psalmo [5] : *Congregate illi sanctos ejus.* Videmus enim præterea, quod non solus denarius, sed plures faciunt thesaurum; non unus miles, sed plures faciunt exercitum; non unus scholaris, sed plures faciunt studium; non unus bos, sed plures trahunt jugum; non unum membrum, sed plura faciunt corpus unum; non una apis, sed plures componunt favum; non unum granum, sed plura faciunt acervum; non una species, sed plures faciunt electuarium: sic cum plures sunt uniti per amoris vinculum, est in eis absque dubio major abundantia meritorum. Unde in figura hujus non unus solus discipulus, sed plures [6] discipuli receperunt Spiritum sanctum, ut dicitur in *Actis.* Religiosus debet insuper fugere et cavere proprietatem : sicut enim vespertilio bibit oleum in Ecclesia, ubi laudant alii Deum; sic religiosus proprietarius, instar vespertilionis, bibit et furatur bona monasterii, ubi alii vacant laudibus (*a*) et Dei servitio, sicut Judas, qui solus inter Apostolos pecuniam furatus est, ut dicitur in *Joanne* [7].

Item nota, quod tria sunt reprobata specialiter in quolibet religioso, scilicet indevotio, dissolutio, et vagatio. Nam religiosus indevotus est sicut scirpus, vel juncus, aut mergus, qui interius est aridus, quod tamen stat in aqua vel loco aquoso. Item sicut piscis, qui semper bibit aquam, et cum aperitur venter, invenitur vacuus; talis juxta panem moritur fame, juxta fontem moritur siti, juxta ignem moritur frigore. Et de talibus dicitur in Psalmo [8] : *Divites egueruut, et esurierunt.* Est etiam reprobanda in religione dissolutio vitæ, et inhonestas in conversatione. Nam sæcularis inhoneste vivens, solum infamat seipsum; religiosus vero inhonestus et dissolutus infamat totum monasterium et ordinem suum. Nam sicut quando vinum

[1] *Psal.* XXXIV, 18. — [2] *Eccle.*, IV, 9. — [3] Ibid., 10. — [4] *Luc.*, II, 24. — [5] *Psal.* XLIX, 5. — [6] *Act.*, II, 1. — [7] *Joan.*, XII, 6. — [8] *Psal.* XXXIII, 11.

(*a*) *Edit. Vatic.* laudibus, et Dei servitio.

Digitized by Google

proclamatur in villa, per vinum quod portatur in scypho judicant homines de toto vino, quod est in dolio; sic mundus per conversationem, quam videt in uno religioso, judicat omnes alios qui sunt in monasterio, vel in ordine suo, et hoc tam in bono, quam in malo. Unde dicit Apostolus [1] : *Spectaculum facti sumus mundo.* Est insuper in religioso valde reprobanda vagatio : sicut enim piscis non diu vivit extra aquam, sic religiosus vagabundus cito moritur per culpam. Unde dicit Hieronymus : « Otium mihi carcer est, et solitudo paradisus. »

Tria præstanda religioso.

Item nota, quod religiosus debet se castigare, non interficere; prælato obedire, non contradicere; et semper in bono proficere, non retrocedere. Religiosus itaque debet corpus proprium non occidere, sed disciplinare; et disciplinam cum ratione regulare, et interdum disciplinam remittere. Sicut aquila retrahit alas, ut melius extendat, et balistarius remittit, vel distendit arcum, ut fortius postmodum trahat; sic interdum remittenda et temperanda est disciplina, ut postea convalescat. Nam dicit Apostolus [2] : *Rationabile sit obsequium vestrum.* Religiosus etiam suo prælato debet obedire humiliter, et non resistere. Sicut enim membra judicantur paralytica, quæ non moventur ad imperium capitis; sic perversus est religiosus subditus, qui non sentit motum et imperium patris spiritualis. De talibus dicitur in *Exodo* [3] : *Fiant immobiles quasi lapis.* Et sicut omne humidum, sicut dicit Philosophus [4], male terminatur termino proprio, et bene alieno; sic religiosus bene regitur, si observet prælati præceptum, male vero, si sequatur propriæ voluntatis votum. Nam dicit Bernardus [5] : « Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit tibi. » Religiosus insuper debet semper proficere, et non retrocedere; et ideo a latioribus incipere debet, ut proficiendo ad altiora valeat pervenire. Nam dicit Gregorius : « In via Dei non proficere, deficere est. » Sicut enim ædificium in fundamento fit latius, et postmodum construendo fit strictius; sic religiosus talem perfectionem debet accipere, quod ad illam valeat addere, et in ea perseverare, ne dicatur illud evangelicum verbum contra ipsum [6] : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare,* ut dicitur in Luca.

[1] I *Cor.*, IV, 9. — [2] *Rom.*, XII, 1. — [3] *Exod.*, XV, 16. — [4] Arist., *de Generat.*, lib. II. — [5] Bern., *de resurr. Dom.*, serm. III, ante med. — [6] *Luc.*, XIV, 30. —

Debet autem super omnia in religione perseverare, quia dicit Salvator [7] : *Nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Sicut enim stultus est, qui tempore tempestatis exit de navi, et projicit se in mare (*a*); ita summa stultitia est, tempore tentationis navem religionis dimittere, et ad submergendum se in mare sæculi præcipitare. De talibus autem dicitur in *Actis* [8] : *Nisi in navi menseritis, peribitis.*

Item nota, quod religiosus debet in disciplina nutriri et informari tripliciter, scilicet sicut parvulus in domo, sicut plantula in horto, et sicut virgula in virgulto. Debet itaque religiosus ad modum pueri in disciplina diligenter nutriri et educari. Unde nota, quod debet habere duas obstetrices in processu, duas nutrices in progressu, et duas consiliatrices in perfectione, vel statu. Debet igitur habere duas obstetrices, scilicet : obedientiam, quæ liget sibi manus et pedes, et involvat eum in panniculo paupertatis; et humilitatem, quæ inclinet eum in præsepio et in cunabulo claustri, cum fræno temperantiæ et capistro cilicii. Istæ sunt duæ obstetrices Hebræorum, id est, Religiosorum, quæ [9] *conservabant mares,* id est perfectos religiosos et perfecte vivere volentes, ut habetur in Exodo. Debet etiam habere duas nutrices in progressu, scilicet : veritatem, quæ doceat eum loqui, juxta illud Petri [10] : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei;* et honestatem, quæ doceat eum ambulare, juxta illud quod dicit Apostolus ad Thessalonicenses [11] : *Præcipimus vobis, ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.* Debet nihilominus habere duas consiliatrices in perfectione et statu, scilicet charitatem ad Deum et ad proximum; nam dicit Apostolus [12] : *Charitas fraternitatis maneat in vobis;* et austeritatem ad seipsum, juxta illud ejusdem apostoli [13] : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Religiosus instar plantulæ debet nutriri in disciplina, vel in religione. Unde notandum est, quod hortulanus fodit sæpe circa plantulas quæ sunt in horto suo : quæ spiritualiter debent fieri novo religioso. Plantulæ vero de uno loco eradicantur, et in alio transplantatur, clauduntur, rigantur, purgantur, fodiuntur, et coluntur : sic novitius debet, instar plantulæ, de mundo radicitus evelli, et in religione transplantari, et in sancto

Religiosus instar plantæ novellæ nutriendus.

[7] *Luc.*, IX, 62. — [8] *Act.*, XXVII, 31. — [9] *Exod.*, I, 17. — [10] I *Petr.*, IV, 11. — [11] I *Thessal.*, IV, 11. — [12] *Hebr.*, XIII, 1. — [13] I *Cor.*, IX, 27.

(*a*) *Cæt. edit.* mari.

Digitized by Google

proposito radicari, circumspectione claudi, devotione rigari, confessione purgari, exercitio et occupatione fodi et excoli; et tales sunt [1] *sicut novellæ plantationes in juventute sua,* ut dicitur in Psalmo. Religiosus insuper, sicut virgula in virgulto, debet educari in disciplina. Unde nota, quod agricola, quando habet virgulam vel surculum generosæ vel fructuosæ arboris, providet ei in multis, scilicet quod habeat radicem, stipitem, frondes et folia, flores et fructus: sic virgula spiritualiter, scilicet neophytus, vel novitius in virgulto religionis, debet habere ista sex, scilicet radicem profundæ humilitatis, stipitem rectæ intentionis, frondes sinceræ dilectionis, folia honestæ locutionis, flores pulchræ conversationis, et tandem super omnia fructus bonæ operationis: quia per fructus eorum cognoscit eos Deus, sicut dicit Salvator in *Matthæo* [2]. De talibus virgulis generosis et fructuosis dicitur in Psalmo [3]: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ,* id est, religionis sanctæ.

Religionis ortus

Habet etiam religio ortum primordialem valde laudabilem. Unde nota, quod omnis religio et omnis spiritualis congregatio, vel fraternitas, habuit primo ortum a Samuele, qui congregavit [4] *cuneum prophetarum,* ut dicitur in primo *Regum.* Et ita dicit ibidem Magister historiarum. Secundo habuit ortum ab Helisæo, cum quo habitaverunt [5] *filii prophetarum,* ut dicitur in quarto *Regum.* Tertio habuit ortum a Joanne Baptista, qui congregavit [6] *discipulos,* ut dicitur in Joanne. Quarto habuit ortum a Christo, qui congregavit *discipulos* et *apostolos,* ut dicitur in *Matthæo* [7]. Quinto habuit ortum ab apostolis, quibus adhæserunt multi discipuli simul habitantes post missionem Spiritus sancti, sicut dicitur in *Actis* [8], quia *nemo quidquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis erant communia.* Sexto habuit ortum a Marco Evangelista, quia apud Alexandriam discipulos vitæ mirabilis habuit, ut habetur in Ecclesiastica Historia. Inde processerunt monachi, quorum fuerunt tria genera, scilicet Cœnobitarum, qui in communi vivebant; aliorum, qui dicebantur Remoboth, qui bini et trini habitabant: et Anachoretarum, qui soli in deserto vivebant, quorum auctor fuit Paulus, illustrator Antonius, princeps Joannes Baptista, ut dicit Hieronymus [9].

[1] *Psal.* CXLIII, 12. — [2] *Matth.*, VII, 16. — [3] *Psal.* CXXVII, 3. — [4] I *Reg.*, X, 10. — [5] IV *Reg.*, IV, 38. — [6] *Joan.*, I, 35. — [7] *Matth.*, IV, 19 et seq. — [8] *Act.*, IV, 31, 32. — [9] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XLII. — [10] Bern., loc. jam. cit. — [11] I *Tim.*, VI, 10. — [12] *Matth.*, XXII, 30. — [13] *Joan.*, VI, 38. — [14] *Philip.*, II, 9. — [15] *Matth.*, XXVI, 39. — [16] I *Reg.*, XV, 22. — [17] Bern., serm. *de Virt. obed. et ejus grad.*

Habet insuper religio nodum regulantem valde notabilem, qui ipsam facit valde laudabilem. Est enim in ipsa triplex nodus valde laudabilis, scilicet nomen religionis obedientiæ subjugantis, paupertatis alleviantis, et castitatis decorantis. Obedientia aufert religioso propriam voluntatem, et per consequens infernum, juxta illud Bernardi [10]: *Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit tibi.* Paupertas aufert ipsi terrenam cupiditatem, et per consequens omne malum, juxta illud verbum Apostoli [11]: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Castitas aufert homini carnalem fœditatem, et per consequens facit eum angelum, juxta illud *Matthæi* [12]: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.* De hoc triplici nodo per ordinem est dicendum. Et primo de obedientia.

Nodus sive votum quo religio ligatur.

CAPUT II.

De Obedientia.

De obedientia tria præcipue notanda.

De obedientia nota specialiter tria, scilicet præconia quibus commendatur, auxilia quibus adjuvatur, et officia quibus occupatur.

Obedientiæ præconia.

Habet ergo obedientia multa præconia, quæ ipsam laudant. Unde nota, quod obedientia est schola Salvatoris, nobile genus martyrii, palma triumphalis, et scala paradisi. Primo ergo obedientia est schola Salvatoris: unde nota, quod Salvator exemplo suo docuit obedientiam tripliciter, scilicet ad mundum veniens, in mundo manens, et de mundo transiens. Ad mundum veniens obedientiam docuit, ut dicitur in *Joanne* [13]: *Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Obedientiam docuit in mundo manens, ut dicit Paulus [14]: *Factus est obediens usque ad mortem.* Obedientiam docuit de mundo transiens: nam in passione dixit Patri [15]: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Est etiam obedientia quoddam nobile genus martyrii et palma triumphalis, quia decollat hominem, et amputat ei propriæ voluntatis caput. De hoc martyrio dicitur in primo *Regum* [16]: *Melior est obedientia, quam victimæ.* Est autem obedientia scala paradisi, cujus septem sunt gradus, quos assignat Bernardus [17]. Primus gradus obedientiæ, est

Digitized by Google

obedire libenter sine recalcitratione; exemplum de Paulo, qui dicit in *Actis* [1]: *Domine, quid me vis facere?* Secundus gradus est obedire simpliciter sine simulatione; exemplum de David, qui dixit in Psalmo [2]: *Ut jumentum factus sum apud te.* Tertius gradus, obedire hilariter sine murmuratione; exemplum de Simone Cyrenæo, qui portavit in angaria, id est, in dolore crucem Christi, ut habetur in *Matthæo* [3]. Quartus gradus est obedire velociter, sine recrastinatione; exemplum de Petro et Andrea, qui ad unam Domini vocem, relictis retibus omnibus, secuti sunt eum, sicut etiam dicitur in eodem *Matthæo* [4]. Quintus gradus est obedire viriliter, sine hæsitatione (*a*); exemplum de Petro, qui dixit [5]: *Domine, paratus sum tecum in carcerem, et in mortem ire.* Sextus gradus est obedire humiliter, sine elatione; exemplum de discipulis, quibus dixit Salvator [6]: *Cum* (*b*) *feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus,* in eodem *Luca.* Septimus gradus est obedire perseveranter, sine discontinuatione; exemplum de Christo, de quo dicit Apostolus [7]: *Factus est obediens usque ad mortem.* Isti septem gradus erant spiritualiter in scala Jacob, de qua habetur in *Genesi* [8]: quæ significat obedientiam, tum quia angeli descendebant et ascendebant per illam, per quod intelligitur, quod obedientia est vita angelica; tum quia scala ista tangebat cœlos, in quo innuitur, quod vera obedientia est cœlestis vita. Item nota, quod obedientia est navis ad cœlum transvehens (*c*) clavis cœlum aperiens, et avis ad cœlum ascendens. Est itaque obedientia sicut navis: nam sicut qui est in navi semper procedit, et tamen ipse quiescit; sic qui est in navi obedientiæ, semper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo: quia instar nautæ non movetur motu proprio, sed alieno. De hac navi habetur in *Proverbiis* [9]: *Facta est quasi navis institoris,* id est, mercatoris. Per eamdem rationem obediens comparatur equitanti: nam sicut equitans quiescendo procedit, quia non movetur motu proprio, sed equi; sic bonus obediens quando pausat, meretur, quia non innititur motui voluntatis suæ, sed majoris sui. Unde dicitur in *Canticis* [10]: *Equitatui meo assimilavi te, amica mea.* Est etiam obedientia sicut clavis paradisi: sicut enim inobedientia clausit paradisum, ut habetur ex *Genesi*; sic obedientia paradisum aperuit. Et in figura hujus, Christus dedit [11] Simoni, qui interpretatur obediens, *claves regni cælorum,* ut dicitur in *Matthæo.* Et sicut Dominus maledixit primo homini inobedienti, dicens [12]: *Maledicta terra in opere tuo*; sic benedixit obedienti Simoni Dominus, dicens [13]: *Beatus es, Simon Barjona.* Est etiam obedientia sicut avis ad cœlum ascendens: nam sicut avis cum duabus alis volat ad sublimia, sic obediens cum duabus alis, scilicet cum ala paupertatis, et cum ala castitatis, scandit ad cœlestia. Hoc est quod dicitur in Apocalypsi [14]: *Datæ sunt mulieri duæ alæ, ut volaret in desertum locum.* Mulier ista potest dici obedientia. Duæ alæ possunt dici duo illa vota simul conjuncta, scilicet castitatis, et paupertatis voluntariæ. Item nota, quod obedientia est summa in merito, vicina Deo, et proxima cœlo. Est itaque obedientia in merito suprema; et in figura hujus, Christus apostolis præposuit Simonem obedientem. Vult enim Creator, quod omnia obediant obedienti; nec mirum, si vult quod obedienti obediant cæteræ creaturæ, quia etiam ipse Deus voluit obedienti obedire. Exemplum de Josue, de quo dicitur [15]: *Non fuit ante et postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Est etiam obedientia Deo vicina, in cujus figura Dominus [16] *recubuit* (*d*) *in domo Simonis,* ut dicitur in *Luca.* Et omnes qui erant in Bethania diligebat, ut dicitur in *Joanne* [17]: Bethania quippe *domus obedientiæ* dicitur. Est etiam obedientia scala cœli, et Deo proxima; et in figura hujus, Dominus ascendit in cœlum de Bethania, sicut habetur in *Luca.*

Auxilia obedientiam juvantia.

Habet etiam obedientia auxilia, quæ ipsam juvant. Unde notandum est, quod sex sunt, quæ juvant obedientiam, scilicet humilitas flectens, consuetudo frequens, dilectio fervens, affectus terrena contemnens, gratia interius ungens, et prælatus modeste præcipiens. Humilitas (*e*) igitur juvat, et facit hominem obedientem. Humilitas reddit hominem flexibilem: sicut enim gracilitas et subtilitas virgæ

[1] *Act.*, IX, 6. — [2] *Psal.* LXXII, 23. — [3] *Matth.*, XXVII, 32. — [4] *Matth.*, IV, 20. — [5] *Luc.*, XXII, 33. — [6] *Luc.*, XVII, 10. — [7] *Philip.*, II, 9. — [8] *Gen.*, XXVIII, 12. — [9] *Prov.*, XXXI, 14. — [10] *Cant.*, I, 8. — [11] *Matth.*, XVI, 19. — [12] *Gen.*, III, 17. — [13] *Matth.*, XVI, 17. — [14] *Apoc.*, XII, 14. — [15] *Jos.*, X, 14. — [16] *Luc.*, VII, 38. — [17] *Joan.*, XI, 5. — [18] *Luc.*, XXIV, 50. — (*a*) *Cæt. edit.* æstimatione. — (*b*) Item *Dum.* — (*c*) *Item* transiens. — (*d*) Vulg. *discubuit.* — (*e*) *Cæt. edit.* Obedientia.

Digitized by Google

facit virgam faciliter inclinare, sic gracilitas humilitatis facit homines faciliter obedire. Ideo dicit Apostolus de Christo [1] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Juvat etiam obedientiam consuetudo ; nam sicut equus assuescit circumvolutionibus, ut sciat se ad omnem partem flectere ; sic assuefactio obedientiæ facit homines ad nutum obedire. De tali equo bene ductibili dicitur in *Proverbiis* [2] : *Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit.* Juvat tertio obedientiam dilectio Dei : nam sicut ignis facit ceram mollem et tractabilem, sic amor Dei ignitus facit hominem obedire. Unde dicitur in *Luca* [3] : *Ignem veni mittere in terram,* id est, animam devotam. Juvat nihilominus obedientiam contemptus mundi, et separatio voluntatis ab omni re corporali. Sicut enim pellis est tractabilis a ligno separata, quæ tamen est rigida, quandiu est ligno affixa ; sic anima, cum instar pellis a terrenis sejungitur, ad obediendum facile inclinatur, in cujus persona dicit Psalmista [4] : *Paratus sum, et non sum turbatus.* Juvat etiam obedientiam unctio gratiæ interius : sicut enim corium unctum fit molle et tractabile, quod tamen ante unctionem erat durum et rebelle ; sic homo facilis est ad obedientiam, quando anima intus est uncta per gratiam. Hæc est unctio, de qua dicit Joannes [5] : *Unctionem quam accepistis, maneat in vobis.* Tandem juvat obedientiam modestia præcipientis ; exemplum de Deo, qui unum solum lignum prohibuit, et omnia alia concessit, dicens [6] : *De omni ligno paradisi comede ; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.*

Officia, quæ occupant obedientiam.

Habet etiam obedientia officia, quæ ipsam occupant, scilicet tria genera præceptorum. Unde nota, quod debet quilibet obedire præceptis inditis (*a*) per naturam, quæ scripta sunt a Tobia dicente [7] : *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias;* et in Matthæo [8] : *Omnia quæcumque vultis ne faciant vobis homines, ea nolite facere eis.* Vel debemus obedire præceptis injunctis per scripturam, quæ scripta sunt in *Exodo* [9], ubi ponuntur decem præcepta : *Non habebis deos alienos,* etc. Debemus etiam obedire præceptis inspiratis per gratiam, ut de dilectione Dei et proximi, quæ scripta sunt in *Matthæo* [10]. Horum expositionem quære supra in materia de præceptis, et in materia de charitate.

CAPUT III.

De Paupertate.

De paupertate nota specialiter tria, scilicet quod paupertas est cœleste pretium, cum quo pauperes mercantur; cœleste prandium, ad quod pauperes invitantur, et cœleste solium, in quo pauperes locantur. De paupertate nota tria.

Primo igitur paupertas est cœleste pretium, quo a (*b*) pauperibus emitur cœlum, sicut dicit Augustinus [11] : « Regnum, inquit, cœlorum paupertate emitur. » Et nota quod regnum cœlorum jure emptionis convenit pauperibus, quia ipsi proprie solvunt pretium, quod taxavit Christus dicens [12] : *Omnis qui reliquerit domum aut agros,* etc.

Secundo paupertas est cœleste prandium, quo pauperes reficiuntur. Sicut enim videmus, quod quando clamatur ad eleemosynam, vel prandium (*c*), soli pauperes veniunt et accelerant; sic ad prandium cœli, ad quod Christus invitat, soli pauperes intrant : quod figuratur in *Luca,* ubi dicitur [13], quod *homo quidam fecit cœnam magnam,* etc. Et nota quod tria genera hominum ad illam cœnam venire noluerunt; sed excusationes frivolas allegaverunt, scilicet avari divitiis incrassati, immundi, impinguati, superbi, dilatati honoribus, juxta illud *Deuteronomii* [14] : *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Avari figurantur per illum, qui quinque juga boum emerat; immundi, per illum qui uxorem duxerat; superbi, per illum qui villam comparaverat. Et ideo omnes isti a cœna illa proprie sunt exclusi, et soli pauperes intromissi. Nam dicitur ibidem [15] : *Voca pauperes et debiles, et introduc,* etc. Paupertas cœleste prandium.

Tertio, paupertas est cœleste solium, in quo pauperes sedent, sicut dicitur in *Matthæo* [16] : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me,* etc.; et sequitur : *Sedebitis et vos super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.* Sed nota, quod sicut qui esset supra cœlum, totam terram reputaret quasi punctum (*d*); sic pauperes totam terram re- Paupertas cœleste solium.

[1] *Philip.*, II, 8. — [2] *Prov.*, XXI, 31. — [3] *Luc.*, XII, 49. — [4] *Psal.* CXVIII, 6. — [5] I *Joan.*, II, 27. — [6] *Gen.*, II, 16, 17. — [7] *Tob.*, IV, 16. — [8] *Matth.*, VII, 12. — [9] *Exod.*, XX, 14 et seq. — [10] *Matth.*, XXII, 37-39. — [11] Simile aliquid reperitur apud Aug., *de verb. Dom.* serm. XXVIII. — [12] *Matth.*, XIX, 29. — [13] *Luc.*, XIV, 16. — [14] *Deut.*, XXXII, 15. — [15] *Luc.*, XIV, 21. — [16] *Matth.*, XIX, 29. — (*a*) *Cæt. edit.* judicis. — (*b*) *Item* a quo. — (*c*) *Item* paradisum. — (*d*) *Item* centrum.

Digitized by Google

putant rem minimam et vilem, quia in cœlo, ut dictum est, habent sedem et mansionem suam. Nam dicit Apostolus in persona eorum [1]: *Nostra conversatio in cœlis est.*

Paupertatis tria bona.

Item nota, quod pauper habet tria bona, scilicet vitam securissimam, mentem quietissimam, et vestem nobilissimam. Primo igitur pauperes sunt in vita securissima securi, quia propter (*a*) paupertatem non moventur lites, non timentur fures, non formidantur rerum tempestates; sed divites hujus mundi sustinent omnes istas tribulationes. Unde in figura hujus, Cain, qui interpretatur *possessio*, habebat caput tremulum, et significat divitum curam, et sollicitudinem avarorum. Secundo pauperes mente sunt quieti, et a spinis divitiarum minime lacerati, et ab earum pondere liberi, et ab earum inquinatione mundi. Nam divitiæ faciunt ista tria mala : bona siquidem temporalia possessa onerant, amata inquinant, et amissa cruciant, ut dicit [2] Bernardus. Unde in figura spiritualis quietis, quam habent pauperes, et anxietatis, quæ concomitat (*b*) divitias, Israel a Deo accepit sabbatum, id est, quietem, et Ægyptii anxietates et curas, ut dicit Gregorius [3]. Propter hoc dicitur ad Hebræos [4] : *Relinquitur sabbathismus populo Dei.* Tertio sunt pauperes veste decori, id est, honestate conspicui. Ideo Sapiens jungit ista duo : *Paupertas*, inquit [5], *et honestas a Deo sunt :* quia in semitis pauperum relucet spiritualiter Christi signum, de quo dicitur in *Luca* [6] : *Et in signum cui contradicetur.* Et nota, quod triplex fuit signum Christi, cui contradicitur a diversis amatoribus mundi. Primum fuit paupertas, cui contradicitur ab avaris; secundum fuit castitas, cui contradicitur ab immundis; et tertium fuit humilitas, cui contradicitur a superbis.

Tria alia paupertatis bona.

Item nota, quod paupertas alia tria bona habet; est enim paupertas summe Christo copulata, bonis summe cumulata, et cœlis summe coæquata. Primo ergo paupertas est summe Christo copulata; habet enim Deus pauperes quasi familiares et domesticos, et divites quasi ignotos et extraneos. Unde in figura hujus, Christus in ortu suo prius vocavit pauperes quam divites, piscatores quam mercatores, pastores quam reges, pauperes de prope, et divites magos ab Oriente. Secundo paupertas est summe coæquata cœlo : et causa est, quia est summe elongata a mundo : pauper enim summe cœlum appropinquat, quia omnia mundana conculcat. Sicut videmus, quod ille qui vult alte attingere, scabellum consuevit sub pedibus locare; sic pauper manu tangit cœlum, quia de omnibus terrenis, contemnendo et conculcando, facit sibi quasi sub pedibus scabellum, juxta illud Deuteronomii [7] : *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Tertio paupertas est summe cumulata omni bono; optime enim scit thesaurizare : propterea enim dimittit terram talpis, id est avaris, fimum porcis, id est immundis, pulverem serpentibus, id est, superbis, juxta illud *Isaiæ* [8] : *Serpenti pulvis panis ejus.* Ipsa enim dedignatur fimum stabuli habere loco thesauri. Fimus stabuli sunt divitiæ hujus mundi; quia mundus est stabulum, id est locus jumentorum, et hominum bestialium. Ipsa enim bona immobilia retinet, id est cœlestia; et dispergit bona mobilia, id est, omnia terrena : quod figuratur in *Genesi*, ubi dicitur [9], quod Abraham dedit Isaac omnia quæ possidebat, et filiis concubinarum largitus est munera.

CAPUT IV.

De Castitate.

De castitate tria notanda præcipue.

De castitate nota specialiter tria : castitas enim est florens sicut lilium inter spinas; habet lilium incorruptibile, habet pretium impretiabile, habet folium insuperabile, habet pretium inter gemmas, et tenet solium super stellas.

Primo ergo castitas est florens sicut lilium; nam dicitur in *Canticis* [10] : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et nota, quod in lilio sunt sex folia nivei coloris, et sex grana aurei coloris : sex folia nivea significant carnis pudicitiam; et sex grana aurea significant mentis munditiam. Primo ergo in lilio sunt sex folia, in quibus figurantur sex ad pudicitiam necessaria. Primum folium est cibi et potus sobrietas, unde dicit Hieronymus [11] : « Virgo fugiat vinum, ut venenum. » Nam vinum et adolescentia est duplex incendium voluptatis. Unde in *Proverbiis* dicitur [12] : *Luxuriosa res est vinum;* et in *Genesi* dicitur [13], quod Loth propter

Sex ad pudicitiam necessaria.

[1] *Philip.*, III, 20. — [2] Bern., serm. *de Conver. ad Cleric.*, c. XII, et serm. de *quinque negotiat. et quinque region.*, ante med. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XVIII, c. XXV, ante med. — [4] *Hebr.*, IV, 9. — [5] *Eccli.*, XI, 14. — [6] *Luc.*, II, 34. — [7] *Deut.*, XI, 24. — [8] *Isa.*, LXV, 25. — [9] *Gen.*, XXV, 5, 6. — [10] *Cant.*, II, 2. — [11] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, longe ante med. — [12] *Prov.*, XX, 1. — [13] *Gen.*, XIX, 33.

(*a*) *Cæl. edit.* per. — (*b*) anxietates quæ communicant.

Digitized by Google

vinum perpetravit incestum. Secundum folium est habitus asperitas; unde dicit Bernardus : « Memento, quod asperior cardo pannum facit leniorem, sicut asper habitus facit carnem castiorem. » Et per contrarium filii Israel fornicati sunt cum mulieribus Moab, quia ornatæ erant vestibus delicatis, ut dicitur in *Numeris*. Tertium folium est laboris strenuitas; et per contrarium ignavia et otium sunt summum luxuriæ nutrimentum, quia, ut dicitur in *Ezechiele* [1] : *Hæc fuit Sodomæ iniquitas sororis tuæ, superbia, saturitas, abundantia panis, et otium.* David in domo otians, commisit adulterium, ut habetur in secundo *Regum*. Quartum folium est custodia sensuum, et maxime quoad visum et auditum; quia curiositas videndi, et audiendi, via est ad peccatum. Cujus exemplum patet in Dina filia Jacob, quæ ad videndum mulieres regionis illius egressa, a Sichem filio Emor fuit corrupta, ut dicitur in *Genesi*. Quintum folium est modestia verborum, et maxime immundorum; quia maxime excitatur luxuria per verba dissoluta et inhonesta. Nam dicit Apostolus [2] : *Nolite seduci inanibus verbis : corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* « Sit, inquit Hieronymus [3], sermo virginis pudens, modestus, et tardus vel rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. » Idem [4] : « Sit vitæ novæ gravitas, honestas admirabilis, et stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, et suo in tempore proferendus. » Hæc ille. Sextum folium est fuga occasionum, opportunitatum, et maxime mulierum. Dicitur enim in *Genesi* [5] : *Ne stes in omni loco circa regionem.* Videmus enim, quod animalia silvestria pulchriorem pellem habent, quam domestica. Legimus etiam (*a*) in secundo *Regum*, quod Thamar ab Amon (*b*) fratre suo fuit corrupta, quia in thalamo fuit sola cum solo. Unde Bernardus dicit [6] : « Virgines quæ vere virgines sunt, semper debent esse pavidæ, et nunquam securæ, ut et non timenda securæ etiam pertimescant. »

Animus castus triplicem debet habere dilectionis modum.

Sunt etiam in lilio sex grana aurea, in quibus figuratur triplex modus diligendi Deum, et triplex causa dilectionis. Primo ergo est triplex modus dilectionis, quem debet habere animus castus : est enim diligendus Deum prudenter, ne decepti ab amore ejus discedamus; dulciter, ne elati ab amore ejus abscindamur; fortiter, ne oppressi ab amore Dei evellamur, ut dicit Bernardus [7]. Sunt autem tres causæ præcipuæ, in quibus debemus Deum diligere : est enim diligendus *toto corde*, quia Creator; *tota anima*, quia Redemptor; *tota mente*, quia remunerator, ut dicitur in *Matthæo* [8].

Secundo castitas habet ingens pretium super omnes gemmas, quia dicitur [9] : *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Et nota, quod castitas est thesaurus cum valore charitatis; ideo summe amandus, et ideo dicitur [10] : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*, etc. Est thesaurus in vase fragilissimo; et ideo summe conservandus : nam dicit Apostolus [11] : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Unde majoris virtutis est in carne corruptibili servare castitatem. Est thesaurus cum malignissimo hoste; et ideo summe timendus, sicut videmus quod valde est laudabile castrum debile defendere contra hostem fortissimum.

Tertio, castitas habet excellens solium super omnes stellas, quod figuratur per *thronum de ebore grandem*, ut dicitur in libris *Regum* [12]. Et nota quod ebur est frigidum, et solidum, et candidum : frigidum, contra concupiscentiam; solidum, per firmam perseverantiam; candidum, per meram innocentiam. Item nota, quod quando ebur in uno panno lineo mundo involvitur, servat pannum ne incendatur : in quo signatur, quod interior castitas mentis servat corpus exterius ab incendio libidinis.

Item nota, quod castitas habet fructum uberrimum, cursum celerrimum, et sertum pulcherrimum. Primo ergo castitas habet uberrimum fructum; et nota quod triplex est fructus evangelicus, scilicet tricesimus, quem habet castitas conjugalis; sexagesimus, quem habet castitas vidualis; centesimus, quem habet castitas virginalis, ut dicitur in *Matthæo* [13]. Secundo castitas habet celerrimum motum : castitas enim consequitur Deum tripliciter, scilicet currendo, natando, et volando. Currit enim castus per bonam operationem; natat per internam devotionem; volat per supernam contemplationem :

[1] *Ezech.*, XVI, 49. — [2] I *Cor.*, XV, 33. — [3] Hieron., *ad Demetr.*, epist. VIII, post med. — [4] Id., *ad Maurit. filiam*, epist. XIV, post med. — [5] *Gen.*, XIX, 17. — [6] Bern., sup. *Missus est*, hom. III, circa med. — [7] Bern., sup. *Cantic.*, serm. XX, ante med. — [8] *Matth.*, XXII, 37. — [9] *Eccli.*, XXVI, 20. — [10] *Matth.*, XIII, 44. — [11] II *Cor.*, IV, 7. — [12] III *Reg.*, X, 18. — [13] *Matth.*, XIII, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* enim. — (*b*) Vulg. *Ammon.*

Digitized by Google

et sic *sequitur agnum quocumque ierit*, ut dicitur in *Apocalypsi*[4]. Tertio, castitas habet pulcherrimum sertum : non enim solum habet aureolam præmii accidentalis, sed etiam aureolam præmii essentialis.

Aureola triplex.

Et nota, quod triplex est aureola, scilicet virginum, martyrum et doctorum : virginum florea ; martyrum gemmea; doctorum aurea. Aureola igitur virginum est florea, de qua dicitur[2] : *Veni de Libano, sponsa mea; veni, coronaberis*, scilicet aureola castitatis : quia in Scriptura castitas flos dicitur, merito castis corona de floribus datur. Et nota quod castitas instar floris solo tactu marcescit, quia tactus impudicæ delectationis castitatem omnino corrumpit. Sicut enim flos, sole præsente, decorem suum ostendit (nam flos, ut videmus, de nocte clauditur, et oriente sole rursum expanditur), sic homo vere castus de castitate tantum coram Deo, non coram hominibus, gloriatur, dicente Apostolo[3] : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Aureola vero martyrum est gemmea; nam dicitur[4] : *Posuisti super caput ejus coronam de lapide pretioso.* Aureola doctorum est aurea, de qua dicitur[5] : *Corona aurea super caput ejus.* Item nota, quod castitas indiget studiosa clausura ; castitatem decet pretiosa cinctura; et in ea lucet speciosa pictura. Primo ergo castitas debet habere clausuram studiosam ; nam dicitur[6] : *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Et nota, quod in horto bene clauso non potest quis intrare, nisi de alto : sic in homine casto, qui habet clausuram continentiæ, nullum desiderium debet intrare, nisi cœleste tantum. Si tamen hortus conclusus bestiis esset plenus, clausura parum proficeret; imo plus noceret, quam prodesset : ita quando bestiales motus libidinis strepunt in mente, parum aut nihil valet clausura castitatis in carne. Et ideo sponsæ dicitur non solum *hortus conclusus*, sed *fons signatus : Hortus conclusus*, propter castitatem carnis ; *fons signatus*, propter puritatem mentis.

Secundo castitas debet habere cincturam pretiosam, quia dicitur[7] : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et nota, quod Daniel vidit[8] *virum accinctum renibus auro obrizo*, quod est aurum pretiosum valde, ut dicitur in *Daniele*, et Joannes vidit[9] *filium hominis præcinctum ad mamillas zona aurea*, ut dicitur in *Apocalypsi*, quod scilicet ad duplicem castitatem refertur. Nam zona aurea, vel cinctura renum, significat corpus castum; zona vero aurea inter mamillas, significat cor mundum ; quia, ut dicit Philosophus, libro *de Animalibus*[10], cor hominis est inter mamillas, aliquantulum declinans ad partem sinistram.

Tertio castitas debet habere picturam speciosam. Sicut enim candor materialis, vel albedo, est caput et fundamentum aliorum colorum, ut dicit Philosophus; sic castitas est quasi caput et fundamentum aliarum virtutum, et bonorum operum. Unde dicit Gregorius[11], quod « non est opus bonum sine castitate. »

TITULUS QUINTUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS ET CARDINALIBUS

CAPUT PRIMUM.

De Virtute in communi.

Post tractatum de præceptis et consiliis, dicendum est de virtutibus, donis, beatitudinibus et fructibus. Ista quatuor sunt quædam specialia incentiva ad operandum divina præcepta, et consilia evangelica. Differunt autem ista quatuor per hunc modum: quia virtutes faciunt operari recte; dona faciunt operari fideliter, et faciliter expedire; beatitudines faciunt operari perfecte; fructus faciunt operari delectabiliter, seu deliciose.

[1] *Apoc.*, XIV, 4. — [2] *Cant.*, IV, 8. — [3] II *Cor.*, I, 12. — [4] *Psal.* XX, 4. — [5] *Eccli.*, XLV, 14. — [6] *Cant.*, IV, 12. — [7] *Luc.*, XII, 35. — [8] *Dan.*, X, 5. — [9] *Apoc.*, I, 13. — [10] Arist., *Hist. Animal.*, lib. I, c. XV. — [11] Greg., *in Evang.*, hom. XIII, ante med.

Digitized by Google

Virtutes septem.

Et nota, quod virtutes sunt septem, scilicet quatuor cardinales, et tres theologicæ. Theologicæ sunt fides, spes et charitas. Cardinales sunt prudentia, fortitudo, temperantia et justitia. Differunt autem, quia theologicæ habent Deum, vel bonum increatum, pro fine vel pro objecto; virtutes cardinales habent bonum creatum pro objecto. Præterea virtutes theologicæ respiciunt magis vitam contemplativam, et ordinant hominem ad Deum; cardinales vero pertinent ad vitam activam, et ordinant hominem ad proximum : et ideo illæ dicuntur *theologicæ*, id est, divinæ, a *Theos* (Θεὸς), quod est Deus, et *Logos* (λόγος), quod est sermo, quia principaliter sunt ad Deum; sed cardinales dicuntur a *cardine* in quo vertitur ostium, quia principaliter respiciunt vitam activam, quæ tota est mobilis super cardinales virtutes. Unde tres virtutes theologicæ pertinent ad Mariam, quæ intendit circa *unum*, id est, circa bonum increatum, quod *non aufertur ab ea*, nec mutatur; quatuor vero cardinales pertinent ad Martham, quæ intendit circa multa, et *turbatur erga plurima*, scilicet bona creata. Sunt vero loca Scripturæ, ubi reperiuntur virtutes, dona, beatitudines, et fructus. Virtutes theologicæ ponuntur juxta illud [1] : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* Quatuor vero virtutes cardinales ponuntur secundum illud [2] : *Sobrietatem, prudentiam, justitiam et fortudinem : quibus nihil utilius est in hac vita hominibus.* Dona vero Spiritus sancti sunt septem, scilicet donum sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, pietatis, scientiæ, et donum timoris. Ista autem dona ponuntur juxta illud [3] : *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus fortitudinis et consilii, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Beatitudines autem sunt octo, scilicet paupertas, mititas vel mansuetudo, luctus, esuries, misericordia, munditia cordis, pax, et justitia. Istæ ponuntur in *Matthæo*. Fructus Spiritus sancti sunt duodecim, scilicet *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia et castitas.* Isti ponuntur *ad Galatas* [5].

Virtus sic diffinitur in libro *de Spiritu et Anima* [6] : « Virtus est habitus mentis bene institutæ. » De virtute in communi nota specialiter tria, scilicet, ejus pretiosam comparationem, virtuosam operationem, et gratiosam procreationem. Comparatur ergo virtus tribus specialiter, scilicet ligno fructuoso, lapidi pretioso, et cœlesti paradiso. Primo comparatur ligno fructuoso : homo enim absque virtute, est sicut arbor silvestris, vel vinea, quæ profert labruscas, id est, delectationes carnales, vel glandes, quæ sunt cibaria porcorum, id est, hominum immundorum. Sed si ramus virtutis tali arbori fuerit insertus, totam arborem trahit ad naturam suam, et facit eam ferre fructus optimos, quæ lætificant Deum et angelos Dei, juxta illud [7] : *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore*, etc. Hæc est illa arbor pulcherrima, cujus *fructus nimius et esca universorum in ea*, ut habetur in *Daniele.*

Secundo comparatur lapidi pretioso. Virtus enim quæ est in viro justo, facit eum prævalere multis peccatoribus; nam dicitur [9] : *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.* De hoc lapide pretioso dicitur [10] : *Quasi lapidis virtus probatio erit in eis*, scilicet operibus bonis : tamen hodie multum vilipenditur, in tantum, quod si esset venalis, a paucis emeretur. Sicut gallus, qui invenit in sterquilinio margaritam et granum putridum, inspecta margarita, elegit granum putridum; sic homo mundanus, spreta virtute, appetit bonum temporale transitorium. Et ratio est, quare vilipenditur virtus, quia *nescit homo pretium ejus*, ut dicitur in *Job* [11]. Et propter hoc dicit Salvator [12] : *Ne mittatis margaritas ante porcos*, id est, homines immundos et mundanos, quia plus volunt furfur carnalis et immundæ delectationis, quam margaritas gratiæ, vel virtutis.

Tertio comparatur paradiso, tam cœlesti, quam terrestri. Terrestri comparatur in tribus, scilicet in situs eminentia, in fructus opulentia, et in fontis affluentia. Est enim primo paradisus locus altissimus, ita quod aquæ diluvii usque ad illum locum non pervenerunt : sic viri religiosi, vel virtuosi, vitam habent eminentem instar paradisi, ita quod nunquam submerguntur diluvio peccati. Unde dicit Sapiens in persona viri justi [13] : *Exaltasti super terram habitationem meam.* Est secundo paradisus locus fructibus opulentus : producit enim *omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave*, ut dicitur in *Genesi* [14]. Sic vir justus, vel virtuosus, omne lignum pulchrum

[1] I *Cor.*, XIII, 13. — [2] *Sap.*, VIII, 7. — [3] *Isa.*, XI, 2. — [4] *Matth.*, V, 3 et seq. — [5] *Gal.*, V, 22-23. — [6] *De Spir. et Anim.*, c. IV, inter Oper. S. Aug., append. tom. VI. — [7] *Luc.*, XV, 10. — [9] *Dan.*, IV, 9. — [9] *Eccli.*, XVI, 3. — [10] *Eccli.*, VI, 22. — [11] *Job*, XXVIII, 13. — [12] *Matth.*, VII, 6. — [13] *Eccli.*, LI, 13.— [14] *Gen.*, II, 9..

Digitized by Google

visu producit, per honestam conversationem; ad vescendum suave, per bonam operationem et internam devotionem. Unde dicitur in persona viri virtuosi [1]: *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Est nihilominus paradisus terrestris locus aquis irriguus: nam dicitur [2], quod *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Paradisi fluvius virtus est, vel gratia, quia de fonte divinitatis oritur. Quatuor capita sunt quatuor principales virtutes, vel cardinales, quæ a gratia derivantur, scilicet justitia, temperantia, prudentia, et fortitudo. Justitia habet locum in rebus certis, non enim potest esse justitia, vel justa sententia, nisi in rebus certis; prudentia habet locum in dubiis; temperantia habet locum in prosperis; et fortitudo in adversis. Comparatur autem virtus paradiso cœlesti in quatuor; est enim paradisus cœlestis habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, et locus ordinati amoris. Talis est anima viri justi et virtuosi: nam ibi est habitatio divinæ gratiæ; ibi est gaudium bonæ conscientiæ; ibi est lux veritatis; ibi est amor charitatis. De tali paradiso dicitur [3]: *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.* E converso anima peccatoris non dicitur paradisus, sed potius infernus: habet enim quatuor mala opposita bonis supradictis. Ipsa enim est habitatio, non Dei, sed dæmonum; ipsa namque loco gaudii habet remorsum conscientiæ; loco lucis, habet tenebras ignorantiæ; loco amoris ordinati, habet ignem concupiscentiæ. Unde de tali inferno dicitur [4]: *Quia non infernus confitebitur tibi*, id est, anima peccatoris, quæ est quasi locus infernalis.

Item virtus vel gratia comparatur aliis tribus, scilicet signo vel characteri, pretio vel pignori, oleo vel unctioni. Virtus enim est signum vel character prædestinationis. Sicut enim pastor signat oves signo, quo distinguit oves proprias ab extraneis; sic Deus, qui est *pastor* animarum nostrarum, ut habetur in *Joanne* [5], ponit in ovibus suis signum gratiæ et virtutis, quo distinguit oves ab hœdis. De hoc signo dicitur [6]: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, scilicet gratiæ, virtutis et veritatis.

Signa quibus Deus

Et debemus considerare quatuor signa, quibus electos suos signat Deus. Est enim virtus pignus vel pretium salvationis. Sicut enim qui habet pretium, rem potest emere; et sicut qui habet arrham vel pignus sufficiens, certus est de solutione: sic qui habet virtutem, vel gratiam gratuitam, securus est de æterna salvatione. De hoc pignore habetur [7]: *Signati estis spiritu promissionis sancto*, scilicet gratiæ, *qui est pignus hereditatis nostræ.* Est nihilominus virtus gratuita unctio regalis promotionis. Sicut enim reges qui promoventur ad regna terrena unguntur, sic Deus electos suos ungit unctione gratiæ ad obtinenda regna cœlestia et terrena. De hac unctione dicitur [8]: *Unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia.* Nota, quod electi, qui habent unctiones virtutis, vel gratiæ, reges debent dici triplici ratione: tum quia Deus regnat in eis per gratiam; tum quia futuri sunt reges per gloriam; tum quia eis in hoc mundo serviunt omnia per obedientiam. *Omnia* [9] namque eis *cooperantur in bonum*, scilicet tam bona, quam adversa, vel perversa, ut dicit Apostolus.

electos suos signat.

Item virtus, vel gratia, tribus aliis comparatur, scilicet armaturæ forti, præbendæ nobili, et optimæ possessioni. Virtus enim est armatura tam fortis, quod omnia vincit, et nunquam vincitur, vel superatur. Homo autem sine virtute est sicut homo inermis in medio hostium suorum, id est, inter prospera et adversa, et ab utrisque læditur et superatur: nam ipsum decipiunt prospera et adversa. Propter quod monet Apostolus, dicens [10]: *Induamur arma lucis*, id est, arma virtutis, ut dicit Glossa. Virtus est præbenda nobilis; quod patet ex duobus, scilicet ex parte dantium, et ex parte recipientium; seu ex parte dantis, et ex parte recipientis. Sicut autem Papa et alii prælati consueverunt sibi retinere collationem pinguem, vel præbendam nobilem vel nobilium; ita Deus collationem hujus nobilis præbendæ, scilicet virtutis vel gratiæ, retinuit ad manum suam, juxta illud [11]: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* nullus enim alius habet duas præbendas conferre. Ex parte recipientis patet nobilitas hujus nobilis præbendæ, quia præbendæ virtutis vel gratiæ nunquam conferuntur nisi amicis et caris. Alia namque bona naturalia et temporalia, quasi viles præbendæ, vel communes, dantur indifferenter inimicis et amicis. Unde dicit Augustinus, *de Civitate Dei* [12]: « Interdum abundant plus in

[1] *Eccli.*, XXIV, 23. — [2] *Gen.*, II, 10 — [3] *Eccli.*, XL, 17. — [4] *Isa.*, XXXVIII, 18. — [5] *Joan.*, X, 11 et seq. — [6] *Ephes.*, IV, 30. — [7] Ibid., I, 13. — [8] I *Joan.*, II, 20. — [9] *Rom.*, VIII, 28. — [10] *Rom.*, XIII, 12. — [11] *Psal.* LXXXIII, 12. — [12] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. VIII.

Digitized by Google

talibus inimici quam amici, id est, peccatores, quam justi. » Et nihilominus virtus vel gratia quasi possessio optima. Sicut enim bene sedet possessio, quæ est prope civitatem; melius, quæ est juxta muros civitatis; sed optime, quæ est intra muros, propter securitatem clausuræ, vel habitationis: sic peroptime sedet virtus, quæ est in secreto cordis. Unde narrat Seneca de quodam philosopho, quod uxore capta et liberis, cum solus ex incendio evasisset, interrogatus a tyranno, quid amisisset: « Nihil, inquit, perdidi: nam bona mea mecum sunt. » Bona namque interiora, sicut sunt virtutes vel gratia, non possunt auferri, ut vulgo dicitur, nec vento, nec gelu; et ideo dicitur in *Psalmo* [1]: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Filia regis est anima fidelis, cujus tota gloria est de interiori possessione virtutis.

CAPUT II.

De Charitate.

Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum, vel in Deo, ut habetur in libro tertio *Sententiarum* [2]. De charitate nota specialiter tria, scilicet ejus typum figuralem, ejus actum virtualem, ejus fructum finalem.

Charitas multis similitudinibus ostenditur.

Circa primum sciendum, quod multiplex est typus, vel figura, cui charitas comparatur. Primo enim comparatur auro probato, ferro ignito, et vino condito. Nam sicut aurum in valore excedit omnia metalla, sic charitas excedit omnes virtutes et omnia bona opera [3]: *Major autem horum est charitas.* De hoc autem auro pretioso dicitur [4]: *Suadeo tibi emere aurum ignitum et probatum, ut locuples fias.* Charitas autem est sicut ferrum ignitum, quod est molle et ductile; frigidum vero, durum et rebelle: sic anima sine charitate est dura et rebellis per malitiam; ignita vero charitate, est ductilis per obedientiam, et mollis per misericordiam. Unde charitas de corde lapideo facit cor carneum, id est, dulce et pium, ut dicitur in *Ezechiele* [5]. Charitas nihilominus est sicut vinum conditum, quod dicitur nectar: nam vinum nectaricum vel conditum est dulce, acutum et forte. In his tribus, quæ habet vinum conditum, innuitur triplex modus diligendi Deum. Diligendus est enim fortiter, prudenter, et perseveranter, ut dicit Bernardus [6]. In hoc autem excedit charitas vinum, quantumcumque dulce, vel conditum, quia charitas est adeo dulcis, quod omne amarum dulcescit cum vino charitatis: hoc est vinum, de quo dicitur [7]: *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Deus enim potat animam condito vino charitatis, et inebriat eam nectare sui dulcis amoris. Item charitas comparatur aliis tribus, scilicet avi prædam rapienti, navi in mari naviganti, et morti carnem perimenti. Charitas enim est sicut avis generosa, quæ vivit de præda, sicut accipiter, et falco, et aquila. Istæ namque aves nobiles vix vel nunquam tangunt terram, nisi quando rapiunt prædam: sic homines charitatem habentes bona ista transitoria non tangunt, vel terrena, per affectum, nisi quærendo solummodo simplicem victum. In quorum persona dicit Apostolus [8]: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Sicut etiam aquilam nulla avis effugit, sic charitatem nullum bonum opus evadit. Hæc est aquila grandis magnarum alarum, de qua dicitur in *Ezechiele* [9]: *Alæ ejus sunt duæ,* scilicet dilectio Dei et proximi. Charitas etiam est sicut navis maris: nam sicut illa non vadit, nisi quo ducit eam flatus venti; sic qui habet charitatem, navigando per mare hujus mundi, solum ducitur flatu Spiritus sancti, sicut illa cœlestia animalia de quibus dicitur [10], quod *ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Hæc est navis de qua dicitur [11]: *Facta est quasi navis institoris,* id est, mercatoris, ut dicit Papias. Charitas nihilominus est sicut mors, ut dicitur [12]: *Fortis est ut mors dilectio.* Nam sicut mors perimit carnem, sic charitas carnalitatem. Et sicut mors aufert sensum mortuo, sic charitas facit hominem insensibilem mundo. Et sicut mors facit ut *pulvis* [13], id est, corpus, *revertatur in terram suam, et spiritus redeat ad Dominum* suum, *qui fecit illum,* ut dicitur in *Ecclesiaste*: sic charitas facit considerare proprie carnis fragilitatem, et facit desiderare sempiternam spiritus felicitatem.

Item nota quod charitas tribus aliis comparatur. Est enim charitas sicut funis bene tortus, sicut canis bene doctus, et sicut later bene coctus. Charitas comparatur funi bene torto: nam sicut funis bene tortus est valde fortis, sic charitas est indissolubilis, quia dicit Aposto-

[1] *Psal.* XLIV, 14. — [2] *Sent.*, lib. III, dist. XXVII, huj. edit. tom. IV, pag. 592. — [3] 1 *Cor.*, XIII, 13. — [4] *Apoc.*, III, 18. — [5] *Ezech.*, XXXVI, 26. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. X, ante med. — [7] *Cant.*, VIII, 2. — [8] 1 *Tim.*, VI, 8. — [9] *Ezech.*, I, 23. — [10] *Ezech.*, I, 12. — [11] *Prov.*, XXXI, 14. — [12] *Cant.*, VIII, 6. — [13] *Eccle.*, XII, 7.

Digitized by Google

lus [1]: *Quis nos separabit a charitate Dei?* quasi dicat: Nihil. Et hæc charitas fortior est omni fune: non est enim aliquis alius funis, quem non valeat rumpere ignis, vel gladius: charitas autem nunquam potest rumpi, nec igne tribulationis, nec gladio mortis. Iste funis charitatis indissolubilis componitur ex tribus funiculis, scilicet [2] *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*, ut dicitur *ad Timotheum*. Hic est enim ille [3] *funiculus triplex*, qui *difficile rumpitur*, ut dicitur in *Ecclesiaste*. Charitas etiam comparatur cani bene docto ad venationem: sicut enim canis sequens prædam, non sentit spinam; sic qui charitatem habet, et sentit odorem paradisi, quasi non sentit spinam, id est, tribulationem hujus mundi. In persona talis potest dici illud *Proverbiorum* [4]: *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi*. Comparatur nihilominus lateri bene cocto: sicut enim later bene coctus, facit solidum fundamentum, et si male sit coctus, facit ruinosum: sic homo bene coctus per charitatis incendium habet optimum et virtuosum fundamentum, de quo dicit Apostolus [5]: *In charitate radicati et fundati*. Sed later male coctus, id est, homo tepidus et charitatis modicæ, cito dissolvitur, et convertitur in lutum carnalis concupiscentiæ: tales lateres male cocti sunt lateres Ægypti, qui sola palea dicuntur esse cocti, ut legitur in *Exodo* [6].

Item charitas aliis tribus comparatur, scilicet arbori vel ligno, oneri vel jugo, glutino vel cæmento. Charitas enim est sicut arbor vel lignum fructuosum, in quo pendent fructus pietatis, flores honestatis, folia veritatis. Et sicut de arbore resecantur ramusculi, ut arbor melius crescat et proficiat; sic resecandi sunt amores inordinati, ut amor Dei fortius invalescat. Unde bonus agricola, vel hortulanus, purgat palmitem ferentem fructum [7], *ut fructum plus afferat*, ut habetur in *Joanne*. Charitas etiam est sicut onus leve, et jugum suave. Est enim onus leve et allevians, sicut in avibus ala, et sicut in equis quadriga. Nam sicut avis cum onere alarum volat velocius, et equus cum onere quadrigæ portat duplum facilius; sic onus pœnitentiæ et tribulationis facilius est, et per duplum portatur, cum alleviatur in onere charitatis. Ipsa enim est jugum suave: et causa hujus suavitatis est, quia Christus in cruce subiit illud jugum, et adhuc sub eo vult esse nobiscum. Unde ipse portat quasi totum pondus, vel majorem partem ponderis; et ideo non est mirum, si jugum charitatis est suave. Propter quod dicitur [8]: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*. Charitas nihilominus est sicut glutinum, vel cæmentum: nam sicut glutino junguntur asseres, vel cæmento lapides, sic charitate uniuntur fideles. Hoc glutino vel bitumine linita fuit specialiter arca Noe, ut habetur in *Genesi* [9]: unde si arca Ecclesiæ non uniretur virtute hujus glutinis, esset in periculo submergendi. Hoc enim virtuoso cæmento uniuntur lapides in spirituali ædificio, et cum isto cæmento fit murus Ecclesiæ fortissimus, sine quo esset Ecclesia quasi acervus lapidum, ruinæ propinquus, sicut dicitur [10]: *Hierusalem in acervum lapidum erit*. Item charitas eleganter et proprie tribus aliis comparatur, scilicet fonti naturali, vesti nuptiali, igni virtuali. Charitas quidem est sicut fons naturalis: sicut enim aqua fontis naturalis in hyeme est calida, sic charitas fervet in tribulatione. Et sicut aqua fontis est frigida, vel frigescit interius, cum calor invalescit exterius; sic etiam interius tepescit amor Dei, cum invalescit exterius amor mundi. De hac aqua fontis mundani dicitur [11]: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum*, quia, ut vulgo dicitur, talis aqua inflat et non satiat; sed de aqua fontis divini dicitur ibidem [12]: *Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Charitas enim est sicut vestis nuptialis, de qua habetur [13], quod ille, qui ea caruit, fuit ejectus de nuptiis: sic qui non habet charitatis tunicam, non venit ad cœnam æternam. Et nota, quod charitas dicitur vestis nuptialis, quia tegit turpitudinem peccatorum, quia protegit a frigore tentationum, quia ornat munere donorum, juxta illud [14]: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, etc. Quia in malitia satiati sunt, *vidit hominem*, id est, totum cœtum malorum, *non vestitum veste nuptiali*, id est, fidem non habentem, sive charitatem.

Et nota, quod vestis charitatis a quatuor præcipue commendatur, a quibus consuevit commendari vestis nuptialis, scilicet ab artificio, a materia, a colore, a fragrantia. Commen- Charitatis vestis.

[1] *Rom.*, VIII, 35. — [2] I *Tim.*, I, 5. — [3] *Eccle.*, IV, 12. — [4] *Prov.*, XXIII, 35. — [5] *Ephes.*, III, 17. — [6] *Exod.*, V, 7. — [7] *Joan.*, XV, 2. — [8] *Matth.*, XI, 30. — [9] *Gen.*, VI, 14. — [10] *Jerem.*, XXVI, 18. — [11] *Joan.*, IV, 13. — [12] Ibid., 14. — [13] *Matth.*, XXII, 13. — [14] *Psal.* XLIV, 10.

Digitized by Google

datur ergo vestis charitatis ab artificio, quia magno studio componitur a Deo, juxta illud [1] : *Annuntiate inter gentes studia ejus.* Hæc enim sunt studia divina, ut componat in nobis charitatis indumenta. Commendatur etiam hæc vestis a materia : nam aliæ vestes sunt vel de velleribus animalium, ut vestis lanea; vel de corticibus herbarum, ut vestis linea ; vel de visceribus vermium, ut vestis serica. Vestis autem charitatis fit ex gratia Spiritus sancti, et de visceribus Christi. Unde signanter dicit Apostolus [2] : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Commendatur autem hæc vestis a colore : est autem duplex color hujus vestis, scilicet byssinus, et purpureus. Et sicut rubeus color optime sedet super byssinum, vel candidum; sic charitas optime stat super hominem castum. Unde dicitur [3] : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Commendatur autem hæc vestis a fragrantia, juxta illud [4] : *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*; et ideo qui portat hanc vestem, meretur benedictionem, sicut Jacob. Unde dicitur [5] : *Statim, ut Isaac sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* [6] *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit,* ut dicit Apostolus.

Charitas igni comparatur.

Item vestis charitatis habet duas petias, quatuor sagittas, et sexdecim fimbrias vel crepas. Est enim partita sicut tunica nobilis domicelli, duæ petiæ ejus sunt dilectio Dei et proximi, in parte dextera est petia dilectionis Dei ; in parte sinistra, est petia dilectionis proximi : una est de bysso, alia de purpura. In indumento ejus quatuor sagittæ ponuntur, juxta illud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* etc. Sexdecim fimbriæ, vel crepæ ponuntur, sicut supra dictum est : *Charitas patiens est,* etc.

Charitas comparatur igni in decem : nam primo ignis est virtuosior omnibus elementis : sic inter omnes virtutes efficacior est virtus charitatis. Unde dicitur [7] : *Ignem veni mittere in terram.* In hoc autem charitas excellit ignem, quia aqua extinguit ignem naturalem ; sed [8] *aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem,* ut dicitur in *Canticis.* Secundo ignis ardet et lucet : sic charitas in homine ardet per affectum, et lucet per exemplum, sicut Joannes Baptista de quo dicitur [9] : *Ille enim erat lucerna ardens et lucens.* Tertio ignis frigidum ferrum accendit, et etiam carbonem extinctum : sic incendium charitatis expellit ab homine gelu avaritiæ, et etiam mortem culpæ, et facit vivere sicut carbonem extinctum, ut dicitur [10] : *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Quarto ignis incinerat : sic virtus et incendium charitatis redigit hominem in cinerem humilitatis. Unde dicebat Abraham [11] : *Loquar ad Deum meum, cum sim pulvis, et cinis?* Quinto ignis semper tendit sursum : sic charitas facit ascendere sursum vel ad cœlum per desiderium. Unde dicebat Apostolus [12] : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Sexto ignis semper in motu : sic charitas semper est in aliquo bono actu. Nam, sicut dicit Gregorius [13] : « Amor Dei nunquam est otiosus. Operatur enim magna, si est; si autem operari renuerit, amor non est. » Septimo ignis aufert rubiginem a ferro : sic charitas tollit rubiginem peccati. Unde dicitur [14] : *Deus autem ignis est usque ad consummationem devorans,* scilicet peccati rubiginem, per suam ignitam dilectionem. Octavo ignis scintillas emittit; sic charitas mentem devotam scintillas cœlestium desideriorum emittere facit, sicut legitur in *Daniele* [15] : *Vir desideriorum es.* Nono ignis facit ollam fervere, et ollæ ferventi non incidunt muscæ : sic mens quæ per charitatem fervet, muscas tentationis non timet. Diabolus autem propter infestationem tentationum, inter alia nomina sua vocatur Beelzebub, qui interpretatur *Deus* vel *pater muscarum*, ut habetur in *Luca* [16]. Decimo ignis servat lampades a mure : mus namque, cum lampadem extinctam conspicit, mox bibit oleum ; sed ipsum non audet fugere, quandiu conspicit lampadem ardere : sic charitas ardens in animo, oleum gratiæ custodit a Spiritu maligno. Hoc oleum volunt prudentes virgines in suis lampadibus habere, ut cum sponso valeant ad nuptias intrare, sicut dicitur in *Matthæo* [17].

[1] *Psal.* IX, 12. — [2] *Rom.*, XIII, 14. — [3] *Prov.*, XXXI, 22. — [4] *Cant.*, IV, 11. — [5] *Gen.*, XXVII, 27. — [6] I *Cor.*, XIII, 4-8. — [7] *Luc.*, XII, 49. — [8] *Cant.*, VIII, 7. — [9] *Joan.*, V, 35. — [10] I *Joan.*, III, 14. — [11] *Gen.*, XVIII, 27. — [12] *Philip.*, I, 23. — [13] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, ante med. — [14] *Deut.*, IV, 24. — [15] *Dan.*, IX, 23. — [16] *Luc.*, XI, 15. — [17] *Matth.*, XXV, 4.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Fide.

Fides est virtus, qua ea quæ ad fundamentum religionis pertinent firmiter creduntur, ut habetur in tertio *Sententiarum* [1]. De fide nota specialiter tria, scilicet ejus typum speciosum, ejus actum virtuosum, et ejus fructum generosum.

Primo dico, quod fides habet typum speciosum, vel figuram multiplicem, cui eleganter, vel strenue, vel congrue comparatur. Et primo comparatur tribus, scilicet arcæ testamenti, stellæ firmamenti, et petræ fundamenti. Fides quidem est sicut arca testamenti. Nam dicitur [2]: « Propitiatorium non excedit arcam, sed arca propitiatorium : » sic per fidem, et nunquam sine fide habetur propitiatio peccatorum. Fides etiam est sicut stella firmamenti (*a*), et præcipue dicitur stella maris, quia navigantibus ostendit portum gratiæ sive salutis. Dicitur etiam stella matutinalis, quia prævenit Solem justitiæ. Dicitur nihilominus stella orientalis, quia ducit reges spirituales, et facit eos Christum adorare, sicut illa de qua scribit Matthæus. Fides etiam est sicut petra fundamenti. Nam sicut ædificium est solidum, quod est supra petram fundatum, vel locatum; sic structura virtutum et omne spirituale ædificium optime locatur supra fidei fundamentum. Unde dicit Dominus Petro [3] : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Fides multis comparatur.

Item fides aliis tribus bene et congrue comparatur. Figuratur enim per mundum speculum, per dexterum oculum, et per personæ annulum. Fides namque comparatur speculo mundo, quia sicut turris magna in modico speculo cernitur, sic majestas et magnitudo divina in speculo fidei repræsentatur. Bene ipsa est [4] *speculum sine macula*, ut dicitur in libro *Sapientiæ*. Fides etiam comparatur oculo dextero. Sinister oculus est ratio, quæ solum de naturalibus judicat : dexter vero fides, quæ omnia tam naturalia, quam miracula, determinat, et intellectum *in obsequium Christi* captivat, ut dicit Apostolus [5]. Et sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, et sic nullum habet oculum, quo videat ferire vel cavere adversarium : sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam spiritualem. Unde Naas dicit hominibus vel viris Jabez Galaad : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros*, ut habetur in libris *Regum* [6]. Naas interpretatur *serpens*, vel *coluber*, et signat serpentem antiquum, id est, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum spirituale hominem reddat inutilem. Ipse enim est corvus infernalis, qui cum cadavera invenit, primum oculum invadit. Fides insuper comparatur annulo, quia sicut in subarrhatione sponsæ, annulus in digito ponitur ad ornationem; sic fides ornat rationem, quæ per digitum intelligitur, quia discernit, et sic a Deo spiritualiter desponsatur. Nam dicitur [7] : *Sponsabo te mihi in fide.* Annulus iste argenteus potest dici, eo quod fides, instar argenti, luceat per veram cognitionem, et resonet per perfectam confessionem : quia dicit Apostolus [8] : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Item fides comparatur aliis tribus, scilicet signo vexillari, scuto militari, et radio solari. Fides enim est sicut vexillum regis : nam sicut vexillum regis monstrat, quod rex (*b*) est præsens in acie, maxime ut terreantur hostes; sic fides est signum, quod Rex regum, scilicet Deus præsens est in pugna, vel tentatione, ut fugiant dæmones. Et ideo dicitur [9] : *Cui resistite fortes in fide* : sicut enim vexillum regis in signum dominii (*c*) ponitur in arce (*d*) urbis, sic fides locatur in arce mentis, id est, in eminentia rationis. De hoc vexillari signo dicitur [10] : *Levavit Dominus signum in nationes*, id est fidem super (*e*) credentes. Fides etiam est sicut militare scutum : nam sicut scutum ponitur ad sinistram partem, sic fides præcipue armat hominem contra adversitatem; et sicut scutum portatur a parte cordis, quod est in sinistra parte hominis, sic fides est armatura mentis; et sicut scutum est triangulum, ita fides credit Deum trinum et unum. De scuto dicit Apostolus [11] : *In omnibus sumentes scutum fidei.* Fides nihilominus est sicut sol, vel solis radius. Nam sicut sol videtur solum propriis radiis, non torchiis vel candelis; sic Deus videtur solum radio fidei, qui solum innititur luci primæ veritatis, non

[1] *Sent.*, lib. III, dist. XXIII, § *Fides est virtus.* — [2] *Exod.*, XXV, 10, 17, quoad sensum. — [3] *Matth.*, XVI, 18. — [4] *Sap.*, VII, 26. — [5] II *Cor.*, X, 5. — [6] I *Reg.*, XI, 2. — [7] *Ose.*, II, 19. — [8] *Rom.*, X, 10. — [9] I *Petr.*, V, 9. — [10] *Isa.*, XI, 12. — [11] *Ephes.*, VI, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* armamenti. — (*b*) *Cæt. edit.* res. — (*c*) *Item* Domini. — (*d*) *Item* arcem. — (*e*) *Cæt. edit.* sub.

Digitized by Google

torchiis, id est, lumine naturalis rationis. Unde dicit Ambrosius [1] : « In his quæ fidei sunt, piscatoribus creditur, non dialecticis. » De hoc lumine, vel radio fidei, potest intelligi quod dicitur [2] : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Tamen nota, quod sol non videtur in propria rota, nisi ab aquila : sic Deus non videtur in propria essentia, nisi ab anima valde devota, et pennis contemplationis elevata. Item cæcus non videt solem, sed tamen credit videnti; non videt viam, et tamen credit cani ducenti; nec videt locum profundum, et tamen credit baculo tangenti, et tentanti : ita simplices, quia per se sacramenta non vident, videntibus, id est, prælatis et pastoribus suis se committere debent, sicut cæcus committit se ductori, et sicut ovis committit se pastori. Tamen summum periculum est, quando ipsi pastores vel ductores cæci sunt et ignorantes, quia dicit veritas [3] : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Item fides tribus aliis comparatur, scilicet columnæ sacramentali, auroræ spirituali et luci primordiali. Fides namque est sicut columna illa, quæ præcedebat populum Israel in exitu de Ægypto. Nam illa ex parte Israel erat lucida, et ex parte Ægyptiorum tenebrosa; sic fides credentibus lucet, et infidelibus est obscura : quia *ipsi sunt rebelles lumini*, ut dicitur in *Job* [4]. Fides etiam est sicut aurora : nam sicut illa est exosa latronibus, sic fides odiosa est dæmonibus, qui sunt latrones animarum. De ipsis enim dicitur [5] : *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Fides autem nihilominus est sicut lux primo creata : nam sicut illa primum opus in majori mundo, sic fides prima virtus in minori mundo, hoc est in corde humano : et ideo cum sit primogenita, specialiter benedici meretur, sicut antiqui primogenita benedicebant. Unde dicitur de talibus [6] : *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Item nota, quod fides ad hoc, quod sit commendabilis, debet habere tria, scilicet veridicam confessionem, magnificam devotionem, et catholicam professionem (*a*). Primo ergo fides debet habere veridicam confessionem, scilicet, ut verum dicat, ne aliud dicat, aliud credat, aliter vivat : ut scilicet fides sit viva, non mortua; vera, non ficta. Res enim mortua proprie non est res, nisi æquivoce; sicut homo mortuus non est homo. Res etiam ficta non est proprie dicenda res, sicut leo pictus non est leo verus, nec denarius falsus; sicut ille qui est de aurichalco, qui debet esse de auro, non est verus denarius; tales sunt falsi et ficti christiani, de quibus dicitur [7] : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Tales sunt sicut chimæra, quæ est res tantum ficta, et tamen nihil est in rerum natura. Fides veridica est, quæ verum dicit, sic vivendo sicut credit, sic credendo sicut dicit. Talis est moneta vera ad producendum paradisum, et vera arbor et generosa ad producendum frondes divinæ dilectionis, folia salutiferæ confessionis, flores honestæ conversationis, et fructus bonæ operationis.

Fides in tribus magnifica ostenditur.

Secundo debet habere devotionem magnificam; et est notandum, quod fides ostenditur esse magnifica in tribus. Primo, ut in solo Deo confidat, etiamsi naturalis ratio contradicat. Talem fidem habuit Abraham, qui vetulus de vetula et sterili, contra omnem rationem, credidit Deo promittenti quod haberet semen, in quo benedicerentur omnes gentes, ut dicitur [8] : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* Talem fidem non habuit Thomas, qui noluit credere quod Christus resurrexisset a mortuis, nisi oculis videret et manibus contrectaret. Tales sunt illi, qui nolunt credere vel mutuare, nisi sub bono pignore. De tali modica fide dicit Gregorius [9] : « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Secundo fides est magna, si in adversitate non deficiat, sed tunc plus invalescat, de qua dicit Salvator [10] : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, etc. Granum sinapis, quanto plus teritur, tanto fortius viget : talis fuit fides martyrum, qui [11] *per fidem vicerunt regna, ludibria, verbera, insuper vincula et carceres.* De hac fide dicitur [12] : *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.* Talem fidem non habuit Petrus, qui videns ventum validum timuit, et statim veritus fuit, cui dixit Salvator [13] : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Sic multi infideles ventum validum tribulationis videntes, statim titubant, et merguntur in mari tentationis, vel desperationis, quod est mare mortuum, in quo nihil potest vivere. Tertio fides est magna, si homo propter dilationem petere non desistat, quousque obtineat.

[1] Ambros., *de Fid.*, lib. I, c. v. — [2] *Eccle.*, XI, 7. — [3] *Matth.*, XV, 14. — [4] *Job*, XXIV, 13. — [5] Ibid., 17. — [6] *Gal.*, III, 7. — [7] *Tit.*, I, 16. — [8] *Gen.*, XV, 6. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XX, non longe a princ. — [10] *Matth.*, XVII, 19. — [11] *Hebr.*, XI, 33, 36. — [12] I *Joan.*, V, 4. — [13] *Matth.*, XIV, 31. — (*a*) *Al.* probationem.

Digitized by Google

Talem fidem habuit mulier Chananæa, quæ quantumcumque fuisset a Christo repulsa, non quievit a prece, quousque fuit exaudita. Unde dicit ei Salvator [1] : *Mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti,* quia, ut vulgo dicitur, quod differtur, non aufertur.

Item fides debet habere professionem catholicam. Et notandum, quod catholica professio christiana continet duodecim articulos fidei, qui in Symbolo apostolico continentur, scilicet : *Credo in Deum*, etc. Sunt autem duodecim articuli, quia duodecim sunt apostoli. Quilibet autem duodecim apostolorum posuit in Symbolo suum articulum.

Petrus autem [2] dixit : *Credo in Deum Patrem*, etc. Iste articulus pertinet ad Patrem. Et est sciendum, quod aliud est credere in Deum, et aliud credere Deo. Credere Deo, est credere quod vera sunt, quæ dicuntur de Deo; et sic possumus credere, et credimus Petro et Paulo. Sed credere in Deum, ut dicit Augustinus, est credendo amare, credendo in eum per amorem ire, in eo (*a*) vel ejus membris incorporari. Nota de isto articulo : cum dicitur : *Patrem omnipotentem*, quia ipse est Deus Pater, non deest sibi bona voluntas : quia *omnipotens*, non deest sibi potestas implendi quod promittit, quia dicitur [3] : *Omnia quæcumque voluit, fecit.*

Andreas dixit : *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.* Iste articulus pertinet ad divinitatem Filii. Et nota quod specialiter Christus dicitur Dominus noster, quia proprie dominatur nobis duplici jure, scilicet jure creationis, quia nos creavit et fecit; et jure redemptionis, quia nos magno pretio, scilicet sanguine suo redemit, ut ait Apostolus [4] : *Empti enim estis pretio magno.*

Jacobus Major dixit : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Iste articulus est primus, qui pertinet ad humanitatem. Et nota, quod Maria mater Dei caruit in conceptione culpa : et ideo dicitur Christus de Spiritu sancto conceptus, quia sine culpa fuit, quod Spiritus sanctus fecit in nativitate Filii. Caruit etiam pœna : et ideo dicitur Christus de Virgine natus, quia nullam pœnam sensit, nec damnum sustinuit; quia virgo peperit, et post partum virgo permansit. Et in hoc Christus dedit exemplum filiis omnibus, ut nullum damnum patribus, vel progenitoribus suis inferrent.

Joannes dixit : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.* Iste articulus pertinet ad humanitatem. Et nota quatuor in hoc articulo, pro quibus et in quibus non solum grati esse debemus Redemptori nostro, sed etiam specialiter in his quatuor ipsum imitari. Christus enim est passus, ut nos patiamur, scilicet habendo patientiam in adversitatibus et tribulationibus nostris. Christus etiam crucifixus est, ut nos per pœnitentiam crucifigamus carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis. Christus etiam mortuus est, scilicet in cruce, ut in cruce pœnitentiæ usque ad mortem perseveremus. Christus nihilominus sepultus est, ut nos terram nostræ mortalitatis consideremus, et cum cinere nostræ mortalitatis ad modum carnis salsæ superbiam condiamus : quia carnes cito putrescunt et corrumpuntur, nisi sale condiantur.

Thomas dixit : *Descendit ad inferna.* Iste enim articulus est (*b*) tertius pertinens (*c*) ad humanitatem. Descendit autem Christus ad inferos secundum animam, ut extraheret suos de limbo. Nota etiam magnam perversitatem nostram, quia nos vix volumus sequi Christum ad cœlum, quantumcumque sciamus quod Christus secutus est hominem usque ad infernum, scilicet ad eum liberandum.

Jacobus Minor dixit : *Tertia die resurrexit a mortuis.* Iste est quartus articulus pertinens ad humanitatem. Et nota quod Christus resurrexit tertia die, ut nos a peccato resurgamus in tertia die, scilicet pœnitentiæ (*d*) : confessione, contritione et satisfactione.

Philippus dixit : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Iste articulus est quintus pertinens ad humanitatem. Et nota, quod hæc duo quæ sunt in isto articulo, scilicet ascensus Christi ad cœlos et adventus ad judicium, magnam fiduciam nobis ingerunt, quia scimus quod causam nostram frater noster judicabit.

Bartholomæus dixit : *Credo in Spiritum sanctum, et sanctam Ecclesiam.* Id est : Credo quod Spiritus sanctus est in se, et in electis suis; et quod non solum est sanctus, sed etiam Eccle-

[1] *Matth.*, xv, 28. — [2] Idem habetur in *Hexæmer.*, serm. viii, tom. prox. seq., tom. VII, pag. 407; et in *Centiloq.*, part. III, sect. 38; et quidem mutuatum ex S. Aug., *de Tempore*, serm. cxv. Facit etiam pro hoc Leo Magnus, epist. xcvi.— [3] *Psal.* cxiii, 3.— [4] *I Cor.*, vi, 30.— (*a*) *Cæt. edit.* eum.— (*b*) *Item* et.— (*c*) *Item* pertinent.— (*d*) *Item* pœnitentia.

Digitized by Google

siam facit sanctam. Et iste est primus articulus qui pertinet ad Spiritum sanctum. Et sunt tria in præsenti pertinentia ad Spiritum sanctum, et duo in futuro. Primum, quod ad ipsum pertinet in præsenti, est sanctificatio. Nam primus ejus articulus, ut diximus, *Credo in Spiritum sanctum, et sanctam Ecclesiam.* Credo, quod Spiritus sanctus, qui in se sanctus est, ipse sanctificat Ecclesiam, per gratiam et bonitatem suam, quia ipse bonitas est.

MATTHÆUS dixit: *Sanctorum communionem.* Iste articulus pertinet in præsenti ad Spiritum sanctum: quia Spiritus sanctus pertinet ad Sanctorum communionem, id est, unionem membrorum in corpore Ecclesiæ ad caput, scilicet ad Christum, et alia membra in corpore naturali, id est, fidelium ad invicem. Sicut spiritus bonus unit membra in corpore naturali: sic Spiritus sanctus unit membra spiritualia, scilicet fideles in corpore mystico, quod est Ecclesia. Unde sensus hujus articuli est: Credo Sanctorum communionem, id est, credo quod sancti, id est fideles, tanquam unius corporis Ecclesiæ membra, communicant, id est, uniuntur sibi, et capiti suo, et hoc per Spiritum sanctum. Et nota quod triplex est communio, quam fideles debent habere ad invicem, scilicet: communionem unius corporis, quia faciunt unum corpus; et communionem societatis, ex qua societate venit, quod quilibet, qui est de corpore Ecclesiæ, partem habet in omnibus bonis, quæ fiunt in Ecclesia; tertia communio est mutuæ supportationis, quia unus debet supportare onus alterius, scilicet mala, per patientiam, et bona communicare per eleemosynarum largitionem. Unde dicitur [1]: *Alter alterius onera portare.*

SIMON dixit: *Remissionem peccatorum*, scilicet credo. Iste est tertius articulus pertinens ad Spiritum sanctum. Per Spiritum sanctum enim, qui est benignitas ipsa, in baptismo et in pœnitentia remittuntur peccata. Et nota, quod peccata remittuntur, lavantur et tolluntur: remittuntur quantum ad culpam; lavantur quantum ad maculam; tolluntur quantum ad pœnam.

JUDAS THADDÆUS dixit: *Carnis resurrectionem.* Iste est quartus articulus pertinens ad Spiritum sanctum in futuro, quantum ad remunerationem corporis. Et nota, quod in servitio regis, qui potest reddere, vel restituere equum, si continget eum mori in bello, potest miles secure exponere eum pro ipso rege et duce suo: sic nos equum nostrum, id est, corpus proprium, secure possumus exponere pro Christo, quia ipse potest equum reddere, id est, corpus restituere, id est, resuscitare.

MATTHIAS dixit: *Vitam æternam. Amen.* Iste enim est quintus et ultimus articulus, pertinens ad Spiritum sanctum in futuro, quantum ad remunerationem animæ, vel etiam utriusque. Et nota, quod quia si sollicitus est homo ad providendum huic miseræ vitæ transitoriæ, multo magis debet esse sollicitus ad providendum illi vitæ, quæ nunquam poterit finem habere. Unde sciendum est, quod tribus modis providetur huic temporali vitæ, scilicet mendicando, laborando, et mutuum accipiendo. Ibi enim non est locus mendicandi, sicut patet de divite epulone, qui voluit mendicare guttam aquæ, et non potuit obtinere, ut habetur in *Luca* [2]. Ibi etiam non est locus laborandi. Ideo dicitur [3]: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ibi nihilominus non est locus mutuum accipiendi, vel emendi, ut patet de fatuis virginibus [4], quæ voluerunt mutuo habere, vel emere oleum, et non potuerunt habere. Et ita, qui non vult hic providere per bona opera, egestatem æternam patietur in illa vita æterna. Ideo dicit Salvator [5]: *Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, etc.

CAPUT IV.

De Spe.

Spes est futuræ beatitudinis certa expectatio, ex Dei gratia et ex meritis proveniens, ut habetur in libro tertio *Sententiarum* [6]. De spe nota præcipue tria, scilicet typum comparationis, fœtum generationis, et fructum operationis.

Spei comparationes.

Primo ergo spes comparatur tribus: est enim sicut columna domum firmans, sicut galea caput armans, et sicut anchora navem servans. Spes itaque est sicut columna, quæ domum sustentat: nam columna debet esse solida et de forti ligno, non fragilis et vacua, ut arundo; sic spes, quæ est in Deo, quia est solida, est quasi de forti ligno, et facit ædificium solidum. Sed spes, quæ est in mundo, est fragilis et va-

[1] *Gal.*, VI, 2. — [2] *Luc.*, XVI, 24. — [3] *Joan.*, IX, 4. — [4] *Matth.*, XXV, 8 et seq. — [5] *Matth.*, VI, 33. — [6] *Sent.*, lib. III, dist. XXVI, in princ. Vid. huj. edit. tom. IV, pag. 561.

Digitized by Google

cua, et quasi de arundine : et ideo facit ædificium ruinosum; nam dicitur [1] : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Sic supervacua et fragilis spes et fiducia annorum et amicorum, quia dicitur [2] : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem suam*, id est, carnalem hominem, *brachium suum*, id est, fiduciam vel auxilium, quod est in solo Deo collocandum. Spes etiam est sicut galea : nam sicut galea est munimentum capitis, sic spes est armatura intentionis. Unde dicit Apostolus [3] : *Induite galeam spem salutis.* Spes nihilominus est sicut anchora : nam sicut anchora servat navem contra procellas fluctuum, sic spes mentem contra tentationis impulsum. Et ideo dicitur [4] : *Confugiamus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram animæ habemus tutam et firmam.*

Item spes tribus aliis comparatur : est enim sicut arbor fructuosa, sicut gemma pretiosa, et sicut mola virtuosa. Spes ergo est sicut arbor fructuosa : nam sicut arbor profert uberes fructus, quæ habet irriguum aquarum viventium; sic spes profert fructus bonorum operum, quæ sita est et plantata juxta irriguum aquarum. Unde dicitur [5] : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei mei.* Spes enim est sicut margarita, vel gemma : nam sicut gemma est grata, sic spes est Deo placita; sicut gemma habet valorem magnum, sic spes facit hominem pretiosum; et sicut gemma est perlucida, sic spes est quodammodo diaphana, quia per eam videntur et sperantur loca cœlestia. De ipsa dicitur [6] : *Gemma gratissima expectatio præstolantis.* Spes nihilominus est sicut mola : et nota, quod duæ sunt molæ spirituales, scilicet timor supplicii, et spes præmii : timor est mola superior, quæ premit animam, ne evanescat per elationem; spes est mola inferior, quæ animam sustinet, ne deficiat per desperationem. Istas duas molas debet pœnitens conjungere, sicut David, qui dicebat [7] : *Ab altitudine diei*, scilicet a die judicii, *timebo*, ecce mola superior; *Ego vero in te sperabo*, ecce mola inferior. Unde una sine altera non valet. Et ideo in figura hujus dicitur [8] : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam*, id est, spem et timorem non subtrahas peccatori; et inter istas duas molas fit optima molitura tritici, id est perfecta contritio peccati.

[1] *Prov.*, XI, 28. — [2] *Jerem.*, XVII, 5. — [3] I *Thess.*, V, 8. — [4] *Hebr.*, VI, 19. — [5] *Psal.* LI, 10. — [6] *Prov.*, XVII, 8. — [7] *Psal.* LV, 4. — [8] *Deut.*, XXIV, 6. — [9] *Prov.*, XXVIII, 16. — [10] *Prov.*, XXX, 24-28. — [11] *Prov.*, VI, 6-8. — [12] *Prov.*, XXX, 26. — [13] I *Cor.*, X, 4.

CAPUT V.

De Prudentia.

Prudentia est appetendarum rerum, fugiendarumque scientia, ut dicit Tullius in libro *de Officiis*. De prudentia nota specialiter tria, scilicet typum decentissimum, actum utilissimum, partum nobilissimum.

Habet autem prudentia typum multiplicem et elegantem. Comparatur autem specialiter tribus, scilicet assessori judicis, quatuor etiam minimis, et astutiæ serpentis. Prudentia quidem est sicut assessor judicis, vel regis : nam sicut assessor judicando dirigit judicem, vel regem, sic prudentia rationem. Sicut, assessore absente, interdum pervertitur judicium regis; sic, cum abest prudentia, pervertitur judicium rationis. Unde dicitur in Proverbiis [9] : *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam.* Prudentia etiam comparatur quatuor minimis terræ, de quibus dicitur [10] : *Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus*, scilicet *formica, lepusculus, stellio*, vel lacertus, et *locusta*. Nam et prudens dicitur formica ratione prudentiæ. Et nota, quod formica habet decem laudabilia, et a viris prudentibus imitanda. Formica est animal parvum, vel modicum : in quo laudatur humilitas. Grano pascitur : in quo docetur honestas. Socios adjuvat : in quo laudatur charitas. Sollicita est : in quo laudatur prudentia. Nunquam est otiosa : in quo commendatur occupatio. Grana detruncat, ne germinent, vel putrescant : in quo monstratur carnis afflictio. Tempore imbris grana abscondit : in quo docetur fuga tentationis. Tempore sereno granum soli exponit : in quo laudatur virtus orationis. Pondus portat majus quam ipsa sit : in quo monstratur zelus compassionis. De ipsa dicitur proverbium [11] : *O piger, vade ad formicam, et disce sapientiam, quæ cum non habet ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate, et congregat in messe cibum sibi*, scilicet in messe gratiæ, cibum gloriæ sempiternæ. Item prudentia comparatur lepusculo, ratione confidentiæ quam homo prudens habet solum in Deo. Sicut lepusculus [12] *locat in petra cubile suum*, ut dicitur in Proverbiis, ita homo in Christo. *Petra autem erat Christus*, ut dicit Apostolus [13]. Prudentia etiam comparatur stellioni : nam stellio, vel lacertus,

Prudentia tribus comparatur.

Formicæ prudentia.

Digitized by Google

quia alas non habet, unguibus vel [1] *manibus utitur*, qui (*a*) diligentia operationis laudatur. Nam in viro prudente, diligentia in operatione supplet defectum naturæ. Prudens nihilominus comparatur locustæ : nam sicut locusta habet volatum recidivum (volat enim ad alta, et statim cadit in ima), sic prudens volat ad alta per desiderium patriæ cœlestis, et cadit ad ima per considerationem propriæ fragilitatis, juxta illud [2] : *Ascendit usque ad cœlos, et descendit usque ad abyssos.* Prudentia tertio comparatur astutiæ serpentis. Et nota, quod quinque astutiis utitur serpens, quas vir prudens imitatur. Prima astutia sapientis, est custodia capitis : nam caput summe custodit, pro quo servando, totum corpus exponit; sic sancti Christum, qui est caput nostrum, summe custodiunt, et pro ipso omnia alia exponunt, sicut Apostolus, qui dicebat [3] : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Secunda astutia serpentis est depositio pellis; ponit enim se in arcto foramine, ubi renovatur, deposita veteri pelle : sic sancti in arcto pœnitentiæ seipsos incarcerant, ut veterem conversationem deponant, sicut monet Apostolus [4] : *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Tertia astutia serpentis, est delusio incantatoris : deludit enim incantatorem, obturando unam aurem cum terra, et aliam cum cauda, ut dicitur [5] : *Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas* : sic viri sancti et prudentes deludunt incantatorem, id est, tentationem diaboli, quia unam aurem obturant cauda, id est, memoria mortis, juxta illud [6] : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis;* et aliam obturant terra, id est, consideratione propriæ fragilitatis, quia dicitur [7] : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quarta astutia serpentis est insidiatio pedis : insidiatur enim calcaneo, non capiti : sic viri sancti superant desideria carnis, attendentes quis finis delectationis, scilicet mors immortalis, vel infernalis, juxta illud [8] : *Finis illorum mors.* Quinta astutia serpentis est fuga mulieris : nam sicut propter inimicitias ejus fugit et latitat sub spinis; sic etiam viri sancti, propter inimicitias fornicationis, fugiunt consortium mulierum, et latitant sub spinis pœnitentiæ, secundum consilium Apostoli [9] : *Fugite fornicationem.* Ad imitandas istas serpentis astutias dicit Salvator [10] : *Estote prudentes sicut serpentes;* quas habent, cum mulierem fugiunt et latitant. Et ne serpentis astutia fiat virulenta, temperat eam simplicitas columbina; unde addit [11] : *Et simplices sicut columbæ.*

[1] *Prov.*, XXX, 28. — [2] *Psal.* CVI, 26. — [3] *Philip.*, III, 7. — [4] *Ephes.*, IV, 22. — [5] *Psal.* LVII, 5. — [6] *Eccli.*, VII, 40. — [7] *Gen.*, III, 19. — [8] *Rom.*, VI, 21. — [9] I *Cor.*, VI, 18. — [10] *Matth.*, X, 16. — [11] Ibid. — [12] Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I, c. VIII. — [13] *Tit.*, II, 12. — [14] *Prov.*, XXXI, 32. — (*a*) *Edit. Lugd.* quia.

CAPUT VI.

De Temperantia.

Temperantia est nihil appetere unde sit pœnitendum, in nullo modum vel legem excedere, sub jugo rationis cupiditatem domare, ut ait Macrobius [12]. De temperantia nota specialiter tria, scilicet ejus typum nobilem, ejus partum fertilem, et ejus actum utilem.

Similitudines temperantiæ.

Habet autem temperantia typum multiplicem, vel figuram. Comparatur autem temperantia specialiter tribus, scilicet freno quo equus regitur, bysso quo caro tegitur, et muro quo castrum cingitur. Est itaque temperantia sicut frenum equum regens : nam sicut a sessore, mediante freno, ducitur equus; sic caro a spiritu, freno temperantiæ, gubernatur. Maxime enim frenandus est equus juxta aquam, juxta ignem, juxta præcipitium; frenum temperantiæ necessarium est carni contra aquam transitoriæ delectationis, contra ignem concupiscentiæ carnalis, et contra præcipitium æternæ damnationis. De hoc freno dicit Apostolus [13] : *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.* Nam quilibet debet vivere sobrie quantum ad seipsum, juste quantum ad proximum, pie quantum ad Deum. Est etiam temperantia sicut byssus carnem tegens : nam byssus, ut dicit Papias, est genus lini candidissimi, quod crescit in Ægypto; et inde fit tela, quæ vulgo dicitur serica. De hac tela byssina fit camisia nobilis et delicata, per quam figuratur castitas et temperantia. Et sicut ista camisia nobilis est immediate carni contigua et conjunctâ; sic castitas et temperantia est carni præcipue necessaria, et ei inseparabiliter conjungenda. Et ideo dicitur de muliere forti [14] : *Byssus et purpura indumentum ejus.* In bysso figuratur castitas, quæ est præcipuum ornamentum mentis; in purpura figuratur temperantia, quæ est sicut auriphrygium vesti appositum ad decorem. Est nihilominus temperantia, sicut murus castrum cingens : nam sicut castrum

Digitized by Google

muratur præcipue ab ea parte, quæ magis est infirma; sic temperantia munit castrum hominis ex parte magis infirma, scilicet ex parte corporis. Dicit enim [1]: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Item temperantia est quidam honor Deo assimilans, quidam valor mentem magnificans, et quidam dolor hostem mortificans. Est enim temperantia honor quidam Deo assimilans : *Deus* enim *est spiritus*, ut dicitur in *Joanne* [2]. Temperantia vero est quasi nutrix spiritualis, quæ ablactat filios Dei, et facit de carnalibus spirituales, et sic assimilat Deo, juxta illud [3] : *Incorruptiò facit proximum Deo.* Est enim temperantia valor quidam, mentem magnificans : nam sicut valor magnificat aurum, sic temperantia magnificat et impretiabilem facit hominem temperatum et castum, quia dicitur [4] : *Non est digna ponderatio animæ continentis.* Est igitur temperantia dolor quidam hostem mortificans : diabolus enim libenter quiescit et dormit *in locis humentibus*, id est, voluptuosis hominibus, ut dicitur in *Job* [5]. Temperantia vero ponit ipsum in arido pœnitentiæ, ubi *non invenit requiem* : et sic interficit vel fugat hostem, quia dicitur [6] : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.* Loca arida sunt homines sobrii, in quibus requiem non invenit, quia in talibus non sternit lectum voluptuosum peccati.

CAPUT VII.

De Fortitudine.

Fortitudo est firmitas animi contra molesta sæculi, ut dicit Glossa super *Matthæum.* De fortitudine nota specialiter tria, scilicet typum valde pulchrum, partum valde dignum, et fructum valde bonum.

Fortitudo tribus præcipue similis est.

Primo igitur virtus fortitudinis habet typum multiplicem, et similitudinem elegantem. Comparatur autem specialiter tribus, scilicet fornaci, quæ probat aurum; radici, quæ portat lignum; et loricæ, quæ vetat ictum. Est itaque fortitudo sicut fornax, aurum probans : nam sicut fornax reddit aurum lucidum, sic fortitudinis virtus facit hominem honestum et decorum. Nam de talibus dicitur [7] : *Fortitudo et decor indumentum ejus.* Et sicut fornax quædam metalla reddit solida, et quædam liquida; sic virtus fortitudinis corda facit nunc solida contra tentationem, nunc liquida per compassionem, nunc rorida per devotionem. Nam dicitur [8] : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.* Et sicut in fornace magnus flatus follium est (*a*) magnum ignis incendium; sic ignis fortitudinis solum est in illis, in quibus est flatus divinæ inspirationis, et vehemens incendium charitatis. Et in figura hujus adventus Spiritus sancti super Apostolos, ubi fuit eis datus ad robur spiritualis virtutis, fuit [9] *tanquam advenientis* (*b*) *spiritus vehementis*, ut dicitur in *Actibus Apostolorum.* Est etiam fortitudo sicut radix, lignum vel arborem portans : nam sicut radix portat pondus arboris, et frondes, flores, fructus et folia; sic virtus fortitudinis sustinet omnia bona opera et merita nostra. Unde dicitur [10] : *Confortare, et esto robustus.* Est nihilominus fortitudo sicut thorax, vel lorica ictum vetans : nam sicut thorax, vel lorica, servat corpus ab ictu gladii; sic virtus fortitudinis custodit animam a tentatione diaboli, et cujuscumque adversarii. Totus enim mundus non consternat (*c*) unum hominem, in quo est fortitudo Dei, sicut patet, quod puellæ virgines, puta, Catharina, Cæcilia, Agnes, Lucia, Agatha, Barbara, beata Clara, et cæterææ virgines, reges et tyrannos, et omnia tormentorum genera superabant. Nec mirum, quia fortitudo illa non hominis, sed Dei erat. Unde dicitur [11] : *De cælo fortitudo est.*

Item fortitudo tribus aliis comparatur, scilicet virgæ, quæ non incurvatur; ferro, quod non superatur; et petræ, quæ non perforatur. Est itaque fortitudo similis virgæ inflexibili : et talis virga, vel baculus, est valde necessarius ambulantibus, et certantibus, et laborantibus : sic fortitudo est quasi baculus et virga inflexibilis, quæ valde est necessaria : quia locus in quo sumus est locus certaminis, locus itineris, et locus laboris; et hæc tria hominum genera indigent specialiter baculo vel virga. Ideo dicitur [12] : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Est etiam fortitudo similis ferro indomabili : nam sicut ferrum non domatur, sed *comminuit et domat omnia* metalla, ut dicitur in *Daniele* [13]; sic viri fortes mori possunt, vinci vero non possunt, imo ipsi omnia adversa et

[1] *Matth.*, XXVI. 41. — [2] *Joan.*, IV, 24. — [3] *Sap.*, VI, 20. — [4] *Eccli.*, XXVI, 20. — [5] *Job*, XL, 16. — [6] *Matth.*, XII, 43. — [7] *Prov.*, XXXI, 25. — [8] *Cant.*, V, 6. — [9] *Act.*, II, 2. — [10] *Jos.*, I, 6. — [11] I *Machab.*, III, 19. — [12] *Psal.* XXII, 4. — [13] *Dan.*, II, 40. — (*a*) *Cæt. edit.* et. — (*b*) *Cæt. edit.* adveniens. — (*c*) *Item* concernit.

Digitized by Google

prospera vincunt, et quod plus est, regnum cœlorum violenter rapiunt. Nam [1] *violenti rapiunt illud*, ut dicitur in *Matthæo*. Est nihilominus fortitudo similis petræ infrangibili, qualis est adamas. Nam sicut qui adamantem percutit, ipse magis percutitur; sic qui virum fortem molestat, magis læditur, quam lædit. Et sicut adamas non frangitur violentia, ita vir fortis nulla frangitur impatientia. Et sicut adamas scinditur sanguine hirci, sic vir fortis memoria passionis Christi. Propter ista de viro forti dicitur [2] : *Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.*

CAPUT VIII.

De Justitia.

Justitia est virtus sua unicuique tribuens, ut dicit Augustinus [3], *de Libero Arbitrio*. Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, ut ait Anselmus [4]. De justitia nota specialiter tria, scilicet typi figuralis elegantiam, partus filialis abundantiam, et actus virtualis efficaciam.

Comparationes justitiæ.

Primo ergo justitia typum habet multiplicem, et figuram valde elegantem. Comparatur enim tribus specialiter : sicut recta semita, sicut recta regula, et sicut recta linea. Est autem justitia sicut recta semita : nam sicut illa est brevissima (*a*) viarum, sic per viam justitiæ citius pervenitur ad bravium sempiternum, imo omnis alia via est devium : nam dicitur in Psalmo [5] : *Errare fecit eos in invio, et non in via.* Unde dicitur ibi de justis [6] : *Deduxit eos in viam, ut irent in civitatem habitationis.* De injustis vero dicitur alibi [7] : *In circuitu impii ambulant.* Est etiam justitia sicut recta regula : nam sicut recta regula est fidissima mensurarum, sic justitia est optima mensurarum, et certissima mensura ad (*b*) bonum operandum. Hæc est enim regula divina, quæ dirigit opera nostra : unde dicitur [8] : *Dominus diligit* (*c*) *justos.* Et Sapiens ait [9] : *Qui sequitur justitiam, diligitur a Domino.* Est nihilominus justitia sicut recta linea : sicut enim recta linea est pulcherrima linearum, ut dicit Philosophus; sic justitiæ rectitudo facit hominem in intentione et conversatione pulcherrimum et decorum. Nam sicut statura humani corporis est pulchrior inter omnes, quia est recta ad cœlum; sic statura cordis est pulcherrima, cum per justitiam est recta ad Deum. Unde sponsæ dicitur [10] : *Statura tua assimilata est palmæ.* De hac rectitudine dicitur [11] : *Solummodo hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum.*

Item justitia multum proprie tribus aliis comparatur. Nota, quod triplex est justitia : generalis, quæ dirigit hominem in omni bono, a qua dicitur homo factus bonus; judicialis, quæ corrigit, vel coercet ab omni malo, et ista corrigit delicta propria vel aliena; cardinalis, vel moralis, quæ reddit unicuique proprium bonum. Est itaque justitia sicut gemma in serto aureo, sicut stella in polo arctico, et sicut dea in nostro microcosmo. Est igitur justitia sicut gemma in serto aureo : nam sicut gemma serti aurei est ornamentum, quia totum sertum ornat, et facit pretiosum; sic etiam sertum aureum dicitur gratia, eo quod in illa et per illam coronantur opera nostra bona. Nam etiam opera bona, quæ fierent extra gratiam, nunquam coronam mererentur. In hac corona aurea, vel serto aureo, insertæ sunt quatuor gemmæ valde pretiosæ, vel quatuor virtutes principales, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo, et justitia. Gemma prudentiæ ponitur in anteriori parte coronæ, quia ad prudentiam pertinet non solum præsentia disponere, imo et futura prævidere. Gemma temperantiæ locatur a dextris, quia temperantia facit hominem justum et sobrium in dextera prosperitatis. Gemma fortitudinis inseritur a sinistris, quia fortitudo facit hominem robustum in sinistra adversitatis. Gemma vero justitiæ incastratur in posteriori parte, sicut episcopus in fine processionis, sicut rex in fine aciei, sicut nauta vel gubernator in cauda navis, sicut sententia justa profertur in fine causæ, sicut etiam, post laborem certaminis, datur victori corona triumphalis. Unde ab ista, tanquam a principali gemma, denominatur corona. Dicit enim Apostolus [12] : *Reposita est mihi corona justitiæ.* Aurifex in cujus aurificina fabricatur hæc prætiosa corona, est sapientia increata, de qua dicitur [13] : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem,* id est, fortitudinem, *quibus nihil utilius est in vita hominibus.* Istæ quatuor vir-

[1] *Matth.*, XI, 12. — [2] *Ezech.*, IX, 3. — [3] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XII. — [4] Anselm., *de Verit.* Dialog., c. XIII. — [5] *Psal.* CVI, 40. — [6] Ibid., 7. — *Psal.* XI, 9. — [8] *Psal.* CXLV, 8. — [9] *Prov.*, XV, 9. — [10] *Cant.*, VII, 7. — [11] *Eccle.*, VII, 30. — [12] II *Tim.*, IV, 8. — [13] *Sap.*, VIII, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* rectissima. — (*b*) *Item* donum. — (*c*) Forsan legendum *dirigit*, ex *Psal.* VII, 10.

Digitized by Google

tutes, ut dictum est, tanquam quatuor gemmæ pretiosæ, in aureo serto gratiæ sunt incastratæ.

Est etiam justitia sicut stella Arctici poli : nam sicut circa ipsam volvitur cœlum, et (*a*) ipsa non mutat locum ; sic volubilitas vitæ nostræ mira volubilitate vertitur, justitia vero nullo accidente mutatur. Siquidem vita nostra tota est volubilis, sicut rota : quandoque (*b*) enim hominem elevat honore, quem paulo post humiliando occultat, juxta illud [1] : *Ascendunt usque ad cœlos*, etc; interdum e converso hominem humilitate deprimit, quem postea ad honores attollit, quia dicitur [2] : *Suscitans a terra inopem, et de stercore*, etc. Quandoque hominem a læva mutat in dexteram, scilicet ab adversis in prospera; interdum a dexteris in lævam, id est, a prosperis in adversa, juxta illud quod Abraham dixit ad Loth [3] : *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris; ego ad sinistram pergam.* Sed vir justus in omnibus his semper manet immobilis : nam ipsum humilitas non deprimit ; ipsum honor non ambit ; ipsum adversitas non frangit. Unde dicitur [4] : *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.*

Est nihilominus justitia sicut dea nostri microcosmi, id est, minoris et inferioris mundi. Sicut enim Deus, in suo megacosmo vel majori mundo, *disponit omnia in numero, pondere et mensura*, ut dicitur in libro *Sapientiæ* [5] ; sic justitia in suo microcosmo præsidens tanquam deus, facit ut in omnibus meritis et operibus nostris sit numerus bonæ operationis, pondus sanctæ affectionis, et mensura intentionis. Unde isti deæ nobilissimæ sacrificium justitiæ debemus offerre, sicut dicitur in Psalmo [6] : *Sacrificate sacrificium justitiæ.*

TITULUS SEXTUS

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI

CAPUT PRIMUM.

De Dono Timoris.

Post tractatum de virtutibus, sequitur de donis Spiritus sancti. Et hæc est quinta diæta salutis, scilicet a virtutibus ad dona Spiritus sancti pervenire : quia, sicut diximus, virtutes docent recte operari, sed dona expedite. Cum autem sint septem dona Spiritus sancti, quæ scilicet enumerantur [7], scilicet *spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Domini* ; a sapientia autem non pervenitur ad timorem Domini, sed potius a timore ad sapientiam, tanquam ab inferiori gradu ad superiorem, juxta illud quod dicitur [8] : *Initium sapientiæ timor Domini* : ideo de timore Domini nota specialiter tria, scilicet quam multiplictiter figuratur, quam virtualiter operatur, et quam rationabiliter mercatur.

Timoris Domini

Primo ergo timor Domini habet multiplices figuras elegantes, et comparationes convenientes. Comparatur autem specialiter tribus : est enim timor Domini sicut ostiarius custodiens ingressum ; sicut justitiarius puniens maleficium; sicut terrarius vel speculator evigilans exercitum. Primo ergo timor Domini est sicut bonus ostiarius, qui diligenter custodit ostium cordis, ne intret inimicus, id est, diabolus. Et sicut ostiarius tendit baculum, vel gladium ad timorem intrantium ; sic timor Dei, ne permittamus diabolum ad cor intrare, portat clavem pœnæ æternæ, gladium ex utraque parte acutum, scilicet æquitatem divinæ sententiæ, quæ condemnabit improbos in anima et corpore. Unde dicitur [9] : *Timete eum, qui potest corpus et animam perdere in gehennam.* Secundo timor Domini est sicut bonus justitiarius, qui perimit maleficos, et suspendit : nam sicut illi, qui tenent justitiam, ponunt in montibus et locis patentibus patibulum vel furcas ad expaventaculum latronum ; ita timor Domini ponitur in corde hominis, propter expaventaculum peccatorum.

similitudines.

[1] *Psal.* CVI, 26. — [2] *Psal.* CXII, 7. — [3] *Gen.*, XIII, 9. — [4] *Psal.* XIV, 5. — [5] *Sap.*, XI, 21. — [6] *Psal.* IV, 6. — [7] *Isa.*, IX, 2. — [8] *Psal.* CX, 10. — [9] *Matth.*, X, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* nam circa... et sicut.— (*b*) *Item* tunc.

Digitized by Google

Et sicut iste justitiarius crucifigit latronem; sic timor Domini nititur crucifigere carnem, tanquam pessimum animæ latronem. Unde dicitur [1]: *Confige timore tuo carnes meas.* Tertio timor Domini est sicut bonus terrarius, vel speculator, qui evigilat exercitum: nam sicut speculator, tempore belli maxime, non sinit dormire milites; sic timor Domini, cum sit modo tempus belli et guerræ mortalis contra carnem, mundum et diabolum, non permittit dormire spiritum per delectationem vel consensum. Unde dicitur [2]: *Beatus est homo, qui semper est pavidus.* Non solum autem tempore belli debet homo esse pavidus; imo etiam tempore pacis debet esse timorosus, sicut videmus quod magni reges et sapientes, quamvis actu non sit guerra, muniunt tamen et custodiunt castra sua. De incautis dicit Apostolus [3]: *Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Et Ecclesiastes [4]: *Qui timet Deum, nihil negligit,* quia nec bonum, nec malum: quia per timorem Domini malum evitat, tanquam nocivum; et bonum formidat, et nescit si est gratum. Unde dicit Job [5]: *Verebar omnia opera, sciens quia non parces delinquenti,* maxime autem tempore guerræ. Iste vigil vel speculator mandat custodiri portas sensuum, quia ibi est quasi totum periculum. Sicut ad litteram illi qui sunt in munitione, summe custodiunt portas, cum vident castrum ab hostibus obsessum; sic spirituales viri, qui habent timorem Dei, custodiunt portas, scilicet quinque sensuum, ne intrent inimici, timentes quod dicitur [6]: *Ascendit mors per fenestras nostras.*

Item timor Domini aliis tribus comparatur; est enim sicut medicina infirmorum, sicut disciplina puerorum, et sicut officina religiosorum. Primo igitur, timor Domini est sicut infirmorum medicina: nam sicut medicina bene temperata repellit omnes morbos nocivos, et omnes nocivos humores; sic timor Dei omne peccatum et omnes peccati occasiones expellit, sanguinem luxuriæ, phlegma (*a*) acediæ, et melancholiam iræ, et choleram superbiæ. Unde dicitur [7]: *Timor Domini expellit peccatum.* Secundo timor Domini est sicut puerorum disciplina: nam sicut virga disciplinæ castigatur puer, instruitur et informatur; sic per timorem Domini omnis motus sensualis et puerilis sub isto pædagogo ad rationem reducitur, et puerilis extirpatur, juxta illud quod dicit Sapiens [8]: *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.*

Et nota quod secundum Bedam quatuor mala sunt propter peccatum nobis injuncta et nobis colligata, quæ sunt omnis mali et peccati materia, scilicet impotentia, ignorantia, concupiscentia, et malitia. Unde quidam peccant ex impotentia; et isti parum peccant, et maximam habent excusationem, nisi illa impotentia per culpam eorum sit introducta. Alii peccant ex ignorantia; et isti plus peccant, et minorem habent excusationem, quia ex ignorantia non excusantur a toto, sed a tanto: maxime si sit ignorantia affectata, quæ non excusat, sed peccatum aggravat et augmentat. Unde de hoc dicit Ambrosius: « Si ignoras, gravissime peccas. » Alii sunt qui peccant ex concupiscentia; et isti plus peccant, et quasi nullam habent excusationem, maxime si sit deliberata. Alii sunt, qui peccant ex malitia et certa scientia; et isti maxime peccant et nullam habent excusationem: imo tales dicuntur peccare in Spiritum sanctum, quia Spiritui sancto bonitas, quæ est malitiæ contraria, appropriatur.

Peccata in Spiritum sanctum.

Sciendum est autem, vel notandum diligenter, quod sex sunt peccata in Spiritum sanctum, scilicet impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, præsumptio de impunitate, obstinatio, desperatio, et finalis impœnitentia. Et istæ sunt sex blasphemiæ in Spiritum sanctum, quæ *non remittuntur in hoc sæculo, nec in futuro,* ut dicitur in *Matthæo* [9].

Tertio timor Domini est sicut officina religiosorum; maxime est sicut quoddam capitulum, quod est factum præcipue ad culparum correctionem. Nam sicut in capitulo increpatur, et recognoscitur, et ponitur culpa; ita in hoc capitulo timoris Dei corriguntur peccata, quia, ut dicitur in Proverbiis [10]: *Timor Domini odit malum.* Et sicut religio nulla esset, si correctio capituli deficeret; sic si timor in capitulo cordis non esset, totum veritatis ædificium deperiret, quia dicitur in Ecclesiastico [11]: *Si non in timore Domini tenueris te* (*b*) *instanter, cito subvertetur domus tua.* Et nota, quod in Dei capitulo, culpabilis quatuor facit: primo genu flectit; secundo culpam recognoscit; tertio spoliat se et vestem

[1] *Psal.* CXVIII, 120. — [2] *Prov.*, XXVIII, 14. — [3] *I Thss.*, V, 3. — [4] *Eccle.*, VII, 19. — [5] *Job*, IX, 28. — [6] *Jerem.*, IX, 21. — [7] *Eccli.*, I, 27. — [8] *Prov.*, XXII, 15. — [9] *Matth.*, XII, 32. — [10] *Prov.*, VIII, 13. — [11] *Eccli.*, XXVII, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* fleumæ. — (*b*) Cæt. edit. deest *te.*

Digitized by Google

deponit; quarto disciplinam accipit: sic timor Domini facit primo hominem pœnitentem humiliter genuflectere, quia dicitur in Isaia [1]: *Mihi curvabitur omne genu.* Secundo facit humiliter culpam propriam recognoscere, sicut David qui dicebat [2]: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Tertio facit hominem veterem, sicut vestem turpem, spoliare, sicut Apostolus dicit [3]: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,* veterem conversationem cum vitiis et concupiscentiis. Quarto facit hominem disciplinam accipere, id est, carnem lascivam macerare et castigare, sicut Apostolus faciebat, qui dicebat [4]: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.*

Item timor Domini est speciosus sicut hortus, virtuosus sicut ventus, et pretiosus sicut thesaurus. Primo timor Domini est valde pretiosus, instar horti paradisi: habet enim amœnitatem sicut paradisus, dulcedinem et delectationem. Unde in Psalmo [5]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Habet fertilitatem et ubertatem sicut paradisus, sicut dicit idem Psalmista [6]: *Non est inopia timentibus eum.* Habet nihilominus securitatem sicut paradisus; unde dicitur in *Ecclesiastico* [7]: *Qui timet Deum, nihil trepidabit.* Et Philosophus: « Qui timet Deum, omnia timent eum; qui vero non timet Deum, timet omnia. » Unde Cain, perpetrato homicidio fratris, statim habuit caput tremulum, et ait [8]: *Omnis qui viderit me, occidet me,* ut dicitur in *Genesi.* Igitur timor Domini propter amœnitatem, ubertatem et securitatem, est sicut *hortus conclusus,* ut dicitur in *Canticis* [9]. Est etiam *sicut paradisus,* ut dicitur in *Ecclesiastico* [10]: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.*

Secundo timor Domini est sicut ventus virtuosus, et specialiter sicut ventus aquilonaris. Nam sicut ventus aquilonaris pluvias dissipat, nubes fugat, aerem serenat, reptilia exterminat, et aquam congelat; ita timor Domini dissipat pluvias carnalium delectationum, fugat nubes carnalium imaginationum, serenat mentem per amorem puritatis; exterminat reptilia, id est mortificat vitia carnis; congelat aquas, id est, restringit fluxum mundanæ prosperitatis, ita ut possit homo timens Deum ambulare super aquam, sicut Petrus, de quo legitur in *Matthæo* [11]. Iste est ventus de quo dicitur in *Daniele* [12]: *Angelus Domini fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*: quia fornax omnium desideriorum carnalium temperatur et refrigeratur per Dei timorem.

Tertio timor Domini est pretiosus sicut thesaurus. Nam sicut thesaurus, qui est res pretiosa, facit hominem semper sollicitum de custodia; sic timor Dei de se et virtutibus semper est sollicitus, et de Dei gratia cum habetur, de perdita ut recuperetur, et de recuperata ut a recidivo conservetur. Unde dicit Bernardus, super *Cantica* [13]: « Cum adest gratia, time ne indigne opereris ex ea. Amplius time subtracta gratia, quod relinquat te custodia tua. Si redierit gratia, multo amplius timendum, ne forte contingat pati recidivum. » Recidivare enim quam cadere pejus est, quia dicitur in *Joanne* [14]: *Ecce jam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Iste igitur thesaurus est pretiosus, et ideo summe custodiendus. Unde dicitur in Isaia [15]: *Timor Domini ipse thesaurus ejus.*

Septem effectus timoris Domini.

Secundo timor Domini virtualiter operatur. Unde nota quod timor Domini habet septem nobiles effectus. Primo namque timor Domini curat hominem a culpa perpetrata: est enim sufficiens medicina contra peccata. Et nota, quod sicut medicus sapiens volens purgare ægrotum, primo dat sirupum præparativum, postea potionem, vel antidotum purgativum; sic timor Domini, instar sirupi, præparat peccatorem generando attritionem, juxta illud *Ecclesiastici* [16]: *Qui timent Deum, præparabunt corda sua.* Secundo, instar antidoti, purgat omnes peccati fæces, generando perfectam contritionem, quia dicitur in *Ecclesiastico* [17]: *Timor Domini expellit peccatum.* Et est differentia inter contritionem, et attritionem: quia attritio est dolor de peccato, non tamen perfectus, quia adhuc est in proposito peccandi de futuro.

Secundo timor Dei custodit hominem a culpa futura. Sicut enim sapiens medicus infirmo, quem habet in cura, non solum dat antidotum ad expellendum morbum, sed etiam ministrat curato aliquod electuarium contra recidivum: sic timor Dei, instar electuarii conservativi,

[1] *Isa.*, XLV, 24. — [2] *Psal.* L, 5. — [3] *Coloss.*, III, 9. — [4] I *Cor.*, IX, 27. — [5] *Psal.* XXX, 20. — [6] *Psal.* XXXIII, 10. — [7] *Eccli.*, XXXIV, 16. — [8] *Gen.*, IV, 14. — [9] *Cant.*, IV, 12. — [10] *Eccli.*, XL, 17. — [11] *Matth.*, XIV, 29. — [12] *Dan.*, III, 50. — [13] Bern., *in Cant.*, serm. LIV, post med. — [14] *Joan.*, V, 14. — [15] *Isa.*, XXXIII, 6. — [16] *Eccli.*, II, 20. — [17] Ibid., I, 27.

Digitized by Google

custodit hominem ab omni peccato recidivo. Unde dicitur in *Exodo* [1] : *Ut probaret vos venit Dominus, et ut timor illius esset in vobis, et non peccaretis.*

Tertio timor Domini abjicit temporalia, vel terrena, quæ sunt sæpe peccandi materia. Sicut enim videmus quod nautæ videntes naufragium imminere, merces quæ sunt in navi projiciunt in mare (*a*), ut evadant periculum naufragii; sic timor Domini bona temporalia facit abjicere, ut possit ab æterno naufragio liberare. Et propterea dicebat Job [2] : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.*

Quarto timor Domini contemnit et sustinet temporalia mala, ut evadat æterna. Nam sicut infirmus sustinet cauterium et adustionem, ut possit evadere mortem; ita timor Domini facit sustinere cauterium temporalis vitæ, ut possit homo evadere mortem, vel supplicium mortis æternæ. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [3] : *Timenti Dominum, non occurrunt mala*, etc.

Quinto timor Domini gratiam et bona opera introducit. Sicut enim seta introducit filum, sic timor Domini gratiam et omne bonum, juxta illud [4] : *Initium sapientiæ timor Domini.*

Sexto timor Domini super omnia facit fugere et evadere supplicium gehennæ. Vadit enim ad infernum in dimidio dierum, ut non vadat in fine dierum, sicut Ezechias, qui dicebat [5] : *Ego dixi. In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Facit etiam alas ad melius fugiendum, ut dicit Poeta :

Pedibus timor addit alas;

sicut videmus, quod lepus fugiens leporarium, præ timore videtur volare, et alas habere. Timor etiam facit hominem montes et colles transire, ut possit diabolum fugere, et inferni præcipitium cavere, quia dicitur in *Isaia* [6] : *Tunc saliet sicut cervus claudus.*

Septimo timor Domini meretur stipendium vitæ æternæ : hominem namque humiliat, et sic, secundum regulam Salvatoris, ad gloriam exaltat; quia [7] *qui se humiliat, exaltabitur.* Et ideo dicitur in *Proverbiis* [8] : *Humilem spiritum* (*b*) *suscipiet gloria.*

Sex species timoris.

Timor Domini multipliciter variatur; unde notă, quod sunt sex species timoris, scilicet timor naturalis, mundanus, humanus, servilis, initialis, et filialis. Primus igitur est naturalis, scilicet quando homo naturaliter timet mortem, et omne quod est sibi nocivum. Iste timor naturæ non est meritorius, nec demeritorius, quia non subest libero arbitrio. Hoc timore Christus timuit mori, sicut dicitur in *Marco* [9] : *Cœpit Jesus pavere, et tædere.*

Secundus timor dicitur mundanus, scilicet quando aliquis nimis timet de rebus transitoriis, vel de rebus mundanis, vel temporalibus perdendis. Isto timore timuerunt Judæi, qui occiderunt Christum, ne perderent locum suum, ut dicitur in *Joanne* [10] : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem nostram.*

Tertius timor dicitur humanus, scilicet cum aliquis plus debito timet de corpore suo. Iste timor prohibetur in *Matthæo* [11] : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Iste timor aliquando est veniale peccatum, ut quando est citra Deum; aliquando mortale peccatum, ut quando est supra Deum, qualis fuit in Petro, quando negavit Christum, ne perderet corpus suum.

Quartus timor est servilis, cum aliquis timet peccare et abstinet se a peccato timore gehennæ; habet tamen voluntatem peccandi, si peccatum posset impune fieri, et, in quantum in se est, vellet non esse justitiam, ut posset perpetrare culpam. Iste timor est quasi vestis de sacco, cum qua nullus ingreditur regnum cœlorum, sicut figuratur in *Esther*, ut dicitur [12] : *Indutum sacco non intrare aulam Assueri.* De hoc timore dicit Apostolus [13] : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, etc.

Quintus timor initialis dicitur, de quo in Psalmo [14] : *Initium sapientiæ timor Domini.* Iste timor duo facit; timet enim puniri, et timet a Deo separari; sed principaliter timet separari. Iste licet timeat malum incurrere, plus timet bonum perdere, et ita quodam modo incipit bonum amare. Et ideo dicitur initialis proprie, quia sicut seta introducit filum, et filo introducto exit seta, sic iste timor initialis charitatem introducit, et, charitate introducta, timorem foras mittit.

Sextus timor dicitur filialis. Nam sicut filius

[1] *Exod.*, XX, 20. — [2] *Job*, XXXI, 23. — [3] *Eccli.*, XXXIII, 1. — [4] *Eccli.*, I, 16. — [5] *Isa.*, XXXVIII, 10. — [6] *Isa.*, XXXV, 6. — [7] *Luc.*, XIV, 11. — [8] *Prov.*, XXIX, 23. — [9] *Marc.*, XIV, 33. — [10] *Joan.*, XI, 48. — [11] *Matth.*, X, 28. — [12] *Esth.*, IV, 2. — [13] *Rom.*, VIII, 15. — [14] *Psal.* CX, 10.

(*a*) *Cæt. edit.* mari. — (*b*) Vulg. *spiritu.*

Digitized by Google

super omnia timet offensam patris, etiamsi pater non intenderet eum percutere; sic qui habet timorem Domini filialem, instar boni filii, timet et cavet offensam Patris cœlestis, etiamsi ex offensa illa nihil (a) mali deberet sibi accidere. De hoc etiam timore dicitur in Psalmo [1] : *Timor Domini sanctus, permanet in sæculum sæculi.* Iste timor a sanctis doctoribus vocatur castus timor, qualis famulorum Susannæ, qui secundum Danielem [2] verecundantur specialiter, et timent in turpi facto. Sine hoc timore verecundiæ nihil rectum esse potest, nihil honestum, ut dicit Tullius. De hoc timore verecundo dicit Bernardus mirabilia, *super Cantica* [3] : « Timor, inquit, verecundus et castus est omnium ætatum ornatus, sed in juvenili ætate amplius enitescit. Quid enim amabilius verecundo adolescente? Quam pulchra hæc et splendida gemma morum in vultu adolescentis! Quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei! Bonæ indolis index, soror continentiæ est. Nullum æque manifestum signum columbinæ simplicitatis : testis innocentiæ, lampas pudicæ mentis, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, insigne totius honestatis. Merito igitur iste timor *castus* dicitur, quia qui timorem istum habet instar virginis Mariæ, ante partum suorum operum, et post partum, semper manet incorruptus. Et sicut mater Dei est virgo, et decor virginum; sic timor iste castus decor est, et virgo virtutum animæ. »

Item post donum timoris dicendum esset de dono pietatis: sed quia pietas idem est, vel quasi idem cum misericordia, ideo infra, cum dicemus de beatitudinibus, in materia *de Misericordia*, cap. IV, titulo VII, de pietate dicemus. Item post donum pietatis esset dicendum de dono scientiæ; sed quia scientia ad prudentiam potest reduci, ideo illa quæ in materia *de Virtutibus* supra dicta sunt de prudentia, cap. V, titulo V [4], applicari possunt ad ea, quæ de dono scientiæ sunt dicenda. Et post donum scientiæ, esset dicendum de fortitudine; sed quia fortitudo non tantum est donum, sed virtus, ideo de fortitudine sufficiant quæ dicta sunt in capitulo *de Virtute*, et specialiter in materia *de Fortitudine*, cap. VII, tit. V [5].

[1] *Psal.* XVIII, 10. — [2] *Dan.*, XI, 27. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXVI, statim a princ.— [4] Pag. 300-301. — [5] Pag. 300-301. — [6] Pag. 302-303. — [7] *Eccli.*, XXXII, 24. — [8] *Prov.*, XI, 14.

CAPUT II.

De dono Consilii.

Post donum fortitudinis, esset dicendum de dono consilii; sed pauca de dono consilii sunt dicenda, et hoc quia ad donum consilii pertinent fere omnia, quæ superius in capitulo *de Virtutibus* et *de Virtute Prudentiæ* sunt dicta, cap. VII, tit. V [6]. Nam prudentia et consilium in hoc differunt, quod consilium dicit utrum aliquid sit agendum; prudentia vero ostendit quo fine, et quibus circumstantiis adhibitis, ut quo tempore, et qualiter aliquid sit agendum: sicut alterius est scientiæ cognoscere an expediat aliquem salvari, alterius vero scire qualiter aliquid sit salvandum, quia primum pertinet ad theologiam, secundum ad medicinam. Item donum consilii excellentius est, quam virtus prudentiæ, quia consilium contra omne præcipitium virtutem prudentiæ rectificat, ne post factum pœniteat : et hic proprie est actus et opus consilii, scilicet prohibere præcipitium, et cavere. Sicut enim videmus, quod frenum est contra præcipitium equis (b); sic bonum consilii contra communem præcipitationem operis bonis. Et ideo dicitur in *Ecclesiastico* [7] : *Sine consilio nihil facias, post cujus* (c) *factum non pœnitebis.* His suppositis, inter illa pauca quæ de dono consilii sunt dicenda, sunt hæc consilia notanda.

Prudentia et consilium in quo differant.

Nunc de consilio specialiter nota tria, scilicet quæ sunt in consilio necessaria, quæ sunt in consilio laudabilia, et quæ sit consiliorum differentia. Primo ergo dicendum est quæ sunt in consilio necessaria. Et nota, quod in consilio quatuor sunt necessario observanda, scilicet expediens, facile, certum et securum. Contraria istorum vitanda, scilicet damnosum, difficile, incertum, et periculosum. Unde ille qui dat consilium, cæteris paribus, debet præponere expediens damnoso, facile difficili, certum incerto, securum periculoso. Propter omnia illa, dicitur in *Proverbiis* [8] : *Erit salus* (d), *ubi multa consilia.*

Quatuor in consilio necessaria.

Secundo videndum est, quæ sunt in consilio laudabilia. Et nota, quod in consilio quatuor sunt laudabilia, scilicet gratia consilium requirendi, gratia consilium eligendi, gratia consilium exhibendi, et gratia consilium acquirendi.

Quatuor laudabilia in consilio.

(a) *Cæt. edit.* illud. — (b) *Al.* equi. — (c) Vulg. *et post.* — (d) Vulg. *Salus autem.*

Digitized by Google

Primo igitur est valde laudabile, scilicet consilium in omnibus libenter requirere. Ideo dicitur in *Tobia* [1] : *Consilium semper a sapiente* (a) *require*. Secundo in consilio est laudabile consiliarium bonum eligere. Unde nota, quod secundum doctrinam sacræ Scripturæ, Deus consiliarius est eligendus præ omnibus. Nam in consilio et pro consilio requirendo, primo eligendus est Deus, non diabolus; unde dicitur in eodem *Tobia* [2] : *Omnia consilia tua in ipso*, scilicet in Deo, *maneant*. Secundo eligendus est justus, non impius; unde dicitur in *Ecclesiastico* [3] : *Cor boni consilii statue tecum;* quia dicitur in *Proverbiis* [4] : *Consilia impiorum fraudulenta*, quia vix scit aliis consilium dare, qui sibi nescit accipere. Et ideo dicitur in *Genesi* [5] : *In consilio eorum*, scilicet impiorum, *non veniat anima mea*. Tertio eligendus est sapiens consiliarius, non fatuus; ideo dictum est in *Tobia* [6] : *Consilium semper a sapiente require*, non a fatuo, quia dicitur in *Ecclesiastico* [7] : *Cum fatuis non habeas consilium : non enim possunt diligere, nisi quæ eis placent*. Quarto eligendus est senex et expertus, ut dicitur in Ecclesiastico [8] : *Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium!* Non est pro consilio eligendus juvenis lascivus : ideo Roboam pro magna parte amisit regnum suum, quia, relicto consilio seniorum, adhæsit consilio juvenum, ut dicitur in tertio *Regum* [9].

Tertio videndum est, quæ sit consiliorum differentia. Et nota, quod sicut sponsus jocalia consuevit portare sponsæ, cum qua de novo contraxit; ita Christus, qui tanquam sponsus de thalamo procedens, novæ sponsæ suæ Ecclesiæ, cum qua naturam nostram cum sua uniendo in unitate personæ matrimonium sacramentale contraxit, nova jocalia, id est, tria evangelica consilia apportavit. Primum consilium est castitas, contra concupiscentiam carnis. De hoc consilio habetur in *Matthæo* [10] : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Tales sunt enim eunuchi, qui se castrant propter regnum cœlorum. Secundum consilium est voluntariæ paupertatis, contra concupiscentiam oculorum. De quo consilio habetur in *Matthæo* [11] : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus*. Et Seneca dicit, quod quietissime viverent homines, si hæc duo pronomina tollerentur de mundo, scilicet *meum*, et *tuum*. Tertium consilium est obedientiæ et humilitatis, contra superbiam vitæ, de quo dicitur in *Matthæo* [12] : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Semetipsum abnegare, est propriam voluntatem relinquere. Optimum consilium. Unde dicit Bernardus [13] : « Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit. » Exemplum de fratre orante, et diabolo insultante. Et quia superius, in tractatu *de Consiliis* [14], plene dictum est de his tribus consiliis; ideo quæ dicta sunt de dono consilii modo sufficiant.

CAPUT III.

De dono Intellectus.

Intellectus et sapientia quomodo a prudentia, et consilio atque inter se differant

Post donum consilii dicenda sunt pauca de dono intellectus et dono sapientiæ; quia hic possunt dici fere omnia, quæ dicta sunt supra tractatu *de Virtute prudentiæ*. Unde notandum, quod virtus prudentiæ, et donum consilii, differunt a dono intellectus et sapientiæ, quia consilium et prudentia pertinent ad vitam activam, et sunt de activis; intellectus et sapientia pertinent ad vitam contemplativam, et sunt de contemplativis. Differunt autem intellectus et sapientia, quia intellectus est cognitio speculativa, et quasi cognitio per visum; sapientia vero est cognitio experimentalis et practica, et quasi cognitio per gustum. Et ideo superior est sapientia, quia intellectus tantum dicit cognitionem, vel visionem; sapientia supra cognitionem dicit delectationem. Et nota, quod intellectus foris stat; sapientia per affectum intrat, et ipsa delicias suggerit. Unde dicitur in Psalmo [15] : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*. *Gustare* ad sapientiam pertinet; sed *videre* ad intellectum : quia quod intellectus acute invenit, sapientia mature disponit, et ad spiritualem delectationem convertit, ut dicit Gregorius [16]. Summa hujus differentiæ est, quod donum intellectus est proprie penetrativum : sed donum sapientiæ est proprie saporativum.

His propositis, de dono intellectus notanda sunt pauca, et specialiter tria. Debemus enim

[1] *Tob.*, IV, 19. — [2] Ibid., 20. — [3] *Eccli.*, XXXVII, 17. — [4] *Prov.*, XII, 5. — [5] *Gen.*, XLIX, 6. — [6] *Tob.*, IV, 19. — [7] *Eccli.*, VIII, 20. — [8] *Eccli.*, XXV, 7. — [9] III *Reg.*, XII, 14. — [10] *Matth.*, XIX, 11. — [11] Ibid., 21. — [12] *Matth.*, XVI, 24. — [13] Bern., *de resurrectione Domini*, serm. III, ante med. — [14] Sup., tit. IV. — [15] *Psal.* XXXIII, 9. — [16] Greg., *in Ezech.*, hom. XIX, ante med.

(a) Cæt. edit. *facientibus*.

Digitized by Google

per donum intellectus subtiliter penetrare et intelligere quæ sunt supra nos, ut Deum; quæ sunt juxta nos, ut proximum; et quæ sunt infra nos, ut corpus nostrum. Primo igitur debemus intelligere superiora, juxta illud quod dicit Apostolus [1]: *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas.* Et nota, quod duplex est liber in quo intellectus potest legere, et intelligere, et addiscere Deum, scilicet: liber Scripturæ, et hunc librum dedit Salvator discipulis suis post resurrectionem, ut scilicet in figuris legalibus et canticis prophetalibus intelligerent mysteria gratiæ, quæ operatus est Christus, id est, ut per ea quæ facta sunt et dicta in Veteri Testamento, intelligant ea quæ completa sunt in novo. Unde dicitur in *Luca* [2]: *Tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Alius est liber creaturæ, in quo intellectus fidelis debet Deum quærere, quia potest eum invenire: sicut in magnitudine creaturarum, omnipotentiam Dei; in pulchritudine et ordine, sapientiam; in utilitate et fructu, bonitatem Dei summam; quia dicitur in libro *Sapientiæ* [3]: *A magnitudine speciei creaturæ, cognoscibiliter potest eorum Creator videri.* Hunc intellectum non habuerunt philosophi, quia intellectus eorum nesciunt ascendere a magnitudine creaturæ ad magnitudinem Dei. Et ideo fuerunt similes pueris, qui cum legunt litteras pulchras et deauratas, attente respiciunt; sed quid litteræ significant, non intendunt. Item notandum diligenter, quod creatura duplex est, scilicet naturalis, et artificialis: et sic omnis creatura significat suum Creatorem dupliciter. In creatura est signum naturale, et positivum: signum naturale dicitur in creaturis, quas condidit per se divina sapientia; signum positivum dicitur in fabricis et operibus sacramentalibus, quæ constituit Ecclesia, ut sunt formæ Ecclesiarum, et vestes et ornatus ministrorum: quæ omnia sunt instituta, ut intelligamus Deum, quia in altitudine ecclesiarum, sublimitatem vel infinitatem; in quadratura, soliditatem; in longitudine, æternitatem, et similiter de aliis. In ministris similiter et ornamentis eorum intelligo Deum: ut in veste candida, munditiam et puritatem; in veste rubea, Dei clementiam et charitatem; in veste aurea, Dei sapientiam et claritatem, et sic de aliis. Iste intellectus proprie vocatur donum Dei, ut dicit Apostolus [4]: *Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum.*

Duplex liber legendus.

Duplex creatura dupliciter significat suum Creatorem.

Secundo debemus intelligere quæ sunt juxta nos, scilicet proximum, juxta illud quod dicitur in *Ecclesiastico* [5]: *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Nam in frigore meo, debeo intelligere pauperis nuditatem; in fame et siti, pauperis sitim et esuriem; et in dolore meo, pauperis infirmitatem, et sic de aliis. Et sicut homines bene intelligentes consueverunt ad honores et dignitates promoveri; ita qui intelligunt necessitatem proximi, promoventur et quasi episcopantur ad beatitudinem paradisi. Unde dicitur in Psalmo [6]: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.*

Tertio debemus intelligere, quæ sunt infra nos, sicut animam nostram et corpus nostrum. Sicut enim oculus noster dirigit manum in opere et motu exteriori; sic intellectus regulat affectum in omni opere et motu interiori. Unde intellectus dicitur *interior lectus*, quia animam informat, animam tranquillat et quietat, sicut corpus in lecto pausat. Dicitur etiam *interior locus*, quia sicut locus continet et conservat locatum, sic intellectus stabilitat et conservat liberum arbitrium, et omnem interiorem motum. Ideo dicitur in Psalmo [7]: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*: quia si homo non faciat quod intellectus et conscientia dicunt, nec Deus, nec angelus, nec homo, quia ista tria habent intellectum, dici meretur, sed potius jumento comparatur. Unde dicitur in Psalmo [8]: *Homo cum in honore esset, non intellexit* Creatorem suum; sed *jumentis comparatus, et similis factus est illis.*

CAPUT IV.

De dono Sapientiæ.

Post donum intellectus, pauca debemus dicere de dono sapientiæ, quod multum convenit cum virtute prudentiæ, et aliis virtutibus seu donis, quæ informant cognitivam: tamen quia sapientia non tantum informat cognitivam, sed etiam affectivam, ideo dicenda sunt de sapientia pauca, scilicet tantum tria. Unde notandum, quod sapientia est donum splendidissimum instar lucis, donum sapidissimum instar mellis, et donum profundissimum instar maris.

[1] *Rom.*, I, 20. — [2] *Luc.*, XXIV, 45. — [3] *Sap.*, XIII, 5. — [4] II *Tim.*, II, 7. — [5] *Eccli.*, XXXI, 18. — [6] *Psal.* XL, 1. — [7] *Psal.* CX, 10. — [8] *Psal.* XLVIII, 14, 21.

Digitized by Google

Primo ergo donum sapientiæ est donum splendidissimum, non solum sicut sol, sed et (a) plusquam sol. Sol enim iste non ostendit nobis nisi quæ sunt supra terram, et infra cœlum; sapientia autem Dei facit nos cognoscere omnia, scilicet infernum, ut timeamus; mundum, ut contemnamus; cœlum, ut appetamus; Deum, ut laudemus, et istud est ultimum doni (b) *Sapientiæ*, et ab isto donatur, scilicet cognitio divinorum, ut dicit Augustinus. Et propterea dicitur in libro *Sapientiæ* [1] : *Hæc*, scilicet sapientia, *est speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum; luci comparata,* (c) *invenitur prior* : quia per lucem visibilia videntur tantum, per sapientiam vero etiam invisibilia cognoscuntur.

Secundo sapientia est donum sapidissimum instar mellis, non solum sicut mel, sed etiam plusquam mel. Unde dicit Sapientia in *Ecclesiastico* [2] : *Spiritus meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum.* Mel namque unum habet saporem, et illo gustato desipiunt alia etiam meliora; sicut vinum, quod post mellis gustum, non apparet sapidum. Sed sapientia divina omnem habet saporem, quia sibi sapiunt omnia ut debent : scilicet tam mala quam bona temporalia, ut vilia et insipida; bona spiritualia, ut cara; bona æterna, ut fructuosa et summe nobilia. Unde dicitur in *Ecclesiastico* [3] : *Sapientia secundum nomen suum est,* scilicet sapida scientia, *et non multis est manifesta.* Ideo dicit Bernardus [4] : « Invenisti plene sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas; si hujus sæculi desideria parvi pendas; si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi singula horum sapiant prout sunt. »

Tertio sapientia est donum profundissimum instar maris; non solum sicut mare, sed etiam plusquam mare : quia mare habet fundum; sapientia divina nullum habet fundum, ut dicitur in *Job* [5] : *Longior est terra mensura ejus, et latior mari.* Et propterea dicit Apostolus [6] : *O altitudo,* id est, profunditas, *divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* quia nimis longe sunt sapientiæ divinæ judicia, quibus disposuit omnia investigabilia, quam guttæ maris valeant numerari. Exemplum de patre et filio volentibus haurire totum mare cum cochleari parvo, ut narrat Hieronymus. Ideo dicitur donum, quia nunquam per studium acquiritur, nisi per inspirationem divinam habeatur. Et ideo dicit Jacobus [7] : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.* Et in *Sapientia* [8] : *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam : ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* Amen.

TITULUS SEPTIMUS

DE BEATITUDINIBUS EVANGELICIS

CAPUT PRIMUM.

De Humilitate.

Post tractatum de donis Spiritus sancti, dicendum est de beatitudinibus : hæc est sexta diæta salutis, scilicet a dono Spiritus sancti, ad beatitudinem pervenire. De humilitate enim quatuor sunt præcipue notanda, scilicet typus figurativus, motus incitativum, signum demonstrativum, et gradus distributivus.

Habet ergo humilitas in sacra Scriptura typum, et multiplicem figuram. Nota igitur, quod humilitas est brevis scala devotionis, brevis schola perfectionis, et brevis via salvationis. Brevis, inquam, scala, si vis ascendere; brevis schola, si vis addiscere; et brevis via, si vis incedere. Est igitur humilitas brevis scala. Et

Similitudines, quibus humilitas figuratur.

[1] *Sap.*, VII, 29. — [2] *Eccli.*, XXIV, 27. — [3] Ibid., VI, 23. — [4] Bern., *Sentent.* — [5] *Job*, XI, 9. — [6] *Rom.*, XI, 33. — [7] *Jac.*, I, 5. — [8] *Sap.*, IX, 10.

(a) *Cæt. edit.* est. — (b) *Item* libri. — (c) *Cæt. edit. add.* et.

Digitized by Google

nota tria in scala humilitatis, scilicet scalæ extremum, imum et supremum; scalæ latera, dextrum et sinistrum; scalæ spatia, scilicet triplicem gradum. Habet enim scala humilitatis duo extrema, imum, et supremum. Imum vel pes hujus scalæ, est timor supplicii; supremum vero est amor præmii. Unde Psalmista ait [1]: *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum*, etc. Item habet scala duo latera, scilicet dextrum et sinistrum: dextrum est temperantia in prosperis; sinistrum patientia in adversis. Unde Apostolus [2]: *Per arma justitiæ, a dextris et a sinistris.* Item ex scala habet tria spatia, vel tres gradus, inter quos primus est contemptus mundi, secundus est humilis abjectio sui, tertius est humilis amor Dei. Hæc est scala Jacob, de qua dicitur in *Genesi* [3]. Item est humilitas brevis schola; est enim compendium totius justitiæ: unde ipsa dicitur *omnis justitia* in *Matthæo* [4]: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*; glossa: « Id est, humilitatem. » Ideo Salvator, et Magister optimus, in sua schola prolixitatem totius legis reduxit ad quamdam summam, id est, ad methodum humilitatis, dicens [5]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Humilitas autem sic describitur: Humilitas est, ex intuitu propriæ conditionis, vel cognitione (*a*), voluntaria mentis inclinatio. Est insuper humilitas sicut brevis via; quia cum humilitas petat centrum, per consequens vetat circulum et specialem circuitum, et facit diametrum, et diametraliter pertransit spatium, et ita rectissime venit ad terminum. Ideo dicit Isaias [6]: *Hæc est via, ambulate in ea.*

Item humilitas se attenuat, ut ametur a sponso; se adnihilat, ut creetur de novo; et se evacuat, ut impleatur a Deo. Humilitas itaque se attenuat, et sic facit seipsam gracilem, ad domicellæ modum. Unde humilitas est gracilitas sponsæ, quæ sponsum incitat ad ejus amorem. Et causa hujus est: quia gracilitas significat vel attestatur incorruptionem, sicut e contrario tumor significat corruptam esse mulierem et prægnantem. Unde nota, quod quidam tument et inflantur de genere et nobilitate, et tales imprægnantur a proprio patre, sicut filiæ Loth, ut habetur in *Genesi* [7]. Quidam inflantur de subditorum multitudine, et potestate, et tales imprægnantur a toto populo: sicut David, qui fecit murmurare populum, ut dicitur in secundo *Regum* [8]. Quidam etiam tument et inflantur de incorruptione corporis, et per consequens, quod detestabile, imprægnantur a virginitate, sicut fatuæ virgines, de quibus dicitur in *Matthæo* [9]. Item humilitas se adnihilat, ut de novo creetur: ipsa enim est illud nihilum, super quod Deus fundavit terram, ut dicit Job [10]: *Qui appendit terram super nihilum*, id est, animam super humilitatis fundamentum. Humilitas insuper se evacuat ut impleatur, id est, vacuam et inanem se reputat. Unde figuratur per altare tabernaculi, de quo dicitur in *Exodo* [11], quod erat ita concavum, ut posset recipere ignem, ligna, et victimas. Sic humilitas est vacua, ut capiat ista tria, scilicet ignem dilectionis, ligna compassionis, et victimam devotionis.

Item nota quod humilitas est quidquid in valore est pretiosius, quidquid in odore est deliciosius, et quidquid in decore est gratiosius. Primo igitur dico, quod humilitas in valore est summe pretiosa; et propter hoc comparatur auro et balsamo, quæ sunt duo valde pretiosa: balsamum, super omnes liquores; aurum, super omnia metalla. Et sicut ista duo sunt valde rara, et ideo pretiosa; sic rarissima est humilitas vera, ideo summe cara. Et sicut aurum est valde ponderosum, et naturaliter petit centrum, et balsamum semper petit fundum; sic vera humilitas, instar auri et balsami, semper appetit inferiorem locum. Et propterea de valore humilitatis dicitur in libro *Sapientiæ* [12]: *Omne aurum, in comparatione illius, arena est exigua.* Est etiam humilitas in odore multum deliciosa; et propter hoc comparatur in Scriptura tribus quæ sunt valde odorifera, scilicet: thuri, quod est granum modicum, et tamen fragrantissimum; ideo dicitur in *Ecclesiastico* [13]: *Quasi thus redolens in diebus æstatis.* Comparatur etiam nardo, quæ est arbor parva, et valde odorifera. Unde dicitur in *Canticis* [14]: *Nardus mea dedit odorem suum.* Comparatur etiam cynnamomo, quod est cinerei coloris, et, cum frangitur, spirat quemdam visibilem et fragrantissimum odorem, id est, vaporem ad modum cineris: sic verus humilis, quia cinerem se reputat,

[1] *Psal.* CXXXVIII, 8. — [2] II *Cor.*, VI, 7. — [3] *Gen.*, XXVIII, 12, 13. — [4] *Matth.*, III, 15. — [5] Ibid., XI, 29. — [6] *Isa.*, XXX, 21. — [7] *Gen.*, XIX, 33, 35. — [8] II *Reg.*, XXIV, 15. — [9] *Matth.*, XXV, 3. — [10] *Job*, XXVI, 7. — [11] *Exod.*, XXXVIII, 7. — [12] *Sap.*, VII, 9. — [13] *Eccli.*, L, 8. — [14] *Cant.*, I, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* conditione.

Digitized by Google

emittit spiramina fragrantissima virtutis. Et ideo dicitur in *Ecclesiastico* [1]: *Sicut cynnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedi.* Est insuper humilitas in decore mentis valde speciosa; et propter hoc comparatur virori, et colori viridi, qui super omnes colores est proportionabilis oculis, et delectabilis ad videndum. Unde dicitur in *Ecclesiastico* [2]: *Gratiam et speciem desiderabit oculus, et super omnes virides sationes,* vel segetes, satior viridiorque est virtus humilitatis.

Item nota, quod humilitas se humiliat ut ascendat, se incinerat ut redoleat, se mortificat ut resurgat. Humilitas itaque se humiliat et semper inclinat. Sicut enim ramus in quo pendet fructus, et sicut spica plena grano, respicit et declinat versus terram; sic anima humilis, quæ instar rami (*a*) est onusta fructibus bonorum operum, et ad modum spicæ granatæ est plena granis virtutum, respicit terram, id est, propriam fragilitatem, et carnis vel corporis conditionem terrenam. E contrario ramus erectus monstrat quod in eo est nullus fructus, et spica erecta, quod est gracilis et vacua : ita homo per superbiam erectus est ad modum rami sterilis et infructuosi. Et ideo dicit Salvator in *Matthæo* [3]: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Humilitas etiam se incinerat et pulverizat, et sic suavius fragrat, sicut herbæ et species aromaticæ plus redolent, quanto sunt minutius tritæ et pulverizatæ. Unde dicitur in *Canticis* [4]: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Et notandum, quod omnis homo debet se pulverem et cinerem reputare ex parte carnis, de qua certus est, quod efficietur pulvis, ut dicitur in *Genesi* [5]: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ex parte animæ, debet se quilibet pulverem et cinerem reputare, præcipue propter tria : primo, propter utilitatem : sicut enim cinis est vilis, quantumcumque fuerit de pretiosa materia, sic anima valde vilis est ex culpa, quamvis sit valde nobilis ex natura. Ideo dicit Psalmista [6]: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Secundo, propter resistendi difficultatem, quia sicut cinis statim dispergitur, et non potest resistere modico statui, sic homo non potest resistere modicæ tentationi, imo frequenter cadit ad sibilum modici verbi. Unde dicitur in Psalmo [7]: *Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis,* etc. Tertio, propter resurgendi impossibilitatem : nam sicut cinis non potest redire ad statum suæ materiæ, sic homo peccator non potest redire ad statum gratiæ, nisi sola Dei virtute, quia dicit Ecclesiastes [8]: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexit,* et in Psalmo [9]: *Nisi Dominus ædificaverit domum,* etc. Humilitas insuper se mortificat, ut resurgat, quia humilis quasi semper considerat mortem propriam, ut resurgat ad vitam.

Et nota, quod memoria mortis facit in homine præcipue sex bona. Primo facit peccata vel vitia fugere: nam sicut latrones timent et fugiunt faciem judicis, sic vitia memoriam (*b*) mortis. Et sicut jumentum cum cauda se defendit a muscis, sic homo a tentatione vitiorum ex consideratione mortis. Nam de peccatore dicitur in *Threnis* [10]: *Sordes ejus in pedibus,* id est, in affectionibus. Et subdit causam : *Quia non recordatus est finis sui.* Secundo facit mundum contemnere; unde dicit Hieronymus [11] : « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. » Nam concupiscentia oculorum contemnitur, quando quis cogitat se in terram reversurum; concupiscentia carnis deprimitur, quando quis cogitat, quod corpus in deliciis nutritum, erit cibus vermium; superbia vitæ contemnitur, quando quis cogitat, quod ille qui vult esse super alios, ponetur sub terra, quæ est infimum elementorum. Tertio facit seipsum despicere, et, propter resolutionem ad terram, in suiipsius cognitionem venire. Qui modus cognoscendi, secundum Philosophum, est certissimus inter omnes. Propterea dicitur in Psalmo [12]: *Sciant gentes, quoniam homines sunt,* id est, de humo. Quarto facit vitam præsentem recte regere: sicut enim gubernator navis se ponit in cauda, ut rectius gubernet navem; sic qui in mari hujus mundi vult recte et secure navigare, novissima sua debet cogitare vel recordari. Nam dicitur in *Ecclesiastico* [13]: *Memorare novissima, et in æternum non peccabis.* Quinto facit recte temperare præsentem lætitiam : Sicut enim fatua est esca sine sale, sic præsens lætitia est inepta sine mortis consideratione, instar salis. Dulcedo lætitiæ temporalis, miscetur cum amaritudine mortis; unde dicitur in *Ecclesiastico* [14]: *O mors, quam, amara est*

Memoria mortis sex bona facit in homine.

[1] *Eccli.*, XXIV, 20. — [2] Ibid., XL, 22. — [3] *Matth.*, VII, 16. — [4] *Cant.*, III, 6. — [5] *Gen.*, III, 19. — [6] *Psal.* XIV, 4. — [7] *Psal.* I, 4. — [8] *Eccle.*, VII, 14. — [9] *Psal.* CXXVI, 1. — [10] *Thren.*, I, 9. — [11] Hieron., *de regim. Monach.*, tit. *de timendo ult. Judic.* — [12] *Psal.* IX, 21. — [13] *Eccli.*, VII, 1. — [14] *Eccli.*, XLI, 1.

(*a*) *Cæt. edit. add.* quæ. — (*b*) *Cæt. edit.* memoria.

Digitized by Google

memoria tua homini injusto! Sexto facit recte dividere præsentem, et futuram vitam: qui enim ponit se in articulo mortis, et eam diligenter considerat, quasi in medio præsentis et futuræ vitæ se collocat; et ideo recte videt, quid spernere, et quid eligere debeat. Ideo dicitur in *Ecclesiastico* [1]: *In die bonorum, ne immemor sis malorum.*

Item humilitas est gratiosa instar floris speciosi, luminosa instar sideris radiosi, et virtuosa instar lapidis pretiosi. Est itaque humilitas gratiosa instar floris speciosi: comparatur autem inter flores præcipue violæ, quæ est flos modicus, et valde pretiosus. Et nota: viola est formata instar aviculæ parvæ; habet enim quoddam rostrum parvum, et quasdam parvulas alas, et quamdam caudam parvulam: ita humilitas habet ad modum violæ ista tria diminutiva per propriam reputationem: habet namque rostrum ad laudandum Deum; habet etiam alulas vel pennas, ad contemplandum cœlum; habet caudam, ad cogitandum finem proprium. Hæc est viola pretiosa, de qua dicitur in *Canticis* [2]: *Ego flos campi*, etc. Est etiam humilitas luminosa instar sideris radiosi: nam sicut sidus vel stella est modica in apparentia, cum tamen sidus in veritate, ut tradunt mathematici, sit major tota terra; sic humilis, cum sit parvus in veritate, est apud Deum maximus, ex sua tamen et hominum reputatione vult esse quasi nullus. Ideo dicitur in *Ecclesiastico* [3]: *Quanto major es, humilia teipsum in omnibus.* Ipsa enim est instar lunæ; nam sicut luna est *luminare quod minuitur ex consummatione*, ut dicitur in *Ecclesiastico* [4]; sic humilis se minorare nititur, cum a Deo per gratiam consummatur; sicut virgo Maria, ut habetur in *Luca* [5], quia reputavit se ancillam humilem, cum salutaretur venerabiliter per archangelum Gabrielem, et a Filio Dei eligeretur in matrem. Est etiam humilitas instar lapidis pretiosi virtuosa: nam lapides pretiosi sunt ut plurimum quantitate modici, et virtute magni.

Et nota, quod humilitas comparatur specialiter et proprie quinque lapidibus pretiosis. Primo amethysto, qui reprimit ebrietatem; sic humilitas superbiam, quæ se inebriat per ambitionem. Unde superbia est ebria, et non a vino, ut dicit Joel [6]: *Expergiscimini, ebrii, et non a vino*, sed a vento, scilicet superbiæ. Secundo, jaspidi, qui fugat phantasmata: sic humilitas honores transitorios, qui sunt quasi phantasiæ vel somnia, quia dicitur de superbo in *Ecclesiastico* [7]: *Cor tuum phantasias patitur.* Tertio humilitas est sicut sapphirus: nam sicut sapphirus reprimit humores, seu tumores corporales; ita humilitas superbas et ampullosas inflationes. Ipsa enim *non inflatur, non est ambitiosa*, sicut de charitate dicit Apostolus [8]. Quarto humilitas est sicut onychinus: nam sicut onychinus dicitur hominem reddere invictum, sic humilitas reddit invictum hominem, et facit de hostibus triumphare. In cujus figura dicitur, quod David, qui dicitur humilis, cum lapidibus fundæ Goliam interfecit, ut dicitur in libris *Regum*. Quinto humilitas est sicut adamas: nam sicut adamas est lapis qui reddit hominem gratiosum, sic humilitas hominem Deo et hominibus facit esse placentem et gratum. Unde dicitur de humilitate in *Deuteronomio* [9]: *Sit placens* (*a*) *fratribus suis.* Et sicut *coram Deo et hominibus est superbia odiosa*, ut dicitur in *Ecclesiastico* [10]; ita humilitas est Deo et hominibus gratiosa.

Item humilitas cum Deo quasi de pari contendit (*b*), cum divina liberalitate, ejus gratiam semper recipiendo; superbiam circumvenit (*c*), meliorem partem eligendo; diabolum despicit, ejus laqueos evadendo. Humilitas igitur quasi de pari contendit cum divina liberalitate, quia quanto divina liberalitas animæ plura tribuit, tanto ipsa ad recipiendum fit capacior; et hoc triplici arte, scilicet se dilatando per gratiarum actionem, incurvando per devotam orationem, et evacuando per modicam sui reputationem. Primo enim humilitas, cum recipit Dei beneficia, gratias agendo se dilatat; et sic recipiendo parat semper locum, ut Deus amplius infundat. Unde ipsa est *vas admirabile opus Excelsi*, ut dicitur in *Ecclesiastico* [11]. Et bene humilitas vas admirabile dicitur, quia, dum impletur, de impletione capacior efficitur. Secundo humilitas per orationem se incurvat, et sic ad magis hauriendum se præparat: nam sicut hydria curvatur ut hauriat aquam, sic humilitas se incurvat ut hauriat, et hoc orando, gratiam divinam; et quanto Deus amplius donat, tanto ipsa amplius postulat, imo nunquam petere cessat; et ideo in ea impletur, quod dicitur in

[1] *Eccli.*, XI, 27. — [2] *Cant.*, II, 1. — [3] *Eccli.*, III, 20. — [4] Ibid., XLIII, 7. — [5] *Luc.*, I, 38. — [6] *Joel.*, I, 5. — [7] *Eccli.*, XXXIV, 6. — [8] I *Cor.*, XIII, 4. — [9] *Deut.*, XXXIII, 24. — [10] *Eccli.*, X, 7. — [11] Ibid., XLIII, 2. — (*a*) *Cæt. edit. add.* de. — (*b*) *Suppl.* scilicet. — (*c*) *Cæt. edit. add.* et.

Digitized by Google

libro *Ecclesiastici* [1]: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Tertio humilitas per propriam reputationem se evacuat, et quodam modo se exinanit, et per consequens ad recipiendum capacior fit. Et hoc triplici arte existit, quia dum gratiam Dei in plenitudine recipit, seipsam tamen vacuam recognoscit. Ideo in persona Dei dicitur de humili in *Ecclesiastico* [2]: *Qui bibunt me, adhuc sitient.*

Humilitas deterem meliorem partem eligit respectu superbiæ.

Item humilitas etiam superbiam circumvenit, meliorem partem eligendo. Et nota specialiter decem, in quibus humilitas respectu superbiæ eligit meliorem partem. Superbia enim eligit quod est extra; humilitas, quod est intra. De primo dicitur in *Matthæo* [3]: *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* De humilibus vero dicit Apostolus [4]: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Superbia eligit sarpillas, humilitas tortillas. Superbia eligit corticem, humilitas nucleum. Superbia eligit paleam, humilitas granum. Superbia demum eligit flores, humilitas vero fructum, juxta illud [5]: *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Superbia eligit montes, humilitas valles. Et nota, quod in montibus sunt quatuor mala, scilicet ariditas indevotionis, durities incompassionis, sterilitas operationis, et præcipitium damnationis. Humilitas vero eligit valles, in quibus sunt quatuor bona, illis malis opposita: nam sicut valles contra ariditatem sunt irriguæ, contra duritiam sunt molles, contra sterilitatem sunt fructiferæ, contra præcipitium sunt securæ; sic humiles, ad modum vallis, sunt irrigui per devotionem, et molles per compassionem, fructiferi per bonam operationem, securi per divinam protectionem, quia in inferno non oportet timere præcipitium. Superbia eligit pulchrum, humilitas bonum. Superbia eligit imaginem, humilitas veritatem. Superbia eligit contentionem, id est, locum superiorem, pro quo contendunt ambitiosi; humilitas, pacem, scilicet locum inferiorem, pro quo nullus contendit. Ideo dicit Salvator [6]: *Recumbe in novissimo loco.* Et sic [7] *in pace factus est locus ejus*, ut dicitur in Psalmo. Superbia eligit esse in ore hominum, et ideo non est mirum si sentit aliquando morsus detractionis; humilitas vero eligit esse in judicio Dei, per quem solum vult judicari, sicut dicit Apostolus [8]: *Qui autem judicat me, Dominus est.* Humilitas insuper despicit et parvipendit diabolum, ejus scilicet laqueos evadendo. Nam sicut pisciculi evadunt sagenam, sic humiles rete, id est, tentationes diabolicas. In cujus figura rex Chaldæorum transtulit in Babyloniam et captivavit nobiles et potentes, et dimisit pauperes, id est, agricolas et vinitores, ut dicitur in libris *Regum* [9].

Causæ quinque quæ hominem ad se humiliandum incitant.

Humilitas insuper habet motum incitativum, id est, causas multas, quæ hominem movere debent ad se humiliandum. Unde nota, quod sunt quinque causæ præcipuæ, ex quarum consideratione debet homo seipsum humiliare: si consideret, quæ sunt infra; quæ sunt intra; quæ sunt juxta; quæ sunt contra; et quæ sunt supra. Prima igitur causa humilitatis est consideratio creaturæ corporalis, quæ in homine est. Debet igitur creaturas corporales diligenter considerare, et ex illis humilitatem haurire. Si enim consideret terram, videt proprium sepulcrum; si attendat ignem super terram, videt supplicium peccatorum; si consideret quadrupedia, videt ea fortiora; si volatilia, videt ea leviora et agiliora; si terræ nascentia, videt meliora, sicut fructus, et pulchriora, sicut flores. Ultimo, si consideret proprium subjectum, videt quod in principio est semen immundum, in medio saccus stercorum, et in fine cibus vermium, ut dicit Bernardus [10]. Et iterum vide unde veneris, et erubesce ubi es, et ingemisce quo vadis, et contremisce. Et ita cum homo diligenter considerat proprias vilitates, tunc humilitas resumit vires. Sicut enim muscus in locis fœtentibus recuperat odorem, sic humilitas fragrantior efficitur, cum quis considerat propriam utilitatem. Et ideo dicebat Abraham [11]: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis?*

Secunda causa humilitatis, est consideratio status interioris. Omnis autem homo, aut scit se esse peccatorem, aut justum: si sciat se esse peccatorem, multum debet humiliari, quia quantum ad hoc deterior est cane vel bufone: quia peccator est debitor temporalis et æternæ mortis; illa vero solum temporalis. Et in illis solum est miseria pœnæ; in peccatoribus vero pœnæ et culpæ; et in hoc sunt similes diabolo. Si autem fuerit peccator aliquando, nescit utrum justificatus est a peccato, quia dicitur in *Ecclesiaste* [12]: *Nescit homo utrum amore, an odio*

[1] *Eccli.*, XVIII, 6. — [2] *Eccli.*, XXIV, 29. — [3] *Matth.*, XXIII, 5. — [4] II *Cor.*, I, 12. — [5] *Cant.*, II, 3. — [6] *Luc.*, XIV, 10. — [7] *Psal.* LXXV, 3. — [8] I *Cor.*, IV, 4. — [9] IV *Reg.*, XXIX, 14. — [10] Bern., *Medit.*, c. IX, ante med. — [11] *Gen.*, XVIII, 27. — [12] *Eccle.*, IX, 1.

Digitized by Google

dignus sit, sed omnia in futurum (a) servantur incerta. Si autem sciat aliquis se esse in gratia, tamen se humiliare debet propter quatuor, quæ interdum etiam viris justis et perfectis nocent : scilicet negligentia proficiendi, difficultas standi vel perseverandi (*b*), facilitas cadendi etiam ad sibilum unius modo (*c*) verbi, difficultas vel impossibilitas resurgendi. Homo enim potest per se ire ad culpam; sed per se non potest redire ad gratiam, quia dicitur in Psalmo [1] : *Spiritus vadens, et non rediens.*

Tertia causa humilitatis est considerare sæpe de proximis nostris. Videmus enim multos de fratribus et proximis nostris in scientia et virtutibus profecisse, et nos in peccato vel ignorantia remansisse, unde debemus erubescere. Videmus etiam multos fratres et proximos cæcos, mendicos, et diversis miseriis afflictos; et ideo debemus compati, timere, et Deo grati et humiles esse, et laudare eum, qui nobis potuit et potest similia ex sua æquitate infligere, et nos ex sua pietate custodire, et propter hanc causam humilitatis dicitur in Job [2] : *Visitans speciem tuam non peccabis. Visitans speciem tuam,* scilicet proximum, qui est species tua, vel species una tecum.

Quarta causa humilitatis, est consideratio hostis adversantis, cui sine Dei adjutorio non possumus resistere; imo si comparati fuerimus ei, ipse quasi gigas, et nos quasi locustæ, ut dicitur in *Numeris* [3]. Cujus etiam tanta est crudelitas, quod nos omni hora transglutiret, nisi etiam divina protectio nos custodiret : quia dicitur in *Threnis* [4] : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti* : cui debemus totam virtutem ascribere.

Quinta causa humilitatis, est consideratio divinæ magnitudinis, cui tenemur humiliter subesse propter beneficium creationis, juxta illud Psalmi [5] : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos* ; et propter beneficium redemptionis, juxta illud *Ecclesiastici* [6] : *Gratiam fidei jussoris tui ne obliviscaris.* Humiliare etiam debemus nos Deo, cujus potentiam evadere non possumus, cujus sapientiam latere non possumus, cujus justitiam corrumpere non possumus. Unde notandum juxta hoc, quod tribus de causis debet se quis inclinare et demittere. Primo, quando videt capiti suo gladium imminere; sic nos debemus humiliari, et timere quod videmus super caput nostrum gladium divinæ sententiæ vibrari. Unde dicitur ab apostolo Petro [7] : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Secundo inclinat se aliquis, quando oportet ipsum transire per ostium bassum : sic nos debemus humiliari, qui ad vitam transituri sumus per ostium bassum et humile, quod est Christus, quia dicitur in Joanne [8] : *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur.* Tertio consuevit quis inclinare se, quando videt superiorem se in inferiori loco sedere : non enim est decens militem sedere in scamno, si rex sederet in pavimento : sic nos humiliari est necessarium, cum videamus Regem gloriæ propter nos in tantum humiliatum. Unde dicitur in *Matthæo* [9] : *Sufficit servo, si sit sicut dominus ejus.*

Quinque præcipua signa humilitatis.

Item habet humilitas multiplex signum demonstrativum. Et nota, quod quinque sunt signa, inter alia, humilitatis demonstrativa. Primum est humilem amare, exemplo creaturarum, quæ diligunt sibi similes; quia dicitur in *Ecclesiastico* [10] : *Omne animal diligit sibi simile.* Secundum est, honores et laudes fugere, sicut mel venenatum, et sicut sagittas limatas et venenatas, exemplo Christi, qui *fugit* cum *turbæ vellent eum facere regem,* ut dicitur in *Joanne* [11]. Tertium signum est opprobria et contumelias æquanimiter tolerare, exemplo David, qui cum Semei malediceret ei, dixit Abisa regem vindicare volenti [12] : *Dimitte eum, ut maledicat mihi,* ut in libris *Regum* reperitur; et exemplo apostolorum, de quibus dicitur in *Actibus* [13], quod *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ideo dicitur de humilitate in *Threnis* [14] : *Saturabitur opprobriis.* Quartum signum est vilia officia non recusare, exemplo Abigail, quam cum David vellet ducere in uxorem, respondit [15] : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei,* ut habetur in libris *Regum.* Quintum signum est libenter obedire, exemplo Christi, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem,* ut ait Apostolus [16].

Humilitatis gradus tres.

Habet etiam humilitas multiplicem gradum distributivum. Unde nota, quod tres sunt gradus humilitatis, sicut dicitur in *glossa super Matthæum* [17] : primus est subesse majori, nec

[1] *Psal.* LXXVII, 39. — [2] *Job,* V, 24. — [3] *Num.,* XIII, 34. — [4] *Thren.,* III, 22. — [5] *Psal.* XCIX, 3. — [6] *Eccli.,* XXIX, 20. — [7] I *Petr.,* V, 6. — [8] *Joan.,* X, 9. — [9] *Matth.,* X, 25. — [10] *Eccli.,* XIII, 19. — [11] *Joan.,* VI, 15. — [12] II *Reg.,* XVI, 10. — [13] *Act.,* V, 41. — [14] *Thren.,* III, 30. — [15] I *Reg.,* XXV, 41. — [16] *Philip.,* II, 8. — [17] *Gloss. sup. Matth.,* c. III. — (*a*) Cæt. edit. *futuro.* — (*b*) *Item* præservandi. — (*c*) *Cæt. edit.* uniusmodi.

Digitized by Google

præferre se æquali, et hæc est sufficiens et necessaria; secundus gradus est subesse pari, nec se præferre minori, nec velle præferri, et est humilitas copiosa; tertius gradus est subesse minori, et nemini præferri, et hæc est humilitas excellens et perfecta. Et ideo humilitas, cum his gradibus suis, eleganter figuratur per altare tabernaculi, quod habebat tres cubitos in altitudine, ut dicitur in *Exodo* [1].

Item, secundum alios, gradus humilitatis sunt quatuor : primus est spernere mundum; secundus, spernere nullum; tertius est spernere seipsum; quartus est contemnere se semper, vel non curare sui contemptum. Ideo humilitas per istum quadruplicem gradum figuratur satis aperte per rationale, in quo erant quatuor versus vel ordines gemmarum, ut habetur in *Exodo* [2].

CAPUT II.

De Mansuetudine, vel Mititate.

De mansuetudine vel mititate, quæ est secunda, beatitudo, specialiter sunt tria notanda : habet enim mansuetudo, vel mititas, pacem et societatem cum proximo, gratiam et familiaritatem cum Deo, et regnum et hæreditatem in cœlo.

Signum triplex hominis mitis cum Deo familiaritatem habentis

Habet namque homo mitis et mansuetus cum proximo pacem et societatem, et cum his qui oderunt pacem, scit esse pacificus. Sicut enim contra lapidem machinæ opponitur aliquid molle, per quod frangitur impetus violentiæ suæ; sic et vir mitis frangit iram, et impetumin dignationis, opponendo mollitiem responsionis, ut in *Proverbiis* patet [3] : *Responsio mollis frangit iram.*

Habet etiam homo mitis cum Deo familiaritatem. Et nota, quod signum triplex est, quod homo mitis Deo sit familiaris. Primum est, quod Deus mites libenter exaudit, sicut videmus quod a rege obtinent, quod volunt, qui ei familiares existunt. Unde dicitur in libro *Judith* [4] : *Humilium et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio.* Secundum signum est, quod Deus in anima miti libenter pausat et dormit : mansuetudo enim est sicut culcitra mollis in lecto florido continentiæ, de quo dicitur in *Canticis* [5] : *Lectulus noster floridus.* Tertium signum est, quod Deus ad videndum et loquendum se ostendit mitem, vel exhibet : sicut videmus quod illi, qui sunt familiares prælatis, quando volunt, ad eos intrant, et loquuntur pro voluntate cum eis; sic homo mitis loquitur cum Deo, ut in *Exodo* [6] legitur de Moyse, *qui loquebatur cum Deo facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum suum.* Causa inter alias erat, quia *homo mitissimus erat,* ut dicitur in *Numeris* [7].

Habet insuper homo mitis hæreditatem in cœlo, ut dicitur in *Matthæo* [8] : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* scilicet viventium. Et nota quod triplex est ratio, quare mites possident cœlum. Prima est, quia ipsi possidentur a Deo, et ideo lege vicissitudinis possidebunt Deum in cœlo; quia dicit Augustinus [9] : « Nullius erit Dei possessio, nisi ejus, quem ipse prius possederit. » Secunda ratio est, quia mites possident corda sua, et dominantur sibiipsis; quod non faciunt iracundi, imo ira dominatur eis. Ideo dicit Sapiens [10] : *Melior est qui dominatur animo, expugnatore urbium.* Tertia ratio est, quia mites possident hic bona sua. Mites autem sciunt hic bona spiritualia optime possidere, quia nulla adversitas potest eis ipsa auferre : quod iracundi facere nesciunt; imo bona spiritualia, si quæ habent, per impatientiam perdunt, ut dicitur in *Proverbiis* [11] : *Qui impatiens est, sustinebit damnum,* scilicet non solum boni exterioris, quod perdit in via; sed etiam boni interioris, quod ipse effundit. Mites etiam bona temporalia possidere sciunt, quia sibi non permittunt dominari : quod nesciunt facere avari et cupidi, quia divitiarum suarum nesciunt esse domini, sed potius servi; quia dicitur in Psalmo [12] : *Viri divitiarum;* non divitiæ virorum. Quia igitur mites, ut dictum est, se et sua possidere sciunt, merito terram viventium possidebunt.

Et nota, quod mititatem vel mansuetudinem hominis natura ministrat, corporis figura demonstrat, et canonis scriptura commendat. Mititas igitur a natura ministratur, et cum homine a natura copulatur, vel concreatur : nam dicit Philosophus, quod homo est animal natura mansuetum. Sicut leoni a natura inest crudelitas, sic homini mansuetudo vel mititas. Mansuetus enim dicitur quasi *manu assuetus :*

[1] *Exod.*, XXVII, 1. — [2] *Exod.*, XXXIX, 10. — [3] *Prov.*, XV, 1. — [4] *Judith*, IX, 16. — [5] *Cant.*, I, 16. — [6] *Exod.*, XXXIII, 9. — [7] *Num.*, XII, 3. — [8] *Matth.*, V, 4. — [9] Imo Paulin. Aquileins., *de Salut. Docum.*, c. X, quoad sensum, inter Oper. Aug., append. tom. VI. — [10] *Prov.*, XVI, 32. — [11] *Prov.*, XIX, 19. — [12] *Psal.* LXXV, 6.

Digitized by Google

et ideo homo qui, relicta mansuetudine, agit (*a*) crudeliter, non homo, sed bestia silvestris. Mititas etiam figura humana demonstratur. Figura enim hominis exterior quamdam dulcedinem et affabilitatem demonstrat, et mititatem interiorem. In omni siquidem animalis specie, figura corporis exterioris signum est naturæ interioris : sicut enim videmus, quod ungues magis fortes et acuti, et magna et ampla labia, significant rabiem et crudelitatem leonis et canis; sic naturaliter homo habens faciem venustam, et carnem mollem, et cutem levem, et ungues breves, et modicitatem oris, et gratiam in oculis, mansuetudinem significat : et multa alia testimonia mititatis, quæ possent dari : et e converso videmus, quod homo iratus habet tortam et hirsutam faciem, et exuit humanam naturam, et induit furiam; et quodammodo exterior effigies monstrat, quod homo iratus jam non est homo, sed incipit esse bestia, juxta illud Psalmi [1] : *Comparatus est jumentis*, etc. Mansuetudo insuper vel mititas in Scriptura valde commendatur : dicitur enim de Mediatore nostro in *Jeremia* [2] : *Ego sicut agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Et iterum dicitur in Psalmo [3] : *Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam*, etc. Unde nota tria, quæ recte hominem deducunt, quæ sunt mansuetudo cordis, veritas oris et justitia operis.

CAPUT III.

De Fletu.

Fletus triplex.

De fletu, quæ est tertia beatitudo, nota specialiter tria, scilicet quod est fletus compunctionis, fletus compassionis, et fletus devotionis.

Primus fletus, scilicet compunctionis, est sicut collyrium medicativum. Unde in *Apocalypsi* legitur [4] : *Collyrio inunge oculos tuos.* Sicut enim collyrium, purgando oculos, turbat visum, et in turbando purificat; sic fletus compunctionis animam turbat per pœnitentiam, sed medicat per gratiam. De hoc fletu dicitur in Psalmo [5] : *Exitus aquarum deduxerunt*, etc.

Secundus fletus est compassionis, et est sicut unguentum lenificativum : nam sicut unguentum ungendo sanat membra paralytica, sic humor compassionis sanat cupidos a paralysi, id est, ab avaritia. Et nota, quod ad ungendum et sanandum membra infirma, præcipue tria sunt necessaria, scilicet ignis, unguentum, et confricatio manuum : sic ad opus misericordiæ requiritur ignis dilectionis, unguentum compassionis, et manus subventionis. De hoc fletu dicitur in *Job* [6] : *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

Tertius fletus, scilicet devotionis, est sicut balneum delectativum. Unde anima, in qua sunt lacrymæ devotionis, natat in devotione et lacrymis, sicut piscis in flumine. Nam dicitur in *Proverbiis* [7] : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus.*

Sex incitant ad fletum.

Item nota, quod sex sunt fletus incitamenta, et sex fletus impedimenta, et sex fletus emolumenta.

Fletus igitur incitamenta sunt sex. Primum est recognitio propriæ culpæ : nam dicitur in Psalmo [8] : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Secundum est incolatus præsentis vitæ, ut dicitur similiter in Psalmo [9] : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Tertium est timor gehennæ ; nam dicitur in libro *Threnorum* [10] : *Plorans ploravit in nocte*, id est, in peccato. Quartum est recordatio passionis dominicæ, ut legitur in Psalmo [11] : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Quintum est compassio humanæ miseriæ, ut dicit Apostolus [12] : *Flere cum flentibus.* Sextum est desiderium cœlestis patriæ, ut dicitur in Psalmo [13] : *Super flumina Babylonis*, id est, calcando delectationem transitoriam, *sedimus* per quietam meditationem, *et flevimus* propter cœlestis patriæ delectationem. Unde sequitur : *Dum recordaremur tui, Sion* : sicut interdum peregrinus lacrymari cogitur, cum suæ patriæ recordatur.

Fletus impedimenta sex.

Sex sunt etiam fletus impedimenta. Primum est superbiæ elatio. Sicut videmus, quod montes et alta loca consueverunt esse arida, sic mons elationis et superbiæ est aridus. Unde dicitur in *Josue* [14] : *Terram arentem dedisti mihi, junge et irriguam.* Sic e converso humiles abundant lacrymis, sicut videmus quod valles abundant aquis : nam humilitas est vallis lacry-

[1] *Psal.* XLVIII, 14. — [2] *Jerem.*, XI, 19. — [3] *Psal.* XLIV, 5. — [4] *Apoc.*, III, 18. — [5] *Psal.* CXVIII, 136. — [6] *Job*, XXX, 25. — [7] *Prov.*, XIV, 10. — [8] *Psal.* CXVIII, 136. — [9] *Psal.* CXIX, 5. — [10] *Thren.*, I, 2. — [11] *Psal.* XLI, 4. — [12] *Rom.*, XII, 15. — [13] *Psal.* CXXXVI, 1. — [14] *Jos.*, XV, 19.

a) *Cæt. edit.* regitur.

Digitized by Google

marum. Secundum impedimentum est terrenorum affectio, sicut videmus quod terra inspissat aquam, et turbat et redigit in eam (*a*). Unde dicitur in figura hujus in libro *Genesis* [1], quod Cain interfecit Abel. Cain interpretatur *possessio*, Abel *justus*. Cain igitur Abel interfecit, quando possessio et affectio terrenorum lacrymarum irriguum interficit et interrumpit. Ideo dicitur in figura hujus in *Genesi* [2], quod *omnes puteos, quos fecerunt* (*b*) *servi Isaac, obstruxerint Philistiim*, implentes terrenorum affectione puteos devotionis. Tertium impedimentum est cordis incompassio, sicut videmus, quod de rupe non scaturit aqua, nisi miraculose. Unde dicitur in libro *Genesis*, quod [3] os putei *grandi lapide claudebatur*. Per os putei irriguum devotionis intelligitur; et tunc grandi lapide clauditur, quando fletus propter cordis duritiam impeditur. Quartum impedimentum est nimia occupatio, sicut videmus quod in æstate, quando est tempus occupatum valde, fontes et putei exsiccantur. Contra hoc dicitur in *Isaia* [4] : *Recedite a me, amare flebo*. Quintum impedimentum est ignorantiæ excusatio; sicut videmus, quod phreneticus et fatuus non potest flere, sed ridere, quia non cognoscit morbum suum. Hoc impedimentum tangit Dominus dicens [5] : *Si cognovisses et tu*, fleres, etc. Sextum impedimentum est peccati multitudo : sicut enim videmus quod nimium frigus congelat aquas, ita magnum gelu peccati impedit lacrymas. Ideo dicitur in *Matthæo* [6] : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* ; et per consequens cessabit irriguum lacrymarum, quia, ut dicit Gregorius in *Moralibus*, « vis amoris per lacrymas emanat, et ideo ubi amor non est, lacryma cessat. »

Fletus emolumenta sex.

Sex sunt etiam fletus emolumenta vel utilitates. Unde nota, quod lacryma spiritum contritum lavat, ipsum devotum levat, spiritum malignum necat, terram cordis irrigat, sitim sedat, orando efficaciter impetrat. Primo ergo lacryma spiritum contritum lavat; unde figuratur per *mare æneum* [7] in tertio *Regum*, in quo ingressuri tabernaculum lavabant manus et pedes, id est, opera et affectiones. Secundo levat animam devotam, scilicet per contemplationem : quod figuratur per diluvium, ut habetur in *Genesi* [8] : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra*, id est, conscientiam ad sublimia contemplationis. Tertio, spiritum malignum lacrymæ necant; quod figuratur per Mare Rubrum, ut legitur in *Exodo* [9], ubi submersus est Pharao et exercitus ejus, id est, diabolus et omnis malignus spiritus. Nam dicitur in Psalmo [10] : *Contribulasti capita draconum in aquis*, id est, tentationes dæmonum in fletibus lacrymosis. Quarto lacryma terram cordis irrigat et fœcundat; quod figuratur per fontem Paradisi, ut habetur in *Genesi* [11] : *Fons ascendebat de terra*, scilicet irruguum lacrymarum, irrigans universam superficiem terræ ad producendum fructus bonorum operum. Nam dicitur in Psalmo [12] : *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*. Quinto lacryma sitim et ardorem concupiscentiæ sedat. Sicut contra sitim curritur ad fontem, et contra ignem curritur ad aquam; sic contra concupiscentiæ ignem et incendium, currendum est ad fontem lacrymarum. Unde dicit Gregorius in *Moralibus*, quod flammam suggestionis extinguit citius aqua lacrymarum. Sexto, lacryma efficaciter orando impetrat. Et nota, quod de hoc sunt novem exempla præcipua in Scriptura. Primum Annæ, de qua dicitur in primo *Regum* [13], quod *cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter*, quæ a Deo exaudita est. Secundum Ezechiæ, cui dictum est ab Isaia [14] : *Vidi lacrymam tuam, et ecce sanavi te*. Tertium est Tobiæ; quartum est Saræ; de his duobus dicitur in *Tobia* [15], quod *oravit Tobias cum lacrymis*, et *Sara* similiter, et *exauditæ sunt preces amborum*. Quintum est Judith, quæ dixit [16] : *Indulgentiam ipsius fusis lacrymis postulemus;* quod et fecit, et Deus eam exaudivit. Sextum David, de quo dicitur in Psalmo [17] : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*. Septimum est Mariæ Magdalenæ, quæ pedes Salvatoris lavit lacrymis, et misericordiam impetravit, ut dicitur in *Luca* [18]. Octavum est Petri, de quo dicitur in *Matthæo* [19], quod post trinam negationem *flevit amare*, et obtinuit remissionem. Nonum est Christi, de quo dicit Apostolus [20], quod *cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia*, scilicet Christus.

[1] *Gen.*, IV, 8. — [2] *Gen.*, XXVI, 15. — [3] *Gen.*, XXIX, 2. — [4] *Isa.*, XXII, 4. — [5] *Luc.*, XIX, 42. — [6] *Matth.*, XXIV, 12. — [7] III *Reg.*, VII, 23. — [8] *Gen.*, VII, 17. — [9] *Exod.*, XV, 4. — [10] *Psal.* LXXIII, 13. — [11] *Gen.*, II, 6. — [12] *Psal.* CXXV, 5. — [13] I *Reg.*, I, 10. — [14] *Isa.* XXXVIII, 5. — [15] *Tob.*, III, 1; II, 24. — [16] *Judith.*, VIII, 14. — [17] *Psal.* LV, 9. — [18] *Luc.*, VII, 38-50. — [19] *Matth.*, XXVI, 75. — [20] *Hebr.*, V, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* ea. — (*b*) Vulg. *foderant*. — (*c*) Cæt. edit. *puteus*.

Digitized by Google

Propter hanc efficaciam lacrymarum dicit Augustinus, quod lacrymæ violentæ sunt in precibus. Et Glossa [1] dicit, quod oratio Deum lenit, et lacryma cogit.

De esurie et siti justitiæ, quæ est quarta beatitudo, nihil ad præsens aliud est dicendum, quam quod in tractatu *de Virtute Justitiæ* [2] superius dictum est.

CAPUT IV.

De Misericordia.

De Misericordia, quæ est quinta beatitudo, sunt specialiter tria notanda, scilicet comparationes quibus figuratur, meditationes cum quibus adjuvatur, operationes cum quibus occupatur.

Comparationes quibus misericordia figuratur.

Primo ergo notandæ sunt ejus figurales comparationes. Unde nota, quod misericordia est interna Christi passio, prima Christi lectio, et optima Christi unctio. Primo ergo misericordia est interna Christi passio, id est, compassio, quæ melior est et major fuit, quam aliqua passio. Unde nota, quod duplex fuit crux Christi, scilicet exterior, quæ fuit lignea; et interior, quæ fuit aurea. Exterior fuit passionis et pœnitentiæ, interior fuit compassionis et misericordiæ. Ideo Christus dicitur [3] pro nobis animam posuisse, prius quam carnem. Unde dicitur in *Joanne* [4]: *Christus pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animam ponere.* Et sicut dolor passionis Christi non habuit parem, ita dolor compassionis non habuit similem, ut patet in *Threnis* [5]: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte,* etc. Secundo, misericordia est summa Christi lectio, ut dicit Ambrosius. In signum hujus, Christus in hac lectione præ cæteris examinabit scholares suos in die districti judicii, dicens [6]: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. Dyscoli, qui nesciunt hujus lectionis, scilicet misericordiæ versiculum, in æternum sentient sine pietate flagellum, quia dicit Jacobus [7]: *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Tertio, misericordia est optima Christi unctio. Nam cum sit triplex unguentum, scilicet contritionis, et devotionis, et compassionis; unguentum compassionis optimum est, ut dicit Bernardus [8]: « Bonum est, inquit, unguentum, quod de recordatione peccatorum nascitur; melius, quod ex devotione conficitur; porro utrumque vincit compassio charitatis vel pietatis. » Et nota, quod isto unguento deberent tria perungi, scilicet caput, id est, intentio; pedes, id est, affectio; manus, id est, operatio: quia in his tribus, scilicet intentione, affectione et operatione, debet præcipue relucere. De unctione capitis dicitur in *Matthæo* [9]: *Unge caput tuum.* De unctione pedum dicitur in *Luca* [10], quod Maria *unxit pedes* Jesu. De unctione manuum dicitur in *Canticis* [11]: *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Crux Christi duplex.

Item nota, quod misericordia decenter conversatur, prudenter negotiatur, et abundanter remuneratur. Primo, misericordia facit hominem decenter conversari: nam vir pius et misericors benedicitur a Deo, placet proximo, et natat in oleo: benedicitur a Deo per gratiæ effusionem; placet proximo per justam conversationem; natat in oleo per internam devotionem. Hæc simul figurantur in *Deuteronomio* [12]: *Benedictus filius Aser;* quantum ad primum: *Sit placens fratribus;* quantum ad secundum: *Intingat in oleo pedem suum;* quantum ad tertium: *Ferrum et æs sit calceamentum ejus.* Secundo misericordia prudenter operatur: nam de malis aliorum melioratur, de sordibus lavatur, de paupertate ditatur, de infirmitate sanatur, de onere alleviatur. Ipsa enim omnibus compatitur, omnium onera portare nititur; et quanto plus onera assumit, tanto plus lucratur, et velocius currit. Ideo dicit Apostolus [13]: *Alter alterius onera portate,* etc. Et nota, quod misericors homo instar prudentis mercatoris considerat tria: nam mutuat libenter regi, qui potest sibi capitale reddere, et damnum resarcire, et usuras et lucrum solvere. Talis rex liberalis est Deus, qui mercatoribus suis consuevit capitale custodire, conservando gratiam; damna resarcire, remittendo culpam; usuras solvere, scilicet largiendo gloriam et æternam vitam. De ista mercatura dicit Matthæus [14]: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus,* id est, oleum misericordiæ et compassionis, in vasis suis, id est, in interioribus vasis cordis: quia sicut ignis sine oleo non ardet in lampade, sic ignis charitatis sine oleo misericordiæ non ardet in corde. Hanc negotiationem docuit sum-

[1] Gloss. in *Tob.*, IV. — [2] Sup., tit. V, pag. 303-304. — [3] *Joan.*, X, 15. — [4] 1 *Joan.*, III, 16. — [5] *Thren.*, I, 12. — [6] *Matth.*, XXV, 42. — [7] *Jac.*, II, 13. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XII, post med. — [9] *Matth.*, VI. 17. — [10] *Luc.*, VII, 46. — [11] *Cant.*, V, 5. — [12] *Deut.*, XXXIII, 24, 25. — [13] *Gal.*, VI, 2. — [14] *Matth.*, XXV, 4.

Digitized by Google

mus mercator, scilicet Christus [1] : *Vade et vende omnia quæ possides, et da pauperibus.* Homo etiam misericors, ad modum boni et industrii mercatoris, innovat et renovat veteres merces in novas, et viles in pretiosas, et quodam modo circumvenit Deum in sua negotiatione, quia pro calice aquæ frigidæ recipit torrentem voluptatis æternæ. Unde dicit Augustinus : « Præbe tectum, et accipe cœlum. » Et ideo dicitur in *Osea* [2] : *Circumdedit me in negotiatione* (*a*) *sua Ephraim.* Tertio, misericordia abundanter remuneratur. Unde nota, quod duæ virtutes valde copiosæ et plenæ veniunt ad judicium, propter quod recipiunt salarium valde copiosum, scilicet charitas et misericordia. Charitas enim aliena bona facit sua, juxta illud Psalmi [3] : *Particeps ego sum omnium timentium te,* etc. Misericordia facit aliena mala sua, juxta illud [4] : *Sicut socii estis passionum, ita et consolationum.* Hæc est enim lex fidelium mercatorum, scilicet, sicut sunt socii in damno, ita sunt socii in lucro.

Misericordia cæteras virtutes superat, et præcipue tres excellentes.

Item nota, quod misericordia est virtus quæ cunctas superat, modus (*b*) qui reum liberat, et clavis quæ cœlum reserat. Primo igitur misericordia est virtus inter cæteras virtutes superans; et specialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes, scilicet pœnitentiam, quia pœnitentia immolat corpus, misericordia vero animam. Ideo dicit Apostolus [5] : *Corporalis exercitatio*, id est pœnitentia, *ad modicum* (*c*) *utilis est*, scilicet respective. *Pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Misericordia autem superat charitatem in eo, quod charitas est fluvius divinæ pietatis, et currit cum alveis suis, et non exit extra ripas, quia solum bonum diligit, et sua communicat; pietas vero et misericordia extra ripas inundat, et sua bonis et malis communicat, et ideo non solum bona proximorum, sed etiam mala libentissime portat, juxta Apostolum [6] : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Misericordia nihilominus superat justitiam; et in signum hujus de curia justitiæ, si est a peccatore suspecta, licet ad consistorium misericordiæ appellare. Nam dicit Jacobus [7] : *Misericordia superexaltat judicium.* Et de hac excellentia misericordiæ respectu aliarum virtutum, dicitur in Psalmo [8] : *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Secundo, misericordia est modus absolutionis optimus, liberans reum, et Deum obligans. Reum itaque liberat a delicto, vel debito decem millium talentorum. Et nota, quod homo misericors de remissione peccatorum suorum habet spiritualiter tria paria litterarum, id est tria testimonia evangelica, quæ homini pie denuntiant peccata remissa. Primum est in *Matthæo* [9] : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Secundum est in eodem *Matthæo* [10] : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis peccata vestra dimittet.* Tertium est in *Luca* [11] : *Dimittite, et dimittemini.* Et non solum misericordia a delicto liberat, verum etiam ad sanandum hominem Deum obligat. Nam dicitur in *Proverbiis* [12] : *Fœneratur Domino, qui miseretur proximo.* Tertio, misericordia est clavis cœlum reserans. Unde in figura hujus dicitur, quod Christus ascendit in cœlum de monte Oliveti, quo figuratur eminentia misericordiæ. Christus, qui dicitur *unctio*, est homo misericors, unctus unctione pietatis : talis ascendit in cœlum, quia homini pio reseratur aula cœlestis gloriæ. Et nota, quod duo ostia facit pietas in cœlo, cum homo misericors intus compatitur, et proximo extra subvenit : quod optime figuratur in tertio *Regum*, ubi dicitur [13], quod Salomon fecit in ingressu oraculi duo ostiola de olivis, quæ quidem sunt duplex misericordia, scilicet corporalis, et spiritualis : corporalis, subveniendo; spiritualis, compatiendo.

Meditationes, quibus ad misericordiam movemur.

Secundo notandæ sunt meditationes, in quibus adjuvatur misericordia, et homo misericors ad miserandum movetur. Unde nota, quod tria sunt, quæ movent hominem ad misericordiam. Primum est naturalis conformitas : omnes enim unum habemus principium, et ex uno patre sumus geniti, et omnes sumus filii Dei : et ideo debemus invicem compati, sicut si essemus fratres germani. Unde dicitur in *Matthæo* [14] : *Omnes enim vos fratres estis.* Et ideo dicitur in *Isaia* [15] : *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Secundum motivum misericordiæ est propria indigentia vel necessitas, quia homo qui bene considerat propriam miseriam, facilius et libentius relevat alienam. Nam

[1] *Matth.*, XIX, 21. — [2] *Ose.*, XI, 12. — [3] *Psal.* CXVIII, 63. — [4] II *Cor.*, I, 7. — [5] I *Tim.*, IV, 8. — [6] II *Cor.*, XI, 29. — [7] *Jac.*, II, 13. — [8] *Psal.* CXLIV, 9. — [9] *Matth.*, V, 7. — [10] Ibid., VI, 14. — [11] *Luc.*, VI, 37. — [12] *Prov.*, XIX, 17. — [13] III *Reg.*, VI, 31. — [14] *Matth.*, XXIII, 8. — [15] *Isa.*, LVIII, 7.

(*a*) Vulg. *negatione* Vid., tit. II, c. 6, pag. 272, not. 3. — (*b*) *Suppl.* absolutionis. — (*c*) Cæt. edit. *admodum.*

Digitized by Google

dicitur in *Ecclesiastico* [1]: *Ex te ipso intelliye, quæ sunt proximi tui.* Tertium motivum pietatis est Christi et membrorum suorum, scilicet pauperum, amor et unitas: adeo namque Christus afficitur ad amorem pauperum, quod quidquid fit eis, reputat sibi factum; quia dicitur in *Matthæo* [2]: *Quod uni ex minimis meis fecistis*, etc.

Operationes, quibus misericordia occupatur.

Tertio notandæ sunt operationes, quibus misericordia occupatur. Et notandum, quod septem sunt opera misericordiæ corporalia, et septem spiritualia. Corporalia sunt ista: nempe esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, vinctum liberare, et mortuum sepelire. Septem spiritualia sunt peccata dimittere, peccantem corrigere, pro peccante orare, ignorantem instruere, hæsitantem consulere vel confirmare, lugentibus consolationem præbere, et ad omnes afflictos cordis compassionem habere. Sex de istis numerantur in *Matthæo*; septima in *Tobia*. Et in figura horum dicitur in *Apocalypsi* [3], quod similis filio hominis erat in medio septem candelabrorum aureorum, et habebat in dextera sua septem stellas. *Filius hominis* dicitur homo pii cordis, quia, secundum Philosophum, pietas est proprium hominis, sicut crudelitas leonis. *Candelabra aurea* signant septem opera misericordiæ corporalia, quæ sunt ut aurum pretiosa. *Septem stellæ*, quæ sunt in dextera, sunt septem opera misericordiæ spiritualia, in cordis hemisphærio lucentia tanquam sidera radiosa.

CAPUT V.

De Munditia cordis.

Tria faciunt munditiam cordis.

De munditia cordis, quæ est sexta beatitudo, est notandum, quod tria sunt quæ cordis munditiam faciunt, scilicet lectio Scripturarum, largitio eleemosynarum, et effusio lacrymarum. Primo lectio Scripturarum efficit cor mundum, quia dicitur in *Joanne* [4]: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quod figuratur eleganter per lavatorium tabernaculi, ut legitur in *Exodo* [5]. Et nota, quod duo erant in lavatorio, scilicet speculum, et aqua munda: et hæc duo sunt mystice in sacra pagina: est enim speculum, quia peccati maculas ostendit; et est aqua, quia maculas tergit. Secundo facit cor mundum effusio lacrymarum, quia dicitur [6]: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, scilicet conscientiæ. Et nota, quod lacryma, ad hoc quod cor sit bene mundum, debet habere tria, scilicet quod debet esse calida per devotionem, amara per contritionem, et cinerea per mortis recordationem. Sicut enim aqua transiens per cineres, facit lixivium, quod optime sordium est mundativum; sic talis lacryma est cordis mundativa. Tertio fit cor mundum per eleemosynarum largitionem, quia dicitur [7]: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Videmus enim, quod ad sanandum vel purgandum vulnus, non solum adhibentur cauteria, imo apponuntur emplastra. Cauterium est correctio justitiæ, et emplastrum est largitio eleemosynæ.

Tria disponunt ad munditiam cordis.

Item nota, quod sunt alia tria, quæ ad cordis munditiam disponunt, id est, scopa confessionis, lima correctionis, et fornax affectionis. Primo igitur facit munditiam cordis scopa confessionis, id est, frequenter conteri, quia dicitur [8]: *Lavare septies in Jordane.* Lavatur autem septies, qui septem vitia mortalia, vel capitalia, humiliter confitetur, quia tunc cor mundatur et sanctificatur. Nam dicitur [9]: *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Judæa interpretatur *confessio*; ipsa enim est cordis sanctificatio. Et nota quod in sacro eloquio valde sæpe adjungitur decor et pulchritudo; et in figura hujus, quod scopa confessionum summe disponit ad munditiam cordis, dicitur [10]: *Confessionem et decorem induisti*; et iterum [11]: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, et sic de aliis. Secundo multum disponit ad munditiam cordis lima correctionis: nam sicut lima mundat ferrum a rubigine, sic correctio cor a labe. Unde ait Gregorius: « Ille solus amicus erit, qui in adventum districti judicis, maculas suæ mentis tergit. » Sed nota, quod quidam sunt adeo miseri, quod unde deberent mundari, sordidantur. De talibus dicitur [12]: *Destruxisti eum ab emundatione.* Tertio, munditiam cordis facit fornax tribulationis: nam sicut fornax reddit aurum purum, sic tribulatio facit cordis munditiam, juxta illud [13]: *Probasti cor meum tecum.* Sed sunt quidam, qui ab igne tribulationis non mundantur, sed uruntur: tales non sunt aurum, sed scoria; non granum, sed palea; non oleum, sed amurca. Unde multum possunt formidare de illo verbo

[1] *Eccli.*, XXXI, 18. — [2] *Matth.*, XXV, 40. — [3] *Apoc.*, I, 13, 16. — [4] *Joan.*, XV, 3. — [5] *Exod.*, XXXVIII, 8. — [6] *Psal.* VI, 7. — [7] *Luc.*, XI, 41. — [8] IV *Reg.*, V, 10. — [9] *Psal.* CXIII, 2. — [10] *Psal.* CIII, 1. — [11] *Psal.* XCV, 6. — [12] *Psal.* LXXXVIII, 45. — [13] *Jerem.*, XII, 3.

Digitized by Google

Evangelii [1] : *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sicut enim videmus, quia confricatio panni asperi facit et conservat munditiam scyphi; sic tribulatio et carnis maceratio facit munditiam animi. Exemplum de Joanne Baptista, qui habebat vestimentum de pilis camelorum, ut habetur in *Matthæo* [2] : sciebat enim, quod aspera faciebant cor mundum.

Item nota, quod cor efficitur mundum ab omni peccato, specialiter et præcipue triplici baptismo, scilicet fluminis, flaminis, et sanguinis. Baptismo fluminis mundantur infantes; baptismo flaminis mundantur pœnitentes; baptismo sanguinis mundantur martyres, quando scilicet sacramentum volunt, et non possunt habere. Et iste triplex modus mundandi figuratur per illa tria quibus fiebat munditia in veteri lege. Fiebat enim per tria, scilicet per aquam expiationis, ut dicitur in *Exodo* [3] : per effusionem sanguinis, ut dicitur ad Hebræos [4]; per unguentum unctionis, ut dicitur in *Exodo* [5]. Ablutio vero quæ fiebat per aquas, significat mundationem quæ fit per solam gratiam. Expiatio quæ fiebat per sanguinem, significat martyrium, vel carnis mortificationem. Sanctificatio quæ fiebat per unguenti unctionem, figurat martyrum perfectionem. Et nota, quod in illo tertio modo, sanctificabatur solus Aaron et filii ejus : in quo intelligitur, quod clerici et religiosi debent esse mundificati excellenter unctione Spiritus sancti.

Item nota, quod quinque erant ex quibus conficiebatur unguentum unctionis, ut dicitur in *Exodo* [6], scilicet myrrha electa, cinnamomo, cassia, calamo, et oleo olivarum. Prima ergo species illius unguenti erat myrrha pura et electa, sicut illa quæ sponte manat ab arbore; et est pretiosior, quam illa quæ ex arboris incisione. Ista significat pœnitentiam quæ fit in juventute; quæ gratiosior est Deo, quam illa quæ fit in senectute. Nam caro myrrha prius condienda est, ut sit purissima, antequam vermibus sit consumpta : contra fatuitatem multorum, qui myrrha pœnitentiæ nolunt se ungere, donec toti putruerunt vermibus peccatorum vel vitiorum. Secunda species illius unguenti erat cinnamomum, quod est cinerei coloris, et, cum frangitur, emittit quamdam nebulam spiramenti redolentis etiam visibilis, ut dicit Glossa [7] : quod figurat humilitatem, quæ debet esse in clericis et religiosis, de quibus manare debet visibiliter spiramentum odoris, id est, redolentia humilitatis, per exemplum ædificationis. Tertia species illius unguenti erat cassia, quæ crescit in aquis; et figurat fidem Ecclesiæ, quæ ex aquis sacræ Scripturæ proficit. In quo intelligitur, quod fides innititur Scripturæ, non rationi humanæ, quia, ut dicit Ambrosius [8] : « In his quæ fidei sunt, piscatoribus creditur, non dialecticis. » Quarta species illius unguenti erat calamus. Est autem calamus, ut dicit Glossa [9], arbor aromatica, crescens in Libano, cujus cortex facit quemdam sonum, et significat in clericis et religiosis officium ecclesiasticum, quod, instar calami, debet esse aromaticum per devotionem, et sonorum per divinæ laudis expressionem. Quinta species illius unguenti erat oleum olivarum; et significat dulcedinem compassionis, quæ debet abundare in clericis et religiosis : quia sicut oculus est lacrymabilior et tenerior, et passibilior cæteris membris; sic prælati, et clerici, et religiosi, qui sunt oculi Ecclesiæ, debent esse præ cæteris teneri compassione, lacrymabiles pietate. De hoc habemus exemplum in Christo, qui valde pronus erat ad lacrymandum, et quem misericordia traxit de cœlis in mundum. Unde dicitur [10] : *Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.*

CAPUT VI.

De Pace.

De pace, quæ est septima beatitudo, notanda sunt tria, scilicet quæ sunt pacis præconia, quæ sunt pacis subsidia, et quæ sunt pacis contraria.

Pacis præconia.

Primo notanda sunt pacis præconia. Unde nota, quod tria sunt præconia pacis : nam pax est cœli linguagium, Christi encœnium, et Dei vestigium. Est igitur pax cœli linguagium; cujus signum est triplex, quia Christus illud idioma loquebatur, qui venit de cœlo. Dixit enim Apostolis [11] : *Pax vobis*, post resurrectionem, quando erat immortalis, ut habetur in *Joanne.* Tale linguagium etiam locuti sunt angeli, qui sunt cœli cives; dixerunt enim in ortu Christi [12] : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax.* Tale etiam idioma loquebantur discipuli,

[1] *Matth.*, III, 12. — [2] *Matth.*, III, 4. — [3] *Exod.*, XXIX, 36. — [4] *Hebr.*, IX, 7. — [5] *Exod.*, XXX, 25. — [6] Ibid. — [7] Gloss. in *Exod.*, XXX. — [8] Ambros., *de Fid.*, lib. I, c. V. — [9] Gloss. in *Exod.*, XXX. — [10] *Psal.* XLIV, 6. — [11] *Joan.*, XX, 21. — [12] *Luc.*, II, 14.

Digitized by Google

quia dictum erat eis a Christo [1] : *In quamcumque domum intraveritis, dicite : Pax huic domui.* Secundo pax est encœnium Christi, et pretiosius inter omnia alia jocalia. Cujus causa est, quia istud pretiosum jocale legavit Christus apostolis in morte. Amici namque amicis dant et legant magis pretiosa in fine.

Et nota, quod Christus dedit pacem discipulis suis et amicis, triplici jure, scilicet jure donationis inter vivos, jure ultimi testamenti, jure codicillorum. Jure donationis et testamenti dedit pacem, quando dixit [2] : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis;* jure codicillorum, quando post resurrectionem, quasi firmando testamentum, dixit [3] : *Pax vobis.* Tertio pax est vestigium Dei, et certissima semita, de qua dicitur [4] : *Omnes semitæ illius pacificæ.* Et nota, quod hujusmodi viæ divinæ sunt tres diætæ, vel semitæ, scilicet pax interna, quæ dicitur pax pectoris; pax externa, quæ dicitur pax temporis ; et pax superna, quæ dicitur pax æternitatis. De diæta pacis internæ dicitur [5] : *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* De diæta pacis externæ dicitur [6] : *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus pacem habentes.* De diæta pacis supernæ dicitur [7] : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*

Unde nota tria pacis subsidia, ad pacem ducentia, vel inducentia, scilicet conformitas, humilitas et tranquillitas : conformitas cum Deo, humilitas cum proximo, et tranquillitas in seipso. Primo ergo juvat ad pacem habendam, conformitas voluntatis nostræ ad voluntatem divinam. Sicut enim semper est in guerra, qui nititur regi resistere, cui non potest aliquatenus prævalere ; sic continua pace gaudet, qui voluntatem suam voluntati divinæ conformare studet, cui nihil valet resistere. Ideo dicitur [8] : *Quis restitit ei, et pacem habuit?* quasi diceret: Nullus. Secundo juvat ad pacem habendam, cum quis habet veram humilitatem; nam vulgo dicitur : Duo grossi in uno sacco non possunt bene capi ; et per contrarium humilitas facit mentes modicas et graciles, et per consequens ad invicem capaces. Unde dicit Apostolus [9] : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

Tertio juvat bonum pacis tranquillitas mentis. Sicut in lecto spinoso nullus potest bene pausare, sic cor inquietum non potest veram pacem habere. Et e converso sicut homo bene pausat in molli culcitra, sic Deus quiescit in mente tranquilla. Unde dicitur [10] : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Et rursus [11] : *In pace factus est locus ejus.* Et iterum [12] : *Mansueti hæreditabunt terram.* Et ibidem in multis locis patet.

Tertio notanda sunt paci (*a*) contraria. Unde nota, quod triplex est pax mala, quæ est veræ paci contraria, scilicet pax inquinata, pax simulata, et pax inordinata. Primo ergo est veræ paci contraria pax inquinata; et dicitur pax inquinata, quando corda sunt ad malum concordia; talem pacem habuit Pilatus cum Herode, qui cum essent ante inimici, facti sunt in morte Christi amici, ut dicitur in *Luca* [13]. De tali pace dicitur [14] : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Secundo est veræ paci adversa pax simulata, qualis fuit simulatoris Judæ, qui osculatus est Christum in signum pacis, et tradidit ipsum Judæis, ut dicitur in *Matthæo* [15]. De tali pace dicitur [16] : *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Tertio et ultimo est pax inordinata, quando major obedit minori, ut prælatus inferiori, vel ratio sensualitati : talis pax est deterior, quam guerra. Talem pacem habuit Adam cum Eva uxore sua; qui obedivit uxori suæ, quæ erat sibi potius ad obediendum, et (*b*) ad regendum commissa: noluit enim contristare delicias suas, ut dicit Magister historiarum. De tali pace dicit Salvator [17] : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Item nota, quod quadruplex bellum in Scriptura distinguitur, quod paci adversatur, et per pacem sedatur. Bellum enim est inter carnem et spiritum, quod pacificat pœnitentia. Bellum est inter hominem et Deum, quod pacificat justitia. Bellum etiam fuit inter hominem et angelum, quod pacificavit Filii incarnatio benedicta. Et bellum est inter hominem et proximum suum, quod pacificat patientia. Et quia pax est ita fructuosa et necessaria, ideo ad eam obtinendam docet nos orare Propheta, dicens [18] : *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem.*

[1] *Luc.*, X, 5. — [2] *Joan.*, XIV, 27. — [3] *Joan.*, XX, 21. — [4] *Prov.*, III, 17. — [5] *Coloss.*, III, 15. — [6] *Rom.*, XII, 18. — [7] *Isa.*, XXXII, 18. — [8] *Job*, IX, 4. — [9] *Ephes.*, IV, 3. — [10] *Psal.* IV, 9. — [11] *Psal.* LXXV, 3. — [12] *Psal.* XXXVI, 12. — [13] *Luc.*, XXIII, 12. — [14] *Psal.* LXXII, 3. — [15] *Matth.*, XXVI, 48, 49. — [16] *Psal.* XXVII, 3. — [17] *Matth.*, X, 34. — [18] *Psal.* CXXI, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* pacis. — (*b*) *Forte legend.* quam.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Patientia.

De patientia, quæ est octava et ultima beatitudo, notanda sunt specialiter quatuor, scilicet patientiæ testimonia, patientiæ beneficia, patientiæ exercitia, et patientiæ adjutoria.

Circa patientiæ igitur testimonia, et laudes ejus, primo sunt tria notanda, scilicet quia est prudentissima, strenuissima, et nobilissima: prudentissima ad regendum; strenuissima ad bellandum; et nobilissima ad regnandum. Primo igitur patientia est ad regendum prudentissima. Et nota, quod in tribus patet hominis patientia prudentis, scilicet acquirendo, conservando, et multiplicando. Prudens enim facit solvere omnia debita sua de his, quæ nihil videntur valere, scilicet de malis pœnæ, quæ sustinet ut Deus remittat sibi debitum culpæ; et solvendo nihil expendit de suo, imo de his, quæ accepit ab initio, sicut de opprobriis et contumeliis, solvit quæcumque et quidquid debet Deo, et cum alienis se retinendo, scit acquirere gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Et ideo dicitur [1]: *Ab Aquilone aurum venit*, quod patiens acquirit in tribulatione. Item patientis prudentia patet in conservando, quia cum perdit bona temporalia, retinet et claudit bona spiritualia. E contrario facit, qui patientiam non habet: qui cum amittit bona exteriora, effundit æterna, et bona interiora, et sic auget capitale diaboli, respondendo ad verba et ad contumelias inimici, et associat hostem suum, ne forte vadat solus in infernum. Male igitur qui impatiens est custodit divitias suas, qui cum aliquid perdit, etiam residuum effundit. Ideo dicitur [2]: *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* Prudentia etiam patientis patet in multiplicando, quia sputa et opprobria scit mutare in aurum et argentum, et lapides pretiosos. Ipse enim ad modum ursi verberibus impinguatur, et instar salamandræ igne tribulationis fovetur; et sicut asinus pungitivis pascitur, sicut struthio comedit ferrum et omnia dura, sicut piscis marinus crescit in aqua salsa et amara, id est, tribulationibus et passionibus, et tantam scit in negotio habere industriam, ut per hostes suos faciat sibi fabricare coronam, dicente Psalmista [3]: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.*

Patientia prudentis in tribus cernitur.

[1] *Job*, XXXVII, 24. — [2] *Prov.*, XIV, 29. — [3] *Psal.* CXVIII, 3. — [4] *Prov.*, XVI, 32. — [5] *Gal.*, VI, 17. —

Magna est igitur prudentia patientis, quod tam prudenter scit acquirere, conservare et multiplicare bona sua.

Secundo patientia est ad bellandum strenuissima, quia ait Sapiens [4]: *Melior est patiens viro forti.* Et nota, quod strenuitas patientis patet in tribus, scilicet si attendas pugnantis animum, pugnandi modum, et pugnandi scutum. Primo ergo patiens habet animum valde strenuum, quia plus vult pugnare, quam pausare. Gloriosius et generosius est militi stare in bello, quam in balneo; esse in campo cum rege, quam in lecto cum muliere; certare in pugna, quam delectari in mensa; et portare arma regis, quam fimbrias mulieris. Unde dicit Apostolus [5]: *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Secundo patiens habet in pugnando modum valde strenuum. Ipse enim sine fuga evadit, sine ictu teli recedit, sine repercussione vincit, et adeo est in pugnando strenuus, quod contra hostem non levat festucam de terra, ut ait Psalmista [6]: *Confregit potentias arcuum* (*a*), *scutum, gladium, et bellum.* Tertio patiens in pugna habet nobilissimum scutum. Et nota, quod scutum patientiæ debet esse triangulum: in inferiori enim angulo debet esse timor supplicii; in dextro amor proximi; in sinistro passio Christi, juxta illud [7]: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Et juxta illud [8]: *Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Et hoc scutum sustinet omnia tela, et specialiter tria, scilicet damnum rerum, molestias corporum, et contumelias verborum. Cum hoc scuto homo se conformat voluntati Domini, correctiones ejus sustinendo; vincit diabolum, ejus tentationes evadendo, sanctificat semetipsum, carnis afflictiones, et passiones corporis tolerando. De strenuitate patientis dicit Apostolus [9]: *Per patientiam curramus ad propositum nobis terminum* (*b*).

Patientis strenuitas in tribus apparet.

Patientis scutum quale esse debeat.

Tertio patientia est ad regnandum nobilissima, quia dicitur [10]: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et nota, quod homo pacificus potest dici rex præcipue propter tria, scilicet quia regali dominio omnibus dominatur, quia ad regale prandium invitatur, et quia sibi regale ferculum ministratur. Primo enim homo patiens rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus: nam patienti serviunt omnia, quæ

Homo pacificus propter tria rex dici potest.

[6] *Psal.* LXXV, 4. — [7] *Thren.*, III, 65. — [8] I *Petr.*, IV, 1. — [9] *Hebr.*, XII, 1. — [10] *Matth.*, V, 10.

(*a*) Cæt. edit. *arcum.* — (*b*) Vulg. *certamen.*

Digitized by Google

aliis sunt nociva, ut sterilitas agrorum quæ implet sibi cellarium; hostes fabricant sibi coronam; febres parant et medicinam; mors aperit sibi carcerem ad evadendum miseriam; ignis, qui domos incendit aliis, sibi confert pabulum, vel constituit in cœlis palatium; et sic verificatur illud Apostoli [1] : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Secundo patiens invitatur a Deo ad regale prandium: et non solum invitatur, sed etiam trahitur: nec solum trahitur, imo vestis ejus, ut veniat, laceratur. Unde nota, quod triplex est signum, quod invitans ex corde invitet amicum, scilicet trahendo, vocando, et rumpendo. Magnum signum est, quando efficaciter eum invitat sive vocat per prædicatoris verbum, alios per tactum inspirationis; sed patientes, quos summe diligit, per rupturam tribulationis. Unde dicit [2] : *Compelle eos intrare*, scilicet patientes vocando, trahendo, et rumpendo.

Tertio, patienti ministratur regale prandium, vel ferculum. Talia namque fercula gustavit Christus, qui est rex regum, scilicet tribulationes, persecutiones, perjuria, paupertates, dolores, et passionem, et mortem. Unde dicit filiis Zebedæi [3] : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, etc. Et sicut magna incurialitas reputatur, cum quis respuit scyphum, quem rex mittit ad bibendum post ipsum; sic magna ingratitudo est calicem tribulationis respuere, quem amore nostri Christus voluit primo gustare; imo sicut vinum, quod de se est forte et durum, transeundo per gariophilos et species aromaticas, efficitur nectar dulcissimum; sic tribulationes mundi dulcescunt, si per memoriam passionis Christi transeant. Unde dicit sponsa [4] : *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Vinum conditum ad litteram dicitur nectar, et significat vinum mundanæ tribulationis, conditum dulciter dulci memoria passionis Christi, quod nobis concedat ipse Dei Filius, qui est benedictus in secula.

TITULUS OCTAVUS

DE DUODECIM FRUCTIBUS SPIRITUS

CAPUT PRIMUM.

De Gaudio spirituali.

Post tractatum de beatitudinibus, sequitur tractatus de fructibus spiritus, et ista est octava diæta salutis, scilicet a beatitudinibus ad fructus spiritus pervenire: quia beatitudines faciunt operari, vel ambulare simpliciter et perfecte; fructus autem, suaviter et deliciose. Sunt isti fructus spiritus duodecim, quos enumerat Apostolus [5] : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, et castitas.* Primo igitur inter istos fructus, dicendum esset de charitate : sed quia in tractatu *de Virtutibus* de ipsa dictum est, ideo hic nihil ad præsens est dicendum.

Secundo loco post fructum charitatis, dicendum est de fructu gaudii spiritualis. De quo dicenda sunt pauca, et specialiter tria : primo qualiter spirituale gaudium est a mundi gaudio separatum; secundo, qualiter est a cœli gaudio derivatum; tertio, qualiter est a cœlesti gaudio pigmentatum.

Quatuor differentiæ inter spirituale gaudium, et mundanum.

Primo igitur gaudium spirituale est a mundi gaudio separatum et distinctum. Unde sciendum est, quod quatuor sunt differentiæ inter spirituale gaudium et mundanum. Prima differentia est puritas et impuritas : gaudium enim spirituale est purissimum, et ideo fortius est ad inebriandum ad diligendum Deum, sicut videmus quod vinum purum citius inebriat, quam lymphatum. Istud vinum spiritualis gaudii fit de botro Cypri, id est de sanguine Christi, expresso in crucis torculari, sicut dicitur [6] : *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Gaudium vero mun-

[1] *Rom.*, VIII, 28. — [2] *Luc.*, XIV, 24. — [3] *Matth.*, XX, 22. — [4] *Cant.*, VIII, 2. — [5] *Gal.*, V, 22-23. — [6] *Cant.*, I, 14.

Digitized by Google

danum, sicut vinum cum aqua mixtum, ad inebriandum debilissimum, et insipidum; de quo dicitur [1] : *Vinum tuum mixtum est aqua* : quia, ut dicit Boetius [2], « dulcedo felicitatis humanæ, multis amaritudinibus est respersa. » Et notandum, quod gaudium humanum cum duobus est admixtum, scilicet cum remorsu conscientiæ, et sollicitudine cruciante. Remorsus conscientiæ est sicut infirmitas, quæ dicitur regius morbus, qui rodit carnem, et est magnarum expensarum. Unde dicitur regius, quia oportet quod ex gallinis et aliis delicatis carnibus morbus ille pascatur, quæ super locum morbi ponuntur, ne caro totaliter consumatur; quantumcumque tamen caro pascatur, tamen plus consumitur a morbo quam sustentetur a fomento. Ita in gaudio mundi, plus cruciat remorsus conscientiæ, quam delectet dulcedo jucunditatis transitoriæ et mundanæ. Secundo (*a*) gaudium mundanum est mixtum cum sollicitudine cruciante. Sollicitudo enim auget cruciatum, quia, ut dicit Bernardus [3], « divitiæ mundanæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, et cum dolore amittuntur. » Unde versus :

Dives divitias non congregat absque labore,
Non tenet absque metu, non desinit absque dolore.

Secunda differentia spiritualis gaudii est continuitas et discontinuitas. Spirituale gaudium est continuum et securum; unde dicitur [4] : *Secura mens quasi juge convivium.* Gaudium vero mundanum est breve et transitorium, quia, ut dicitur [5], *gaudium hypocritæ instar puncti. Hypocrita* dicitur iste mundus, quia hypocrita licet interius sit corruptus, exterius tamen apparet bonus et mundus; in veritate malus, et fœtidus interius, exterius tamen est floridus et venustus. Et ideo gaudium ejus est solum quasi punctus; instar puncti, non habens longitudinem perseverantiæ, nec latitudinem amicitiæ, nec profunditatem bonæ conscientiæ : sicut punctus qui caret longitudine, quam habet linea; et latitudine quam habet superficies; et profunditate, quam habet corpus. Tertia differentia spiritualis gaudii, et mundani, est dignitas et indignitas. Gaudium enim spirituale est de rebus valde dignis, quia de Deo præcipue, et de rebus divinis. Unde dicit Apostolus [6] : *Gaudete in Domino semper*, etc. Gaudium vero mundi est de rebus indignis, et præcipue, sicut de voluptate carnis, de qua dicit Seneca [7] : « Voluptas est membrorum vilium et turpium ministratio veniens ex exitu fœtido. » Et Augustinus dicit [8], quod sæculi est impunita nequitia, videlicet luxuriari, in spectaculum vagari, ebriositate impinguari, turpitudine fœtere, et mali mihi nihil pati (*b*). De quo gaudio turpissimo dicitur [9] : *Stultorum exultatio* (*c*) *ignominia.* Quarta differentia spiritualis gaudii et mundani, est salubritas et noxietas : gaudium enim spirituale est salubre et studiosum tripliciter, quia facit carnem despicere. Fugato enim spiritu desipit omnis caro, ut ait Augustinus. Secundo facit diabolum vincere, quia, ut dicebat sanctus Antonius [10], unica ratio vincendi diabolum est lætitia spiritualis. Tertio facit mundum contemnere, quia [11] *nemo potest duobus dominis servire*, ut habetur in *Luca.* Ideo qui gaudet de Deo, tristatur de mundo.

Secundo spirituale gaudium est a cœlesti gaudio derivatum, id est a donis cœlestibus. Unde notandum est quod quinque sunt bona cœlestia, a quibus est spirituale gaudium derivatum, scilicet spiritualis puritas, spiritualis tranquillitas, spiritualis sanitas, spiritualis libertas, et spiritualis conformitas. Primum a quo causatur spirituale gaudium est spiritualis puritas : animus enim generosus libentius quiescit in lecto conscientiæ, quando est mundus, quam quando est immundus. Nam naturaliter homo appetit munditiam, et abhorret immunditiam. Propterea dicit sponsa [12] : *Lectulus noster floridus.* Secundum a quo causatur spirituale gaudium, est spiritualis sanitas; sicut videmus, quod naturaliter non est gaudium, si corpus est infirmum. Unde dicitur [13] : *Dulcedo animæ est sanitas ossium*, id est virium animæ. Et alibi [14] : *Non est census super censum salutis corporis : non est oblectamentum, super cordis gaudium.* Tertium a quo derivatur spirituale gaudium, est spiritualis libertas : peccator enim est sicut homo captus et ligatus, ad bene operandum ineptus. Unde dicitur [15] :

Bona cœlestia, a quibus derivatur gaudium spirituale, quinque sunt.

[1] *Isa*, I, 22. — [2] Boet., *de Consol. philos.*, lib. II, pros. , post med. — [3] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. XII. — [4] *Prov.*, XV, 15. — [5] *Job*, XX, 5. — [6] *Philip.*, III, 1. — [7] Senec., *de Benefic.*, lib. VI, c. II. — [8] Aug., *de ver. Dom.*, serm. III, al. CLXXI, n 4. — [9] *Prov.*, III, 35. — [10] *Vit. Ant.* ex Athanas. — [11] *Luc.*, XVI, 13. — [12] *Cant.*, I, 16. — [13] *Prov.*, XVI, 24. — [14] *Eccli.*, XXX, 16. — [15] *Prov.*, V, 22. — (*a*) *Cæt. edit.* secundum. — (*b*) *Aug. habet :* Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur. — (*c*) Vulg. *exaltatio.* Septuag. οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὕψωσαν ἀτιμίαν. Hebr. כסילים מרים קלון.

Digitized by Google

Iniquitates suæ capiunt impium. Sed adveniente Spiritu sancto, libertas causatur in anima, juxta illud Apostoli [1] : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Quartum a quo spirituale gaudium causatur, est spiritualis tranquillitas. Itaque in hoc mundano gaudio sunt diversarum cogitationum tumultus, et diversarum affectionum cruciatus, et conscientiæ remorsus. Quidam vero cruciantur cupiditate in acquirendo ; quidam timore in custodiendo ; quidam dolore in amittendo isto gaudio humano ; quidam cruciantur ira, quidam invidia. Sed animus spirituali gaudio plenus quietus est, et jucundus, et quasi quidam lectus mollissimus Videmus enim quod in lecto molli et quieto libentius homo quiescit, quam in lecto spinoso. Iste est *lectus floridus*, in quo quiescit sponsus et sponsa, ut dicitur in *Canticis*. De ista quiete gaudii spiritualis dicit Gregorius [2] : « Sancti nihil hujus mundi appetunt, nullis corde tumultibus comprimuntur. » Et Augustinus dicit, quod qui biberit de flumine paradisi, cujus una gutta est major Oceano, restat quod in eo sitis hujus mundi extincta sit. Quintum a quo causatur spirituale gaudium, est spiritualis conformitas, scilicet cum voluntate Dei, quia cum voluntas humana voluntati divinæ conformatur, nihil ei repugnat, et sic voluntas Dei in omnibus impletur, juxta illud [3] : *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Hæc autem major dilectio et majus gaudium est, quod possit esse, omnia ad nutum habere, et nihil ei repugnare. Etiam ignis gehennæ facilis esset, si voluntas illum acceptaret. Qui igitur sunt voluntati divinæ conformes, sunt quasi dii, suæ voluntatis compotes (*a*). Exemplum de quodam sancto patre, qui sciebat flere, quandocumque volebat.

Spirituale gaudium a cœlesti gaudio quomodo pigmentatum sit.

Tertio et ultimo, spirituale gaudium est a cœlesti gaudio pigmentatum : conficitur enim instar nectaris, speciebus cœlestibus et gariophilis. Unde notandum est devote et diligenter, quod triplex est genus nectaris, scilicet nectar dominicæ passionis, nectar virtuosæ operationis, et nectar æternæ fruitionis, vel felicitatis. Primum est nectar dominicæ passionis, quod est dulcissimum, et animæ devotæ inebriativum. Et notandum quod in hoc nectare benedicto quatuor apponuntur, scilicet vinum illud myrrhatum, quo Christus fuit potatus. Pro gariophilis sunt clavi positi, quibus Christus fuit confossus. Pro cinnamomo est lignum crucis, in quo fuit suspensus. Pro saccaro (*b*) est ibi dulcissima charitas et misericordia, quia pro nobis mactatus (*c*) fuit, passus et mortuus. De isto nectare dicit sponsa [4] : *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Secundum nectar est virtuosæ operationis : habet pro vino charitatem Dei et proximi, et pro gariophilis, clavos pungitivos confessionis peccati ; pro cinnamomo, planctum ostensivum recognitionis peccati ; pro saccaro (*b*), habet dulcedinem pietatis, et boni operis. De isto nectare dicit sponsa [5] : *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vinum est dulce, et lac est mundum, quia bona voluntas habet ista duo, scilicet dulcedinem veritatis, vel pietatis et gratiæ, et munditiam conscientiæ. De isto gaudio dicitur [6] : *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Tertium est nectar æternæ fruitionis, vel felicitatis, quod angelicum et jucundissimum est, e ideo facit beatos continue cantare : *Sanctus Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, etc. ; sicut videmus quod nectar in conviviis facit convivas choreas ducere et cantare (*c*). Istud nectar conficitur ex quatuor : habet enim pro vino, puritatem divinæ visionis ; pro gariophilis, habet venustatem dominicæ passionis ; pro cinnamomo habet firmitatem æternæ donationis, vel fruitionis ; pro saccaro (*b*), vel pro melle, habet dulcedinem vel suavitatem æternæ fruitionis. De isto nectare dicitur [7] : *Bibite et inebriamini, amici mei carissimi.* Istud est spirituale gaudium a cœlesti gaudio pigmentatum, de quo dicitur [8] : *Intra in gaudium Domini tui*, etc.

Tertius fructus est fructus pacis ; sed quia de isto fructu tractatum est in beatitudine septima [9], ideo de ipso nihil amplius est hic dicendum. Quartus fructus est patientia ; de qua similiter dictum est in tractatu *de beatitudinibus*, cum dicebatur de octava beatitudine [10].

CAPUT II.

De Longanimitate.

Quintus fructus est longaminitas, vel perseverantia. De qua etiam notanda sunt tria : primum est, quam laudabiliter commendatur ; secundum

[1] II *Cor.*, III, 17. — [2] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXVIII, circa med. — [3] *Psal.* CXIII, 3. — [4] *Cant.*, VIII, 2. — [5] *Cant.*, V, 1. — [6] *Eccli.*, XXX, 16. — [7] *Cant.*, V, 1. — [8] *Matth.*, XXV, 23. — [9] Sup., tit VII, c. VI, pag. 324. — [10] Sup., ibid. c. VII, pag. 325

(*a*) *Cæt. edit.* compotentes. — (*b*) *Item* zucar. — (*c*) *Item* tractatus. — (*d*) *Cæt. edit. add.* sic, etc.

Digitized by Google

est, quam efficaciter operatur; et tertium est, quam singulariter coronatur.

Primo igitur commendatur perseverantia, quia Deus perseveravit, quousque fecit opus suæ creationis, juxta illud [1] : *Complevit Deus die septimo opus quod fecerat.* Christus perseveravit, quousque perfecit opus nostræ redemptionis, quia dicitur [2] : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Sancti perseveraverunt, quousque perfecerunt opus suæ perfectionis. In quorum persona dicit Apostolus [3] : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*

Perseverantiæ effectus triplex.

Secundo perseverantia operatur efficaciter. Unde notandum, quod triplex est perseverantiæ effectus : nam perseverantia perficit inchoata, impetrat postulata, et stabilitat acquisita. Primo igitur perseverantia perficit inchoata, et nihil imperfectum relinquit, etiamsi robur deficit; sicut videmus, quod mulierculæ quantumcumque senilis ætatis, laborando, et perseverando, et continuando, perficiunt laborem suæ peregrinationis; et sicut videmus, quod natura continue operando, ex modica radice, vel nuce, facit arborem miræ celsitudinis; et sicut videmus, quod gutta aquæ, quamvis sit res valde mollis, continue cadendo, cavat lapidem robustæ soliditatis. Et ideo dicitur [4] : *Nolite negligere, nolite cessare.* Secundo perseverantia impetrat postulata, sicut Maria Magdalena perseverando vidit resurrectionem Christi; sicut apostoli perseverando in oratione acceperunt donum Spiritus sancti, ut dicitur in *Actis Apostolorum.* Et propterea dicitur [5] : *Si perseveraverit pulsans, etsi non dabit ei surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit ei quotquot habet necessarios.* Tertio, perseverantia servat acquisita. Sic videmus, quod ignis servetur, continue ministrando ligna. Et propterea dicit Augustinus [6] : « Perseverantia est magnum donum Dei, quo cætera dona conservantur. »

Tertio perseverantia coronatur singulariter; unde ait Bernardus [7], quod aliæ virtutes coronam merentur, sed sola perseverantia coronatur. Et notandum, quod in Scriptura quadruplex

Corona quadruplex in

invenitur et laudatur corona. Est enim corona pudicitiæ virginalis; et hæc est florea, et debetur virginibus. Unde dicitur [8] : *Gloria et honore coronasti eum* : quod dicitur de sponso virginum. Secunda corona sapientiæ magistralis; et hæc aurea est, quæ debetur doctoribus, juxta illud [9] : *Corona aurea super mitram ejus.* Tertia corona est perseverantia triumphalis, et hæc est gemmea, quæ debetur martyribus, et omnibus perseverantibus, secundum illud [10] : *Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Et Apostolus ait [11] : *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quarta corona est gloriæ immortalis; et hæc est stellea, quæ debetur felicibus, juxta illud [12] : *In capite ejus corona duodecim stellarum.* Corona stellea (*a*) est felicitas æterna, de qua dicetur infra in ultima diæta, ubi tangetur de gloria paradisi. Hac corona coronantur perseverantes, quia, ut dicit Salvator [13] : *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Sextus fructus est fructus bonitatis. De isto fructu actum est in tractatu *de Beatudinibus* [14] : ideo de ipso nihil est dicendum, nisi quod quatuor sunt, de quibus bonitas prædicatur. Est enim bonitas naturæ congregantis, fortunæ adornantis, gratiæ reformantis, et gloriæ quietantis. De quibus dicitur [15] : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, scilicet bona naturæ, bona fortunæ, bona gratiæ, bona gloriæ; *et erant valde bona.*

Scripturis.

CAPUT III.

De Benignitate.

Septimus fructus est fructus benignitatis. De isto fructu similiter dictum est in tractatu *de Beatitudinibus*, in capitulo *de Misericordia* [16]. Et ideo nihil ad præsens dicendum est de ipso, nisi quod quatuor sunt quæ ad benignitatem nos inducunt, scilicet præceptum, quod inducitur vel imponitur; exemplum, quod proponitur; supplicium, quod evaditur; et stipendium vel præmium, quod acquiritur. Primo debet nos movere ad benignitatem præceptum, quod a Christo inducitur, vel imponitur. Unde dicitur [17] : *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Secundo debet nos movere exemplum, quod ab ipso proponitur de Samaritano [18]. Tertio debet nos movere supplicium inferni, quod evaditur, quia [19] *judicium sine misericordia*

Quatuor nos inducunt ad benignitatem.

[1] *Gen.*, II, 2. — [2] *Joan.*, XVII, 4. — [3] II *Tim.*, IV, 7. — [4] *Judic.*, XVIII, 9. — [5] *Luc.*, XI, 8. — [6] Aug., *de Don. Persever.*, c. II, n. 4. — [7] Bern., *Epist.* XXXII, et CIX. — [8] *Psal.* VIII, 6. — [9] *Eccli.*, XLV, 14. — [10] *Psal.* XX, 4. — [11] I *Cor.*, IX, 25. — [12] *Apoc.*, XII, 1. — [13] *Matth.*, X, 22. — [14] Sup., tit. VII, c. IV, pag. 322. — [15] *Gen.*, I, 31. — [16] Sup., tit. VII, c. IV, pag. 322. — [17] *Luc.*, VI, 36. — [18] *Luc.*, X, 33 et seq. — [19] *Jac.*, II, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* stellæ.

Digitized by Google

flet illi, qui non fecerit misericordiam. Quarto movet nos præmium, quod in cœlo acquiritur; unde dicitur [1]: *Beati misericordes, quoniam,* etc.

CAPUT IV.

De Mansuetudine.

Octavus fructus est fructus mansuetudinis, de quo supra dictum est in tractatu *de Beatitudinibus,* in cap. *de Mititate* [2]. Ideo de ipsa parûm est hic dicendum; et breviter est notandum, quod mansueti clarius (*a*) informantur, rarius impugnantur, altius elevantur, et amplius venerantur. Primo igitur mansueti clarius (*a*) informantur: exemplum de discipulis; unde Jacobus in canonica dicit [3]: *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Secundo mansueti rarius impugnantur: sicut enim videmus communiter, quod non impugnantur nisi castra alta, et altius elevata; sic etiam videmus, quod leo et canis non invadunt hominem, si inveniant ipsum jacentem, vel sedentem super terram. Unde dicitur [4]: *Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.* Tertio altius elevantur, sicut patet de Christo, qui [5] *venit ad nos mansuetus;* sicut patet de B. Virgine, et multis aliis. Unde dicitur [6]: *Exurget in judicio Deus, ut salvet omnes mansuetos terræ.* Quarto mansueti amplius honorantur: exemplum habemus a Christo, qui ait [7]: *Recumbe in novissimo,* etc. Et David [8]: *Suscipiens Dominus mansuetos,* etc.

CAPUT V.

De Fide.

Nonus fructus est fides, de qua dictum est in tractatu *de Virtutibus,* in capite *de Fide* [9]. Et ideo nihil aliud est hic dicendum, nisi quod fides est sicut fundamentum ad sustinendum, sicut armatura ad evadendum, sicut argumentum ad concludendum, et sicut instrumentum ad ascendendum.

Quatuor similitudines fidei congruentes

Primo igitur fides est sicut fundamentum ad sustinendum. Sicut enim videmus quod natura, quando vult producere plantam, primo ponit radicem; similiter quando domificator facit domum, primo ponit fundamentum: similiter in moralibus, si aliquis vellet ædificare bona opera, debet supponere fidem, quæ est ut petra durissima, et totius spiritualis ædificii fundamentum. Et ideo dixit Dominus Petro [10]: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et nota, quod dixit *super hanc,* quia [11] *fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi illud quod positum est, quod est Christus Jesus,* ut dicitur *ad Corinthios.* Et ideo si quis ædificat, super illud fundamentum ædificet, quia ait Apostolus [12]: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Secundo fides est armamentum ad evadendum: est enim sicut scutum militare: scutum autem militare habet superficiem et tres angulos, et portatur a parte sinistra contra adversarium, et a parte cordis ad protegendum ipsum; et ratione signi habet repræsentare Deum: sic vera fides catholica est ad repellendum adversarium, cum tribus catervis; ad protegendum animum, cum tribus potentiis; ad confitendum Deum in tribus personis. Unde ait Apostolus [13]: *In omnibus sumentes scutum fidei,* etc.

Tertio fides est sicut argumentum ad concludendum: non sicut argumentum dialecticum, quod procedit ex probabilibus; aut sicut argumentum tentativum, quod procedit ex his quæ videntur probabilia, et non sunt; sed argumentum apodicticum, id est, faciens scire. Nunquam enim aliquis sapiens per suam scientiam potuit pervenire ad tantam scientiam de Deo et creaturis, ad quantam venit simplex piscator Petrus, cum dixit [14]: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Unde per istud argumentum probatur unitas divinæ essentiæ, trinitas personarum, unitas primæ causæ, et multiplicitas creaturarum, pietas misericordiæ, multiplicitas gratiarum, et multa alia Christus et ejus discipuli per istud argumentum demonstrabant. Nam per istud argumentum probatur demonstrative illuminatio cæcorum, rectificatio claudorum, auditus surdorum, locutio mutorum, erectio sive extensio aridorum, et suscitatio mortuorum. Et ideo dicebat Christus [15]: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et ideo volens Apostolus diffinire fidem, ait [16]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argugentum non apparentium.*

Quarto, fides est sicut instrumentum ad scandendum. Videmus enim quod naturaliter omnis res habet locum proprium ad quem naturaliter

[1] *Matth.*, v, 7. — [2] Sup., tit. VII, c. II, pag. 317. — [3] *Jac.*, I, 21. — [4] *Psal.* XXXVI, 12. — [5] *Matth.*, XXI, 5. — [6] *Psal.* LXX, 10. — [7] *Luc.*, XIV, 10. — [8] *Psal.* CXLVI, 6. — [9] Sup., tit. V, c. III, pag. 296 et seq. — [10] *Matth.*, XVI, 18. — [11] I *Cor.*, III, 11. — [12] *Hebr.*, XI, 5. — [13] *Ephes.*, VI, 16. — [14] *Matth.*, XVI, 16. — [15] *Joan.*, XV, 22. — [16] *Hebr.*, XI, 1. — (*a*) *Forte legendum* charius.

Digitized by Google

tendit per suam naturam; sicut gravia habent locum deorsum, ad quem per naturam gravitatis naturaliter descendunt; levia autem habent locum sursum, ad quem per naturam levitatis naturaliter ascendunt. Homo, cum sit omnium creaturarum corporalium nobilior, habet locum super omnia corpora, ad quem locum ante peccatum poterat per gratiam ascendere, quamvis non posset per naturam totaliter. Sed propter peccatum gratia fuit sibi ablata, et natura totaliter sauciata : et ideo ad hoc, quod possit ad locum proprium remeare, indiget instrumento quodam. Quod instrumentum nullus per suam sapientiam vel vitam, potuit fabricare, præter Christum, qui [1] *fabricatus est auroram et solem.* Ideo omnes qui salvati sunt, per ministerium ipsius Christi, scilicet per fidem salvati sunt : quæ quidem est velut una scala, per quam ad cœlum ascenditur, continens duodecim gradus, id est, duodecim articulos per apostolos declaratos, juxta numerum duodecim cœlorum, incipiendo ex aere, qui cœlum dicitur, usque ad cœlum empyreum, in quo duodenarius numerus terminatur. Latera autem istius scalæ sunt divinitas, et humanitas. Ista autem scala fuit per Christum Deum et hominem fabricata, sed nobis fuit per duodecim apostolos revelata. Ista est scala, quam vidit Jacob Patriarcha, cujus cacumen pertingebat ad cœlum, cui etiam Dominus erat innixus, per quam ascendebant angeli, et descendebant. De ista scala dicit Augustinus in sermone Ascensionis [2] : « Ascendamus interim corde, id est fide, ut cum dies promissus advenerit, sequamur et corpore. »

CAPUT VI.

De Modestia.

Decimus fructus est Modestia. De isto fructu in tractatu *de Temperantia* [3] dictum est, et ideo ad præsens nihil est dicendum.

CAPUT VII.

De Continentia.

Undecimus fructus est Continentia. De isto fructu in tractatu *de Consiliis*, in capitulo *de Castitate* [4] similiter dictum est.

CAPUT VIII.

De Castitate.

Duodecimus fructus est Castitas. De isto fructu similiter in tractatu *de Consiliis* dictum est, in capitulo *de Castitate* [5], et ideo non est amplius dicendum.

TITULUS NONUS

DE GENERALI JUDICIO.

CAPUT UNICUM.

De his, quæ ante ipsum, et in ipso judicio agentur.

Post tractatum de fructibus Spiritus sancti, de generali et ultimo judicio est dicendum. Ista est octava Diæta, scilicet a fructibus bonorum operum venire ad judicium extremum. De generali judicio quatuor specialiter sunt notanda, scilicet signa quæ præmittentur, scripta quæ aperientur, verba quæ dicentur, et facta quæ sequentur. Signa quæ præmittentur erunt sicut quædam peremptoria citatio. Scripta, scilicet libri quæ aperientur, erunt sicut quædam acta, et processus recitatio, et testium publicatio. Verba quæ dicentur erunt sicut quædam sententiæ promulgatio. Facta quæ sequentur, erunt sicut quædam latæ et promulgatæ sententiæ executio.

[1] *Psal.* LXXIII, 16. — [2] Aug., *in Ascens. Dom.*, serm. II, al. CCLXIII, n. 2. — [3] Sup., tit. V, c. VI, p. 301 et seq. — [4] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288 et seq. — [5] Ibid.

Digitized by Google

Signa judicium universale præcedentia.

Primo igitur præcedent illud judicium, ut dicitur in *Marco* [1], *signa* sicut quædam citatio peremptoria ; quæ signa dicit Hieronymus se reperisse in historiis Hebræorum. Prima die eriget se mare quindecim cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secunda die descendet, ita quod vix poterit videri. Tertia die, pisces et marinæ belluæ apparentes super mare, dabunt mugitus usque ad cœlum. Quarta die, ardebit mare et aqua. Quinta die, herbæ et arbores dabunt florem sanguineum. Sexta die, ruent ædificia. Septima die, petræ ad invicem collidentur, et in octo partes scindentur, et unaquæque pars collidet aliam, et non sciet homo sonum illum, sed tantum Deus. Octava (*a*) die, fiet generalis terræ motus, qui tantus erit, ut dicitur, quod nullus homo vel animal aliquod stare poterit, et in terram omnia prosternentur. Nona die, æquabitur tota terra, et omnes montes et colles in pulverem redigentur. Decima die, exibunt homines de cavernis terræ, et ibunt velut amentes, nec poterunt sibi mutuo loqui. Undecima die resurgent omnia ossa mortuorum, et stabunt super sepulcra. Omnia enim sepulcra aperientur, ut mortui exire valeant. Duodecima die, cadent stellæ de cœlo. In hac enim duodecima die dicitur, quod animalia cuncta venient ad campos mugientia, non gustantia, nec bibentia. Tertiadecima die, morientur homines viventes, ut cum mortuis resurgant. Quartadecima die, ardebit cœlum et terra, et superficies terræ et aeris. Quintadecima die fiet cœlum novum, et terra nova, et resurgent mortui secundum virtutes, merita et demerita. Ista enim signa erunt, sicut dictum est, quædam peremptoria citatio, et terribilis, cum executione sententiæ sine omni excusatione, ad judicium vocatio et præconizatio. Unde dicit Apostolus [2] : *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo.* De illa terribili citatione dicit Hieronymus : « Sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur sonare illa terribilis tuba in auribus meis : *Surgite, mortui, venite ad judicium.* Quid faciam, cum resurgam ad judicium ? »

In judicio tria scripta aperientur.

Secundo, in illo judicio tremendo aperientur scripta, sicut quædam acta. Et nota, quod ibi aperientur tria scripta solemnia et authentica, et sine omni calumnia, scilicet liber passionis dominicæ, liber conscientiæ, liber vitæ. Primo aperientur quasi quædam acta, scilicet liber passionis dominicæ, in quo sunt, scilicet crux, clavi, lancea, corona spinea, et in carne Christi cicatrices, et Christi vulnera, ut dicit Chrysostomus, et non erit tunc necessitas accusationis, cum viderit quilibet crucem, et ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis. Unde dicitur [3] : *Tunc apparebit filius* (*b*) *hominis in cœlo.* Secundo aperientur libri conscientiæ, et nota, quod liber conscientiarum continebit tria capitula, scilicet cogitationes, quia, ut dicitur [4], *in cogitationibus impii interrogatio erit.* Continebit etiam verba et locutiones otiosas ; unde dicitur [5] : *De omni verbo otioso quod locutus fuerit homo, reddet rationem in die judicii.* Continebit etiam liber ille facta et operationes, juxta illud [6] : *Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in judicio, pro omni errato, sive bonum, sive malum sit* : bonum scilicet omissum, et malum commissum. Tertio aperietur liber vitæ, id est, Christus, cujus virtute manifestabuntur secreta conscientiarum unius ad alterum, sicut dicit Apostolus [7] : *Nolite ante tempus judicare, quousque veniat dies Domini* (c), etc. De istis libris dicitur [8] : *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libro secundum opera ipsorum.*

Sententia judicis in die ultima.

Tertio, in illo tremendo judicio verba judicis promulgabuntur, sicut sententia diffinitiva. Unde nota in ista sententia specialiter tria : primo causæ magnitudinem, sive immensitatem, de qua erit illa sententia ; quia non erit pecuniæ, vel possessionis terrenæ, sed damnationis, vel salvationis æternæ. Illi vero qui obtinebunt, mutabuntur ad possessionem hereditatis, quia dicitur [9] : *Et ibunt hi in supplicium æternum, illi vero in vitam æternam.* Secundo, nota in isto judicio auditorum multitudinem, vel curiæ solemnitatem, in cujus conspectu reprobi confundentur (*d*) : totus enim mundus congregabitur, omnes angeli de cœlo, omnes homines de mundo, omnes diaboli de inferno, ut dicitur [10] : *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Et ideo est bonum consilium cum homine, qui de jure suo diffidit, ante diem sententiæ periculosæ coram sacerdote de compositione tractare. Unde dicit Sapiens [11] : *Ante judicium,*

[1] *Marc.*, XIII, 4. — [2] I *Thess.*, IV, 15. — [3] *Matth.*, XXIV, 30. — [4] *Sap.*, I, 9. — [5] *Matth.*, XII, 36. — [6] *Eccle.*, XII, 14. — [7] I *Cor.*, IV, 4. — [8] *Apoc.*, XX, 12. — [9] *Matth.*, XXV, 46. — [10] Ibid., 32. — [11] *Eccli.*, XVIII, 19.— (*a*) *Cæt. edit.* Octavo. — (*b*) Vulg. *signum filii.*— (c) Vulg. *quoadusque veniat Dominus.*— (*d*) *Cæt. edit.* confundantur.

Digitized by Google

para justitiam. Tertio in illo judicio tam tremendo, vel sententia tremenda judicis, nota severitatem, vel inflexibilitatem; unde dicitur [1]: *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum?* Tanta namque erit tunc judicis severitas et inflexibilitas, quod si beata Virgo et omnes angeli, et sancti et sanctæ genua flecterent, et cum lacrymis orarent pro aliquo, qui esset in mortali peccato, judex non exaudiret eos, quia dicitur [2]: *Zelus et furor viri non parcet in die judicii, nec acquiescet cujuscumque precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

Executio sententiæ finalis judicii.

Quarto et ultimo, in isto tremendo judicio acta (*a*) statim executioni dabuntur. De executione illius sententiæ nota specialiter tria. Primo multitudinem et potentiam ministrorum, qui parati erunt ad verbum judicis exequendum, quia dicitur [3]: *In consummatione sæculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, et stridor dentium.* Secundo, in ista executione nota impotentiam et angustiam reproborum, quia nulla erit via ad evadendum. Unde dicit Augustinus: « O quam angustæ erunt undique reproborum viæ! Superius erit tunc judex iratus; inferius, chaos inferni horrendum; a dextris, accusantia peccata; a sinistris, infinita dæmonia ad supplicium trahentia; intus, conscientia urens; foris, mundus ardens: miser peccator sic deprehensus quo effugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile; et ideo dicitur [4], quod desiderabunt homines mortem, et fugiet mors ab eis. » Tertio nota in ista executione defectum et carentiam omnium auxiliorum. Tunc enim Christus, qui tantum misericors est, quod pro peccatoribus tradidit semetipsum, ridebit in damnatione eorum; in cujus persona dicitur [5]: *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Sancti etiam, qui se pro salute omnium morti exposuerunt, non compatientur tunc miseriæ reproborum; sed potius gaudebunt in damnatione eorum, juxta illud [6]: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam,* etc. Sicut enim nunc est tempus clementiæ, sic erit tunc tempus ultionis et vindictæ, dicente Domino [7]: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Et hæc de judicio ultimo dicta sufficiant.

TITULUS DECIMUS

DE PŒNIS INFERNI, ATQUE GLORIA PARADISI

CAPUT PRIMUM.

De Pœnis Inferni.

Post tractatum generalis judicii, sequitur videre de pœnis inferni, et gloria paradisi. Ista est enim ultima Diæta, scilicet a judicio ad infernum, vel ad cœlum. Nam reprobi faciunt pessimam diætam de judicio ad æternum supplicium; justi vero faciunt optimam diætam a judicio ad regnum æternum.

De pœnis reproborum quinque notanda sunt.

Primo igitur dicendum est de pœnis et suppliciis reproborum: de quibus notanda sunt quinque, scilicet primo pœnarum acerbitas, secundo pœnarum diversitas, tertio pœnarum diuturnitas, quarto pœnarum universitas, quinto pœnarum inutilitas.

Acerbitas æterni cruciatus.

Primo igitur pœnæ reproborum erunt acerbissimæ et intolerabiles. Gravissima enim pœna, quæ in hoc mundo potest tolerari, minor est pœna purgatorii, ut dicit Augustinus in quodam sermone [8]: quanto magis pœna inferni? In signum hujus vehementis doloris dicit Salvator in Evangelio [9]: *Ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Diversitas pœnarum inferni.

Secundo, pœnæ inferni erunt diversæ; unde nota, quod in sacra scriptura inveniuntur novem pœnæ. Prima est pœna ignis; secunda pœna est vermis: ignis ardebit carnem; vermis ardebit mentem. De istis duobus simul dicitur [10]: *Vermis eorum non morietur, et ignis*

[1] *Malac.*, III, 2. — [2] *Prov.*, VI, 34. — [3] *Matth.*, XIII, 40-42. — [4] *Apoc.*, IX, 6. — [5] *Prov.*, I, 26. — [6] *Psal.* LVII, 11. — [7] *Psal.* LXXIV, 3. — [8] Aug., *Ennarr. in Psal.* XXXVII, n. 3. — [9] *Matth.*, XIII, 42. — [10] *Isa.*, LXVI, 24. — (*a*) *Cæt. edit.* facta.

Digitized by Google

non extinguetur. Tertia pœna est fœtor, ut dicitur [1] : *Ignis, sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum*, id est pœnæ eorum. Quarta pœna est frigus, quia dicitur [2] : *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium*, qui erit maxima pœna, mutatio subita, quia natura mutationes non patitur repentinas, ut dicit Hippocrates. Quinta pœna erit fames maxima, juxta illud [3] : *Servi mei comedent, et vos esurietis.* Ibi namque est tanta inopia, quod neque guttam aquæ poterunt habere, ut legitur de divite epulone sepulto in inferno [4]. Unde Gregorius [5] : « Guttam aquæ petiit, qui micam panis Lazaro negavit. » Maxima pœna erit fames, quæ ibi erit, et magis immortalis est carentia visionis divinæ. Unde Gregorius [6] : « Immortalis ibi fames interficit, quia faciem suam Salvator eis abscondit. » Sexta pœna est tortor, vel potius tortores, quia dicitur [7] : *Tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum.* Septima pœna est horror; unde [8] : *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Et ista erit maxima pœna, quia videmus si nunc appareret nobis unus solus diabolus, magnus horror et quasi intolerabilis esset : quid ergo erit tunc, cum tot horribiles apparebunt? Octava pœna erit tenebra in qua incarcerabuntur et ligabuntur reprobi, quia dicitur [9] : *Ligatis pedibus et manibus ejus, projicite eum in tenebras exteriores.* Et Gregorius dicit in *Moralibus* [10] : « Ignis infernalis concremationem habet, et non lucem. » Nona pœna, et quasi principalis erit dolor, quia in illis pœnis non solum erit acerbitas, sed contrarietas. Unde dicit Gregorius in *Moralibus*, libro nono [11] : « Horrendum enim erit reprobis, ibi dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non extinguit; et dolor cruciat, et pavorem non fugat. Et ratio est, quia cum peccator et diabolus in culpa consentiant, justum est ut creaturæ in reproborum pœna conveniant. »

Dolor inest damnatis ex quatuor causis.

Et notandum, quod a diversis causis, ipsis reprobis inest dolor. Sunt autem quatuor causæ doloris. Prima est, quia amiserunt bona temporalia hujus mundi : unde in Psalmo [12] : *Cum interierit homo, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria ejus.* Secunda causa est, quia tempus perdiderunt; unde [13] : *Transit æstas, et facta est messis, et non salvati sumus.* Damnati namque darent libenter totum mundum pro uno momento temporis, si possent habere ad pœnitendum. Tertia causa est, quia visionem et gloriam Dei perdiderunt; unde dicit Chrysostomus, quod omnes gehennæ cruciatus sunt carentia visionis Dei. Quarta causa est, quia inferni vilitatem et miseriam acquisierunt; est enim locus infernalis tenebrosus, et penuriosus : quod erit maxima pœna divitibus et hominibus voluptuosis et magnatibus, quia in vita habuerunt domos sine fumo, et ibi erit fumus continuus, quia dicitur [14] : *Fumus ejus in furore meo.* De istis pœnis dicit Bernardus in sermone de negotio spirituali [15] : « O gehennalis regio fugienda, ubi ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies dæmonum! Totus tremo ad hujusmodi regionis memoriam. »

Pœnarum infernalium diuturnitas.

Tertio est ibidem pœnarum diuturnitas. Pœnæ enim infernales erunt diuturnæ, imo sempiternæ, quia dicitur [16] : *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* [17] *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Dicit Gregorius [18], quod « ad magnam justitiam judicis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam, dum viverent, voluerunt carere peccato. » Et illud est summe horrendum in ista pœna, quod sit maxima et æterna. Si enim damnati singulis diebus flerent, et in fletu emitterent modicam lacrymam, plus de aqua per processum temporis de oculis unius damnati exiret, quam sit aqua totius mundi. Cujus probatio est, quia illa aqua est infinita; aqua autem totius mundi est finita.

Universitas pœnarum inferni.

Quarto est in inferno pœnarum universitas. Sunt enim quidam dicere volentes, quod in inferno universæ partes hominis, tam corporis, quam animæ, post diem judicii erunt in igne, quia dicitur [19] : *Timete eum, qui postquam occiderit, potest corpus et animam perdere in gehennam ignis.* Nunc autem videmus, quod homo non

[1] *Psal.* X, 7. — [2] *Job*, XXIV, 19. — [3] *Isa.*, LXV, 13. — [4] *Luc.*, XVI, 22 et seq. — [5] Greg., *in Evang.*, serm. XXXIX, ante med. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVI. — [7] *Matth.*, XVIII, 34. — [8] *Job*, X, 22. — [9] *Matth.*, XXII, 13. — [10] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXVIII. — [11] Ibid., c. XXXIX, circa med. — [12] *Psal.* XLVIII, 18. — [13] *Jerem.*, XVIII, 20. — [14] *Isa.*, LXV, 5. — [15] Bern., serm. *de Quinq. Region.*, post med., et serm. *in fest. S. Nicol.*, circa fin. — [16] *Isa.*, XXXIII, 14. — [17] *Matth.*, XXV, 41. — [18] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. XLIV, ante med. — [19] *Matth.*, X, 28.

Digitized by Google

possit sine maximo tormento ignem in parte unius digiti sustinere per unam horam; quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne? Unde in signum istius maximi doloris dicit Salvator frequenter in Evangelio [1] : *Ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Pœnæ inferni quomodo inutiles et infructuosæ.

Quinto et ultimo, istæ pœnæ infernales erunt inutiles et infructuosæ. Pœna enim præsentis vitæ brevis est, levis et fructuosa; sed futura est longissima, et gravissima, et infructuosa, quia si damnatus flendo tantum de lacrymis emitteret, quantum est de aqua in mari, non sufficeret ad lavandum maculam unius peccati mortalis. *Erunt* tamen *intra se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes,* ut dicitur [2]; et tamen infructuose, quia in inferno erit stimulus pœnitentis, nulla tamen erit correctio voluntatis. Exemplum de sancto patre, qui oravit pro diabolo, et responsione Domini, et obstinatione diaboli. Et hæc de pœnis inferni dicta sufficiant.

CAPUT II.

De Gloria Paradisi.

Post tractatum de pœnis inferni sequitur ultimo videre de gloria Paradisi. Hæc enim est finis ultimæ Diætæ, quia finis est omnium desideriorum. De qua ad præsens tria sunt dicenda, scilicet valor impretiabilis, decor inæstimabilis, honor infrangibilis.

Primo igitur istius gloriæ cœlestis est valor impretiabilis, quia dicitur [3] : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Et illud [4]: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Valor autem istius gloriæ cœlestis attenditur in hoc, quod ita care Deus vendit eam suis amicis : constitit enim Petro martyrium crucis; Paulo constitit decollationem capitis. Est autem verissimum et certum, quod Deus non decipiet unum amicorum suorum. Et quod plus est, ipse Christus emit gloriam illam pro amicis sub tormento et ignominia crucis : est enim certissimum, quod Deus Pater non decipiet unigenitum filium suum, in emendo illud regnum. Cum ergo illud regnum tantum constiterit Filio Dei et aliis ejus amicis, certum est, quod res maxima est et impretiabilis valoris. Unde dicitur [5] : *Empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

Secundo, gloria illa cœlestis est decoris inæstimabilis. Unde dicitur [6] : *Pulchritudinem coloris* (*a*) *ejus admirabitur sensus.* Ex duobus potest colligi decor illius regni. Primo ex decore rerum naturalium inferiorum, quas Deus vult ita decorare sicut videmus, quod lilium in hieme apparet vile, et postea decoratur in vere et æstate. Unde dicitur [7] : *Considerate lilia agri,* etc. Secundo apparet decor illius gloriæ ex rebus artificialibus, sicut videmus, quod ligna, lapides et metalla per se videntur vilia, et quasi terrea; sed efficiuntur per artificem pulchra et splendida, quando sunt polita et deaurata. Quantum igitur faciet summus artifex, cujus sapientia est infinita in decorandis amicis suis beatis in illa cælesti gloria? Ideo dicitur [8] : *Si fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, sic Deus vestit; quanto magis vos modicæ fidei?*

Tertio, gloria cœlestis est honoris insuperabilis; quod probatur ex quatuor. Primo, quia omnes Sancti erunt reges, suæ voluntatis omnipotentes, ut dicit Anselmus [9]. Ideo dicitur [10] : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est,* etc. Secundo, quia omnes erunt filii carissimi et [11] *heredes Dei, et coheredes Christi,* ut dicit Paulus. Tertio, quia erunt omnes quasi domini. Christus etiam in propria persona honorabit eos, quia dicit [12] : *Præcinget se,* scilicet Christus, *et transiens ministrabit illis, et faciet illos discumbere* : sicut filius regis consuevit in propria persona servire, quando vult multum suos nobiles honorare. Quarto, quia omnes erunt dii, sicut dicitur in Psalmo [13] : *Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes.* Et hoc, quia divinitas erit in Sanctis ex (*b*) multitudine vel magnitudine dilectionis, quæ transformat amantem in amatum, ut dicit Philosophus. Et Augustinus dicit [14] : « Unusquisque talis est, quale est dilectum. Si autem terram diligis, terra es; si autem Deum diligis, quid dicam? Deus eris? Non audeo dicere ex me, sed per Scripturam quæ dicit [15] : *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes.* »

[1] *Matth.*, VIII, 12; XIII, 42; XXIV, XXII, 13, 51; XXV, 30; *Luc.*, XXIII, 28. — [2] *Sap.*, V, 3. — [3] *Isa.*, LXIV, 4. — [4] 1 *Cor.*, II, 9. — [5] Ibid., VI, 20. — [6] *Eccli.*, XLIII, 20. — [7] *Matth.*, VI, 28. — [8] Ibid., 30. — [9] Anselm,, *de Similitud.*, c. LXVIII. — [10] *Matth.*, XXV, 34. — [11] *Rom.*, VIII, 17. — [12] *Luc.*, XII, 37. — [13] *Psal.* LXXXI, 6.— [14] Aug., in I *Joan.*, hom. II, n. 14. — (*a*) Vulg. *candoris.* Septuag. λευκότητος. — (*b*) *Cæt. edit.* et.

Digitized by Google

Item in illa cœlesti curia considero alia tria, scilicet locum summe gloriosum, sertum summe speciosum, et fructum summe speciosum. Primo igitur in illo cœlesti regno erit locus summe gloriosus, quia quilibet sanctus erit in loco, in quo est ipse Dei Filius, quia dicitur [1] : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Secundo in illo cœlesti regno est sertum speciosum, vel corona, quia dicitur in Psalmo de quolibet sancto [2] : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Iste lapis est margarita illa, quam *qui invenit, vendit omnia, et emit eam*, ut dicit Matthæus [3].

Corona Sanctorum duplex.

Et nota, quod duplex est corona Sanctorum, scilicet aurea et aureola. Aurea dicitur præmium substantiale, quod consistit in tribus, scilicet in visione Dei clarissima, in fruitione suavissima, et in intentione securissima, de qua dicitur [4] : *Corona aurea super mitram ejus*, quæ est ornatus pontificum. Quia omnes sancti non solum erunt reges omnipotentes suæ voluntatis, sed etiam erunt sacerdotes et pontifices, offerentes Deo semper sacrificium laudis. Et ideo dicitur [5] : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Alia corona dicitur aureola, id est coronula parva; et ista aureola secundum Doctores dicitur quædam gloria accidentalis, quæ debetur sanctis ratione operis excellentis. Datur enim tribus generibus operum : datur enim Virginibus, et hæc est florea; datur Martyribus, et hæc est gemmea; Doctoribus, et hæc est stellata. Aureola florea datur virginibus, quia honore virginitatis floruerunt. Unde dicitur in Psalmo de virgine virginum Christo et Agno, quem [6] virgines sequuntur [7] : *Gloria et honore coronasti eum.* Aureola gemmea datur martyribus, quia instar lapidis fortissimi et pretiosi fuerunt. Unde dicitur [8] : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Aureola stellata doctoribus, quia cœlestia docuerunt. Unde dicitur [9] : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt* (a) *multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et de muliere gloriosa dicitur, quod erat [10] *amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Mulier amicta sole est anima doctoris justitiæ et sapientiæ divinæ, quæ per pedes figurantur; habet plenam pietatem, quæ per lunam intelligitur, quæ est valde humida. Corona stellarum significat aureolam doctorum. Unde et erant stellæ duodecim in corona, quia duodenarius numerus abundans est : in quo intelligitur, quod doctrina sacræ Scripturæ est abundantissima omnis justitiæ : sicut fuit doctrina Christi, qui fuit doctor doctorum, de cujus doctrina dicitur [11] : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Peccatores autem et reprobi, qui nec (b) munditia castitatis abundant, ut virgines, nec fortes, nec perseverantes fuerunt in amore Christi, sicut martyres, nec veritatem portaverunt in ore, ut doctores, aureolam non habent. Et quia gratiam Dei hic non habuerunt, idcirco auream gloriam (c) substantialis præmii non habebunt. Et si omni corona aurea et aureola carebunt, quid aliud erit, nisi quod pro loco coronæ æternæ felicitatis, coronabuntur corona æternæ calamitatis, juxta illud quod dicitur [12] : *Coronans coronabit te tribulatione?* Tertio in illa cœlesti gloria benedicta, erunt fructus optimi et uberrimi. Unde nota, quod in sacra Scriptura inveniuntur tres fructus differentiæ, scilicet, fructus crucis triumphalis, fructus gratiæ spiritualis, et fructus gloriæ immortalis, et quilibet est in quadruplici numero.

CAPUT III.

De duodecim fructibus crucis, et passionis Christi Domini.

Primo igitur sunt duodecim fructus crucis et passionis Christi. Primus fructus est dæmonum expugnatio, quia abstulit eis totum mundi principatum, juxta illud quod dicitur [13] : *Nunc principes mundi hujus ejicientur* (d) *foras.* Secundus fructus est carceris inferni confractio; unde Psalmista [14] : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini*, etc. Tertius fructus est mortuorum et peccatorum suscitatio, nam dicitur [15] : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quartus fructus est captivorum redemptio, dicente Paulo [16] : *Empti enim estis pretio magno, glorificate*, etc. Quintus fructus est inquinatorum mundatio [17] : *Dilexit* enim *nos, et lavit nos in sanguine suo.* Sextus fructus

[1] *Joan.*, XII, 26. — [2] *Psal.* XX, 4. — [3] *Matth.*, XIII, 44. — [4] *Eccli.*, XLV, 14. — [5] *Apoc.*, V, 10. — [6] Ibid., XIV, 4. — [7] *Psal.* VIII, 6. — [8] *Psal.* XX, 4. — [9] *Dan.*, XII, 3. — [10] *Apoc.*, XII, 1. — [11] *Matth.*, V, 20. — [12] *Isa.*, XXII, 18. — [13] *Joan.*, XII, 31. — [14] *Psal.* XXIII, 7. — [15] I *Cor.*, XV, 22. — [16] I *Cor.*, VI, 20. — [17] *Apoc.*, I, 5. — (a) Cæt. edit. *erudierunt.* — (b) *Cæt. edit. deest* nec. — (c) *Forte leg.* gloriosam. — (d) Vulg. *princeps..... ejicietur.*

Digitized by Google

est cæcorum illuminatio; unde dicitur [1] : *Tunc aperientur oculi cæcorum.* Septimus fructus est tepidorum et frigidorum calefactio; unde dicitur [2] : *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Octavus fructus est deformium et turpium decoratio; unde in Psalmo dicitur [3] : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Nonus fructus est sitibundorum vel sitientium potatio et recreatio [4] : *Sanguis meus vere est potus.* Decimus fructus est Patris placatio, unde dicitur [5] : *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius clamantem, quam Abel* clamavit vindictam, juxta quod dicitur [6] : *Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, scilicet justitiam et vindictam peccati; sed sanguis Christi clamavit melius, scilicet misericordiam, quia peccatores Deo Patri reconciliavit. Undecimus fructus est januæ paradisi apertio; unde dicitur [7] : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli,* quæ scilicet facta est aperta in apertione lateris Christi. Eodem namque tempore aperta est porta paradisi, Domino scilicet moriente, quæ clausa fuerat, Adam prævaricante in hora nona. Duodecimus fructus est hereditatis cœli acquisitio et confirmatio, quia, ut dicitur [8], *Hic est sanguis novi testamenti.* In veteri testamenti (*a*) sanguine conferebantur terrena; in sanguine autem novi testamenti, id est passionis, confertur hereditas æterna. De isto fructu multiplici dicitur in Psalmo [9] : *Et erit*, scilicet crux Christi, *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, id est gratiarum abundantiam, quæ sine mensura fuerunt in Christo, *quod fructum suum dabit in tempore* mortis suæ sacratissimæ et benedictæ. Secundo sunt duodecim fructus gratiæ spiritualis, de quibus dicitur [10] : *Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Et de istis duodecim fructibus dictum est superius in tractatu *de fructibus Spiritus sancti*, titulo octavo; ideo nihil ad præsens addemus.

CAPUT IV.

De duodecim Fructibus Gloriæ immortalis.

Tertio sunt duodecim fructus gloriæ immortalis. Primus fructus est sanitas absque infirmitate [11] : *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Secundus fructus est juventus sine senectute; unde in Psalmo dicitur [12] : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*, id est Christi, quia in ætate Christi triginta trium annorum semper manebunt Sancti, ut dicit Apostolus [13] : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Tertius fructus est satietas sine fastidio; unde ait Psalmista [14] : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quartus est libertas sine servitute; unde dicitur [15] : *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quintus fructus est pulchritudo absque deformitate; unde Apostolus [16] : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Sextus erit impassibilitas vel immortalitas; unde dicitur [17] : *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.* Septimus erit abundantia sine indigentia, juxta illud [18] : *Rerum omnium abundantia perfrueris.* Octavus est pax sine perturbatione; nonus erit securitas absque timore : de his duobus dicitur [19] : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Decimus erit cognitio absque ignorantia; unde Apostolus [20] : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Undecimus est gloria sine ignominia, teste Paulo qui ait [21] : *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Duodecimus est gaudium sine tristitia, sed de isto gaudio nota, quod sunt sex causæ præcipuæ, quare Sancti gaudebunt, scilicet loci amœnitas, quam possidebunt; jucunda societas, in qua regnabunt; corporis glorificatio, quam habebunt; mundus, quem contempserunt; infernus, quem evaserunt. Isti enim fructus figurantur per duodecim fructus ligni vitæ, quod erat *in medio paradisi*, ut legitur in *Apocalypsi* [22]. Fructus summe bonos det nobis Christus, qui creavit, in cœlo.

CAPUT V.

De amœnitate et pulcherrima structura supernæ civitatis Hierusalem.

Item in illa cœlesti gloria consideranda sunt alia tria multis suspiriis affectanda, scilicet

[1] *Isa.*, XXXV, 5. — [2] *Psal.* XVIII, 7. — [3] *Psal.* L, 9. — [4] *Joan.*, VI, 56. — [5] *Hebr.*, XII, 24. — [6] *Gen.*, IV, 10. — [7] *Gen.*, XXVIII, 17. — [8] *Matth.*, XXVI, 28. — [9] *Psal.* I, 3. — [10] *Gal.*, V, 22-23. — [11] *Psal.* CII, 3. — [12] Ibid., 5. — [13] *Ephes.*, IV, 13. — [14] *Psal.* XVI, 5. — [15] *Rom.*, VIII, 21. — [16] *Philip.*, III, 21. — [17] *Isa.*, XXV, 8. — [18] *Deut.*, VIII, 9. — [19] *Isa.*, XXXII, 18. — [20] I *Cor.*, XIII, 12. — [21] *Coloss.*, III, 4. — [22] *Apoc.*, XXII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* veteri testamento.

Digitized by Google

amœnissima civitas, amantissima societas, et amplissima felicitas. Primo ergo cœlestis gloria habet amœnissimam civitatem; unde in Psalmo [1]: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Unde nota, quod civitas ista est gloriosissima specialiter in tribus: habet enim figuram valde speciosam, mensuram spatiosam, et structuram valde pretiosam.

Primo igitur ista civitas beata est in figura valde speciosa; est enim *in quadrum disposita* et formata, ut dicitur in *Apocalypsi* [2]. Civitas in quadrum posita, et quadrata, figurat soliditatem et securitatem illius regni cœlestis. Sicut videmus quod figura quadrata est solidior quam alia figura, unde lapides consueverunt quadrari, et postea in ædificio collocari; ita etiam summus artifex Deus lapides suos, id est, viros suos et electos, consuevit quadrare quadratura virtutum, scilicet prudentia, temperantia, fortitudine et justitia, et sic locare in ædificio regni cœlestis.

Secundo civitas ista est in mensura valde spatiosa. Unde dicit Bernardus, quod ad litteram quilibet sanctus in cœlo empyreo habebit locum suum, sibi assignatum proprium et specialem, magis spatiosum, quam sit ab oriente usque ad occidentem. De mensura istius civitatis dicitur in *Apocalypsi* [3], quod habet stadia duodecim millia. Stadium est mensura quinquaginta passuum: quinquagenarius vero numerus, in sacra Scriptura, remissionem peccatorum significat. Quinquagesimo anno, qui dicitur jubilæus, secundum legem fiebat remissio debitorum, et revertebatur quilibet ad possessiones suas et ad terram patrum suorum, ut dicitur in *Levitico* [4]. Beata civitas ista bene mensuratur per stadia, quæ continent, ut dictum est, passus quinquaginta, quia instar jubilæi quinquagesimi anni, omnibus istius civitatis civibus primitus peccata dimittuntur, et sic remissis peccatis, ad possessionem suam et hereditatem æternam, ad quam erant vel sunt prædestinati, faciliter revertuntur. Et ideo quilibet homo debet esse sollicitus de peccatis suis per pœnitentiam delendis, quia alias non posset esse civis regni cœlestis; quia ibidem dicitur [5], scilicet, quod *non intrabit in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et immunditiam.* Sed valde notandum est, quod stadia sunt duodecim millia. Per numerum duodenarium, qui est numerus abundans, designatur abundantia meritorum et bonorum operum, sine qua non est aliquis concivis civium supernorum, quia dicit Salvator [6]: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Justitia Pharisæorum erat in opere exteriori, non interiori virtute; quæ ex timore erat, non amore, et ideo erat nimis stricta, sicut videmus quod timor habet cor hominis valde constringere, et amor dilatare. Unde in Psalmo dicitur de virtute charitatis [7]: *Latum mandatum tuum nimis.* Per millenarium autem numerum, qui est ultimus limes et terminus numerorum, figuratur eleganter illud cœleste præmium quod est finis et quies omnium desideriorum, ut dicit Augustinus [8]; et in Psalmo [9]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Stadium quid.

Numerus duodenarius quid figuretur.

Millenarius numerus quid significet.

Tertio, illa civitas beatissima est structura pretiosissima, quia dicitur in *Apocalypsi* [10], quod *fundamenta muri civitatis sunt omni lapide pretioso ornata.* Ubi notandum est, quod duodecim lapides pretiosi nominantur, et ponuntur in ædificio hujus civitatis, scilicet jaspis, sapphyrus, chalcedonius, smaragdus, sardonix, sardius, chrysolithus, beryllus, topazius, chrysoprasus, hyacinthus, et amethystus. Isti duodecim lapides pretiosi et fundamentales istius civitatis cœlestis, significare possunt duodecim articulos fidei, quod est fundamentum omnis boni, et præmii futuri, ut dicit Apostolus [11]: *Fides est sperandarum rerum substantia,* id est fundamentum æternorum bonorum. Vel isti duodecim lapides fundamentales signant virtutum perfectiones, quibus anima per gratiam hic perficitur, quibus etiam cœleste præmium fabricatur. Et sicut sunt quatuor ternarii pretiosorum lapidum, sic respondent eis quatuor trinitates perfectionum.

Prima trinitas lapidum est jaspis, sapphyrus et chalcedonius, qui significant fidem, quæ debet habere pretiosam et nobilem trinitatem. Fides namque debet esse vivens, non mortua; et hoc significat jaspis, qui est viridis coloris: color enim viridis in herba, vel planta, vel arbore, signum est vitæ, et e converso signum est, quod vita plantæ deficit, quando viror ejus marcescit: sic quando in homine est viror honestatis, et bonæ operationis, tunc est maxi-

Fides.

[1] *Psal.* LXXXVI, 3. — [2] *Apoc.*, XXI, 16. — [3] Ibid. — [4] *Levit.*, XXV, 10. — [5] *Apoc.*, XXI, 27. — [6] *Matth.*, V, 20. — [7] *Psal.* CXVIII, 96. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX. — [9] *Psal.* XVI, 15. — [10] *Apoc.*, XXI, 19. — [11] *Hebr.*, XI, 1.

Digitized by Google

mum signum cordis viventis; alias enim fides mortua est et informis, nec est fundamentum ædificii cœlestis. Et sicut jaspis fugat phantasmata, sic fides vivens, et vivens per bona opera, vitat omnia diaboli machinamenta. Fides etiam debet esse cœlestis, non terrea; id est de cœlestibus bonis, non de operibus terrenis anxia; cœlestis, id est divinæ, non humanæ rationi innixa, quia dicit Gregorius [1]: « Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. » Et hoc signat sapphyrus, qui habet cœlestem colorem, sicut cœlum serenum. Et sicut nobilis sapphyrus fugat venenosa, et mortificat araneam; sic vera fides venenosis suggestionibus resistit, et culpam in corde occidit, ac de corde expellit. Unde dicitur [2]: *Fide purificans corda eorum.* Tertio fides debet esse fortis, non infirma, contra persecutiones et pericula universa, et diabolica nocumenta, quia dicitur de diabolo [3]: *Cui resistite fortes in fide.* Et hoc signat chalcedonius, qui in colore est pallidus, et omnis sculpturæ repulsivus; omni namque sculpturæ resistit, et nullam recipit: sic qui habet veram fidem, utique per pœnitentiam est pallidus et mortificatus; sed nullam sculpturam extraneam peccati recipit, sed secum conservat solam imaginem Dei, ad quam est creatus. Unde nota, quod diabolus, in quibus non invenit fidem catholicam, vel fortem, in illis sculpit et format figuram leonis, id est peccatum superbiæ; in quibusdam figuram draconis, id est peccatum invidiæ; in quibusdam figuram canis, id est peccatum iræ; in quibusdam figuram talpæ, id est peccatum avaritiæ; in quibusdam figuram asini, id est peccatum acediæ; in quibusdam figuram lupi, id est peccatum gulæ; in quibusdam figuram ursi, id est peccatum luxuriæ. Contra quod monet Apostolus, dicens [4]: *Nolite conformari huic sæculo*, id est peccatis, quæ sunt in hoc sæculo.

Secunda trinitas lapidum est smaragdus, sardonyx et sardius. Et isti tres lapides pretiosi signant spem, quæ habet similiter nobilem trinitatem (a). Est enim spes veniæ, spes gratiæ, et spes gloriæ. Spes veniæ figuratur per smaragdum, qui colorem habet viridem et gratiosum, et curat diversas infirmitates, et specialiter morbum caducum. Color viridis et gratiosus in smaragdo signat virtutem gratiæ, quæ incipit per spem veniæ reviviscere in viro pœnitenti et contrito. Et sicut color smaragdi est valde gratiosus, sic conversio peccatoris per pœnitentiam reviviscentis, est gratiosa Deo et angelis. Unde dicitur [5]: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et sicut smaragdus fugat febres et curat morbum caducum; sic spes veniæ fugat tentationes, et sanat omne peccatum, quia, ut dicitur in Psalmo [6]: *Non delinquent omnes qui sperant in eo.* Et in *Proverbiis* dicitur [7]: *Septies* in die *cadit justus, et resurget.* Septies in die cadit per ruinam septiformis culpæ, scilicet superbiæ, iræ, avaritiæ, acidiæ, gulæ, invidiæ et luxuriæ; et tamen resurget in virtute et in efficacia septiformis gratiæ. Spes autem gratiæ est qua quis non confidit de viribus propriis, nec de divitiis, sed solum de gratia Dei, ut dicitur [8]: *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium,* id est, carnalem hominem, fortitudinem. Et sequitur [9]: *Beatus qui confidit in Domino, et est Dominus fiducia ejus.* Talis qui non solum sperat in omnibus bonis, et in malis nisi de sola gratia Dei, recte figuratur per sardonycem, nam sardonyx est tricolor, in imo niger, in medio candidus, in supremo rubicundus, quia spes gratiæ facit tria bona in sperante. Facit enim ima, id est, terrena nigrescere et contemnere, et ima inferni timere. Facit in medio, id est, in corde candidum, id est, castum esse, juxta illud Psalmi [10]: *Cor mundum crea in me, Deus.* Facit etiam in supremo, id est, in Deo, rubescere per charitatem, et vino dilectionis Dei et proximi odoriferum esse. Dicitur [11]: *Super vinum,* id est plusquam vinum, *diligunt te.* Et sicut sardonyx facit hominem humilem et pudicum, et charitativum; sic spes divinæ gratiæ facit hominem descendere, et de propriis meritis non superbire, et in solo Deo sperare, quia specialiter de præsumentibus de se dicitur in Psalmo [12]: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.* Spes gloriæ est certa et secura expectatio futuri et æterni boni, ex gratia et meritis proveniens, ut dicit Magister Sententiarum [13]. Ista gloria figuratur per sardium, qui est rubei coloris, eo

Spes triplex.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXVI, non longe a princ. — [2] *Act.*, XV, 9. — [3] I *Petr.*, V, 9. — [4] *Rom.*, XII, 2. — [5] *Luc.*, XV, 10. — [6] *Psal.* XXXIII, 23. — [7] *Prov.*, XXIV, 16. — [8] *Jerem.*, XVII, 5. — [9] Ibid., 7. — [10] *Psal.* L, 12. — [11] *Cant.*, I, 4. — [12] *Psal.* LI, 9. — [13] *Sent.*, lib. III, dist. XXVI. Vid. huj. edit. tom. IV, pag. 561.

(a) *Cæt. edit.* claritatem.

Digitized by Google

quod spes regni cœlestis fuit martyribus causa effusionis proprii sanguinis. De quibus dicitur [1] : *Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni*, id est Christi, passionis sanguine rubicundi, juxta illud quod dicitur [2] : *Quare rubrum est vestimentum tuum?* dicitur in persona Dei Patris, id est : Quare corpus tuum, per innocentiam candidum, est passionis sanguine cruentatum? Et sicut sardius gaudium accendit, et timorem expellit, hominem audacem reddit, ita ad litteram spes gloriæ accendit in homine gaudium spirituale et cœleste, et expellit timorem mundanum, et humanum, et servilem, quia, ut dicitur [3] : *Perfecta charitas foras mittit timorem*, et tandem hominem reddit audacem, scilicet contra hostium tribulationem et persecutionem de Domino præsumentem, ut dicitur [4] : *Non derelinquis præsumentes de te, et de sua virtute gloriantes humilias.*

Tertia trinitas lapidum est chrysolithus, beryllus et topazius. Isti tres lapides significant charitatem, quæ habet similiter suam nobilissimam trinitatem. Debet enim charitas habere tria, scilicet speciosam puritatem, fructuosam bonitatem, et radiosam veritatem. Debet enim charitas esse puritate speciosa, ut non sit immunda; bonitate fructuosa, ut non sit dilectio vana; et veritate radiosa, ut non sit dilectio ficta. Istam trinitatem nobilem charitatis describit Apostolus, dicens [5] : *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Virtus enim charitatis, ut dictum est, est speciosissimæ trinitatis, ideo dicitur : *De corde puro*; est fructuosissimæ bonitatis, ideo dicitur : *De conscientia bona*; est radiosissimæ veritatis, ideo dicitur : *De fide non ficta.* Primo igitur charitas debet esse puritate speciosa, et de corde puro, ut non solum sit dilectio impura, vel immunda, vel coinquinata, sive luto cupiditatis, qualis est amor divitiarum temporalium, sive fumo vanitatis, qualis est amor pomparum sæcularium. Talis charitas figuratur in chrysolitho, qui est gemma valde nobilis, scintillas emittens, et ignis capacissima : quia si juxta ignem ponatur, citissime inflammatur. Certum est enim quod ignis est purissimæ virtutis. Est enim virtus ignea charitatis instar ignis : quia sicut ignis aufert omnem rubiginem et impuritatem de auro et argento, et omni metallo, et reddit ipsum purum et lucidum; sic charitatis incendium tollit de corpore humano omnem fœtorem peccati, et facit ipsum mundum. Sicut enim chrysolithus est amativus et capax ignis, quia juxta ignem positus ad se trahit et rapit ignem : sic cor purum, cum appropinquat ad Deum, qui est *ignis consumens* secundum Apostolum [6]; sentiens ignem divinum, statim ardentissimo desiderio, instar chrysolithi, rapit et trahit in se divinam dilectionem. *Incorruptio* enim *facit esse proximum Deo*, ut dicitur [7]. Appropinquatio ad Deum facit ignem divinum rapere et trahere ad seipsum. Et ideo Salvator noster, ut nos posset igne suæ charitatis incendere, dignatus est nobis appropinquare. Unde dicitur [8] : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat* (*a*)*?* Secundo, charitas debet esse in bonitate fructuosa, et conscientia bona, ut non sit dilectio inutilis et vacua, quia dicitur [9] : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Et Gregorius in *Moralibus* [10] : « Amor Dei nunquam est otiosus. Operatur enim magna, si est : si autem operari renuit, amor non est, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. » Iste amor signatur per beryllum, qui est lapis viridis et aliquantulum pallidus, et in figura sex angulorum est politus : quia qui habet charitatem, debet ad proximum virere per honestam conversationem; debet pallescere ad seipsum, per carnis mortificationem; debet etiam sex angulos habere ad pauperem et egenum, per compassionem, et operum misericordiæ exhibitionem, quæ sunt in numero septenario, ut dicit (*b*) Salvator noster, qui de ipsis in judicio habet quærere rationem, et dicere [11] : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram, et cooperuistis me; hospes eram, et recepistis me; infirmus fui, et visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me.* Tertio, charitas debet esse veritate radiosa, et fide non ficta, ut non sit dilectio simulata, aut palliata, sed luminosa, quia dicitur [12] : *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet* : quia qui charitatem habet, per exemplum bonæ conversationis et hones-

Charitas

[1] *Apoc.*, VII, 14. — [2] *Isa.*, LXIII, 2. — [3] I *Joan.*, IV, 16. — [4] *Judith.*, VI, 15. — [5] I *Tim.*, I, 5. — [6] *Hebr.*, XII, 29. — [7] *Sap.*, VI, 20. — [8] *Luc.*, XII, 49. — [9] I *Joan.*, III, 18. — [10] Est apud Greg., *in Evang.*, hom. XXX, ante med. — [11] *Matth.*, XXV, 35 et seq. Revera hoc in loco enuntiantur sex tantum opera misericordiæ; at septimum suppleat Tobias, qui *mortuis sepulturam dabat.* — [12] I *Joan.*, II, 10.

(*a*) Vulg. *accendatur.* — (*b*) *Cæt. edit.* dicitur.

Digitized by Google

tatis lucet. Hanc figurat topazius, qui in duobus coloribus, scilicet aureo et æthereo splendet, et omnium gemmarum superat claritatem, et in conspectum (*a*) sui provocat aspicientem. Duo colores topazii signant dilectionem Dei et proximi. Æthereus color signat dilectionem Dei, et aureus dilectionem proximi; quia unus est color cœlestis, et alius terrenus, quia in his duobus tota lex pendet. Et sicut topazius superat omnem claritatem omnium gemmarum, ita charitas est major omnium virtutum, ut dicit Apostolus [1]. Et sicut topazius recipit in se qualitatem omnium gemmarum, sic charitas facit omnium opera virtutum, quia dicitur [2]: *Charitas patiens est*, et ita exercet opus patientiæ; *benigna est*, et ita exercet opus benignitatis et misericordiæ. Et sequitur: *Omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.* Unde Prosper dicit in libro *de Vita contemplativa* [3], quod charitas est mens et anima omnium virtutum: quia ipsa est sicut anima, et virtutes animæ sunt potentiæ, sive mentis: quia sicut anima facit oculum videre, aurem audire, pedes ambulare, et sic de aliis; et ita charitas facit oculum mentis ad pauperes aperire, aures divina præcepta audire, et manus opera justitiæ exercere: et ita de omnibus aliis bonis, quæ charitas tanquam sibi propria vult omnia adimplere.

Quarta trinitas lapidum pretiosorum est chrysoprasus, hyacinthus, et amethystus. Ista trinitas lapidum signat justitiam et æquitatem generalem, quæ splendor est omnis virtutis, ex qua omnes viri boni omnia bona nominantur, ut dicit Tullius *de Officiis* [4]. Ista similiter habet quamdam nobilitatem: cum enim justitia sit virtus unicuique reddens quod suum est, ut ait Ambrosius libro *de Officiis* [5], justitia est virtus unicuique quod suum est reddens. Reddit igitur omnis homo per justitiam sibiipsi continentiam, proximo amicitiam, et Deo honorificentiam. Primo justitia reddens homini continentiam significatur per chrysoprasum, qui est lapis igneus de nocte, et aureus de die: in quo significatur continentia viri justi, qui semper est splendens, sive in adversitate tentationum, quæ figuratur per noctem, sive in prosperitate deliciarum, quæ significatur per diem. Nam istis duobus præcipue continentia vel castitas impugnatur, scilicet tentationibus hostis, et fomentatione carnis. Nam plures vincuntur in prosperitate deliciarum, quam in adversitate tentationum, juxta quod dicitur in Psalmo [6]: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Latus autem sinistrum signat tentationes diaboli; dextrum vero significat delicias mundi. Pauciores igitur sunt, qui cadunt in adversitate tentationum; et plures, qui labuntur in temporalibus abundantiis. Bene autem est justitia instar chrysoprasi ignea et aurea, quia ad custodiam castitatis occurrit justitia duobus modis, scilicet recte ascendendo ad cœlum sicut ignis, considerando bona cœlestia et æterna, ne forte illa per momentaneam luxuriæ delectationem amittat. In persona talium dicitur in Psalmo [7]: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et respondet: *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.* Nullum opus videtur majus esse justitia, quæ delectationi momentaneæ bona cœlestia et æterna præfert. Occurrit etiam vir justus custodia castitatis instar auri, quod est ponderosissimum, quando rectissime et velociter descendit ad centrum, id est, ad infernum, considerando ne forte, delectatione momentanea et modica, incurrat æterna supplicia, quia dicit Gregorius: « Momentaneum est quod delectat; sed æternum quod cruciat. » Ita descendebat ad infernum Ezechias, ut dicitur in *Isaia* [8]: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Optime namque consuluit pro dimidio dierum suorum, quod vadat homo ad infernum in dimidio vitæ (*b*) suæ, id est, dum est juvenis et sanus, et hoc per diligentem considerationem, ut postea non descendat in fine vitæ suæ per æternam damnationem. Secundo justitia reddens proximo amicitiam signatur per hyacinthum, qui est lapis pretiosus, habens colorem cæruleum, quasi cœlum. Iste lapis conformat se aeri; unde in nubilo est nubilus, in sereno est serenus. Color cœlicus vel cæruleus in hyacintho significat divinum amorem cœlestem per desiderium in viro justo, quia amicitia quæ impenditur proximo, debet radicari in cœlo, id est in amore divino, juxta quod dicit Apostolus [9]: *In charitate radicati et fundati*: quia, ut ait Gregorius [10], « ille charitatem veraciter habet, qui amicum diligit in Deo (*c*), et inimi-

Justitia.

[1] I *Cor.*, XIII, 13. — [2] Ibid., 4, 7. — [3] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. XIII. — [4] Cic., *de Offic.*; lib. III. — [5] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. IX. — [6] *Psal.* XC, 7. — [7] *Psal.* XIV, 1, 2. — [8] *Isa.*, XXXVIII, 10. — [9] *Ephes.*, III, 17. — [10] Greg., *in Evang.*, hom. IX.

(*a*) *Cæt. edit.* conspectu. — (*b*) viæ. — (*c*) *Item* Deum.

Digitized by Google

cum diligit propter Deum. » Bene autem hyacinthus est in nubilo nubilus, et in sereno serenus, quia vir justus semper vult *gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus*, ut ait Paulus [1]. Tertio, justitia reddens honorificentiam Deo, signatur per amethystum, qui inter omnes gemmas purpureas obtinet principatum : sic et justitia est præclarissima virtutum, ut ait Philosophus in *Ethicis* [2]. Amethystus est etiam ex colore purpureo et violaceo permixtus, et flammas ex se emittit; quia vir justus qui vult Deum honorare, debet habere tria : debet esse instar amethysti purpureus, sicut rosa, id est jucundus in laude divina, quia *rectos decet collaudatio*, ut dicit Psalmista [3]. Debet etiam esse violaceus, scilicet sentire modica de seipso, et magna de Deo, ut dicit Salvator in *Luca* [4] : *Cum omnia bene feceritis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Debet etiam vir justus esse flammeus sicut Elias [5], qui *erat quasi ignis*, cujus *verbum sicut facula ardebat*, ut dicitur in *Ecclesiastico*; de cujus zelo flammeo dicitur [6] : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*; et hoc est proprium opus justitiæ, scilicet pro divino amore zelare.

CAPUT VI.

De jucundissima societate, et tripudio cœlestis civitatis Hierusalem.

Secundo illa gloria cœlestis habet amantissimam societatem, quia Sancti coram Deo semper faciunt choream omni jucunditate plenam. Unde nota, quod in illa cœlesti chorea, vel ballata, sunt tria devotissime consideranda, scilicet innumerabilis cœtus, interminabilis circuitus, et inæstimabilis cantus. Vere beata est illa chorea, cujus cœtus infinitus, cujus circuitus æternus, cujus cantus felicitas.

Cœtus, sive exercitus cœlestis.

Primo igitur in illa cœlesti chorea est cœtus, vel exercitus infinitus, id est non nobis, sed soli Deo cognitus. Ibi enim est Christus tanquam Monarcha præcipuus. Ibi enim est regina cum puellis, id est virgo virginum, scilicet Maria cum virginibus sanctis. Ibi sunt angeli tanquam nobilissimi Regis domicelli. Ibi sunt patriarchæ et prophetæ, sicut collaterales et regis consiliarii, quibus tanquam senioribus expertis revelat ministerium consistorii sui. Ibi sunt apostoli tanquam regis senescali, habentes plenitudinem potestatis : quia rex reputat factum, quod ipsi faciunt, sibi factum. Ibi sunt martyres, sicut strenuissimi Regis milites, qui per fidem vicerunt tria regna, scilicet mundi, carnis et diaboli. Ibi sunt sancti pontifices, confessores, et doctores. Sicut videmus quod rex nobilis et illustris, qualis est Rex regum et Dominus dominantium, non solum habet milites in aula, sed clericos in capella celebrantes, prædicantes et orantes. Ad celebrandum habet sanctos pontifices, ad prædicandum et scribendum sanctos doctores, ad orandum et psallendum habet sanctos anachoretas, et alios confessores. Ultimo sunt ibi alii sancti et fideles innumerabiles, de quibus omnibus dicitur [7] : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, populis et linguis, stantes ante thronum agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Ubi per ordinem notantur quinque laudes et privilegia beatorum, scilicet prædestinatio ab æterno, justificatio a peccato, contemplatio devota, conversatio honesta, et operatio fructuosa. Prædestinatio sempiterna vel æterna innuitur in numero infinito, quia turbam illam magnam nemo dinumerare poterat. Electorum namque numerus est nobis ignotus, et soli Deo agnitus, quia ipse solus scit numerum : quia, ut dicit Apostolus [8], *novit Dominus, qui sunt ejus.* Secundo notatur justificatio interna in illis quatuor, scilicet gentibus, tribubus, populis, et linguis, de quibus electi sunt vocati : in quibus monstrantur quatuor peccatorum differentiæ, a quibus sunt per Dei gratiam justificati; ita quod per *gentes* designatur peccatum luxuriæ, quod in gentibus idololatris regnavit præcipue, ut ait Apostolus [9]; per *tribus* designatur peccatum avaritiæ, quod in tribubus Jacob regnavit valde, quod patet, quia pro terrenis servierunt, et terrena in promissione acceperunt, ut dicitur in Isaia [10] : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*, et, quod plus est, tantum cupidi et avari fuerunt, quod ne terrena perderent, Christum occiderunt, ut patet in *Joanne* [11]. Per *populos* designatur peccatum superbiæ, quia populus, ut dicit Augustinus [12], est collectio civitatis, quæ juxta sententiam Christi monstrat superbiam, ut patet de illo, qui noluit venire vocatus ad cœnam, quia (*a*) emerat villam, ut dicitur in *Luca* [13].

Quinque privilegia beatorum.

Prædestinatio æterna.

Justificatio interna.

[1] *Rom.*, XII, 15. — [2] Arist., *Ethic.*, lib. V, c. I. — [3] *Psal.* XXXII, 1. — [4] *Luc.*, XVII, 10. — [5] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [6] III *Reg.*, XIX, 10. — [7] *Apoc.*, VII, 9. — [8] II *Tim.*, II, 19. — [9] *Rom.*, I, 26. — [10] *Isa.*, I, 19. — [11] *Joan.*, XI, 48. — [12] Aug., *de Civit. Dei*, lib. IX, c. XXIV. — [13] *Luc.*, XIV, 18.

(*a*) *Cæt. edit.* qui.

Digitized by Google

Et videmus quod populus, id est habitatores civitatis populosæ, melius consueverunt resistere, melius acquirere, et magis esse superbi et pomposi. Per *linguas* signatur peccatum linguæ.

Contemplatio devota. Contemplatio devota monstratur in hoc, quod stant ante thronum, quia contemplantur ante Deum cogitantes assidue, qualiter oportet venire ad judicium suum, juxta quod dicit Apostolus [1]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

Conversatio honesta. Conversatio honesta notatur per hoc, quod amicti sunt stolis albis, id est vestibus candidæ conversationis, juxta quod dicitur in *Canticis* [2]: *Dilectus meus candidus et rubicundus:* candidus honestate, rubicundus charitate.

Operatio fructuosa. Operatio fructuosa signatur per hoc, quod *palmæ* erant *in manibus eorum.* Palmæ namque, quæ portantur in manibus electorum, signant fructus bonorum operum, secundum quod dicitur in *Canticis* [3]: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructum ejus.*

Circuitus interminabilis choreæ cœlestis. Secundo, in illa cœlesti chorea est considerandus interminabilis circuitus, quia supererit in beatis ingressus, egressus et regressus : ingressus, ad intuitum divinitatis; egressus, ad aspectum humanitatis nostri Salvatoris, ut habetur a *Joanne* [4]. Et sicut in aliis choreis est unus ducens totam choream, ita Christus est et erit illechorealis ductor, ducens ac præcedens illam societatem beatissimam. Et ideo dicitur quod [5] *anus, qui in medio throni est, reget eos,* et alii [6] *sequentur agnum quocumque ierit.* Sed sciendumest, quod illa beata chorea non vadit ad sinistrm partem, sicut chorea mundi in signum quod est et vadit ad sinistram inferni; sed ista servadit ad dexteram partem, in signum quod est ad dexteram Dei, quia ad sinistram ponentur reprobi, et ad dexteram ponentur electi, utdicitur in *Matthæo* [7]. Propter quod dicitur in *Proverbiis* [8]: *Vias quæ a dextris sunt, novit,* id est, approbat Deus : *quæ autem a sinistris sunt, pervæ sunt.*

Cantus admirabilis cœlestis choreæ. Tertio, in illa cœlesti chorea est considerandus inæstimabilis cantus et admirabilis. Et ideo nota, quod sicut Christus præcedit gressu, ita præcedet cantu. Et primo cantabit suæ virgini matri, dicens [9] *Quid mihi et tibi, mulier?* quasi diceret: Mihi est virginitas, et humanitas : et tibi est virginitas, et fecunditas. Mihi divinitas et humanitas, quia Deus sum et homo; et tibi fecunditas et virginitas, quia mater es et virgo. Mihi divinitas ex virgine patre, et humanitas ex virgine matre: tibi virginitas sine labe, et fecunditas sine semine. Ad hæc Maria tanquam dulcis tympanistria respondebit dulcissimam cantilenam [10]: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus,* etc.

Secundo Christus cantabit angelicis spiritibus cantum, qui scribitur in Psalmo [11] : *Benedicite, angeli, potentes virtute, facientes verbum ejus, ad annuntiandum (a) vocem sermonum ejus.* Vos qui estis *angeli,* id est nuntii discurrentes; vos qui estis *potentes,* id est mirabilia operantes; *qui facitis verbum* meum, id est meis imperiis (b) obedientes, et alios obedire facientes. Ad hunc cantum Christi respondebunt sancti angeli cantilenam quæ scribitur in *Apocalypsi* [12] : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Tibi, Christe, sit *benedictio* in incarnatione, *claritas* in nativitate, *sapientia* in prædicatione, *gratiarum actio* in redemptione, passione et morte; *honor* in resurrectione, *virtus* in ascensione, *fortitudo* in judicii consummatione.

Tertio, Christus cantabit patriarchis et prophetis cantilenam, quam cantavit Moysi in visione rubi [13] : *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum misit me ad vos. Hoc nomen est mihi in æternum, et hoc memoriale meum in generatione et generationem.* Christus enim ad sanctos patres et patriarchas, et prophetas, specialiter fuit missus, quia de semine electo, scilicet sanctorum patriarcharum, et Spiritus sancti operatione, ex Maria Virgine natus, et quia sanctis prophetis ejus adventus fuit singulariter revelatus. Vel potius canet nascendo eis cantum illum gratiosum, qui scriptus est [14] : *Vos ipsi vidistis, quid fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum.* Et sequitur [15] : *Vos eritis mihi regnum sacerdotale, et gens sancta.* Vos enim, submersis Ægyptiis, id est mundi amatoribus in Mari Rubro, id est in peccato, et tandem in inferno, ad terram promissionis, id est ad hanc terram viventium promissam adduxi. Et super alas aquilarum vos portavi, id est in pennis contemplationis angelicæ vos elevavi ad speculandum adventum meum, et om-

[1] II *Cor.*, v, 10. —*Cant.*, v, 10. — [3] Ibid., vii, 8. — [4] *Joan.*, xvi, 17. — *Apoc.*, vii, 17. — [6] Ibid., xiv, 1. — [7] *Matth.*, xxv, 3. — [8] *Prov.*, iv, 27. — [9] *Joan.*, ii, 4. — [10] *Luc.*, i, 46. — [11] *Psal.* ciii, 20. — [12] *Apoc.*, vii, 12. — [13] *Exod.*, iii, 13, 15. — [14] Ibid., xix, 4. — [15] Ibid., 6.

(a) Vulg. *audiendam.* — (b) *Cæt. edit.* mei imperii.

Digitized by Google

nia mysteria gratiæ; et hæc cantilena est specialiter prophetarum. Et eritis mihi in regnum sacerdotale, quia a patribus Christus descendit in Virginem Mariam (*a*), quæ fuit de tribu sacerdotali et regia, quia pater Dominæ nostræ, scilicet Joachim, fuit de tribu Juda, et mater ejus Anna fuit de tribu Levitica, ut patet in historia : et hæc est cantilena communis patriarcharum. Et quia patriarchæ fuerunt reges et duces, sicut patet in David et filiis suis, prophetæ vero fuerunt sacerdotes, sicut Samuel, Zacharias et Joannes Baptista; ad istud canticum gratiosum et gloriosum respondebunt sancti patriarchæ et prophetæ illud canticum, quod est scriptum in *Apocalypsi*, ubi dicitur [1], quod *quatuor animalia, et viginti quatuor seniores cantabant canticum novum dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et solvere signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo.* Et sequitur [2] : *Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Tu, Domine, solus dignus es aperire librum Dei Patris, scriptum per Spiritum sanctum in pergameno virgineo tuæ carnis. Tu enim aperuisti septem signacula libri, de virgine carnem assumendo, et de virgine nascendo, et in cruce pro nobis moriendo, et ad infernum descendendo, et a mortuis resurgendo, et ad cœlum ascendendo, et ad judicium veniendo. De istis septem articulis tuæ humanitatis manifestasti nobis arcanum tuæ divinæ miserationis, scilicet mysterium humanæ redemptionis. Et ideo sequitur cantilena : *Quoniam occisus es, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes : regnum*, quia fecisti nos obedire præceptis tuis, sicut regnum observat dictum regis; et *sacerdotes*, quia in mundo fecisti nos offerre sacrificium spiritus tribulati, et tunc in cœlo sacrificium perpetuæ laudis pro beneficiis tuis immolamus tibi.

Quarto Salvator cantabit sanctis Apostolis dulcissimam cantilenam, quæ scripta est [3] : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis regnum, sicut Pater meus disposuit mihi regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedebitis* (*b*) *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Vos estis non servi, sed amici mei, et ego vester socius. Vos discipuli mei estis, et ego magister et pædagogus. Vos fratres mei, et ego vester charitate germanus. Quia fuistis participes tribulationis meæ, do vobis triplicem dignitatem gloriæ supernæ. Facio enim vos reges, omnipotentes, cœlestes, (et hoc est quod dicit : *Dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*). Vos per gratiam, non per naturam, facio vos convivas cœlestis mensæ, ubi humanitas est cibus, et deitas est potus; (et hoc est quod dicit : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*). Facio vos nihilominus judices cœlestis curiæ. Unde sequitur : *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes*, etc., id est, divinum judicium approbantes, sicut æterni consistorii assessores; judicantes duodecim tribus Israel, id est, universalem multitudinem fidelium, quia infideles jam judicati sunt, ut dicitur in *Joanne* [4]; qui signantur hodie per numerum duodecim tribuum Israel, quæ (*c*) solum coluerunt unum Deum. Ad hanc cantilenam respondebunt sancti Apostoli cantilenam, quæ scripta est, quam pro omnibus cantavit Petrum, dicens [5] : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi.* Credimus in verbo et radio, fidei merito, et cognoscimus claritatem in cœlo, quia tu es Christus, id est, unctus oleo divinæ miserationis, balsamo odoriferæ conversationis chrismate dignissimæ consecrationis, regiæ scilicet et sacerdotalis, filius Dei, potestate, æternitate et majestate Deo Patri æqualis.

Quinto Christus rex noster cantab sanctis martyribus cantilenam illam, quæ scripta est [6] : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; quasi diceret sanctis martyribus : Grave fuit martyrii pondus, quo persecutionem passi eis. Dignus fuit martyrii titulus, quia *propter justitiam*, non propter culpam sustinuistis. Et ideo magnus fuit martyrii fructus, quoniam verum est regnum cœlorum. Ad hanc cantilenam respondebunt martyres gloriosi, et dicent cantilenam, quam in persona ipsorum martyrum dicit Apostolus [7] : *Et si commortui sumus, et convivemus; si sustinuimus, et cum eo regnabimus*; quasi diceret : Labor noster est modicæ passionis, sed magnus est fructus divinæ fruitionis, quia [8] *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut dicit Apostolus.

Sexto, Christus cantabit satis pontificibus,

(*a*) *Cæt. edit.* Virgine Maria. — (*b*) Vulg. *sedcatis.* — (*c*) *Cæt. edit.* qui.

[1] *Apoc.*, v, 8, 9. — [2] Ibid., 10. [3] *Luc.*, xxii, 28-30. — [4] *Joan.*, iii, 18. — [5] Ibid., vi, 69-70. — [6] *Matth.*, v, 10. — [7] II *Tim.*, ii, 11. — [8] *Rom.*, viii, 18.

Digitized by Google

et doctoribus, et aliis confessoribus : et primo sanctis pontificibus cantilenam quæ scripta est [1] : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Genus electum, per prædestinationem ; regale sacerdotium, per subditorum protectionem ; gens sancta, per virtutum perfectionem ; populus acquisitionis, per exemplorum ædificationem, et diligentiam pastoralem. Postea sanctis doctoribus Christus cantabit illud quod scriptum est [2] : *Vos estis sal terræ.* Nam sicut sal est sapor omnium saporum, sic expositio catholica doctorum est quasi condimentum sacrorum eloquiorum. Et sicut omnia cibaria sine sale sunt insipida, sic verba sacræ Scripturæ, maxime legalia sacramenta, sine catholica expositione doctorum, videntur simplicibus non esse multum fructuosa. Et sicut sal conservat carnes a putrefactione vermium, sic doctrina et expositio doctorum conservat carnales homines a corruptione peccatorum. Unde propter ista dicitur [3] : *Sermo vester semper sit sale conditus.*

Septimo, Christus cantabit omnibus sanctis monachis et anachoretis, id est solitariis, et omnibus aliis confessoribus cantum illum, qui scriptus est in *Matthæo* [4] : *Vos estis lux mundi.* Sol dicitur lux mundi ad litteram, et sancti confessores dicuntur lux mundi per figuram, scilicet, instar solis, mundum illuminantes splendore honestatis, instar solis mundum inflammantes fervore charitatis, instar solis mundum superantes quantitate virtutis. Nam secundum astrologos, Sol est octies major quam Terra : sic sancti viri mundanos excedunt octies virtute et gratia, id est octo beatitudinibus vel virtutibus, quas Christus docuit in schola sua tanquam in sua prima lectione, dicens [5] : *Beati pauperes spiritu.* Istæ namque octo beatitudines sunt quædam gratiæ præsentes, in quibus viri sancti superant homines mundanos et carnales. Ad istam beatam cantilenam omnes unanimiter pontifices et alii doctores Christo respondebunt cantum illum dulcissimum, qui scriptus est in Psalmo [6] : *Transivimus per ignem et aquam* : per ignem, fortes in adversis ; per aquam, humiles in prosperis : *Et eduxisti nos in refrigerium* felicitatis, scilicet per miserias. Unde Salvator ait [7] : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis,* jugo præceptorum meorum, *et ego reficiam vos* plenitudine cœlestium gaudiorum.

Octavo cantabit Christus virginibus cantilenam illam [8] : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Casta generatio dicitur pudicitia virginalis, et continentia vidualis, et temperantia conjugalis. Istis tribus triplex claritas correspondet : nam virgines habent claritatem incorruptionis et aureolæ ; viduæ, claritatem devotionis internæ ; conjuges, claritatem successionis benignæ : et omnes pariter habent claritatem odoriferæ famæ et opinionis bonæ. Ad hanc cantilenam virgines et continentes respondebunt illud canticum dulcissimum, quod est in *Canticis* [9] : *Oleum effusum nomen tuum ; ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. Nimis* dicitur propter ariditatem continentiæ, quia dicitur [10] : *Scio quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Et ideo dicitur [11], quia *nemo poterat dicere canticum illud,* scilicet virginale, *nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Numerus centenarius competit virginibus, quibus datur fructus centesimus, ut dicitur in *Matthæo* [12]. Quadragenarius competit viduis, quia quadraginta signat statutam pœnitentiam. Ideo tam Moyses, quam Elias, quam Christus quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunaverunt. Quaternarius competit conjugatis castitatem amantibus ; quia secundum doctrinam quatuor evangelistarum observare conantur conjugalem thorum. Unde dicit Apostolus [13] : *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus.* Millenarius vero competit continentibus, quia per millenarium, qui est limes et terminus omnium numerorum, signatur cœleste gaudium, quod est finis omnium desideriorum. Unde dicitur in Psalmo [14] : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Ultimo Christus cantabit communiter omnibus sanctis illam dulcissimam cantilenam, scilicet [15] : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Venite, benedicti patris mei* per gratiam adoptionis (*a*), per quam estis filii et fratres mei ; quia, ut ait Apostolus [16], *si filii, et hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quod vobis paratum est ab origine mundi,* per æternam prædestinationem, per quam estis æterna præscientia electi. Ad istam cantilenam Christi respon-

[1] 1 *Petr.*, II, 9. — [2] *Matth.*, V, 13. — [3] *Coloss.*, IV, 6. — [4] *Matth.*, V, 14. — [5] Ibid., 3. — [6] *Psal.* LXV, 12. — [7] *Matth.*, XI, 28. — [8] *Sap.*, IV, 1. — [9] *Cant.*, I, 1. — [10] *Sap.*, VIII, 21. — [11] *Apoc.*, XIV, 3. — [12] *Matth.*, XIII, 23. — [13] *Hebr.*, XIII, 4. — [14] *Psal.* XVI, 15. — [15] *Matth.*, XXV, 34. — [16] *Rom.*, VIII, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* gratiæ adoptionem.

Digitized by Google

debit altissime totus chorus, vel chorea, vel ballata sanctorum illum cantum, qui rescribitur in Paulo [1] : *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.* Tibi, inquam, Domine, qui es *Rex* (*a*) omnium *sæculorum*, pro nobis tantum humiliatus; tu *immortalis*, qui pro nobis in cruce es mortuus; tu *invisibilis*, qui tamen nobis visibilis; tu *solus* sanctus in majestate, nobis tamen misericorditer associatus; tu es omnipotens, pro nobis autem homo factus es. Tibi, inquam, *honor* ex creatione, *gloria* ex redemptione, *in sæcula sæculorum* ex æterna salvatione; *Amen*, ex omnium promissorum tuorum certissima adimpletione.

Tandem omnes sancti dicent, alter ad alterum, illum sacratissimum hymnum et trisagium gloriosum, quod scribitur in *Isaia* [2] : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, vel *exercituum, pleni sunt cœli et terra gloria ejus.* Cujus est tanta virtus, quod qui dicit illum, a morte subitanea, et fulgure, et omnibus tribulationibus est securus, ut ait Damascenus [3]. Propter quod statuit sancta synodus Chalcedonensis quarta hoc trisagium sanctæ Trinitatis a fidelibus dici contra omnes stellionatus, id est minas divinas, ut ait Damascenus ibidem, scilicet : *Agios o Theos*, Sanctus Deus : *Agios Ischyros*, Sanctus fortis : *Agios athanatos, elcison imas*, Sanctus et immortalis, miserere nobis. In quo trisagio sancti faciunt specialiter tria : scilicet Trinitatem confitentur in una essentia, unde dicit Isaias : *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* potestatem et judicia admirantur, dicentes : *Dominus Deus exercituum;* pietatem et beneficia venerantur, addentes : *Plena est omnis terra*, tam viventium, quam morientium, *gloria ejus*, id est misericordia ejus, in qua Deus præcipue ostenditur gloriosus, ut exponit Glossa. Unde dicit Apostolus [4] : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*, quæ est infinita. Ad quam gloriam nos perducat, et participes efficiat ductor illius choreæ Jesus Virginis filius, cui cum Deo Patre, et Spiritu sancto, uni soli Deo vivo et vero, est honor, et imperium majestatis, per infinita sæcula sæculorum: Amen.

Virtus Trisagii.

[1] I *Tim.*, I, 17. — [2] *Isa.*, VI, 3. — [3] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. III, c. X. — [4] *Rom.*, III, 23.

(*a*) Cæt. edit. deest *Rex*.

Digitized by Google

APPENDIX

DIÆTÆ SALUTIS

QUÆ APPLICATIONEM MATERIARUM IPSIUS DIÆTÆ CONTINET AD USUM CONCIONATORUM IN DIEBUS DOMINICIS ET FESTIVITATIBUS PER ANNUM.

Dominica I in Adventu Domini.

Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis [1], etc. In adventu magni Regis et Principis, expiantur sordes et parantur vestes: et ideo Apostolus in his verbis per hunc modum, propter summi regis adventum, ad faciendum hæc duo specialiter nos invitat: primo ad vitiorum sordes expurgandas, cum dicit: *Abjiciamus opera tenebrarum*; secundo, ad virtutum vestes præparandas, cum addit: *Et induamur arma lucis.* Primo igitur debemus expurgare sordes vitiorum, et propter tria, quæ sunt in peccato: require in materia de *peccato in communi* [2]. Secundo, debemus vestes virtutum præparare, et specialiter vestem charitatis (*a*), sicut videmus quod vestis nobilior portatur in festis præcipuis. De hac veste quære in materia *de Charitate* [3].

Dominica II Adventus.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio [4]. Quoniam a viris spiritualibus sunt debiles sustinendi, et tristes consolandi; idcirco Apostolus in verbis propositis duo facit. Primo enim promittit debilibus sustentationem, cum dicit: *Deus autem spei*; secundo, tristibus consolationem, cum addit: *Repleat vos omni gaudio*, et in Psalmo [5]: *Spera in Domino*, sequitur: *Et pasceris in divitiis ejus.* Primo dico, quod spiritualis sustentatio est in virtute spei: quære in materia *de Spe* [6]. Secundo, spiritualis consolatio est in gaudio virtutis; unde virtus comparatur paradiso. Quære in materia *de Virtute in communi* [7].

Dominica III Adventus.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est [8]. Rege præsente, consueverunt domicelli et milites multum alacriter et honeste incedere: ideo Apostolus prævidens Regis æterni præsentiam propinquam, ad conversationem honestam in verbis propositis nos hortatur. Et secundum hoc in verbis istis duo facit: primo enim hortatur nos ad conversationis honestatem, cum dicit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; secundo ostendit conversationis causam, cum addit: *Dominus prope est.* Primo igitur forma conversationis consistit specialiter in mansuetudine vel mititate: require in materia *de Mititate et Mausuetudine* [9]. Secundo virtus spiritualis conversationis, et orationis, castitatis, et pietatis, faciunt propinquam Dei præsentiam: require in materia *de Castitate, Oratione, et Pietate* [10].

Dominica IV Adventus.

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus [11]. Dicit lex Imperatoris, quod adveniente præside, cessat junior potestas. Ideo Apostolus considerans adventum æterni Judicis, duo facit in his verbis. Primo namque reprimit invidiam iniquam, dicens: *Nolite ante tempus judicare.* Secundo prædicit Salvatoris justitiam futuram, cum dicit: *Quoadusque veniat Dominus.* Primo igitur reprimitur invidia propter tria: require in materia *de Invidia* [12]. Secundo prædicatur causa, judicis sententia: require in materia *de Judicio futuro* [13].

[1] *Rom.*, XIII, 12. — [2] Sup., tit. I, c. I, pag. 249-250. — [3] Sup., tit. V, c. II, pag. 293 et s. — [4] *Rom.*, XV, 13. — [5] *Psal.* XXXVI, 3. — [6] Sup., tit. V, c. IV, pag. 299-300. — [7] Ibid., c. I, pag. 290 et s. — [8] *Philip.*, IV, 5. — [9] Sup., tit. VII, c. II, p. 317-318. — [10] Sup., tit. IV, c. V, p. 289-290; tit. VI, c. V, p. 268 et s.; tit. VII, c. IV, p. 320 et s. — [11] I *Cor.*, IV, 5. — [12] Sup., tit. I, c. IV, p. 232 et s. — [13] Sup., tit. IX, p. 331 et s.

(*a*) *Cæt. edit. add.* et.

Digitized by Google

Dominica infra octavam Nativitatis.

Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et heres per Deum [1]. Magnus debet magna donare. Unde Apostolus in his verbis describit Salvatoris magnificentiam; et secundum hoc tria facit. Primo enim describit culpæ subjectionem, a qua sumus liberati, cum dicit : *Itaque jam non est servus.* Secundo, gratiæ cooperationem, per quam sumus liberati et justificati, addens : *Sed filius.* Tertio, gloriæ possessionem, ad quam sumus prædestinati, subdens : *Quod si filius, et heres per Deum.* Primo igitur, subjicitur homo per culpam, specialiter propter gulam, luxuriam, et avaritiam : quære in materia *de Gula, de Luxuria, et de Avaritia* [2]. Secundo justificatur homo per gratiam pœnitentiæ; quære in materia *de Pœnitentia* [3]. Tertio beatificatur homo per gloriam; quære in materia *de Gloria paradisi* [4].

Dominica secunda.

Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem [5]. Omnis cibus, quantumcumque pretiosus, insipidus est, nisi sit sale conditus; ideo Apostolus hortatur nos in verbis propositis, ut cibum prudentiæ condiamus sale discretionis; et secundum hoc duo facit. Primo prohibet sapientiam temerariam, dicens : *Non plus sapere quam oportet sapere.* Secundo suadet temperantiam necessariam, addens : *Sed sapere ad sobrietatem.* Primo igitur cavenda est prudentia vel sapientia inordinata : quære in materia *de Prudentia* [6]. Secundo quærenda est sobrietas modesta : quære in materia *de Temperantia* [7].

Dominica prima post Octavam Epiphaniæ.

Odientes malum, adhærentes bono [8]. Naturaliter gustus bene dispositus respuit amaritudinem, et appetit dulcedinem. Ideo Apostolus in his verbis monet nos ad duo, videlicet ad detestationem culpæ, dicens : *Odientes malum.* Secundo monet nos ad dilectionem gratiæ, ibi : *Adhærentes bono.* Primo igitur detestanda est culpa : quære in materia *de Peccato in communi* [9]. Secundo, diligenda est virtus, vel gratia : quære in materia *de Virtute in communi* [10].

Dominica secunda.

Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ [11]. Non est tutum militem sine armis intrare locum certaminis : ideo Apostolus in his verbis specialiter nos instruens, duo facit. Primo docet esse sumendum scutum patientiæ, dicens : *Non vosmetipsos defendentes.* Secundo docet cavendum ictum iracundiæ, addens : *Sed datæ locum iræ.* Primo debemus assumere patientiam tanquam scutum : quære in materia *de Fortitudine* et *de Patientia* [12]. Secundo, debemus cavere iracundiam tanquam ictum : quære in materia *de Ira* [13].

Dominica tertia.

Qui diligit proximum suum, legem implevit [14]. Mercatores facientes computum, prius ipsum in pecias et partes dividunt, et postea in summam reducunt; sic et Apostolus in his verbis divinæ legis summam reducit in charitatem. Et secundum hoc monet nos Apostolus ad duo, videlicet ad dilectionem proximorum, dicens : *Qui diligit proximum.* Ad impletionem mandatorum, addens : *Implevit legem.* Primo igitur debemus proximum diligere : quære in materia *de Charitate* [15]. Secundo, debemus præcepta adimplere : quære in materia *de Præceptis* [16].

Dominica quarta.

Pax igitur Christi exultet in cordibus vestris [17]. Mundus iste consuevit duo multum desiderare, scilicet concordiam pacis, et lætitiam cordis. Ideo Apostolus in his verbis optat nobis hæc duo, quæ naturaliter desiderat omnis homo, scilicet proximi concordiam amicabilem, cum dicit : *Pax igitur Christi*; secundo, animi lætitiam delectabilem, cum addit : *Exultet in cordibus vestris.* Primo igitur affectanda est concordia pacis : quære in materia *de Pace* [18]. Secundo lætitia cordis est optanda : quære in materia *de Charitate* [19], et in materia *de Gaudio* [20].

Dominica in Septuagesima.

Sic currite, ut comprehendatis [21]. Quoniam non incipientibus, sed proficientibus regnum cœleste promittitur; ideo Apostolus in verbis istis

[1] *Gal.*, IV, 7. — [2] Sup., tit. I, c. VIII, IX, VI, pag. 254 et s, 259, 260 et s.. — [3] Sup., tit. II, pag. 263-275. — [4] Sup., tit. X, c. II, pag. 335 et s. — [5] *Rom.*, XII, 3. — [6] Sup., tit. V, c. V, pag. 500 et s. — [7] Ibid., c. VI, pag. 301 et s. — [8] *Rom.*, XII, 9. — [9] Sup., tit. I, c. I, pag. 249 et s. — [10] Sup., tit. V, c. I, pag. 290 et s. — [11] *Rom.*, XII, 19. — [12] Sup., tit. V, c. VII, pag. 302 et s.; tit. VII, c. VII, p. 325 et s. — [13] Sup., tit. I, c. V, p. 254 et s. — [14] *Rom.*, XIII, 8. — [15] Sup., tit. V, c. I. — [16] Sup., tit. III, per totum, p. 293-295. — [17] *Coloss.*, III, 15. — [18] Sup., tit. VII, c. VI, p. 275-282. — [19] Sup., tit. V, c. II, p. 323 et s. — [20] Sup., tit., VIII, c. I, p. 293-295, 326 et s. — [21] I *Cor.*, IX, 24.

Digitized by Google

ad duo specialiter nos hortatur : primo ad fructuosam operationem, cum dicit : *Sic currite;* secundo ostendit fructuosæ operationis rationem, cum addit : *Ut comprehendatis.* Primo igitur debemus cursum præceptorum perficere, quære in materia *de Præceptis* [1]; secundo, fructum præmiorum appetere, quære in materia *de Gloria paradisi* [2].

Dominica in Sexagesima.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi [3]. Infirmus, si prudens est, libenter sustinet sudorem propter sequentem (*a*) sanitatem. Ideo Apostolus in his verbis duo docet : scilicet afflictionem carnis, quam debemus libenter portare, dicens : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis;* secundo possessionem virtutis, quam debemus ferventer amare, cum addit : *Ut inhabitet in me virtus Christi.* Primo igitur afflictio carnis est libenter portanda, quære in materia *de Fortitudine* [4]; secundo, possessio virtutum est amanda, quære in materia *de Virtute in communi* [5].

Dominica in Quinquagesima.

Charitas patiens est [6]. Decet reginam habere regium apparatum : ideo Apostolus in his verbis describit specialiter ista duo, scilicet : charitatem, sicut virginum reginam, dicens : *Charitas;* secundo patientiam, sicut reginæ armaturam, addens : *Patiens est.* Primo igitur, charitas est virtutum regina, quære in materia *de Charitate* [7]; secundo, patientia est reginæ armatura, quære in materia *de Fortitudine* [8] et in materia *de Patientia* [9].

Dominica prima in Quadragesima.

Ut castigati, et non mortificati [10]. Filius, si peccaverit, castigandus est, et non mactandus; corrigendus, et non occidendus. Et secundum hoc Apostolus in isto verbo specialiter ostendit duo : primo, quod peccator debet se corrigere cum flagello pœnitentiæ, cum dicit : *Ut castigati;* secundo, quod non debet se occidere cum gladio culpæ, addens : *Non mortificati.* Primo igitur castigandus est peccator flagello pœnitentiæ, quære in materia *de Pœnitentia* [11]; secundo, non est occidendus gladio culpæ, quære in materia *de Peccato in communi* [12].

Dominica secunda in Quadragesima.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra [13]. Tunc regnum bene regitur, quando populus voluntatem regis observat, et quando rex plebis utilitatem procurat. Unde Apostolus in his verbis hæc duo facit. Describit enim quid summe observandum, quia voluntas divina, dicens : *Hæc est voluntas Dei;* secundo, quid summe affectandum, quia sanctitas propria, addens : *Sanctificatio vestra.* Primo igitur debemus divinam voluntatem observare implendo præcepta, quære in materia *de Præceptis* [14]; secundo, debemus per munditiam propriam castitatem servare, quære in materia *de Castitate* [15].

Dominica tertia in Quadragesima.

Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit vos [16]. Unicuique experto in sua scientia credendum : et ideo, quia Apostolus summe fuit expertus in præceptis et scientia, audire debemus lectionem suam, quam nobis proponit in his verbis, de schola divinæ lectionis. Hæc autem lectio continet duo capitalia dilectionis, scilicet : viam regulantem, et ideo dicitur : *Ambulate in dilectione;* et dilectionis formam exemplarem, et ideo subditur : *Sicut et Christus dilexit vos.* Primo igitur sequenda est dilectionis via, quære in materia *de Dilectione et Charitate* [17]; secundo attendenda est dilectionis forma, quære in eadem materia.

Dominica quarta in Quadragesima.

Ejice ancillam et filium ejus [18]. Vulgo dicitur, quod bonum opus facit, qui de stulto se expedit. Et ideo Apostolus in hoc verbo monet nos ad expellendum peccatum de cordis hospitio, et hoc quantum ad duo : scilicet quantum ad affectionem qua peccatum concupiscitur, dicens : *Ejice ancillam,* id est voluntatem malam; et quantum ad operationem qua peccatum perpetratur, addens : *Et filium ejus.* Primo igitur per pœnitentiam expellenda est affectio mala, et fit præcipue per contritionem et per confessionem, quære in materia *de Pœnitentia* [19]; se-

[1] Sup., tit. III, per totum, p. 275-282. — [2] Sup., tit. X, c. II, p. 335 et seq. — [3] II *Cor.*, XII, 9. — [4] Sup., tit. V, c. VII, p. 303 et s. — [5] Ibid., c. I, pag. 290 et s. — [6] I *Cor.*, XIII, 4. — [7] Sup., tit. V, c. II, p. 293 et s. — [8] Ibid., c. VII, p. 302 et s. — [9] Sup., tit. VII, c. VII, p. 325 et s. — [10] II *Cor.*, VI, 9. — [11] Sup., tit. II, per totum, p. 263-275. — [12] Sup., tit. I, c. I, p. 249 et s. — [13] I *Thess.*, IV, 3. — [14] Sup., tit. III, per totum, p. 275-282. — [15] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288 et s. — [16] *Ephes.*, V. 2. — [17] Sup., tit. V, c. II, p. 293 et s. — [18] *Gal.*, IV, 30. — [19] Sup., tit. II, c. II et III, p. 265-267.

(*a*) *Cæt. edit.* frequentem.

Digitized by Google

cundo expellenda est operatio prava; et fit per satisfactionem, quære in eadem materia [1].

Dominica in Passione Domini.

Per proprium sanguinem introivit semel in sancta [2]. Religiosi consueverunt se minuere, quando volunt infirmariam intrare, et recreationem suscipere; sic Dominus in passione sua fecit se minui, et sic intravit infirmariam, et recreationem paradisi recepit. Et sic Apostolus in verbis istis duo ostendit, scilicet passionis Christi minutionem, dicens : *Per proprium sanguinem*; secundo resurrectionis recreationem, addens : *Introivit semel in sancta*, scilicet in cœlum. Primo igitur passio Christi est jugitur meditanda, quære in materia *de Contemplatione et de Gaudio* [3]; secundo, bona cœlestia sunt ferventer desideranda, quære in materia *de Spe* [4] *et Gloria Paradisi* [5].

Dominica in ramis Palmarum.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis [6]. Qui vult librum scribere vel corrigere, super omnia de exemplari veraci debet curare : et ideo Apostolus in his verbis proponit nobis pro libro exemplum vitæ Christi ad transcribendum, et corrigendum librum cordis nostri. Proponit autem hic nobis quatuor capitula hujus libri, in cordis nostri codice transcribenda : primum, scilicet humilitatis inclinantis, cum dicit : *Humiliavit semetipsum*; secundum, obedientiæ subjugantis, cum dicitur : *Factus obediens*; tertium, perseverantiæ coronantis, cum subditur : *Usque ad mortem*; quartum, pœnitentiæ crucifigentis, cum subinfertur : *Mortem autem crucis*. Primo igitur debemus nos humiliter inclinare, quære in materia *de Humilitate* [7]; secundo, debemus nos obedientia subjugare, quære in materia *de Obedientia* [8]; tertio debemus nos perseverantia coronare, quære in materia *de Fortitudine* [9]; quarto, debemus nos pœnitentia cruciare, quære in materia *de Pœnitentia* [10].

Dominica prima post Pascha.

Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra [11]. Multum gloriatur miles in gladio, quando cum illo triumphavit in omni bello : ideo Joannes apostolus ostendit in his verbis Christi militibus specialiter duo : scilicet triumphum vitiorum, dicens : *Hæc est victoria quæ vincit mundum*; secundo, genus armorum securissimum : *Fides nostra*. Primo igitur debemus perseverantia triumphare, quære in materia *de Fortitudine* [12]; secundo, debemus nos armis fidei armare, quære in materia *de Fide* [13].

Dominica secunda post Pascha.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus [14]. Sequi debet miles ducem, proles patrem, scholaris doctorem : et ideo Apostolus ostendit nobis tria in his verbis, quæ sunt necessaria, et facienda nobis. Primo est nobis cum Christo militandum, et ideo dicitur : *Christus passus est pro nobis*. Secundo, cum Christo conversandum, et ideo subditur : *Vobis relinquens exemplum*. Tertio, per Christum ambulandum, et ideo subinfertur : *Ut sequamini vestigia ejus*. Primo igitur debemus laborare cum Christo per pœnitentiam dignam, quære in materia *de Pœnitentia* [15]; secundo, debemus conversari in Christo per vitam honestam, quære in materia *de Castitate* [16], et *Temperantia* [17]; tertio, debemus post Christum ambulare per mandatorum semitam rectam, quære in materia *de Præceptis* [18].

Dominica tertia post Pascha.

Obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam [19]. Qui bene dirigit in via, prædicit omnia diverticula et pericula : et secundum hoc, Apostolus monet nos in his verbis ad tria, scilicet : ad habendam mortis memoriam, dicens : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos*; secundo, ad domandam carnis lasciviam, dum dicit : *Abstinere vos a carnalibus desideriis*; tertio, ad frangendam hostis malitiam, subdens : *Quæ militant adversus animam*. Primo igitur habenda est mortis memoria, et hoc est humilitatis, quære in materia *de Humilitate* [20]; secundo, domanda est carnis lascivia, quod est opus castitatis, quære in materia *de*

[1] Sup., tit. II, c. IV, p. 267 et s. — [2] *Hebr.*, IX, 12. — [3] Sup., tit. VIII, c. I, p. 326 et s. — [4] Sup., tit. V, c. IV, p. 299-300. — [5] Sup., tit. X, c. II, p. 335 et s. — [6] *Philip.*, II, 8. — [7] Sup., tit. VII, c. I, p. 311 et s. — [8] Sup., tit. IV, c. II, p. 285 et s. — [9] Sup., tit. V, c. VII, p. 302 et s. — [10] Sup., tit. II, per totum, p. 263-275. — [11] *Joan.*, V, 4. — [12] Sup, tit. V, c. VII, p. 303 et s. — [13] Ibid., c. III, p. 296 et s. — [14] I *Petr.*, II, 21. — [15] Sup., tit. II, per totum, p. 263-275. — [16] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288 et s. — [17] Sup., tit. V, c. VI, p. 301 et s. — [18] Sup, tit. III, per totum, p. 275-282. — [19] I *Petr.*, II, III. — [20] Sup., tit. VII, c. I, p. 311 et seq.

Digitized by Google

Castitate [1] et *Temperantia* [2]; tertio, fugienda est hostis malitia, et hoc opus fortitudinis, quære in materia *de Fortitudine* [3] *et Continentia* [4].

Dominica quarta post Pascha.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram [5]. Vulgo dicitur: Qui non est prudens, sit saltem bene credens. Et ideo beatus Jacobus apostolus monet nos specialiter ad tria. Primum est velocitas, contra contemptum obedientiæ, dicens: *Sit omnis homo velox ad audiendum.* Secundum est taciturnitas, contra peccatum linguæ, ideo addit: *Tardus ad loquendum.* Tertium est mititas, contra peccatum iræ, ideo dicit: *Tardus ad iram.* Primo igitur debemus acquiescere, et hoc est opus obedientiæ, quære in materia *de Obedientia* [6]. Secundo debemus libenter tacere, contra vitium linguæ, quære in materia *de Præceptis* [7]. Tertio debemus esse quieti contra peccatum iræ, quære in materia *de Ira* [8].

Dominica quinta post Pascha.

Religio munda et immaculata apud Deum Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ad hoc sæculo [9]. Boni pictoris industria apparet in bona pictura; et secundum hoc Apostolus pingit bonam picturam quantum ad tria, quæ sunt ad bonam vitam necessaria, scilicet: decor conversationis, et ideo dicitur: *Religio munda et immaculata apud Deum et patrem hæc est;* secundo, dolor miserationis, cum additur: *Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum;* tertio, fuga inquinationis, cum subditur: *Et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Primo ergo debemus pie conversari, quod est opus honestatis, quære in materia *de Honestate*, vel *Castitate* [10]. Secundo debemus pie misereri, et hoc est opus pietatis, quære in materia *de Pietate et Misericordia* [11]. Tertio debemus inquinationem detestari, et hoc est opus virtutis, et hoc quantum ad triplicem concupiscentiam, scilicet mundi, carnis, et hostis: quære in materia *de Præceptis* [12] *et Oratione* [13].

Dominica infra octavam Ascensionis.

Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus [14]. Omnis bonus operarius utitur regula ad dirigendum opus: et secundum hoc beatus Petrus apostolus ostendit in his verbis duo nobis necessaria, scilicet obsequium exterioris operis, dicens: *Si quis ministrat;* secundo judicium interioris virtutis, addens: *Quam administrat Deus.* Primo debemus bonum opus exercere, et specialiter triplex, scilicet: opus justitiæ in observando mandata, quære in materia *de Præceptis* [15]; secundo, opus pœnitentiæ in emendando peccata, quære in materia *de Pœnitentia* [16]; tertio, opus misericordiæ in sublevando proximi incommoda, quære in materia *de Misericordia* [17].

Dominica prima post Pentecosten.

Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum [18]. Duplicem nodum (*a*) consuevit facere, qui rem vult bene ligare; et secundum hoc Joannes Apostolus ostendit nobis duo de vinculo charitatis: injunctionem, quæ injungitur sub discreto præcepto, et ideo dicitur: *Hoc mandatum habemus a Deo;* charitatis perfectionem, quæ perficitur duplici modo, et ideo subditur: *Ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Primo igitur charitatem debemus servare tanquam præceptum, quære in materia *de Præceptis* [19]; secundo debemus charitatem nodare tanquam vinculum, quære in materia *de Charitate* [20].

Dominica secunda post Pentecosten.

Qui odit fratrem suum, homicida est [21]. Secundum leges sæculares, non solum reputatur homicida qui interficit ictu gladii, sed qui parat potiones veneni. Et secundum hoc Apostolus in his verbis ostendit nobis duo, scilicet odium expellendum ad modum veneni, dicens: *Qui odit fratrem suum;* secundo homicidium abhorrendum instar gladii, addens: *Homicida est.* Primo igitur debemus odium fratris vitare, quod est invidiæ corruptio, quære in materia *de Invidia* [22]; secundo debemus homicidium ab-

[1] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288 et s. — [2] Sup., tit. V, c. VI, p. 301 et s. — [3] Ibid., c. VII, p. 302 et s. — [4] Sup., tit. VIII, c. VII, p. 331. — [5] *Jac.*, I, 19. — [6] Sup., tit. IV, c. II, p. 285 et s. — [7] Sup., tit. III, per totum, p. 275-282. — [8] Sup., tit, I, c. V, p. 254 et s. — [9] *Jac.*, I, 27. — [10] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288 et s. — [11] Sup., tit. VII, c. IV, p. 320 et s. — [12] Sup., tit. III, per totum, p. 275-282. — [13] Sup, tit. II, c. V, p. 268 et s. — [14] I *Petr.*, IV, 11. — [15] Sup., tit. III, per totum, p. 275 282. — [16] Sup., tit. II, c. IV, p. 267 et s. — [17] Sup., tit. VII, c. IV, p. 320 et s. — [18] I *Joan.*, IV, 21. — [19] Sup., tit. III, p. 275-282. — [20] Sup., tit. V, c. II, p. 293 et s. — [21] I *Joan.*, III, 15. — [22] Sup., tit. I, c. IV, p. 252 et seq.

(*a*) *Cæt. edit.* modum.

Digitized by Google

horrere, quod est præcepti transgressio : quære in materia *de Præceptis* [1].

Dominica tertia post Pentecosten.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut exaltet vos in die visitationis [2], etc. Saltatores consueverunt se curvare, ut melius possint ad alta saltare. Et secundum hoc Apostolus ostendit nobis duo, scilicet : humilitatis inclinationem profundam, dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei ;* secundo humilitatis elevationem jucundam, addens : *Ut exaltet vos in die visitationis.* Primo igitur debemus nosipsos humiliare, quære in materia *de Humilitate* [3], et *Superbia* per contrarium [4]. Secundo debemus nos per contemplationem ad gloriam levare, quære in materia *de Gloria Paradisi* [5].

Dominica quarta post Pentecosten.

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [6], etc. Consuevit homo accipere pro parte sua, quod plus ponderat in statera ; et secundum hoc Apostolus quasi in statera proponit nobis duo verba in proposito, scilicet præsentem tribulationem ad suscipiendum, dicens : *Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ;* secundo æternam remunerationem ad eligendum, addens : *Ad futuram gloriam.* Primo igitur debemus præsentem tribulationem sustinere patienter, quære in materia *de Patientia* [7], *et Acedia* [8] per contrarium ; secundo æternam remunerationem expectare, quære in materia *de Spe* [9] et *Gloria Paradisi* [10].

Dominica quinta post Pentecosten.

Si quid patimini propter justitiam, beati [11], etc. Vix acquiruntur magnæ divitiæ sine magno labore. Et secundum hoc in verbis propositis ponuntur specialiter tria, scilicet : virtus laborem sustinens, cum dicitur : *Si quid patimini ;* justitia laborem decorans, cum additur : *Propter justitiam ;* fructus laborem remunerans, cum subditur : *Beati.* Primo enim debemus laborem præsentem patienter portare : quære in materia *de Fortitudine* [12], et *Acedia* [13] (*a*) per contrarium. Secundo debemus præsentem laborem titulo justitiæ decorare, quære in materia *de Justitia* [14]. Tertio debemus laborem fructu felicitatis coronare, quære in materia *de Spe* [15] *et Gloria Paradisi* [16].

Dominica sexta post Pentecosten.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod simul vivemus cum eo [17], etc. Consueverunt pueri rumpere vestes antiquas, ut citius habeant novas. Et secundum hoc Apostolus in hoc verbo specialiter ostendit nobis duo, scilicet ; vestem carnis mortificandam, cum dicitur : *Si autem mortui sumus cum Christo ;* stolam gloriæ desiderandam, cum additur : *Quod simul vivemus in eo.* Primo igitur debemus vestem carnis rumpere per pœnitentiam, quære in materia *de Pœnitentia* [18], *Acedia, Luxuria,* et *Gula* [19] per contrarium. Secundo debemus stolam gloriæ æternæ frequenter appetere ; quære in materia *de Spe* [20], *et Gloria Paradisi* [21].

Dominica septima post Pentecosten.

Habetis fructum in sanctificationem, finem vero vitam æternam [22]. Qui prudens est, considerat fructum laboris et finem operis ; et secundum hoc Apostolus in omni hora docet nos considerare duo, scilicet fructum justificantem, dicens : *Habetis fructum in sanctificationem ;* et desiderare finem justificantem, addens : *Finem vero vitam æternam.* Primo, fructus boni operis consistit in opere justitiæ, quære in materia *de Præceptis* [23]. Secundo finis operis consistit in consummatione perseverantiæ, quære in materia *de Perseverantia* [24]. Tertio, in expectatione futuræ gloriæ, quære in materia *de Spe* [25], *et Gloria Paradisi* [26].

Dominica octava post Pentecosten.

Si secundum carnem vixeritis, moriemini [27], etc. Infirmus, si semper bibit secundum sitim febris, de facili incurrit periculum mortis ; et secundum hoc, Apostolus ostendit nobis duo, scilicet : febrem vel sitim carnis omnino reprimendam : *Si secundum carnem vixeritis ;* et ge-

[1] Sup., tit. III, c. IV, pag. 279. — [2] I *Petr.*, V, 6. — [3] Sup., tit. VII, c. I, p. 311 et s. — [4] Sup., tit. I, c. III, p. 251 et s. — [5] Sup., tit. X, c. II, p. 335 et s. — [6] *Rom.*, VIII, 18. — [7] Sup., tit. VII, c. VII, p. 325 et s. — [8] Sup., tit. I, c. VII, p. 257 et s. — [9] Sup., tit. V, c. IV, p. 299 300. — [10] Sup., tit. X, c. II, p. 335. — [11] I *Petr.*, III, 14. — [12] Sup., tit. V, c. VII, p. 302 et s. — [13] Tit. I, c. VII, p. 251 et s. — [14] Tit. V, c. VIII, p. 303 et s. — [15] Tit. V, c. IV, p. 299 et s. — [16] Tit. X, c. II, p. 335 et s. — [17] *Rom.*, VI, 8. — [18] Sup., tit. II, per totum. — [19] Sup., tit. I, c. VII, VIII, IX, p. 257-262. — [20] Tit. V, c. IV, p. 299 et s. — [21] Tit. X, c. II. — [22] *Rom.*, VI, 22. — [23] Sup., tit. III, per totum p. 275-282. — [24] Tit. VIII, c. II, p. 328 et s. — [25] Tit. V, c. IV, p. 299 et s. — [26] Tit. X, c. II. — [27] *Rom.*, XII, 13.

(*a*) Cæt. edit. *superbia, luxuria et avaritia.*

Digitized by Google

hennalem pœnam mortis omnino fugiendam, addens : *Moriemini*. Primo igitur debemus desideria carnis reprimere, quære in materia *de Temperantia* [1], et *Gula* [2] per contrarium. Secundo debemus mortis supplicia formidare, quære in materia *de Timore* [3], et *Superbia* [4] per contrarium.

Dominica nona post Pentecosten.

Non simus concupiscentes malorum [5]. Qui equitat lascivum equum, debet ipsum refrænare specialiter juxta periculum. Et secundum hoc Apostolus ostendit nobis duo, scilicet : concupiscentiæ vitium caute refrenandum, cum dicit: *Non simus concupiscentes*; et concupiscentiæ periculum formidandum, addens : *Malorum*. Primo igitur concupiscentiæ vitium refrenandum, quære in materia *de Præceptis* [6]; secundo debemus concupiscentiæ periculum formidare quantum ad gulam, luxuriam, avaritiam, quære in materia istorum [7].

Dominica decima post Pentecosten.

Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus [8]. Multum decorat honorem regium multiformis varietas et distributio ministeriorum. Et secundum hoc in his verbis duo specialiter describuntur, scilicet : obsequii divini distributio salutaris, cum dicitur : *Divisiones ministeriorum sunt*; dispensationis Dei dominatio singularis, cum additur : *Idem autem Deus*. Primo igitur debemus nos occupare, quantum ad opera misericordiæ, et justitiæ, et pœnitentiæ, quære in materia eorum [9]. Secundo debemus unum Deum adorare, quære in materia *de Præceptis* [10].

Dominica undecima post Pentecosten.

Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit [11]. Naturaliter arbor prius nititur radices figere, et postea fructus proferre. Et secundum hoc Apostolus in his verbis de quolibet viro justo ostendit nobis duo, scilicet: veritatis stabilitatem, dicens : *Gratia Dei sum id quod sum*; et operis fecunditatem, addens : *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Primo igitur debemus esse virtutibus fixi, quære in materia *de Fide, Spe, Charitate*, et *Veritate in communi* [12]. Secundo debemus esse in bonis fecundi, quære in materia *de Misericordia* [13], et *Avaritia* et *Accidia* [14], per contrarium.

Dominica duodecima post Pentecosten.

Sufficientia nostra ex Deo est [15]. Sicut Luna recipit lumen suum a Sole, ita creatura donum suum a Creatore; et ad hoc quod Luna plene lumen suum recipiat, oportet ut Solem (*a*) directe respiciat. Et secundum hoc duo specialiter in verbis istis ostenduntur, scilicet integralis justi perfectio, cum dicitur : *Sufficientia nostra*; secundo, justi spiritualis contemplatio, cum additur : *ex Deo est*. Primo igitur debemus perfectionem virtutis habere, quære in materia *de Virtute in communi* [16]. Secundo debemus ad Deum per contemplationem respicere, quære in materia *de Oratione et Contemplatione* [17].

Dominica decimatertia post Pentecosten.

Lex propter transgressiones posita est [18]. Sicut enim principis equus indiget fræno, sic pronitas ex concupiscentia nostra justitiæ præcepto. Et secundum hoc Apostolus in his verbis ostendit nobis duo, scilicet: æquitatem divini præcepti, cum dicit : *Lex*; et pronitatem peccati, cum dicit : *Propter transgressiones posita est*. Primo igitur æquitas præcepti est observanda, quære in materia de *Præceptis* [19]; secundo peccati pronitas moderanda, quære in materia *de Pœnitentia* [20], *Temperantia* [21], *Gula* et *Luxuria* [22] per contrarium.

Dominica decimaquarta post Pentecosten.

Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem [23]. Tempus guerræ est valde periculosum, [et maxime quando est continuum et infestivum. Idcirco milites consueverunt incedere armati. Et secundum hoc in verbo isto duo nobis ostenduntur, scilicet : carnis hostilitas domanda præ omnibus, cum dicitur : *Caro concupiscit adversus spiritum;* et mentis sinceritas armanda virtutibus, cum additur : *Spiritus adversus carnem*. Primo igitur debemus hostilitatem carnis domare, et specialiter quan-

[1] Sup., tit. v, c. vi, p. 301 et s. — [2] Tit. i, c. viii, p. 259 et s. — [3] Tit. vi, c. i, p. 304 et s. — [4] Tit. i, c. iii, p. 251. — [5] I *Cor.*, x, 6. — [6] Sup., tit. iii, c. viii, p. 281. — [7] Tit. i, c. vi, viii, ix, p. 259, 260, 255. — [8] I *Cor.*, xii, 5. — [9] Sup., tit. vii, c. iv, p. 320; tit. v, c. viii, p. 303, et tit. ii, per totum, p. 263-275. — [10] Tit. iii, c. ii, p. 276. — [11] I *Cor.*, xv, 10. — [12] Sup., tit. v, c. i, ii, iii, iv, p. 290-300. — [13] Tit. vii, c. iv, p. 320. — [14] Tit. i, c. vi et vii, p. 255-259. — [15] II *Cor.*, iii, 5. — [16] Sup., tit. v, c. i, p. 290. — [17] Tit. ii, c. v, p. 268. — [18] *Gal.*, iii, 19. — [19] Sup., tit. iii, p. 275-282. — [20] Tit. ii, p. 263-275. — [21] Tit. v, c. vi, p. 301. — [22] Tit. i, c. viii et ix, p. 259-262. — [23] *Gal.*, v, 17. — (*a*) *Cæt. edit.* Sol.

Digitized by Google

tum ad gulam et luxuriam, quære in materia *de Gula et Luxuria* [1]. Secundo debemus mentis sinceritatem amare, quære in materia *de Pœnitentia* [2].

Dominica decimaquinta post Pentecosten.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi [3]. Boves junguntur, ut facilius trahant jugum; et equi combinantur, ut facilius trahant currum. Et secundum hoc, Apostolus in hoc verbo ponens nos sub dilectionis jugo, docet specialiter duo : portare scilicet proximorum partem laboris, cum dicit : *Alter alterius onera portate;* secundo, conservare legem amoris, addens : *Et sic adimplebitis legem Christi.* Primo ergo est necessitas proximorum supportanda, quære in materia *de Pietate et Misericordia* [4]. Secundo est Dei et proximi charitas adimplenda, quære in materia *de Præceptis* [5] *et Charitate* [6].

Dominica decimasexta post Pentecosten.

Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis [7]. Sicut opus glutini est fortiter conjungere, et sicut vinculi est ligare, sic opus charitatis est fortiter amare. Et secundum hoc Apostolus in verbo proposito monet nos ad duo, scilicet : ad habendum charitatis glutinum in unitate mentis, ibi : *Solliciti servare unitatem spiritus;* et ad habendum charitatis vinculum in unitate pacis, addens : *In vinculo pacis.* Primo igitur charitas loco glutini habet mentium unitatem, quære in materia *de Charitate* [8], et *Invidia* [9] per contrarium. Secundo charitas loco vinculi habet necessariam pacem, quære in materia *de Pace* [10], et *Ira* [11] per contrarium.

Dominica decimaseptima post Pentecosten.

In charitate radicati et fundati [12]. Sicut radix arborem portat, et sicut fundamentum ædificium sustinet; sic charitas bonum inchoat et conservat. Et secundum hoc, in verbis propositis de charitate duo proponuntur : quoniam ipsa est radix, a qua generatur fructus boni operis, et ideo dicitur : *In charitate radicati;* ipsa est fundamentum, in quo situatur omnis structura veritatis, et ideo subdit : *Fundati.* Primo igitur, charitas est radix respectu operis boni, quære in materia *de Charitate* [13]. Secundo, charitas est fundamentum respectu virtutis, quære in eadem materia [14].

Dominica decimaoctava post Pentecosten.

Confirmabit vos usque in finem sine crimine [15]. Vulgo dicitur, quod finis, non pugna coronatur. Unde incaute et in vanum laudatur nauta antequam acceperit portum, et miles antequam acquisierit triumphum. Et secundum hoc, Apostolus hortatur nos specialiter ad duo, scilicet : ad firmitatem perseverantiæ, cum dicitur : *Confirmabit vos;* ad puritatem innocentiæ, addens : *Sine crimine.* Primo igitur debemus in bono perseverare, quære in materia *de Perseverantia* [16]. Secundo debemus peccatum odire, quære in materia *de Peccatis in communi* [17].

Dominica decimanona post Pentecosten.

Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis [18]. Mercatores consueverunt mercaturam illam eligere, quam cognoscunt ad lucrum utiliorem esse. Et secundum hoc, Apostolus in verbo proposito facit specialiter duo : prohibet acquisitionem furtivam, cum dicit : *Qui furabatur, jam non furetur;* suadet occupationem, addens : *Magis autem laboret*, etc. Primo igitur debemus furtum et rapinam detestati, quære in materia *de Præceptis* [19] et *Avaritia* [20]. Secundo debemus bonis operationibus occupari, et specialiter in operibus justitiæ; quærein materia *de Præceptis* [21], *de Pœnitentia* [22], et *Misericordia* [23].

Dominica vigesima post Pentecosten.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuriæ [24]. Medici summe prohibent vinum infirmis, quia summe accendit materiam febris. Et secundum hoc in verbo isto Apostolus duo facit : primo enim prohibet vinum gulæ, dicens : *Nolite inebriari vino;* secundo prædicit febrem luxuriæ, addens : *In quo est luxuria.* Debemus igitur gulam et luxuriam cavere, quære in materia *de Luxuria* et *Gula* [25].

[1] Tit. I, c. VIII et IX, p. 259-262. — [2] Tit. II, per totum, p. 320. — [3] *Gal.*, VI, 2. — [4] Sup., tit. VII, c. IV, p. 263-275. — [5] Tit. III, p. 293. — [6] Tit. V, c. II, p. 275-282. — [7] *Ephes.*, IV, 3. — [8] Sup., tit. V, c. II, p. 232. — [9] Tit. I, c. IV. — [10] Tit. VII, c. VI, p. 323. — [11] Tit. I, c. V, p. 234. — [12] *Ephes.*, III, 17. — [13] Sup., tit. V, c. II, p. 293. — [14] Ibid. — [15] I *Cor.*, I, 8. — [16] Sup., tit. VIII, c. II, p. 328. — [17] Tit. I, c. I, p. 249. — [18] *Ephes.*, IV, 28. — [19] Sup., tit. III, c. VI, p. 280. — [20] Tit. I, c. VI, p. 255. — [21] Tit. III, per totum, p. 275-282. — [22] Tit. II, per totum, p. 263-275. — [23] Tit. VII, c. IV, p. 320. — [24] *Ephes.*, V, 18. — [25] Sup., tit. I, c. VIII et IX, pag. 259-262.

Digitized by Google

Dominica vigesimaprima post Pentecosten.

State succincti lumbis vestris (*a*) *in veritate, et induti lorica* (*b*) *justitiæ* [1]. Consueverunt antiqui et probati milites, docere pugnare, et armare minores. Et secundum hoc, Apostolus docet nos in his verbis tria, scilicet : corporis castitatem, dicens : *State succincti lumbis vestris*; oris veritatem, addens : *In veritate;* et æquitatem, subdens : *Induti lorica justitiæ*. Primo igitur debet esse caro munda, quære in materia *de Castitate* [2], et *Luxuria* [3] per contrarium. Secundo debet esse lingua vera, quære in materia *de Veritate*, et *Mendacio* per contrarium, et quære in materia *de Præceptis* [4]. Tertio debet esse operatio justa, quære in materia *de Justitia* [5].

Dominica vigesimasecunda post Pentecosten.

Repleti fructus justitiæ per Jesum Christum in gloriam et laudem Dei [6]. Mercatores socii consueverunt primo lucro intendere, et postmodum lucrum dividere. In omni opere bono sunt socii Deus et homo : et honor est portio Dei, qui gratiam largitur ; fructus vero est portio hominis, qui bonum opus exequitur. Et secundum hoc Apostolus in verbo proposito monet nos quantum ad duo, scilicet : ad fructum boni operis cumulandum, quæ est portio nostra, dicens : *Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum;* ad laudem et honorem Deo persolvendum, quæ est portio sua, addens : *In gloriam et laudem Dei.* Primo igitur debemus bonis operibus insistere, et specialiter operibus misericordiæ, quære in materia *de Misericordia* [7]; vel operibus pœnitentiæ, quære in materia *de Pœnitentia* [8]; secundo debemus in omnibus Deum laudare, quære in materia *de Bonitate*, et *Superbia* [9] per contrarium.

Dominica vigesimatertia post Pentecosten.

Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt [10]. Consuevit nutrix in conspectu pueri contra immunditiam spuere, ut puer addiscat immunditias non tractare : et secundum hoc Apostolus in verbis istis describit nobis tria vitia detestanda, scilicet immundorum idololatriam detestabilem, dicens : *Quorum Deus venter est;* superborum vanam gloriam confusibilem, addens : *Et gloria in confusione ipsorum;* cupidorum avaritiam inexplicabilem, subdens : *Qui terrena sapiunt.* Primo igitur debemus immunditiam fugere, et specialiter gulam et luxuriam, quære in materia eorum [11]; secundo debemus superbiam calcare, quære in materia *de Superbia* [12] et *Humilitate* [13]. Tertio debemus aviditatem cupidorum relegare, quære in materia *de Avaritia* [14] et *Paupertate* [15].

Dominica vigesimaquarta post Pentecosten.

In omni opere (*c*) *bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei* [16]. Arbor novella facit naturaliter duo : nam crescendo fructificat, et fructificando crescere non cessat. Et secundum hoc Apostolus in verbo isto monet nos ad duo, scilicet : ad fructum bonorum operum, dicens : *In omni opere bono fructificantes;* et ad augmentum virtutum, addens : *Et crescentes in scientia Dei.* Primo igitur debemus bonis operibus insistere, et specialiter tribus, scilicet justitiæ, etc., quære in materia *de Præceptis* [17], *de Pœnitentia* [18], et *Misericordia* [19]. Secundo debemus in virtutibus proficere, quære in materia *de Virtutibus in communi* [20], et *de Acedia* [21] per contrarium.

In Visitatione Prælatorum ad Subditos.

Faciet judicium et justitiam in terra [22]. Bonus paterfamilias prius servis suis prædicit misericordias, quam inferat plagas; et hoc est quod dicit Dominus per Jeremiam prophetam, et in verbo isto proponit duo, scilicet : Christi judicium, quod debemus summe formidare, dicens : *Faciet judicium;* et secundo Christi justitiam, quam debemus observare, addens : *Et justitiam in terra.* Primo igitur proponitur Christi judicium ad formidandum, quære in materia *de Timore* [23] et *Judicio* [24]; secundo proponitur justitia ad observandum, quære in materia *de Justitia* [25] et *Præceptis* [26].

De Apostolis.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam

[1] *Ephes.*, VI, 14. — [2] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288. — [3] Tit. I, c. IX, p. 261. — [4] Tit. III, c. VII, p. 280. — [5] Tit. V, c. VIII, p. 303. — [6] *Philip.*, I, 11. — [7] Sup., tit. VII, c. IV, p. 320. — [8] Tit. II, c. VII, p. 272. — [9] Tit. I, c. III, p. 251. — [10] *Philip.*, III, 19. — [11] Sup., tit. I, c. VIII et IX, p. 259-262. — [12] Tit. I, c. III, p. 251. — [13] Tit. VII, c. I, p. 311. — [14] Tit. I, c. VI, p. 255. — [15] Tit. IV, c. III, p. 287. — [16] *Coloss.*, I, 10. — [17] Sup., tit. III, c. IV-VII, p. 279-280. — [18] Tit. II, c. V-VII, p. 268-275. — [19] Tit. VII, c. IV, p. 320. — [20] Sup., tit. V, c. I, p. 290. — [21] Tit. I, c. VII, p. 251. — [22] *Jer.*, XXIII, 5. — [23] Sup., tit. VI, c. I, p. 304. — [24] Tit. IX, p. 331. — [25] Tit. V, c. VIII, p. 303. — [26] Tit. III, c. IV-VII, p. 279-281. — (*a*) Vulg. *lumbos vestros.* — (*b*) Item *loricam.* — (*c*) Item *tempore.*

Digitized by Google

suam ponat quis pro amicis suis [1]. Consuetum est in Ecclesia, quod in magna solemnitate pulsatur major campana : ita et in festo Apostolorum recitantur magnalia charitatis, quæ est maxima virtutum, et secundum hoc in verbis istis Salvator in laudem hujus apostoli nobis proponit de charitate duo, scilicet: charitatis gaudium, quod non potest altius esse, dicens: *Majorem hac dilectionem nemo habet*; charitatis signum, quod non potest certius esse, addens: *Ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Primo igitur debemus, exemplo hujus apostoli, dilectionis gradus ascendere, quære in materia *de Charitate* [2], et *Acedia* [3] per contrarium. Secundo debemus signum dilectionis ostendere, quære in materia *de Charitate* [4], et *Acedia* [5] per contrarium.

Item de eisdem Apostolis.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ [6]. Miles debet esse præcipue armatus contra illa tela, quibus utitur inimicus. Et ideo, quia mundus habet duo tela præcipua, scilicet fraudulentiam et violentiam, quia per fraudulentiam decipit, per violentiam opprimit; ideo Salvator in his verbis armat milites suos specialiter duobus armis, scilicet: serpentina sagacitate, contra mundi fraudulentiam, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes;* columbina simplicitate, contra mundi violentiam, addens: *Et simplices sicut columbæ.* Primo igitur debemus habere, exemplo hujus apostoli, prudentiam serpentinam, quære in materia *de Prudentia* [7]; secundo debemus habere mititatem columbinam, quære in materia *de Mansuetudine* [8], et *Ira* [9], per contrarium.

De eisdem Apostolis.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum [10]: Consuevit luparius lupo exponere agnum, ut cum agno capiat lupum. Isto modo novo venationis usus est Christus, qui principibus mundanis exposuit apostolos, et per apostolos cepit principes et reges mundanos. Et secundum hoc in verbo isto ad laudem hujus apostoli describit duo, scilicet: divinam auctoritatem, dicens: *Ecce ego mitto vos;* ovinam simplicitatem, addens: *Sicut oves in medio luporum.* Primo igitur, apostoli fuerunt missi ad prædicandum Dei Verbum, quære in materia *de Prædicatione* [11]; secundo, fuerunt missi ad ædificandum per exemplum, quære in materia *de Religione* [12]. Propter primum est apostolorum dignitas honoranda, quære in materia *de Humilitate* [13]; propter secundum, est eorum humilitas imitanda, præcipue quantum ad paupertatem, obedientiam, et charitatem; quære in materia *de Paupertate* [14], et *Charitate* [15], et *Obedientia* [16].

De eisdem Apostolis.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos [17]. Consuevit magister, quando vult scholares bene instruere, exempla sensibilia in lectione proponere, ut scholares possint facilius retinere. Et ideo Salvator legens scholaribus suis, id est, apostolis, lectionem charitatis, proponit seipsum tanquam exemplum lectionis. Et secundum hoc charitas, quæ fuit lectio apostolorum, describitur hic tripliciter, scilicet: ut mandatum intransgressibile, cum dicitur: *Hoc est præceptum meum;* ut vinculum indissolubile, cum additur: *Ut diligatis invicem;* ut exemplum intelligibile, cum dicitur: *Sicut dilexi vos.* Primo igitur debemus charitatem sicut præceptum servare, quære in materia *de Præceptis* [18]. Secundo debemus charitatem sicut vinculum nodare, quære in materia *de Charitate* [19]. Tertio debemus charitatem Christi sicut exemplum palpare, quære in materia *de Charitate* [20].

De uno Martyre.

Justus ut palma florebit [21]. Consuevit agricola arbores generosas eligere, ut eas possit in suo virgulto plantare; sic Dominus noster Jesus Christus elegit arbores nobilissimas in virgulto paradisi plantandas: inter quas elegit hujus venerandi martyris victoriam, sicut palmam fructuosam et speciosam. Et secundum hoc martyr iste gloriosus in isto verbo tripliciter commendatur, scilicet: ut justus in opere, cum dicitur: *Justus;* ut fortis in tribulatione, cum additur: *Ut palma;* ut pulcher in conversatione, cum subditur: *Florebit.* Primo igitur debemus exemplo hujus martyris habere justitiæ rectitudinem, quære in materia *de Justitia* [22]; se-

[1] *Joan.*, XV, 13. — [2] Sup., tit. V, c. II, p. 293. — [3] Tit. I, c. VII, p. 251. — [4] Ut sup., p. 293. — [5] Ut sup., p. 251. — [6] *Matth.*, X, 16. — [7] Sup., tit. V, c. V, p. 300. — [8] Tit. VII, c. II, p. 317. — [9] Tit. I, c. V, p. 254. — [10] *Matth.*, X, 16. — [11] Sup., *in Proœm.*, c. I, p. 248. — [12] Tit. IV, c. I, p. 283. — [13] Tit. VII, c. I, p. 311. — [14] Tit. IV, c. III, p. 287. — [15] Tit. V, c. II, p. 293. — [16] Tit. IV, c. II, p. 285. — [17] *Joan.*, XV, 12. — [18] Sup., tit. III, p. 275-282. — [19] Tit. V, c. II, p. 293. — [20] Ibid. — [21] *Psal.* XCI, 13. — [22] Sup., tit. V, c. VIII, p. 303.

Digitized by Google

cundo, patientiæ fortitudinem, quære in materia *de fortitudine* [1]. Tertio, munditiæ pulchritudinem, quære in materia *de Castitate* [2].

Idem de eodem Martyre.

Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso [3]. Magnus honor est, quando imperator promovet aliquem in militem; et major, cum coronat servum regem. Talem honorem isti martyri glorioso exhibuit Dominus: quoniam non solum in strenuum militem ipsum promovit, sed cœlesti diademate coronavit. Et secundum hoc a Propheta in laudem suæ coronæ duo specialiter proponuntur, scilicet: majestas imperialis, cum dicitur: *Posuisti, Domine, super caput ejus;* valor martyrialis, cum dicitur: *De lapide pretioso.* Primo igitur, exemplo hujus martyris, corona meritorum nostrorum debet esse in virtutibus speciose formata, quære in materia *de Continentia* [4]. Secundo, debet esse pretiose fabricata, quære in materia *de Virtute* [5] et *Humilitate* [6].

De pluribus Martyribus.

Sancti per fidem vicerunt regna [7]. Bene debent reputari strenui milites, quando paucissimi vincunt plures. Tales fuerunt isti sancti martyres, qui superaverunt mundanos principes et reges. Et secundum hoc Apostolus in verbis istis describit tria martyrum præconia gloriosa, scilicet: vitæ munditiam, dicens: *Sancti;* mentis justitiam, addens: *Per fidem;* mortis victoriam, subdens: *Vicerunt regna.* Primo igitur, exemplo sanctorum martyrum, debemus habere castitatem pro lorica, quære in materia *de Castitate* [8]; secundo, fidem pro lancea, quære in materia *de Fide* [9]; tertio, perseverantiam pro corona, quære in materia *de Fortitudine* [10].

De eisdem Martyribus.

Justorum animæ in manu Dei sunt [11]. Consueverunt incolæ steriles terras et tyrannorum regna dimittere, et ad fertiles terras et ad regna pacifica se transferre: sic fecerunt sancti martyres, qui dimiserunt terras steriles hujus sæculi, et tyrannidem diaboli, et transtulerunt se ad pacificum regnum Christi. Et secundum hoc in verbis istis duo martyrum præconia proponuntur, scilicet: plena perfectio respectu sui, cum dicitur: *Justorum animæ;* plena subjectio respectu Dei, cum subditur: *In manu Dei sunt.* Primo igitur, exemplo martyrum, debemus esse virtute justitiæ perfecti, quære in materia *de Justitia* [12]. Secundo debemus obedientia esse subjecti, quære in materia *de Obedientia* [13].

De uno Confessore Pontifice.

Assimilatus Filio Dei manet sacerdos in æternum [14]. Satis res commendatur de candore, quando comparatur nivi; et res de calore, quando comparatur igni. Sic commendantur merita hujus confessoris et pontificis gloriosi, cum comparantur Christo. Et secundum hoc in verbis istis iste confessor commendatur de duobus, scilicet: de sanctitate perfecta, cum dicitur: *Assimilatus Filio Dei;* et de dignitate præcelsa, cum dicitur: *Manet sacerdos in æternum.* Primo igitur, exemplo hujus confessoris, est Christi sanctitas imitanda, quære in materia *de Mititate* [15], vel *Virtute in Communi* [16], et *de Humilitate* [17], *Misericordia* [18], et *Fortitudine* [19]. Secundo est non terrena, sed cœlestis dignitas appetenda, quære in materia *de Spe* [20], et *Humilitate* [21].

De uno Doctore.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium [22]. Naturaliter os hominis facit duo, scilicet gustando probat cibum, et loquendo format verbum. Et secundum hoc gloriosus iste doctor habuit duo bona, ex quibus extollitur in his verbis, scilicet: gustum sapientiæ in contemplatione, ideo dicitur: *Os justi meditabitur sapientiam;* verbum eloquentiæ in prædicatione, et ideo additur: *Et lingua ejus loquetur judicium.* Primo igitur, exemplo hujus sancti doctoris, debemus imitari sapientiam qua (*a*) ipse consideravit, et præcipue mortis miseriam ad humiliandum, et cœli gloriam ad (*b*) desiderandum. Quære in materia *de Humilitate* [23] quantum ad primum, et *de Spe* [24] quantum ad secundum. Secundo debemus formidare judicia quæ ipse formidavit, quære in materia *de Timore* [25].

[1] Sup., tit. v, c. vii, p. 302. — [2] Tit. iv, c. iv, p. 288. — [3] *Psal.* xx, 4. — [4] Sup., tit. iv, c. iv, p. 288. — [5] Tit. v, c. i, p. 290. — [6] Tit. vii, c. i, p. 311. — [7] *Hebr.*, xi, 33. — [8] Sup., tit. iv, c. iv, p. 288. — [9] Tit. v, c. iii, p. 296. — [10] Ibid., c. vii, p. 302. — [11] *Sap.*, ii, 3. — [12] Sup., tit. v, c. viii, p. 303. — [13] Tit. iv, c. ii, p. 285. — [14] *Hebr.*, vii, 3. — [15] Sup., tit. vii, c. ii, p. 317. — [16] Tit. v, c. i, p. 290. — [17] Tit. vii, c. i, p. 311. — [18] Ibid., c. iv, 320. — [19] Tit. v, c. vi, p. 301. — [20] Tit. v, c. iv, p. 299. — [21] Tit. vii, c. i, p. 311. — [22] *Psal.* xxxvi, 30. — [23] Sup., tit. vii, c. i, p. 311. — [24] Tit. v, c. iv, p. 299. — [25] Tit. vi, c. i, p. 304.

(*a*) *Cæt. edit.* quam. — (*b*) *Item deest* ad.

Digitized by Google

De uno Confessore non Pontifice.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei [1]. Multum lætatur peregrinus, quando de aliquo vertice montis ostenditur ei terminus suæ diætæ : sic fecit Dominus huic sanctissimo confessori, cum in vertice contemplationis ostendit ei regnum æternæ felicitatis. Et secundum hoc, sapiens in verbis istis proponit duo præconia hujus confessoris, scilicet : suæ peregrinationis progressum certissimum, dicens : *Justum deduxit Dominus per vias rectas* ; et suæ glorificationis visum rectissimum, addens : *Et ostendit illi regnum Dei.* Primo igitur, exemplo hujus sancti confessoris, debemus per iter præceptorum incedere, quære in materia *de Præceptis* [2] ; secundo debemus ad finem præmiorum recte ascendere, quære in materia *de Gaudio Paradisi* [3].

De Virgine martyre.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias [4], etc. Consueverunt amatores laudibus amicas extollere, et cantionibus laudare : sic amator virginum Christus, in laudibus hujus gloriosæ virginis et martyris sponsæ suæ, cantat per sapientiam cantilenam hujus dulcissimæ melodiæ. Et secundum hoc in verbis istis commendat eam quadrupliciter, scilicet : ut decoratam candore floreo, dum dicit : *Sicut lilium* ; ut laureatam cruore roseo, cum additur : *Inter spinas*, scilicet martyrii ; ut liquefactam amore flammeo, cum subdit : *Sic amica mea* ; ut exaltatam honore stelleo, cum concludit : *Inter filias*, id est, inter animas beatas. Primo igitur, exemplo hujus virginis, debemus incorruptionis florem diligere, quære in materia *de Castitate* [5], et *Luxuria* [6] per contrarium. Secundo debemus tribulationis spinas sustinere, quære in materia *de Fortitudine* [7], *de Pœnitentia* [8], et *de Acedia* [9] per contrarium. Tertio debemus igne charitatis ardere, quære in materia *de Charitate* [10]. Quarto debemus consortium cœleste desiderare, quære in materia *de Spe* [11], et *Timore* [12] per contrarium.

De Virgine non martyre.

Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem [13]. Sicut de prato colliguntur flores pulchriores, sic Christus de mundo per angelos suos colligit virgines. Proponuntur duo in verbis istis, scilicet : regale connubium ad quod fuit assumpta, cum dicitur : *Quæramus Domino nostro regi* ; virginale præconium, ad quod fuit electa, cum dicitur : *Adolescentulam virginem.* Primo igitur, exemplo hujus virginis, anima fidelis debet esse Christo desponsata, quære in materia *de Fide* [14] et *Charitate* [15]. Secundo debet esse castitatis privilegio decorata, quære in materia *de Castitate*, et *de Luxuria* [16] per contrarium.

Idem de Virgine non martyre.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate [17] ! Consuevit homo mirari specialiter propter tria : miratur enim homo in re multum pulchra, in re multum nova, et in re multum clara. Et secundum hoc hujus sanctæ Christi sponsæ tria miranda præconia proponuntur, scilicet : decor conversationis, cum dicitur : *O quam pulchra est* ; candor incorruptionis, cum additur : *Casta generatio* ; et splendor contemplationis, cum subditur : *Cum claritate.* Primo igitur, exemplo hujus virginis, debemus esse pulchri, quære in materia *de Virtute in communi* [18], et *Temperantia* [19]. Secundo debemus esse decori incorruptione, quære in materia *de Castitate* [20], et *Luxuria* [21], per contrarium. Tertio debemus esse radiosi per contemplationem, quære in materia *de Contemplatione* [22].

[1] *Sap.*, x, 10. — [2] Sup., tit. III, per totum, p. 275-282. — [3] Tit. x, c. II, p. 335. — [4] *Cant.*, II, 2. — [5] Sup., tit. IV, c. IV, p. 288. — [6] Tit. I, c. IX, p. 260. — [7] Tit. V, c. VII, p. 302. — [8] Tit. II, per totum, p. 263-275. — [9] Tit. I, c. VII, p. 251. — [10] Tit. V, c. II, p. 293. — [11] Tit. V, c. IV, p. 299. — [12] Tit. VI, c. I, p. 304. — [13] III *Reg.*, I, 2. — [14] Sup., tit. V, c. II et III, p. 293-299. — [15] Tit. IV, c. IV, p. 288. — [16] Tit. I, c. IX, p. 260. — [17] *Sap.*, IV, 1. — [18] Sup., tit. V, c. I, p. 290. — [19] Ibid., c. VI, p. 301. — [20] Tit. IV, c. IV, p. 288. — [21] Tit. I, c. IX, p. 260. — [22] Tit. II, c. V, p. 268.

Digitized by Google

OPUSCULUM

QUOD INSCRIBITUR

CONFESSIONALE [1]

ARGUMENTUM

(Ex edit. Vatic.)

Est hoc opusculum, quod Confessionale inscribitur, utilitate præcipuum : in quo S. Bonaventura tam confessorem, quam confitentem copiose dirigit ad ea, quæ confessioni prævia, quæque in confessione agenda dicendave sunt, et quæ ipsam confessionem consequuntur, annexis canonibus pœnitentialibus, quorum cognitio valde est necessaria.

PRÆFATIO

In Dei tabernaculo, id est, in sancta Ecclesia positus, etsi per doctrinæ sapientiam phialas exuberantis doctrinæ, ad inebriandum mentes legentium, ministrare non potui ; in quantum pro divina largitate suffeci, cyathum parvæ, atque angustæ, vel, ut verius dicam, pene nullius scientiæ, præsens videlicet opusculum de informatione simplicium sacerdotum, in confessionibus audiendis, compulsus per obedientiam compilavi. Cum secundum beatum Gregorium, circa principium *Curæ* (*a*) *pastoralis* [2], sit ars artium regimen animarum, et occultiora sunt vulnera cogitationum, quam viscerum; horrendum profecto est videre quosdam sacerdotes nostri temporis, qui sacram Scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissime traditur, et jura canonica, et scripta doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, et tamen cordis medicos in audiendis confessionibus se profiteri impudenter non metuunt, quando qui pigmentorum vim nesciunt, videri carnis medici erubescunt. Talium ergo Deo odibili ignorantiæ, per obedientiam, ut dixi, compulsus subscripta informatione simplici studui, sicut potui, quamvis non ut debui, subvenire. In primo autem hujus opusculi tituli capitulorum, et singularum particularum eorumdem continentiæ præmittuntur, quibus ad legentis animam quasi quibusdam passibus facilius gradiatur. Porro particularum quinti capituli continentiæ non prænotantur, quia sicut inspicienti patet, per se possunt satis faciliter inveniri. Cæterum simplex simplicibus simplicia scribens simpliciter, particulas præsentis opusculi, secundum quod occurrerunt memoriæ, magis quam secundum naturalem ad invicem cohærentiam ordinavi, omni qua possum humilitate ac devotione supplicans, quatenus

Mira modestia ac humilitas Auctoris.

Sis mihi corrector resecando superflua lector;
Veraque digneris, quæ desunt, jungere, veris.
Omnem defectum partim studio brevitatis
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

[1] *Cf.* Edit. Argent. an. 1495; edit. Vatic. an. 1596, tom. VII, part. III, p. 48; edit. Ven. an. 1611, tom. I; edit. Lugd. an. 1647, tom. II, p. 48; edit. Ven. an. 1754, tom. IX, p. 52. — [2] Greg., *Pastor.*, p. I, c. I.

(*a*) *Cæt. edit.* Cura.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Qualiter sacerdos confessor habere se debeat in confessione.

PARTICULA I.

De loco confessionis.

[1] *Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta,* Ex hoc verbo sacerdos, qui [2] *angelus Domini exercituum* dicitur, intelligat ut non tenebrarum, sed lucis angelum se ostendat, sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto, et omni suspicione carente, ubi videri possit ab omnibus, et non audiri. Quærendo enim latibula tenebrarum, male agere se ostenderit, dicente Christo [3] : *Omnis enim qui male agit, odit lucem*; qui est in intentione mali, et cui placet malum, hæc Glossa : *Et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* « Caveto, ait Hieronymus [4], omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. » Apostolus [5] *ab omni specie mala*, id est, non solum ab eo quod est malum, sed etiam ab omni quod speciem mali prætendit, nos admonet *abstinere.* Et quia secundum Augustinum, libro *de Singularitate Clericorum* [6], pene post principium, pejus est quam mœchia continentiam ducere criminosam, et infamem facere sanctimoniam; sacerdos audiens confessionem, sedeat, ut dictum est, in loco publico et honesto, ne, quod absit, adulterum se ostendat. Nam dicitur [7] : *Oculus adulteri observat caliginem.* Veniens igitur ad manifestationis lucem *faciat veritatem*, ut dicitur in *Joanne* [8]; ibi Glossa : « Id est, bona opera, quæ veritas jubet. »

PARTICULA II.

Qualiter sacerdos cavere debeat ab illicita delectatione.

Sollicitus etiam sit sacerdos, ne dum confitentem foris a sordibus purgat, ipse ex his, quæ audit, per voluntariam delectationem interius sordidetur. Debet enim esse ut nobilis manus, quæ alium lavans, lavatur, mundans mundatur, non ut lixivia vilis, quæ alia mundificans inquinatur. Caveat ergo ne per voluntariam delectationem [9] *caput aspidis sugat(a), et occidat eum lingua viperæ.* Glossa : « Aspis est parvus serpens; vipera prolixioris est corporis, et sic nascitur, ut violenter exeat. Caput itaque aspidis sugit, et occidit eum lingua viperæ, quia cum initium suggestionis occultæ libenter suscipit, violentis postmodum se tentationibus devictus tradit; vel quia venenum aspidis concite, viperæ tardius occidit, per aspidem violenta et subita, per viperam tentatio tardior significatur. » Hæc Glossa.

PARTICULA III.

Quod confessor non respiciat faciem pœnitentis.

Debet etiam cavere sacerdos, ne vultum sibi confitentis, maxime mulieris, respiciat, ne confitens confundatur, et ne ipse delectatione illicita capiatur; unde debet semper mulier sedere a latere confessoris, quia, ut dicit Habacuc [10], *facies ejus ventus urens*; et Glossa Gregorii super illo verbo Genesis [11], *Vidit igitur mulier* [12], etc.: « Ne lubrica in cogitatione versemur, non debemus intueri, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis reprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Eva lignum contigisset, nisi prius incaute respexisset. Pensandum ergo quantum ad illicitis debeamus visum restringere, qui mortaliter vivimus, si et mater viventium per oculos ad mortem venit. » Hæc Glossa.

PARTICULA IV.

Quod confessor peccata pœnitentium non abhorreat.

Non debet etiam confessor pœnitentis horrere peccata, quantumcumque enormia, turpia, magna, inaudita, vel inusitata sint; quia, ut dicit Joannes [13] : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam mittat.* Aut enim confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit in similibus peccatis, vel majoribus. Unde præcipit Deus [14]: *Non abominaberis Idumæum*, id est, peccatorem rubore confusionis dignum, quia frater tuus est; *vel Ægyptium*, id est, peccatorem peccatorum angustiis tribulatum. *Idumæus* namque rufus vel rubens interpretatur; *Ægyptius* angustia, sive tribulatio.

[1] *Joan.*, III, 21. — [2] *Malach.*, II, 7. — [3] *Joan.*, III, 20. — [4] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II, ante med. — [5] I *Thess.*, V, 22. — [6] Est inter opera S. Cypriani. — [7] *Job*, XXIV, 15. — [8] *Joan.*, III, 21. — [9] *Job*, XX, 16. — [10] *Hab.*, I, 9. — [11] *Gen.*, III, 6. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. II, ante med. — [13] *Joan.*, VIII, 7. — [14] *Deut.*, XXIII, 7.

(a) *Edit. Ven.* surgat.

Digitized by Google

PARTICULA V.

Qualiter sacerdos alloqui debeat pœnitentem.

Exinde debet confessor pio ac suavi alloquio, ipsum confitentem ad veram compunctionem, et ad nudam et expressam confessionem inducere, non statim ex abrupto, si tempus sufficit, inferre : « Dic peccata tua ; » sed dulciter ei proponere aliqua de confessionis utilitate, quæ valet ad septem. Valet enim ad peccati cognitionem propter instructionem sacerdotis ; unde dicitur in *Deuteronomio* [1] : *Si difficile et ambiguum judicium apud te esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram*, et infra parum : *Surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, et venies ad sacerdotes levitici generis, quæresque ab eis.* Psalmista [2] : *Dixi : Confitebor*, etc. Si propositum valet, quanto magis ipsa confessio ? Ad cogniti et contriti satisfactionem ; unde dicitur in *Ecclesiastico* [3] : *Est confusio adducens gloriam et gratiam.* Ad pœnæ diminutionem, vi clavium ; de hoc apud Matthæum (*a*) [4] : *Quodcumque solveris super terram*, etc. Ad Dei glorificationem ; unde Josue [5] : *Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.* Ad intercessorum multiplicationem, dicente Jacobo [6] : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Ad conscientiæ assecurationem ; unde David, statim cum dixit [7] : *Peccavi*, audivit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris.* Et hoc est magnum bonum, ut dicit Paulus [8] : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Proponat etiam ei de peccatorum venia, de Dei misericordia, et suadeat ei quod non verecundetur confiteri, sed nude, et expresse omnia confiteatur, quia non homini confitetur, sed Deo scienti omnia : qui si nude confiteatur, pro absoluto habetur ; si vero scienter aliquid occultaverit, confessio nihil valebit, quia [9] *qui in* hoc *uno offendit, factus est omnium reus*, inquit Jacobus. Si vero non vult confiteri, proponat ei terrores judicii, pœnas inferni, et quod multo melius est erubescere hoc coram uno homine, quam in die judicii coram Deo, et omnibus angelis, hominibus et dæmonibus.

[1] *Deut.*, XVII, 8, 9. — [2] *Psal.* XXXI, 5. — [3] *Eccli.*, IV, 25. — [4] *Matth.*, XVI, 19. — [5] *Jos.*, VII, 19. — [6] *Jac.*, V, 16. — [7] II *Reg.*, XII, 13. — [8] II *Cor.*, I, 12. — [9] *Jac.*, II, 10. — [10] *Levit.*, XIX, 15. — [11] *Deut.*, XVI, 19. — [12] Ibid., I, 17. — [13] *Isa.*, V, 23.

(*a*) *Cæt. edit.* de hoc Matthæus.

PARTICULA VI.

Quod confessor in judicio pœnitentiæ personam non accipiat.

Studeat etiam confessor cavere ab acceptione personarum, quæ sic describitur a magistris : « Acceptio personæ est injustitia, qua præfertur persona personæ propter causam indebitam. » Attende diligenter, o judex pœnitentialis, quod tibi dicitur [10] : *Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis* : ne videlicet declines a via justitiæ propter pauperis compassionem, vel propter potentis adulationem. Attende præterea tibi dictum [11] : *Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Attende nihilominus diligenter, et considera universaliter omnibus confessoribus esse dictum [12] : *Audite illos, et quod justum est, judicate ; sive civis ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis, ut magnum ; non accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Audite*, inquam, id est, diligenter intendite peccata, et peccatorum circumstantias examinando : *et quod justum est judicate*, justos videlicet, sive divites, sive pauperes absolvendo ; et impios, quamvis etiam potentes et divites, condemnando : *nec accipietis personam cujusquam*, pauperes indebite exasperando, et divitibus et potentibus adulando. *Non*, inquam, *accipias personam*, ne maledictione prophetica feriaris, qua dicitur [13] : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

CAPUT II.

De interrogationibus faciendis in confessione.

PARTICULA I.

Qualiter interrogationes sint faciendæ in generali.

Post hæc sacerdos incipiat audire confessionem ipsius, interrogando, si peccator nesciat confiteri ; et adjuvando per inquisitionem, discrete tamen, ita quod sollicitus sit usitata peccata singillatim requirere, inusitata vero per circumstantias generales et valde remotas caute investigare ; ne inexpertis detur materia, vel occasio, quod ante nesciverant perpetrandi, sicut aliquoties contingit ex quorumdam insipientium confessorum interrogationibus. Taliter autem

Digitized by Google

indiscrete interrogantes, non sunt vitiorum evulsores et destructores, sed potius ædificatores, et plantatores. Ideo, ut dictum est, non debent de peccatis inusitatis expresse interrogare, sed nec ad circumstantias speciales descendere; sed tantummodo in universalibus stare, et sapienter valde a longe et a remotis generalibus circumstantiis incipere quærere, ita ut si fecit, confitens statim cognoscat; si non fecit, nesciat quid confessor dicat. Verbi gratia, si de incontinentia quærat, et velit scire, an in turpi vitio peccavit, dicere potest: « Habuisti unquam pollutionem dormiendo? » Si dicat quod sic; quærat, si vigilando, quia omnis pollutionis voluntaria procuratio, excepto fœdere matrimoniali, peccatum mortale est. Si adhuc dicat, quod sic, posset quærere quomodo; caveat tamen, ne unquam quærat utrum illo, vel illo modo speciali, sed quærendo generaliter modum, exspectet ab illo determinationem. In quo casu potest intelligi, quod præcipit Dominus confessori sub typo creditoris in *Deuteronomio* [1]: *Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus,* id est cor vel conscientiam ejus, *ut pignus auferas; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit.* Si vero dicat, quod non, taceat sacerdos: cavere enim debet ne lupum excitet dormientem, ne videlicet peccata nova in animo hominis repræsentet. Similiter faciendum est de aliis peccatis inconsuetis. Si autem confitens etiam peccata consueta nesciat confiteri, ut fere communiter omnes rurenses, potest et debet confessor interrogare, secundum illud *Ezechielis* [2]: *Fili hominis, fode parietem.* Augustinus [3] *de vera et falsa Pœnitentia,* circa finem: « Diligens igitur inquisitor et subtilis investigator sapienter et quasi astute interroget a peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecunde velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum et tempus, etc., quæ supra diximus in exponendo eorum qualitates; quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, et secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate personarum. » Et infra: « Semper eum juvet leniendo, spem promittendo, consolando, et cum opus fuerit, etiam increpando. » Hæc Augustinus. Et introducitur hæc auctoritas, et multa de ista materia, *de Pœnitentia,* d. VI [4], per totum.

[1] *Deut.*, XXIV, 10. — [2] *Ezech.*, VIII, 8. — [3] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XX, n. 36. — [4] Vid. *Decreti* part. II, caus. XXXIII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XXII.

(a) *Cæt. edit.* A.

PARTICULA II.

Qualiter et de quibus interrogandum sit; et primo de superbia.

Taliter autem sacerdos potest incedere: interrogando primo de superbia; et primo, si ex tumore cordis cum deliberatione superbivit de bonis naturæ, alios contemnendo, utpote de ingenii naturalis subtilitate, de corporis fortitudine, pulchritudine, agilitate, et similibus, de omnibus donis, scilicet gratiæ gratis datæ, sicut de bona voce, de affabilitate, eloquentia, et similibus, appetendo pro his inordinate placere; vel eadem, si non adfuerint, culpabiliter affectando. Secundo, de bonis fortunæ, si se extulit de divitiis, de parentum multitudine, nobilitate, et de propria dignitate, potestate, de acquisita scientia, industria, experientia, de consilii excellentia, et similibus, vel si defuerunt, ea culpabiliter affectavit. Quæret etiam si de præmissis omnibus, vel aliquibus, aliquando se jactavit, forte etiam mendaciter, et de quatuor speciebus superbiæ, quæ continentur in hoc versu:

Et (*a*) se pro meritis falso plus omnibus inflat.

Tertio, de bonis gratiæ gratum facientis, utpote de devotione, oratione, de lacrymis, jejunio, silentio, obedientia, humilitate, et similibus omnibus exercitiis, quoquo modo ad gratiam gratum facientem pertinentibus. Quarto, si extulit se de peccatis, utpote de luxuria, vel aliis quibuscumque, quia secundum beatum Gregorium [5]: « Omni culpa gravius est, quando de commisso vitio superbitur. »

PARTICULA III.

De Invidia.

Quærat etiam de invidia: si lætatus est de proximi adversitate, qui eum læsit, vel contristatus de prosperitate, quod est primus gradus invidiæ; vel qui non læsit, quod est secundus; vel qui bene sibi fecit, quod est tertius. Hic descendere poterit de diversis adversitatibus in speciali, scilicet infirmitate corporis, labore, et dolore, vel cordis tribulatione, vel confusione, et similibus, secundum quod pro varietate personarum viderit expedire.

Digitized by Google

PARTICULA IV.

De Ira.

Postea quærat de ira, secundum tres gradus iræ. Primus est, quando homo irascitur et maledicit, vel malefacit convitianti sibi, vel malefacienti. Secundus gradus est, quando ex amaritudine cordis sibi maledicit, vel malefacit se percutiendo, vel aliquid hujusmodi. Tertius gradus est, quando homo ex nimio furore, in ludo, vel alibi, maledicit Deo benedicto : ubi etiam quærat de peccatis, quæ proveniunt ex ira, scilicet de bellis, homicidiis, incendiis, et hujusmodi.

PARTICULA V.

De Acedia.

Deinde quærat de acedia. Primo si per tædium boni, ex consuetudine, et pravitate, et desiderio mali, quodcumque malum faciendo lætatur, et bonum quodcumque faciendo tristatur; ubi poterit descendere ad diversa bona et mala, secundum quod exigit diversitas personarum. Secundo, quod si non solum in bono tristatur, et malo lætatur, sed etiam aliquos deridendo a bono retraxit, vel ad malum attraxit, verbis, gestibus et exemplis. Tertio, si desperando, vel de misericordia Dei nimium præsumendo, omni stultitiæ et impudicitiæ se tradidit per otium, a bona cogitatione, locutione et operatione cessando; concupiscentiæ carnis, oculorum, et superbiæ vitæ insistendo; aut amore mali, aut tædio boni, malo per negligentiam non resistendo; in dissolutione spectacula vana videndo; in fractione vocis, in levitate mentis, in gestibus corporis lasciviendo inepte, et nimis ridendo, alios ad risum movendo, fabulosa et vana loquendo, vagus et inconstans existendo, quod modo non vult, modo vult; quod nunc laudat, nunc vituperat; gravis ad bona, levis ad mala; gratiam Dei repellendo, et si receperit, expellendo, tempus, horas, dies et menses et annos inutiliter expendendo, pœnitentias injunctas indevote perficiendo, vel imperfectas relinquendo, vel totaliter omittendo.

PARTICULA VI.

De Avaritia.

Quærat etiam de avaritia, et tribus gradibus. Primus, si sua non communicavit ut debuit; ubi quærat de operibus misericordiæ, si omisit; et hoc tam de spiritualibus, quam de corporalibus. Spiritualia sunt hæc : doctrina, consilium, injuriarum remissio, correctio, consolatio, supportatio, et oratio, quæ præter primum continentur in hoc versu :

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Corporalia continentur in hoc versu :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Secundus gradus est, quando per fraudem acquirit; ubi quærat de diversis modis illicite acquirendi, de quibus postea tangetur. Tertius gradus est, si non restituit illicite acquisita, nec etiam operarios, vel servientes sibi remuneravit, ut debuit.

PARTICULA VII.

De Gula.

Quærat etiam de gula, secundum tres gradus gulæ : primus, si se replevit frequenter, et præposuit epulas dilectioni vel delectationi Dei, ita quod non delectaret eum quidquam boni agere. Secundus gradus est, quando quasi nullum vel paucos dies vult jejunare; et si jejunat, immunde jejunat, bibendo vinum ante prandium in quadragesima, vel aliis diebus jejuniorum. Tertius gradus est, si comedat, aut bibat, ut fortior sit ad peccandum. Quærat etiam de speciebus gulæ subscriptis : prima, si nimis sæpe sumpsit cibum; secunda, si variis ferculis usus sit; tertia, si nova cibaria requirat, et inconsueta : quarta, si pretiosa et sumptuosa requirat, non habito etiam respectu quod magis sint saporosa. Quærat etiam si propter delectationem comedit nociva corpori, et in infirmitate positus morbum potius confortavit, quam naturam.

PARTICULA VIII.

De Luxuria.

Quærat etiam de luxuria, de tribus gradibus ejus : primus, si peccavit solutus cum soluta, vel e contrario; secundus, si conjugatus cum conjugata, vel e contrario; tertius, si vitio sodomitico, ubi cautissime procedat, sicut superius est expressum. Quærat etiam si cum consanguinea vel affini.

PARTICULA IX.

De primo præcepto Decalogi, de sacramentis (*a*), et articulis fidei.

Postea procedere potest confessor, si volue-

(*a*) *Forte legendum* symbolis.

Digitized by Google

rit, de decem præceptis, quæ continentur his versibus :

Sperne deos, vita perjuria, sabbata serva,
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus.
Nullius nuptam, vel rem cupias alienam.

Circa primum præceptum sic quærat : si aliquando quatuordecim articulos fidei non credidit, tam de divinitate, quam de humanitate Christi. Septem autem articuli pertinentes ad divinitatem sic distinguuntur. Primus est de unitate essentiæ, scilicet : *Credo in Deum*, singulariter, non Deos, ut notet unitatem essentiæ. Unde in majori Symbolo dicitur : *Credo in unum Deum.* Iste primus articulus, scilicet : *Credo in Deum*, debet retorqueri ad tres sequentes, qui sunt de tribus personis : primus de Patre, cum dicitur : *Patrem omnipotentem.* Secundus de Filio, cum dicitur : *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Tertius de Spiritu sancto, cum dicitur : *Credo in Spiritum sanctum.* Est ergo sensus : Credo in Patrem omnipotentem Deum; credo in Filium unicum Dominum nostrum Deum; credo in Spiritum sanctum Deum. Ecce habemus quatuor articulos pertinentes ad divinitatem in se. Tres alii pertinent ad effectus. Primus indicat effectum creationis, scilicet : *Creatorem cœli et terræ.* Secundus, effectum recreationis, scilicet : *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Tertius, effectum resurrectionis, scilicet : *Carnis resurrectionem, et vitam æternam.* Carnis resurrectio pertinet ad corpus; vita æterna, ad animam. Ecce tres articuli pertinentes ad effectus divinitatis, quatuor ad divinitatem in se consideratam, et sunt simul septem. Septem pertinentes ad humanitatem sunt isti. Primus, scilicet : *Conceptus de Spiritu sancto.* Secundus : *Natus ex Maria Virgine.* Tertius : *Crucifixus, mortuus, et sepultus.* Quartus : *Descendit ad inferos.* Quintus : *Resurrexit a mortuis.* Sextus : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Quærat etiam circa ecclesiastica sacramenta, quæ continentur in hoc versu :

Abluo, firmo, cibo, dolo (*a*), ungo, ordino (*b*), jungo.

Quærat etiam, si aliquando voluntarie, et forte ex deliberatione, circa prædicta dubitavit; tertio, si sortilegiis et divinationibus corde credidit, vel ore docuit, vel talia in opere perpetravit.

(*a*) *Cæt. edit.* dolet. — (*b*) *Item* ordinet.

PARTICULA X.

De secundo præcepto.

Quærat etiam de secundo mandato : si aliquando nomen Dei sumpsit in vanum, sine causa jurando, juramentum violando, votum transgrediendo, falsa juratione affirmando, vel negando, inutiliter jurando, consuetudinem incurrendo.

PARTICULA XI.

De tertio præcepto.

Quærat etiam de tertio mandato : si solemnitates præcipuas, et dies dominicos et festivos violavit, opera servilia faciendo, choreas ducendo, vel eas ducentibus intendendo, vel aliquos gestibus vel ornatu ad libidinem provocando, peccata luxuriæ vel alia committendo. In quibus omnibus poterit descendere ad multa specialia et singularia, secundum varias circumstantias personarum.

PARTICULA XII.

De quarto præcepto.

Circa quartum præceptum quærat, si spiritualem patrem, vel prælatum inhonoravit, ejus præcepta contemnendo, excommunicationem incurrendo, vel quam incurrerat non curando; vel, in ea existens, divinis officiis se ingerendo; vel prælato detrahendo; vel contentiose contradicendo; vel corde vel ore maledicendo, vel debita subtrahendo. Similiter de parentibus carnalibus multa hujusmodi quærere poterit, juxta quod viderit expedire.

PARTICULA XIII.

De quinto præcepto.

Circa quintum præceptum quærat, si occiderit aliquid omittendo, ut si in extrema vel notabili necessitate posito non subvenit. Item, si occidit committendo, utpote corde odiendo, ore detrahendo, malum consulendo, opere vel malo exemplo animam alicujus interficiendo. Item, si corporaliter occidit, et hoc tripliciter, casu, necessitate, vel voluntate. Item etiam quærat, si circumstantia personæ exegerit, si occidit, conceptum præpediendo, vel abortum procurando, licet fortassis effectus in hujusmodi non fuerit subsecutus.

Digitized by Google

PARTICULA XIV.

De sexto præcepto.

Circa sextum præceptum quærat secundum septem differentias luxuriæ, fornicationem, meretricium, adulterium, stuprum, sacrilegium, quod est concubitus, prout hic sumitur, quo continentia Deo sacrata læditur, vel violatur, incestum, et peccatum sodomiticum. Potest etiam addi octava differentia, scilicet libidinosus coitus conjugalis, qui aliquando provenit ex fragilitate, aliquando ex impetuositate metas honestatis et rationis transcendens, et ideo semper (*a*) est mortale peccatum; quod fit quinque modis : primus causa satiandæ libidinis, et hoc per meretricias blanditias; secundus, quando fit contra naturalem usum; tertius, cum fit in tempore prohibito; quartus, cum in loco prohibito; quintus, cum acceditur ad vicinam, vel quæ est in fluxu menstruo. Hæc sunt verba magistri Alexandri. De quibus omnibus confessor interrogando cautissimè procedat, ne efficiatur eis causa mortis, quibus ostendere debuerat viam vitæ.

PARTICULA XV.

De septimo præcepto.

Circa septimum præceptum quærat de quinque differentiis contrectationis rei alienæ, quæ sunt beneficii subtractio, rapina, furtum, usura, simonia.

PARTICULA XVI.

De octavo præcepto.

Circa octavum præceptum quærat de octo generibus mendacii, quorum quinque sunt mortalia, et tria venialia, et continentur in his versibus :

Perversus doctor, detractor, testis iniquus,
Mentirique libens, et qui mentitur adulans,
Res, corpus, florem (*b*) si quis fallendo tuetur.
Hæc tria sunt veniæ, sunt mortis cetera quinque.

PARTICULA XVII.

De nono præcepto.

Circa nonum præceptum quærat, si libenter aliquando habuisset rem proximi, etiam injuste, sed sine conatu exteriori auferendi; vel aliquando cum conatu exteriori, sed sine effectu.

[1] Imo auctor istius libri, quisquis ille sit. — [2] Vid. sup., tom. V, p. 620. — (*a*) *Profecto legendum* non semper. — (*b*) *Item* famam.

PARTICULA XVIII.

De decimo præcepto.

Circa decimum præceptum quærat, si morosas cogitationes luxuriæ volvebat in corde, et sine consensu operis, vel aliquando cum consensu, sed sine conatu exteriori, directe vel indirecte, signis, nutibus, gestibus, per se, vel per alios, personas aliquas sollicitando; vel etiam si concupisci voluit cum conatu exteriori, vel sine, ut prius. Hic similiter exprime diversos conatus, quibus tam mulieres quam viri provocant personas, a quibus desiderant concupisci.

PARTICULA XIX.

De novem modis currendi cum fure.

Quærat etiam de novem modis currendi cum fure. Quos ad multa alia præcepta poterit adaptare, qui continentur in his versibus :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Mutus, participans, non obstans, non manifestans.

Ista possunt applicari ad eos, qui tenent Judæos, meretrices, lusores in domibus, et ad multa alia peccata.

PARTICULA XX.

De Circumstantiis.

Quærat etiam de circumstantiis peccatorum, quæ continentur in hoc versu :

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, [quando.

De quibus circumstantiis loquitur Augustinus [1], in libro *de vera et falsa Pœnitentia*, cap. XX, et ponuntur, *de Pœnitentia*, dist. V, c. *Consideret*, et in IV libro Sententiarum, dist. XVI, circa principium [2]. Post igitur illa tria, quæ præ omnibus convenit quæri, scilicet si fidem sanctam firmiter teneat, Extrav. de Pœnitentiis et Remissionibus, c. *Deus qui Ecclesiam*, in fine. Si Orationem Dominicam sciat; si omnes homines in Ecclesia diligat : ac de prædictis circumstantiis taliter quærat. Primo, quis ipse fuerit, cum peccavit, cujus scilicet conditionis, cujus gradus : eodem enim genere peccati peccat gravius sacerdos quam diaconus, diaconus quam subdiaconus, subdiaconus quam acolytus, acolytus quam laicus, religiosus quam sæcularis. Quærat etiam quid fecit, scilicet perjurium, fraudem, et hujusmodi.

Digitized by Google

Quærat ubi peccavit, in loco sacro, vel publico. Quærat etiam cum quo, vel per quos; non de personis, sed de conditionibus personarum, utrum scilicet fuerint conjugatæ vel solutæ, cognatæ vel affines, clerici vel laici. Quærat etiam quoties, ut, si sciat numerum peccatorum, dicat secundum veritatem, vel saltem secundum æstimationem. Dicat etiam cum quot, et quandiu in peccato permanserint. Quærat etiam cur, quia si graviter Deum offenderit qui ex timore vel coactione peccavit, gravius tamen qui ex crassa vel supina ignorantia, gravissime qui ex pura malitia. Item, si multum peccavit qui ab aliis cogitur, multo plus qui se cogit peccare, ut quidam luxuriosi, gulosi, malitiosi, desperati. Quærat etiam quomodo, utrum tali vel tali modo. Hanc tamen circumstantiam non quærat de peccato luxuriæ, nisi a remotis, ut prædixi. Quærat etiam quando, utrum in tempore festivo, vel non festivo. Item cum quæritur quis fuerit, potest quærere de circumstantiis sui officii; verbi gratia, si est regularis, interrogetur de inobedientia, de proprietate, incontinentia, de simonia, et aliis pertinentibus ad observantiam regularem; si est clericus, de simonia in ordinibus, et beneficiis, et hujusmodi multis. Præmissæ etiam circumstantiæ, et quædam aliæ, continentur in præscriptis :

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Et modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Super omnia autem attendat confessor, ut confitentem peccato faciat abrenuntiare, non tamen juramento, propter periculum perjurii, nisi in casibus expressis in jure. Primus, quando quis excommunicatus pro enormi crimine veniam postulat (caus. XI, quæst. ult., c. *Cum aliquis*, et Extra. de sent. Excom., c. *Ex tenore*). Secundus, quando ab hæretico revertente requirit (*a*) juramentum (caus. I, quæst. VII, c. *Quoties cordis*). Tertius, ab incendiario, ut caus. XXIII, quæst. ult., c. *Pessimam*. Similiter in quolibet horrendo crimine, jurabit pœnitens se nunquam simile commissurum (caus. XII, quæst. II, c. *De viro*). Non tamen id faciendum est de quolibet mortali, nec etiam de quolibet enormi, cum periculum timetur perjurii (*b*) (Extra. de Cohabit. Cler. et mulie., c. *Clericos*).

Quærat etiam de quinque sensibus, et affectionibus septem, quæ sunt, spes, timor, gaudium, mœror, et amor, et pudor, et odium.

Poterit etiam quærere, cum opportunum fuerit, de vigintiquatuor peccatis linguæ, quæ sunt hæc : blasphemia, peccatum murmuris, peccati defensio, perjurium, mendacium, detractio, adulatio, maledictio, convitium, contentio, bonorum derisio, pravum consilium, peccatum seminantium discordias, peccatum bilinguium, rumor, secreti revelatio, jactantia, indiscreta comminatio, promissio, otiosum verbum, multiloquium, turpiloquium, scurrilitas, indiscreta taciturnitas. Attende tamen, quod non omnia quæ dicta sunt de quolibet confitente sunt inquirenda, sed variis varias morbis debes dare curas, juxta doctrinam Hieronymi in Glossa super verba *Marci : Hoc genus in nullo potest ejici nisi in oratione et jejunio*, ubi ait : « Medicina cujuslibet vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneum; jejunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mentis. » Hæc glossa. Peccata linguæ.

CAPUT III.

De Pœnitentiis injungendis secundum Canones pœnitentiales.

PARTICULA I.

Quod pœnitentiæ sunt arbitrariæ, et utrum sacerdos teneatur scire Canones pœnitentiales [1].

Circa pœnitentias injungendas hoc teneas, quod omnes pœnitentiæ arbitrariæ sunt, et arbitrio pœnitentialis judicis relinquuntur. Et hoc probat Leo Papa (caus. XXVI, q. VII, c. *Tempora*), et Nicolaus Papa (ead., c. *De his vero*), et Concilium Carthag. (ead., c. *Pœnitentibus*), et Hieronymus (de Pœn. d. I, c. *Mensuram*). Et hanc opinionem approbat consuetudo, quia generaliter hoc servatur. Nec obstat quod dicit Gregorius (de Pœnit., dist. V) : « Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum, pro qualitate criminis imponuntur; » quia hoc verum est, nisi ex causa, consideratis circumstantiis, pœnitentia temperetur. Nec illud Gregorii, quod « prolixior debeat esse pœnitentia quam fuerit culpa » (de Pœnit., dist. III. *Productior*); quia hoc intelligendum est de interiori pœnitentia : vel potest intelligi de pœna, quam patimur propter peccatum primi parentis. Quamvis autem pœnitentiæ sint arbitrariæ, semper tamen pro quolibet mortali peccato septennis pœnitentia est imponenda (caus. XXXIII, q. II, c. *Hoc ipsum*, et caus.

[1] De hac materia legendus est auctor, in librum *Sententiarum*, IV, dist. XX, q. III. — (*a*) *Leg.* requiritur. — (*b*) *Cæt. edit. add.* Arg.

Digitized by Google

XXII, q. I, c. *Prædicandum,*) nisi major vel minor inveniatur a canone expressa, in quo quidem casu, si crimen publicum sit, publica non minor vel major, quam scripta sit, pœnitentia est imponenda (Extra., de Pœnittent. et Remiss. c. *Qui sint*). Si occultum, tunc indistincte arbitrariæ imponuntur, sicut probant concordantiæ jam signatæ. Certum est etiam, quod major causa dispensandi in pœnitentia requiritur in publico, quam in occulto. In utroque tamen, ex causa minor pœnitentia potest imponi, consideratis criminis quantitate et qualitate, et personæ dignitate, conditione, sexu, officio, paupertate, debilitate, consuetudine, complexione, societate, conditione loci, religionis et temporis, qualitate, causa, animo, voluntate, et aliis circumstantiis, quas ponit Augustinus [1], in libro *de vera et falsa Pœnitentia* (et introducitur, de Pœnit., dist. V, cap. I). Supradictis igitur consideratis, alleviabit, vel aggravabit sacerdos discretus pœnas peccantium (de Pœnit., dist. I, c. *In actione*, et cap. *Judicet*); quia apud Deum plus valet mortificatio vitiorum, quam abstinentia ciborum (ut in præallegato cap. *Mensuram.*) Ut autem sacerdos circa pœnitentias dispensando cautius arbitretur, nota casus in quibus per canones cer æ pœnæ seu pœnitentiæ imponuntur. Nam canones pœnitentiales tenetur scire sacerdos (dist. XXXVIII, Cœlestinus Papa omnibus orthodoxis Episcopis: *Nulli sacerdoti liceat canones ignorare*, etc., etc. sequenti, Augustinus.) Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, sacramentorum liber, hoc est Missale, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canones pœnitentiales, Psalterium, Homeliæ per circulum anni diebus dominicis et singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constare poterit, quia valde periculosæ evangelicæ minæ sunt, quibus dicitur [2]: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

PARTICULA II.

De pœnitentia presbyteri fornicantis.

Primus Canon ex Concilio Gangr., dist. LXXXII: « Presbyter si fornicationem fecerit quamquam, secundum canones Apostolorum debeat deponi : tamen juxta auctoritatem beati Silvestri Papæ, si non in vitio perduret, si sua sponte confessus adjecit ut resurgeret, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus quidem mensibus privato loco a cæteris remotus, pane et aqua a vespera in vesperam utatur : tantum autem diebus dominicis et præcipuis festis, modico vino, et pisciculis, atque leguminibus recrectur, sine carne, et sagimine, et ovis et caseo, et sacco indutus, humo adhæreat, die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat; tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet sacerdos publice pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, annum unum et dimidium in pane et aqua expleat, exceptis dominicis diebus, et præcipuis festivitatibus, in quibus vino, et saginine, ovis, et caseo, juxta canonicam mensuram uti poterit. Finito primo anno, et dimidio, corporis et sanguinis Domini nostri, ne indurescat, particeps fiat, et ad pacem veniat, psalmos cum fratribus ultimus in choro canat, ad cornu altaris non accedat; juxta beati Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde vero usque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis tribus paschalibus diebus, tres legitimas [3] ferias in unaquaque hebdomada, in pane et aqua jejunet. Expleto anni septimi circulo, si fratres apud quos pœnituit ejus condignam pœnitentiam laudaverint, Episcopus in pristinum honorem, juxta beati Calixti Papæ auctoritatem, eum poterit revocare. Sane sciendum est, quod secundam feriam unum psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, si opus est, redimere potest. Finitis septem annis deinde usque ad finem decimi anni, sextam feriam, nulla interveniente redemptione, observet in pane et aqua. Eadem quoque pœnitentia erit sacerdoti de omnibus aliis peccatis et criminibus, quæ eum in depositionem adducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum, si sacerdos post lapsum, digne, ut supra dictum est, pœnitens ad pristinos redeat honores. » Hæc canon.

PARTICULA III.

De pœnitentia sacerdotis fornicantis cum filia spirituali.

Secundus canon est Cœlestini Papæ (caus. XXX, q. I): « Si quis sacerdos cum filia spirituali for-

[1] Imo auctor, quisquis sit, lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XX.— [2] *Matth.*, XV, 14.— [3] Scilicet secunda, quarta, et sexta feria. De secunda feria, II, q. II, *De illis;* de quarta et sexta feria, de consec., dist. III, *Jejuna.* Vid. infra, ad finem hujus capitis.

Digitized by Google

nicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Idcirco femina, si laica est, omnia relinquat, et res suas pauperibus tribuat, et conversa, in monasterio, jugi pœnitentiæ Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, et peregrinando quindecim annis pœniteat. Postea vero ad monasterium vadat, ibique diebus omnibus vitæ suæ Deo serviat. » Hæc canon. Idem : « Non debet episcopus, aut presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua confessæ fuerint peccata. Si forte, quod absit, hoc contingerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali, episcopus quindecim annis, presbyter duodecim annis, et deponatur, si tamen in conscientiam (*a*) populi devenerit. » Hæc canon.

PARTICULA IV.

De pœnitentia ejus, qui peccavit contra naturam.

Tertius canon est Concilii Lateranensis (Extra., de excess. Prælator, c. *Clerici*), ut (*b*) infra : « Quicumque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam [1] *ira Dei venit in filios diffidentiæ*, et quinque civitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, dejiciantur a clero, vel ad agendam pœnitentiam in monasteriis detrudantur ; si laici, excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium sint vel fiant penitus alieni. » Hæc canon. Hoc autem vitium majus est, quam si matrem quis cognosceret (caus. XXXII, q. VII, c. *Adulterii*.

PARTICULA V.

De pœnitentia sacerdotum clandestinas desponsationes non prohibentium, aut eisdem interesse præsumentium.

Quartus canon est Innocentii Tertii, in Concilio generali (Extra. de clandest. despons.) : « Cum inhibitio copulæ conjugalis sit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari. Unde prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia [2] generaliter prorogando, statuimus ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec, quod fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis qui ei præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed his, qui taliter præsumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam, malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem. » Hæc canon.

PARTICULA VI.

De pœnitentia ejus, qui post votum simplex contrahit.

Quintus canon est Theodori [3] (dist. XXVII) : « Si vir, simplex votum virginitatis habens, adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis pœniteat. »

PARTICULA VII.

De pœnitentia sacerdotum in excommunicatione celebrantium.

Sextus canon est Joannis Octavi (caus. XI, q. III) : « De illis presbyteris, qui tempore sanctissimi prædecessoris nostri domini Papæ Nicolai, excommunicati sacrum mysterium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis, sicut sacri canones statuerunt, sententiam intulerunt. Tamen quia miseratio apostolica veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ illis hanc indulgentiam exhibemus, ut sancta communione saginati [4], studeant tribus continuis annis per hebdomadam, omni secunda,

[1] *Ephes.*, V, 6. — [2] Scilicet loca. — [3] Theodor. Cant., *Pœnitential.* — [4] *Id est*, refecti.

(*a*) *Cæt. edit.* conscientia. — (*b*) *Item* et.

Digitized by Google

quarta, et sexta feria, a vino et a carne penitus jejunare, et ultra lugenda nequaquam committere. » Hæc canon.

PARTICULA VIII.

De pœnitentia ejus, qui accusat alium ad mortem.

Septimus canon ex Burchardo, lib. XLIV (Ext., de Accus.): « Accusasti aliquem, et per tuam accusationem occisus est: nisi pro pace [1] hoc feceris, quadraginta dies in pane et aqua, quod carina (*a*) vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam debilitatus [2] est, per tres debes quadragesimas pœnitere. » Hæc canon.

PARTICULA IX.

De pœnitentia ejus, qui filiam suam spiritualem carnali filio tradit.

Octavus canon Zachariæ et Deusdedit (XXX, q. III): « Non oportet filiam, quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonium tradere, quia in divina sententia germani esse inveniuntur. Si quis tali facinore commixtus, minime restrinxerit frena luxuriæ, ab Ecclesia catholica abominabitur. Sed si conversus fuerit, post separationem septem annis pœnitentiam gerat. Consciis simul cum auctore sit ista conditio, id est, simul cum cooperatoribus et consentientibus pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA X.

De pœnitentia ejus, qui contrahit cum sponsa alterius.

Nonus canon (Extra. de Sponsa duorum), ex Burchardo, lib. XXX: « Accepisti illam in uxorem tibi, quam alter habuerat sibi desponsatam; illam dimitte, quia nunquam potest tibi legitima fieri, et quadraginta dies in pane et aqua, quod carinam vocant, cum septem sequentibus annis pœniteas. » Hæc canon.

PARTICULA XI.

De pœnitentia patris et filii, vel duorum fratrum cum una muliere concumbentium, aut si quis cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus concubuerit.

Decimus canon est ex Concilio Chalcedon. [3] (XXX, q. IV): « Si pater et filius, aut duo fratres cum una muliere, aut si cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, secundum antiquam et humaniorem diffinitionem, octo annis pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA XII.

De pœnitentia sacerdotis homicidæ.

Undecimus canon (dist. L), Joannis VIII: « Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare, post perpetratum homicidium, posse in sacerdotio ministrare, imo quod est ineptius, nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque perversi sensus, tale quid existimaret, vel post quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo, sacerdotio privatus, lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, salutis possit invenire suffragium. » Hæc canon.

PARTICULA XIII.

De pœnitentia mulieris, quæ occidit ancillam, et de pœnitentia homicidæ voluntarii.

Duodecimus canon (dist. L), ex Concilio Eliberitano [4]: « Si qua femina, furore zeli accensa, flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra tertium diem cum cruciatu animam emittat: eo quod incertum sit an voluntate, an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinque annorum tempora, acta pœnitentia legitima, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. » Hæc canon. De eodem (capit. seq.), ex capitulis Martini Bracharen., c. LXXVIII. « Si quis voluntate (*b*) homicidium commiserit, ad januam catholicæ Ecclesiæ semper jaceat, et communionem in exitu vitæ suæ suscipiat. Si autem non voluntate (*b*), sed casu aliquo homicidium fecerit, prior canon septem annis pœnitentiam agere jussit; secundus canon quinque mandavit. » Hæc canon.

PARTICULA XIV.

De pœnitentia pro homicidio necessitatis evitabilis, et de pœnitentia ejus, qui occidit latronem, et de pœnitentia intuitu disciplinæ occidentis, vel ligatum latronem interficientis.

Tertius decimus canon (dist. L), ex Ilerdensi Concilio [5]: « De his clericis, qui in obsidionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui

[1] Scilicet, ut boni quiete vivant. — [2] Id est, mutilatus. — [3] In Actis quæ supersunt concilii Chalcedonensis nihil hujusmodi extat tractatum. — [4] *Conc. Eliberit.*, can. 5. — [5] *Conc. Ilerd.*, c. 1. — (*a*) *Al.* carena. — (*b*) *Al.* voluntarie.

Digitized by Google

altario serviunt vel ministrant, et Christi corpus et sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine etiam hostili se abstineant. Quod si in hoc inciderint, tam officio quam communione corporis Domini duobus annis priventur, ita ut his duobus annis, jejuniis, vigiliis, orationibus et eleemosynis, pro viribus quas Dominus donaverit, expientur, et ita demum officio et communioni reddantur : ea tamen ratione, ne ulterius ad officia potiora promoveantur. Quod si indefinito tempore negligentiores circa suam salutem extiterint, protelandæ ipsius pœnitentiæ tempus in potestate sacerdotis maneat.» Hæc canon. Sed si esset inevitabilis necessitas, in nullo imputaretur (dist. L, c. *Quia te.*) Quod verum est quoad peccatum; sed quoad cautelam et innocentiam suam Ecclesiæ ostendendam, bonum est pœnitere (Extra, de homic., c. II), ex Pœnitentiali Romano : « Interfecisti furem aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione: quia ad imaginem Dei creatus est, quadraginta dies non intres ecclesiam; et lanea veste indutus, ab escis et potibus, qui interdicti sunt [1], et a toro et gladio, et equitatu illos supradictos dies abstineas. In tertia autem et quinta feria, et sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, et parvis pisciculis, cum mediocri cervisia, utere temperate. Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti, secundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid jejunare potueris, bonum est tibi, et eleemosynam fac largiter. Si presbyter eadem fecerit, non deponatur : tamen quandiu vivit, pœnitentiam agat.» Hæc canon.

Si quis autem per insaniam committit homicidium, non imputatur (III, q. IX, c. *Indicas*). Qui vero etiam intuitu disciplinæ, incaute percutiendo occidit, deponatur (Extra, de homicidio presbyterorum). Item qui ligatum latronem interfecit, deponatur (Extra., de homic., c. *Suscepimus*).

PARTICULA XV.

De pœnitentia matricidæ.

Quartus decimus canon (XXXIII, quæst. II), Nicolai Papæ (*a*) : « Latorem præsentium matricidam esse cognovimus, cui præcipimus, ut sub jugo pœnitentiæ permaneat, ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans, deprecans Deum, perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes [2] stet et nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, sacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis, atque temporibus, carnem non manducet, et nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atque dominicis, et a Pascha usque Pentecosten, et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur, arma non sumat nisi contra paganos. Jejunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam. A propria ac legitima conjuge ne separetur, ne in fornicationis voraginem corruat : quod ne fiat optamus. Si autem ante annorum trium cursum, finis vitæ illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat; sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversationem et lacrymarum fontem, in omnibus videritis floridis actionibus et bonis operibus pullulare, humanius circa eum sollicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. » Hæc canon.

PARTICULA XVI.

De pœnitentia uxoricidæ.

Stephanus Papa V Astulpho (XXXIII, quæst. II): « Admonere te cum lacrymis, et multo gemitu cordis curavimus, fili Astulphe, sed non filius dici debes, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo tibi matrimonio sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem; sed concitatus a diabolo, impio furore inflammatus, more latronum atrocius eam gladio tuo, crudelior omni bestia interemisti, et nunc post mortem ejus, addis iniquitatem super iniquitatem filiorum tuorum improbe prædo, qui non pepercisti matri, et filios tuos orphanos fecisti, inducere vis super eam causam mortis post mortem, per unum hominem homicidam et reprobum testem incusare vis

[1] Id est, a carnibus, et ab omnibus quæ sementinam trahunt originem carnis, lacte videlicet, et caseo, et ovis, quia, ut dicit sapiens quidam, ovum est liquida carnis substantia, lac autem sanguis colore mutato, caseus autem lac coagulatum. — [2] Id est, inter laicos. — (*a*) *Al.* Nicolaus Papa.

Digitized by Google

mortuam. Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina et humana lex, unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat; quanto magis per istum flagitiosissimum et scelestum, nec illa viva debuit condemnari, nec a te post mortem ejus accusari? Prius causa criminis subtiliter investiganda erat; et tunc, si ita fuisset inventa, secundum legum tramitem debuit vindictam accipere ultionis. Nam si verum, quod absit, fuisset, sicut adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim [1] vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam et vivat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum, et facias hoc, quod melius et levius videri tibi potest. Miserere animæ tuæ, ut non sis tu tibimet homicida. Relinque, quapropter te rogamus, hoc malum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus. Ingredere monasterium, humiliare sub manu abbatis, multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta simplici animo quæ tibi fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, et refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc melius et levius tibi esse certissime scias. Sin autem publicam pœnitentiam, permanens in domo tua, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi pejus et gravius esse non dubites, ita ut agere debeas exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum et siceram non bibas, carnem nunquam comedas ullo tempore, præterquam in Pascha, et in die Natalis Domini : in pane et aqua et sale pœnitentiam age, in vigiliis, et jejuniis, orationibus, eleemosynis omni tempore persevera, armis nunquam cingere, nec in loco quolibet litigare præsumas; uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas, in balneo nunquam laveris, in conviviis lætantium nunquam te misceas, in ecclesia segregatus ab aliis Christianis, post ostium et postes humiliter te repone, ingredientium et egredientium suppliciter orationibus commenda te, et communione corporis et sanguinis Domini, cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes, in ultimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris, pro viatico, si sit qui tibi tribuat, tantummodo venialiter, ut accipias, tibi concedimus. Sunt et alia multa quæ tibi nimis durius et satis acrius erant juxta magnum pondus peccati, o infelix, adjicienda. Sed si hæc omnia, quæ tibi misericorditer supradicta sunt, perfecto corde, Domino auxiliante feceris et custodieris, confidimus de immensa Dei clementia, remissionem tuorum te habiturum peccatorum, et secundum dictum justi bonique pastoris, resolvet te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam sanguine suo acquisivit, solutus sis in cœlis. Si autem aliter feceris, et sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse sis tibi judex, et in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis, sanguis tuus super caput tuum. Nos alieni a consortio tuo, pro aliorum Dei filiorum salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, et Domini misericordiam quotidie attentius implorare. » Hæc canon.

[1] *Ezech.*, XVIII, 32; XXXIII, 11.

PARTICULA XVII.

De pœnitentia eorum, qui occidunt filios.

Hujus sceleris pœna secundum leges hæc est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, in culeo, id est in sacco corii insuatur, cum cane, et gallo gallinaceo, et vipera, et simia, deinde in profundum maris jactetur, vel in amnem, ut et cœlum superstiti, et terra mortuo auferatur, sicut in *Institutis*, de publicis judiciis, § *Alia deinde lex*. Sed secundum canones non sic, sed imponitur pœna inclusionis in monasterium, Extra., de his qui fil. occiderunt, quod est Alexandri III : « Veniens ad nos M. mulier lacrymabili nobis confessione monstravit, quod cum de quodam filium genuisset, et iste sibi sæpe turgido vultu improperasset, quod filius ejus non esset, ipsa iracundiæ calore ducta, eumdem filium interfecit. » Et infra : « Mandamus quatenus eam labores inducere, ut ad aliquod monasterium transeat, in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem repugnante carnis suæ fragilitate, ad hoc induci noluerit, ei licentiam in Domino nubendi tribuas : quia tutius nobis videtur ut in Domino nubat uni soli, quam inhoneste multos admittat. » Hæc canon. Hanc tamen pœnitentiam injungendam intelligas, si is qui filium occidit, conjugem et filios alios non habet; alias secus, ut in proximo capitulo sequenti. Cum vero in lectis parentum filii inveniuntur oppressi, pœnitentia imponatur, quæ continetur in eodem titulo, capite ultimo, cujus verba sunt hæc : « De infan-

Digitized by Google

tibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre et matre, et non apparet utrum a patre, vel matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna : sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in pane et aqua. » Hæc canon.

PARTICULA XVIII.

De pœnitentia perjuri.

(Causa) VI, quæstione prima, Fabianus Papa : « Quicumque sciens perjuraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur; communionem tamen post hæc recipiat. » Hæc canon.

PARTICULA XIX.

De pœnitentia ejus, qui per capillum Dei juraverit, vel hujusmodi.

Vigesima secunda, quæst. I, Pius Papa : « Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur; et si quis per creaturam juraverit, acerrime castigetur, et juxta hoc, quod synodus dijudicaverit, pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestaverit, non est dubium, quin divina condemnatione coerceatur; et si episcopus ista emendare neglexerit, acerrime corripiatur. » Hæc canon.

PARTICULA XX.

De pœnitentia pro falsa mensura.

Extra., de Empt. et Vendit., ex Concilio Moguntinensi : « Ut mensuræ et pondera justa fiant; » et infra : « Si quis justas mensuras, et justa pondera, causa lucri, mutare præsumpserit, triginta dies in pane et aqua pœniteat. » Hæc canon. Tales etiam variis pœnis puniuntur secundum leges. Nam aliquando interdicitur negotiatio, interdum relegantur, et humiliores ad opus publicum dantur, et insuper lege Cornelia de Falsis puniri debent, in tit. de ordinariis criminibus, *Annonam*, circa finem.

[1] *Conc. Nic.*, can. 13. — [2] Scilicet ad negotiationem, vel ad usuram. — [3] *Supple*, fovendo eam in errore.

PARTICULA XXI.

De pœnitentia ejus, qui post solemnem pœnitentiam ad vomitum redit.

De Pœnitentia, distinct. v, ex Nicæno Concilio [1] : « Si qui vero per Dei gratiam vocati, primo quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum sunt reversi, ut et pecunias darent [2], et ambirent redire rursus ad militiam; isti decem annis sint inter pœnitentes, post primum triennium, quo fuerint inter audientes extra ecclesiam. Ab omnibus vero illud præcipue observetur, ut animus eorum et fructus pœnitentiæ attendatur. Quicumque enim cum omni timore, et lacrymis perseverantibus, et operibus bonis conversionem suam non verbis solum, sed opere et veritate demonstrant, cum tempus statutum ab his fuerit impletum, et orationibus jam cœperint communicare, licebit episcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare. Qui vero indifferenter habuerint lapsum, et sufficere sibi quod Ecclesiam introierint, arbitrantur, isti omnimodo statuta tempora implebunt. » Hæc canon.

PARTICULA XXII.

De pœnitentia ejus, qui devotam seu monialem cognoscit.

Vigesima septima, quæst. I, ex Concilio Martini Bracharensis, c. XXX. « De filia episcopi, vel presbyteri, sive diaconi, si devota fuerit, et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint [3], a communione habeantur alieni. Pater vero in concilio causas [4] se noverit præstaturum. Mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem vivente eo secesserit, et pœnitentiam egerit, et petierit communionem, in ultimo fine vitæ suæ deficiens eam accipiat. » Hæc canon. Item, c. sequenti, ex Concilio Toletano I : « Devotam peccantem [5] non recipiendam esse in Ecclesia, nisi peccare desierit, et si desinens egerit pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, et hæc quæ eam acceperit, habeatur abstenta (*a*) [6], corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non ad-

— [4] Id est, pœnas. — [5] Id est, fornicantem. — [6] Id est, excommunicata minori excommunicatione.

(*a*) *Cæt. edit.* in absentia.

Digitized by Google

mittatur ad pœnitentiam, nisi aut vivente marito, vivere caste cœperit, aut postquam ipse decesserit. » Hæc canon.

PARTICULA XXIII.

De pœnitentia ejus, qui cantat Missam et non communicat.

De Consecratione, distinct. II, ex Concilio Toletano XII : « Relatum nobis est quosdam de sacerdotibus, non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre. Sed si in uno die plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt (*a*), et in sola tantum extrema sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumunt (*b*), quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit [2] : *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divina altaria sacrificium oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privavit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in altari immolat, toties perceptionis corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participem se præbeat. » Hæc canon.

PARTICULA XXIV.

De pœnitentia sacerdotis, qui mortuum clericum involvit in palla altaris.

De Consecratione, distinctione prima, Clemens Papa : « Nemo per ignorantiam [3] clericum mortuum credat obvolvendum, aut ejus scapulas operire velit palla quæ fuit in altari, aut certe quæ diacono data est in mensa Domini. Qui hæc fecerit, vel leviter, vel quasi nihil, et negligenter habuerit, diaconus triennio sexque mensibus a dominico erit remotus altari, gravi percussus anathemate, eo quod clericum non admonuerit; presbyter decem annis et quinque mensibus excommunicatus sit, propter quod de dominicis sacramentis, subjecta [4] sibi non admonuerit ministeria, et postea cum grandi humilitate, matri reconcilietur Ecclesiæ. » Hæc canon.

PARTICULA XXV.

De pœnitentia ejus, qui committit sacrilegium violando ecclesiam, vel aliquid enormiter committendo in ecclesia.

Duodecima quæstione secunda, Nicolaus Papa : « De viro nefando Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se laqueis irretire non dubitavit, atque gentilium more, per abrupta [5] itinera et compita [6], insidians vobis in vestræ ecclesiæ villa, una cum clericis vestris manentibus, et populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile salutis propriæ desiderium habentibus, sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, et iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, ac deprædationes violentas inferre, dæmoniaco ausu præsumpsit, et ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare sacraque dominici corporis et sanguinis vasa, insuper et sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia et ad usum communem apta præsumpsit, dilectio nos vestra consulit, si ipse vel qui cum eo in tam impio et iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia attracti divina, venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus, si tamen ita est, jubemus, cum ad pœnitentiam acceleraverint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere, cujus sanctissima vasa extra ritum fidei Christianæ diripiendo, auferre non dubitaverunt. Secundo vero anno, ante fores ecclesiæ sine communione maneant. Tertio vero anno, ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes [7] astent sine oblatione : non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis et Resurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, si his prioribus tribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius nunquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur, et usque ad septimum annum, tribus in hebdomada diebus,

[1] *Conc. Tolet.* XII, can. 5. — [2] I *Cor.*, X, 28. — [3] Scilicet juris. — [4] Id est, subjectos ministros. — [5] Id est, occulta. — [6] Id est, concursus viarum. — [7] Id est, laicos. — (*a*) *Cæt. edit.* suspendant. — (*b*) *Item* sumant.

Digitized by Google

sine esu carnium et vini potione pœnitentes maneant. » Hæc canon.

PARTICULA XXVI.

De pœnitentia parentum, qui frangunt sponsalia filiorum post septem annos.

Trigesima prima, quæst. III, ex Eliberitano Concilio [1] : « Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum [2], trienni tempore a communione abstineant. Si vero idem sponsus vel sponsa, in illo gravi crimine [3] non fuerint (*a*) deprehensi, excusati erunt [4] parentes. Si vero in eodem vitio fuerint, et polluerint se consentiendo, superior sententia servetur. » Hæc canon.

PARTICULA XXVII.

De pœnitentia ejus, qui ducit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Trigesima prima, quæst. I, ex Concilio Eliberitano [5] : « Si qua vidua fuerit mœchata, et eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima pœnitentia, placuit eam ad communionem reconciliari. » Hæc canon.

PARTICULA XXVIII.

De pœnitentia maledici.

Extra., de Maledicis, Gregorius Nonus : « Statuimus, ut si quis contra Deum vel aliquem Sanctorum suorum, et maxime beatam Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare præsumpserit, per episcopum pœnæ subdatur inferius annotatæ, ut videlicet septem diebus dominicis, præ foribus ecclesiæ in manifesto, dum aguntur missarum solemnia, blasphemus existens, ultimo illorum die dominico, pallium et calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis, jejunet in pane et aqua, ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum, tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum, et si nec ad hoc facultates ejus suppetant, id in pœnam commutetur aliam : cui etiam, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, ecclesiæ interdicatur ingressus, et in obitu ecclesiastica careat sepultura, per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit, episcopi diœcesani adhibita contra eum. Blasphemus, si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioqui triginta, sive viginti, et si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus; quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur. » Hæc canon.

PARTICULA XXIX.

De pœnitentia sacerdotis revelantis confessionem.

De Pœnitentia, distinctione VI, Gregorius Papa : « Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui confitentur ei peccata sua alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. » Hæc canon.

PARTICULA XXX.

De pœnitentia ejus, qui compulsus conditionaliter perjurat.

Vigesima secunda, quæstione quinta, Pius Papa : « Qui compulsus a domino sciens perjurat, utrique perjuri, et dominus, et miles : dominus, quia præcepit; miles, quia plus dominum, quam animam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat, et septem sequentes annos; si servus ejusdem, tres quadragesimas, et legitimas ferias pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA XXXI.

De pœnitentia ejus, qui perjurat in manibus episcopi, vel in cruce sacrata.

Vigesima secunda, quæst. quinta : « Qui perjurat in manu episcopi, vel in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Qui autem coactus fuerit, et ignorans se perjuraverit, et postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA XXXII.

De pœnitentia ejus, qui coactus perjurat pro vita redimenda.

Capitulo sequenti, ex *Pœnitentiali* Theodori : « Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perjurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat; alii judicant tres annos, unum ex his in pane et aqua. » Hæc canon.

[1] *Conc. Eliberit.*, can. 54. — [2] Non copulando filios, sicut juraverunt, de consensu eorum. — [3] Scilicet quia copulari volunt inter se, non obstante voluntate parentum. — [4] Revera quoad pœnam Ecclesiæ, sed non quoad reatum : ex quo enim operam dederunt, ne filii copularentur, peccaverunt mortaliter. — [5] *Conc. Eliberit.*, can. 72. — (*a*) *Al.* in gravi crimine fuerint.

Digitized by Google

PARTICULA XXXIII.

De pœnitentia ejus, qui scienter falsum jurat, vel alium jurare compellit.

Vigesima secunda, quæstione quinta : « Si quis convictus fuerit alios ad falsa testimonia, vel ad perjuria attraxisse, vel quacumque corruptione sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum vitæ non communicet. Hi vero, qui ei in perjurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt removendi [1], et secundum legem infamia notabuntur. » Hæc canon.

PARTICULA XXXIV.

De pœnitentia ejus, qui in dicendis horis vel officiis divinis a metropolitanæ consuetudine discrepat ecclesiæ.

Duodecima distinctione, ex Concilio Toletano XI [2] : « De his, qui contra voluntatem Apostoli circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic sancto concilio, ut metropolitanæ sedis auctoritate coacti, uniuscujusque provinciæ cives, rectoresque ecclesiarum unum eumdemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverint institutum, nec aliqua diversitate cujusque ordinis vel officii a metropolitana sede patiantur se disjungi. Sic enim justum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accipit, ut juxta majorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis dignitatis est mater, ecclesiasticæ dignitatis vel rationis sit magistra. Abbatibus sane indultis officiis, quæ juxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera officia publica [3], id est, vesperas, matutinas, sive missam aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisque autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus a communione privatus apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura maneat corrigendus, quatenus apud illum et præteritæ transgressionis culpam lacrymis diluat, et necessariam officiorum doctrinam studiose addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solum metropolitanus totius provinciæ suæ pontifices vel sacerdotes astringat, sed etiam cæteri episcopi subjectos sibi ecclesiarum rectores obtemperare his institutionibus cogant. » Hæc canon.

[1] Etiam post pœnitentiam privatam, secundum quosdam, quæst. 1, *Quicumque*. — [2] *Conc. Tolet.* XI, can. 3. — [3] Scilicet clericorum sæcularium, quorum officia publica sunt. — [4] *Conc. Tolet.* XI, can. 8. —

PARTICULA XXXV.

De pœnitentia episcopi, qui correctionem de simoniaca venditione dissimulat.

Prima, quæstione prima, ex concilio Toletano XI [4] : « Quidquid invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus, vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet, dicente Domino [5] : *Quod gratis accepistis, gratis date*; et ideo quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, præmia quælibet vel pretia, nisi voluntarie oblata, pro hujusmodi ambitione susceperit, equidem si sciente loci episcopo, tale quodcumque a subditis perpetratum fuerit, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat, pro eo quod scita mala contexit, et correctionem necessariam non adhibuit. Si autem suorum quispiam, eodem nesciente, pro supradictis quodcumque capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si presbyter est, quatuor mensium excommunicatione plectatur ; si diaconus, trium ; subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus serviens, competenti pœna, et debita excommunicatione plectendus est. » Hæc canon.

PARTICULA XXXVI.

De pœnitentia episcopi qui ordinat clericum invitum.

Septuagesimaquarta distinctione, ex concilio Aurelianensi [6] : « Episcopus qui invitum, aut reclamantem [7] ordinare præsumpserit, annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat. » Hæc canon.

PARTICULA XXXVII.

De pœnitentia sortilegorum.

Extra., de Sortileg., ex *Pœnitentiali* Theodori : « In tabulis vel codicibus, aut aliis, sorte furta non sunt requirenda, nec divinationes aliquas in aliquibus rebus quis observare præsumat. Qui autem contra fecerit, quadraginta dies pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA XXXVIII.

De pœnitentia ejus qui videt in astrolabio.

Extra., de Sortileg., Alexander III, Gradensi

[5] *Matth.*, X, 8. — [6] *Conc. Aurelian.* — [7] Scilicet vel aliquo alio indicio, quam voce, contrariam voluntatem ostendentem.

Digitized by Google

patriarchæ : « Ex tuarum tenore litterarum accepimus, quod V. presbyter cum quodam infami ad privatum locum accessit non ea intentione, ut invocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii, furtum cujusdam ecclesiæ posset recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo, et simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, et non modicam inde peccati maculam contraxit. » Et infra : « Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum et amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere, et ex tunc liberum sit [1] ei exercere officium sacerdotis. » Hæc canon.

PARTICULA XXXIX.

De pœnitentia ejus cui per negligentiam aliquid de sanguine distillaverit.

De Consecra., distinctione II, ex decreto Pii Papæ : « Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambetur, et tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur, et igne consumetur, et cinis intra altare recondetur, et sacerdos quadraginta diebus pœniteat [2]. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, et ad illud stilla pervenerit, tribus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat; et linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice subter posito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur. » Hæc canon.

PARTICULA XL.

De pœnitentia ejus, qui sacrificium evomit.

De Consecr., d. II, ex *Pœnitentiali* Bedæ presbyteri : « Si per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est. Clerici vel monachi, seu diaconi, et presbyteri, septuaginta diebus pœniteant; episcopi nonaginta. Si pro infirmitatis causa evomuerit, septem diebus pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA XLI.

De pœnitentia ejus, qui presbyterum interfecit.

Extra., de Pœn. et Remiss., ex concilio Mo-guntino : « Qui presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei secundum canones imponatur. » Et infra : « Convictus usque ad ultimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, et absque spe conjugii maneat. » Hæc canon.

PARTICULA XLII.

De pœnitentia beneficiati ab ecclesia, qui rectorem, vel clericum alium ipsius ecclesiæ interficit.

Extra., de Pœnis, Innocentius III, in concilio generali (hæc decretalis secundum quosdam incipit ibi : *In quibusdam*, et pro una computatur) : « Sacri nihilominus concilii approbatione statuimus, quatenus si patroni, vel advocati, seu feudatarii, seu vicedomini, aut alii beneficiati alicujus ecclesiæ rectorem, vel clericum alium ipsius ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint, patroni jus patronatus, advocati advocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, et beneficiati beneficium prorsus amittant. et ne minus vindictæ quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil perveniat ad hæredes, sed etiam usque ad quartam generationem, posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in domibus regularibus alicujus prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum [3]. » Hæc canon.

PARTICULA XLIII.

De pœnitentia incendiariorum.

Extra., de Injuriis, ex *Pœnitentiali Romano* : « Si quis domum vel aream cujusque voluntarie incenderit, sublata et incensa omnia restituat, et tres annos pœniteat. » Hæc canon.

Item alius canon, de eod. (XXIII, q. VIII), Innocentii II, in universali concilio : « Pessimam siquidem et depopulatricem, et horrendam incendiariorum malitiam, auctoritate Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli omnino detestamur et interdicimus. Si quis igitur post hujus nostræ prohibitionis promulgationem, malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur; et si mortuus fuerit

[1] Hoc intellige dictum ex dispensatione, nam de jure communi debuit remanere privatus, et episcopus jure contra illum processit (26, q. V, *Non oportet*; *Si quis episcopus*). — [2] Hæc pœnitentia erit, ut tot diebus jejunet, et tot diebus abstineat a perceptione sacramentorum (dist. 45, c. *Quidam enim de episcopis*). — [3] Scilicet ab episcopo, licet honestum esset, quod fieret de licentia Papæ.

Digitized by Google

incendiarius, Christianorum careat sepultura; nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulerit, secundum facultatem suam resarcito : et juret se ignem de cætero non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania, in servitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem archiepiscopus vel episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et per annum ab episcopali officio abstineat. Sane regibus, et principibus, faciendæ justitiæ facultatem, consultis archiepiscopis et episcopis, non negamus. » Hæc canon.

Hodie postquam publicati sunt, non possunt absolvi citra sedem Apostolicam Extra., de sent. Excom., c. *Tua nos.* » Appar. : « Quia hæc non distinguitur, de omnibus intelligas. Tamen non credo, quod omnes incendiarii generaliter sunt ipso jure excommunicati, nisi de incendiariis ecclesiarum, cum de aliis non inveniam, et per hanc decretalem probatur, quod ipso jure sunt excommunicati; sed illis primo excommunicatis ab episcopis subsecuta publicatione et denuntiatione, Papa per hanc decretalem sibi reservat eorum absolutionem ad terrorem. » Hæc Appar. Raymundus, et Redonen. tantum intelligunt de incendiariis sacrorum locorum. Ganfredus dicit, quod Episcopus potest incendiarium excommunicare, sed non absolvere, postquam fuerit denuntiatus : cum quo concordat textus. Hæc Decretalis et Apparatus, et copiose, et ideo magis ei credo.

PARTICULA XLIV.

De pœnitentia communicantis cum hæretico.

Vigesima quarta, quæstione prima, Julius Papa : « Si quis dederit, vel acceperit communionem de manu hæretici, et nescit quod Ecclesia catholica contradicit, postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, et neglexit, et postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat. Alii judicant septem, et quidem humanius, ut quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, et nescit [1], quadraginta dies pœniteat. Si pro reverentia ejus, annum integrum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ, et consuetudinis Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam; si habuerit pœnitentiam, decem annis pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in congregationem hæreticorum, et alios persuaserit, et postea pœnitentiam egerit, duodecim annis pœniteat, tres extra ecclesiam, septem inter audientes [2], et duos adhuc extra communionem. De his ita in canone dicitur, ut duodecimo anno, communionem sine oblatione percipiant. » Hæc canon.

[1] Scilicet ignorantia juris, vel ignorantia facti crassa. — [2] Scilicet catechumenos, qui olim audiebant Missam usque ad secretam Missæ, et postea expellebantur (de Consecrat., distin. 1, c. *Episcopus nullum*), ita Appar. — [3] *Num.*, XII, 10.

PARTICULA XLV.

De pœnitentia ejus, qui cognoscit duas sorores, vel matrem et filiam, amitam, vel neptem.

Trigesimasecunda, q. VII, ex Moguntinensi concilio : « Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre et filio, si quis relictam fratris, si quis novercam aut neptem, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit, eos disjungi, et ulterius nunquam conjugio copulari præcipimus. » Hæc canon.

PARTICULA XLVI.

De pœnitentia ejus, qui cum brutis coierit, ubi nota rationem septennis pœnitentiæ.

Trigesimatertia, q. II, Isidorus *ad Massonem Episcopum* : « Hoc ipsum, quod canonum censura, post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, non electione proprii arbitrii sancti patres, sed potius ex sententia divini judicis sanxerunt. Nam legitur [3], quod Maria soror Aaron prophetissa, dum detractionis adversus Moysem incurrisset delictum, illico stigmate lepræ percussa est. Cumque peteret Moyses ut emundaretur, præcepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, et post emundationem rursus eam in castra admitti. Maria vero soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum maculatur contagiis, extra castra, septem diebus, id est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis projicitur, ubi post emendationem vitiorum, loci, vel pristinæ dignitatis recipiat meritum. » Et post pauca : « In fine autem epistolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius magis sententia teneatur, cujus antiquior, et potior extat auctoritas. » Hæc canon.

Digitized by Google

« [1] Hoc quanquam de sacerdotibus videatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus pœnitentibus oportet intelligi. Ad imitationem namque illius divinæ sententiæ, David de adulterio et homicidio reprehensus, unius hebdomadæ jejunium in satisfactionem admissi sceleris, Deo legitur obtulisse. Hinc etiam ecclesiastica consuetudine est usurpatum, ut majorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concludatur, nisi vel officii excellentia, vel criminum magnitudo, vulgarem consuetudinem excedens, veluti dum contra naturam humanæ societatis, parentibus vel liberis, vel aliis ejusmodi personis impudice adhæremus: vel dum relicto naturali usu, contra naturam, more sodomitico, fornicamur, vel usque ad coitum brutorum animalium prolabimur, præmissum spatium transcendere cogat. » Hæc Gratianus.

PARTICULA XLVII.

De pœnitentia patroni, qui dilapidat res Ecclesiæ.

Sedecima, quæst. VII [2]: « Filiis vel nepotibus ac honestioribus propinquis ejus, qui construxit vel ditavit ecclesiam, licitum sit hanc habere solertiam, ut si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus defraudare præviderint, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut episcopo vel judici corrigenda denuntient. Quod si episcopus talia agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi proprii juris potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcumque præsumere, sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere, quod aut nullam noxam operatio nocens attingat, aut multam, vel aliquam partem salutaris mercedis assumat. Si quis vero deinceps hæc monita temerare præsumpserit, et male rapta cum confessione restituet, et excommunicationis annuæ sententiam sustinebit. » Hæc canon.

PARTICULA XLVIII.

De pœnitentia ejus, qui domum suam cum magicis et incantationibus lustrat.

Vigesimasexta, quæstio. V, ex Ancirano concilio [3]: « Qui divinationes expetunt, etiam morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas hujusmodi homines introducunt [4], exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi [5] causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ diffinitos. » Hæc canon.

PARTICULA XLIX.

De pœnitentia episcopi vel clerici magos vel aruspices consulentis.

Vigesimasexta, q. V, ex Concilio Toletano IV, cap XXX. « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse deprehensus fuerit, ab honore dignitatis suæ suspensus, monasterii curam suscipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat. » Hæc canon.

PARTICULA L.

De pœnitentia sacerdotis, cujus negligentia sacrificium a bruto comeditur.

De Consecratione, dist. II, ex Concilio Aurelianensi : « Qui bene non custodierit sacrificium, et mus vel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars ejus ceciderit, et non inventa fuerit, triginta dies pœniteat. » Hæc canon.

PARTICULA LI.

De pœnitentia sacerdotis, qui incaute Eucharistiam dimisit.

Extra., de cust. Euchar., Innoc. III, in Concilio generali : « Statuimus ut in cunctis ecclesiis chrisma et eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, et si per ejus incuriam aliquid nefandi inde contigerit, graviori subjaceat ultioni. » Hæc canon.

[1] Hæc quæ sequuntur, sunt verba Gratiani. — [2] *Conc. Tolet.* IX, c. I. — [3] Ex *Conc. Ancyr.*, can. 23, al. 24. — [4] Secundum leges isti concremantur, sed ille in cujus domo hæc fiunt, post publicationem bonorum in exilium mittitur, ut, de Maleficis, c. *Nullus*. — [5] Id est, infirmitatis purgandæ.

Digitized by Google

PARTICULA LII.

De pœnitentia jurantis non facere pacem cum proximo.

Vigesima secunda, quæst. IV, ex Concilio Ilerdensi [1] : « Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio, uno anno a communione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, et quantis potuerit jejuniis absolvat, ad charitatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum celeriter venire festinet. » Hæc canon.

PARTICULA LIII.

De pœnitentia scienter rebaptizati, et bis confirmati.

Extra., de Apostatis, Alexander Tertius : « Ex litterarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus, insano sortilegarum mulierum credens consilio, ut sanaretur, per iterationem fecit injuriam baptismatis sacramento. » Et infra : « Quia ergo nos tua duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat acolytus, quem minor ætas, et intentio fraternæ salutis excusare videtur, discretioni tuæ præsentibus litteris respondemus, quod ad superiores ordines promoveri, si publicum est, quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius, circa eum valeat dispensari. Si vero occultum est, promoveri poterit, et excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare. » Hæc canon.

Item de eod., de Conse., dist. V, ex Concilio Tarraconen., cap. VI : « Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis, vel ter, vel eo amplius episcopis ignorantibus, tamen ab eisdem episcopis confirmentur. Unde nobis visum est, eamdem confirmationem sicut nec baptismum iterare minime debere : quia bis, vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos, non sæculo, sed Deo soli, sub habitu regulari, vel clericali religiosissime famulari decretum est. » Hæc canon.

PARTICULA LIV.

De pœnitentia raptoris.

Extra., de Raptoribus, Eugenius Tertius : « Statuimus ut quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, sive in ecclesiarum violationes, manifeste deprehensus fuerit, nisi prius ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam et plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si vero usque ad obitum in contumacia sua duraverit, et in extremis positus remedium pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia, et ecclesiastica sepultura concedantur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendaverit, et in morte securitatem præstare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum prodesse [2] videtur, sicut credimus. Sed de peccato contrito viaticum non negetur, ita tamen ut nullus clericorum sepulturæ illius intersit, nec ejus eleemosynam accipere præsumat. Quod si qui presbyterorum vel clericorum, contra hoc in vita, vel in morte pœnitentias dare, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentaverint, seu hujusmodi rapinæ participes inventi fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, et ecclesiastico beneficio careant. » Hæc canon.

Secundum Raymundum dicere potes, quod hæc decretalis est localis, vel quando illi non pœnituerant. Videtur enim, quod si aliquis esset etiam pro hujusmodi criminibus excommunicatus, et dum in extremis ageret pœnitentiam, juxta formam Ecclesiæ absolutus, non debet ei cœmeterium, vel alia Ecclesiæ suffragia denegari, sed ejus hæredes, et propinqui, ad quos bona pervenerint ipsius, ut pro eo satisfaciant, sunt censura ecclesiastica compellendi (Extra., de Sepulturis, c. *Parochianos*.)

PARTICULA LV.

De pœnitentia propter necessitatem famis furtum committentis.

Extra., de Furtis, ex Pœnitentiali Theodori : « Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres. Et si reddiderit, non cogatur jejunare. » Hæc canon.

PARTICULA LVI.

De pœnitentia ejus, qui stupravit virginem.

Extra., de Adulteriis, Gregorius [3] : « Pervenit ad nos, quod Felix quamdam virginem decepit stupro. Quod si verum est, quamvis esset de lege pœnæ plectendus, nos aliquatenus legis duritiam mollientes, hoc modo disponimus, ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut si re-

[1] *Conc. Ilerd.*, can. 7. — [2] Scilicet quantum ad pœnam temporalem. Ita Appar.— [3] Imo Innocentius III.

Digitized by Google

nuendum putaverit, corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla sit ei egrediendi sine præceptione licentia. » Hæc canon.

PARTICULA LVII.

De pœnitentia adulteri vel adulteræ.

Extra., de Adulteriis, Alexander III : « Significasti nobis, quemdam presbyterum cum alterius conjuge intra ecclesiam dormivisse, quæ se et illum cuidam sacerdoti hujusmodi delictum confessos fuisse publice tibi detexit, et hoc ipsum idem sacerdos nomen adulteri celans in tua præsentia dixit. Super quo quid fieri debeat, cum, negante adultero, mulier in confessione persistat, consilium requisisti. Ideoque mandamus, quatenus condignam pœnitentiam præfatæ imponens adulteræ, ecclesiam per aspersionem aquæ benedictæ reconciliare procures. Prædicto autem sacerdoti, ne, contra Apostolum [1], infirmorum corda mala fama ipsius percutiantur, et ne vituperetur ministerium nostrum, neque presbyteri, securiores existentes, in peccatum licentius prolabantur; cum vicinis presbyteris, quos se pejerare nolle cognoveris, juxta arbitrium tuum, purgationem indicas; quem si purgare poteris, in officio suo ministrare permittas; alioquin ipsum ab officio suo suspendere non postponas. » Hæc canon.

Pœna autem pro adulterio imponitur mortis, quasi pro sacrilegio. Nam sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet, ut C. de Adulteriis, l. *Quamvis*. Femina autem, jure authenticorum, verberata in monasterium retruditur, quam intra biennium viro recipere licet; biennio transacto, vel viro mortuo antequam uxorem de monasterio educat, adultera tonsa, monastico habitu suscepto, ibi, dum vivit, permaneat, duabus partibus propriæ substantiæ liberis applicandis, tertia monasterio. Si liberos non habeat, parentibus extantibus, hujusmodi iniquitati non consentientibus, tertia pars applicatur, duæ monasterio; quibus prædictis non extantibus, tota substantia monasterio quæritur, pactis dotalium instrumentorum omni casu servandis, ut in auth. *Ut nulli judicum*. Hæc sunt verba Ganfredi.

[1] *Cor.*, VIII, 12. — [2] *Joan.*, V, 14.

PARTICULA LVIII.

De pœnitentia medicorum corporum, medicos animarum non vocantium.

Extrav., de Pœnitentia et Remiss., Innocentius III : « Cum infirmitas corporalis nonnunquam proveniat ex peccato, dicente Domino languido, quem sanaverat [2] : *Vade, et amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*; præsenti decreto statuimus, et districte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, ut medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis suadetur ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. Ceterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur. » Hæc canon.

PARTICULA LIX.

De pœnitentia et pœna negligentium confessionem et communionem, et peccata in confessione detecta revelantium.

Extrav., de Pœnitent. et Remiss., Innocentius III : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam, propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin, vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti

Digitized by Google

voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici, superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad sanandum ægrotum. Caveat autem omnino ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. » Hæc canon.

CAPUT IV.

De usu clavium.

PARTICULA I.

De quatuor casibus, in quibus sacerdos non potest absolvere, et quod sex modis falsa pœnitentia dicitur, et proprius sacerdos sex modis dicitur.

Quatuor modis dicitur quis non vere contritus.

Primus casus, in quo sacerdos non potest confitentem absolvere, est, cum quis non est vere contritus. Talis enim nec a summo Pontifice posset absolvi a peccatis. Quatuor autem modis dicitur et est aliquis non vere contritus, sed false : qui notantur (tit.) de Pœnitentia, dist. v, et sunt verba Gregorii [1] : « Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si gravioribus culpis irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit : recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad vitam æternam valeat pervenire, nisi negotiationem relinquat, vel officium deserat, bona quidem, quæ injuste abstulit, restituat, et odium ex corde dimittat, arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio religiosorum episcoporum, pro defendenda justitia. » Quintus modus notatur eadem distinctione ex verbis Innocentii II : « Fratres nostros episcopos et presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum pertrahi patiantur : falsam autem pœnitentiam esse constat, cum, spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est [2] : *Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim, si peccatis omnibus esset involutus, ita etsi in uno tantum maneat, vitæ æternæ januam non intrabit. Falsa est etiam pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccatis agi nullatenus prævalet; aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam ferat. » Hæc canon.

Pœnitentia falsa sex modis dicitur.

Ex his duobus capitulis colligitur, quod quinque modis falsa pœnitentia dicitur : primus est, si confitens, ex contemptu et sine rationabili causa, pœnitentias secundum auctoritatem Patrum taxatas subire noluerit; secundus, si officium, de quo vivit, non justificaverit, vel si sine peccato exerceri non possit, non dimiserit; tertius, si odium in corde tenuerit; quartus, si ablata non restituerit; quintus, si in voluntate peccandi remanserit; sextus addi potest, si de peccatis præteritis sufficienter non doluerit; et hic sextus modus tangitur ab Augustino [3], cujus verba sunt hæc : « Continue enim dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est *pœnam tenere*; quapropter pœnitentia talium dicitur attritio, non contritio. »

Secundus casus est, quando tam gravia quis commisit peccata, quod ad superiorem debeat confitens transmitti : quæ autem sint illa, postea disseretur. Tertius, si majori excommunicatione sit confitens innodatus, a qua non potest absolvi, nisi per proprium sacerdotem. Quartus, si confitens non est subditus confessoris, et confessor non sit ejus sacerdos proprius; quia, ut dicit canon VI, quæst. III : « Scriptum ex *Deuteronomio* [4] : *Nemo debet falcem in messem alterius mittere.* » Et IX, quæst. II : « Nullus parochianum alterius judicare præsumat. » Et (de Pœn., d. VI, in fine), dicit Urbanus II : « Qui contra hæc sta-

[1] Greg. VII, *in Syn. Rom.*, an. 1078, c. VI. — [2] *Jac.*, II, 10. — [3] Imo auctore, quisquis ille sit, libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XXVII, in append. tom. VI, *Oper.* S. Aug. — [4] *Deut.*, XXIII, 25.

Digitized by Google

tuta facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, » ut dicit Calixtus Papa (caus. IX, q. II, c. 1.) Talis judicatio nullas habet vires, quoniam nullus (*a*) alterius judicis nisi sui sententiam tenebit. Si autem cogitas, quia tota die contrarium fieri videmus; respondeo : Tanto pejus; et qui hos canones non servant, gravissime peccant.

Sacerdos proprius sex modis dicitur.

Sciendum tamen, quod proprius sacerdos alicujus sex modis efficitur : uno modo per determinationem superioris, prout determinantur pastores vel vicarii ab illis, quibus licet habere vicarios ex dispensatione superioris; secundo modo per privilegium aliquorum, ut quidam religiosi sunt : sed talibus confessi, nisi legitimum impedimentum habeant, debent iterum sacerdoti proprio confiteri. Tertio, per licentiam proprii sacerdotis, cum mittit subditos ad aliquos discretos : illa tamen licentia non debet fieri generaliter ad omnes, sed ad illos, vel ad illum, quem scit esse discretum et notum. Quarto, cum quis est vagabundus, et pervenit ad sacerdotem discretum et notum. Quinto, cum quis est in articulo extremæ necessitatis : in illa enim potest quilibet sacerdos quemlibet vere (*b*) contritum absolvere ab omni excommunicatione et ab omni peccato, quantumcumque sit grave. Unde Julius Papa (caus. XXVI, q. VI) : « Si presbyter abnegaverit pœnitentiam morientibus, reus est animarum. » Sexto, propter nimium defectum sacerdotis.

Quinque autem faciunt nimium defectum in sacerdotibus. Unum est, si sunt confessionis proditores : per hoc enim non solum damnantur æternaliter, sed, ut dicitur in canone, etiam in præsenti puniuntur per B. Gregorium depositione et perpetua peregrinatione (de Pœn., dist. VI, c. *Sacerdos*); per Innocentium III, non solum depositione, sed insuper arcta monasterii intrusione (Extrav., de Pœn. et Remiss., *Omnis utriusque sexus.*) Item alius canon (caus. V, q. VI, c. V) : « Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput damnetur, vel amputetur. » Hæc canon. Capuletur, id est, suspendatur caput, scilicet civile, non naturale, quod dicitur status hominis (*Instit.*, de capit. diminut.) Secundum, si sunt notorii juris, et, ut credo, facti fornicatores. Tertium, si sunt judicii confessionis perversores, eo quod sunt de quibus dicit Isaias [1] : ***Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*** Quartum, si sunt aliquarum personarum sollicitatores. Quintum, si gravem et cæcam patiuntur ignorantiam, ne [2] *si cæcus cæcum ducat,* etc. Nam, ut dicitur in *Sentent.* lib. IV, dist. XXI, c. ult., et de Pœn., dist. VI, c. *Quod autem dicitur,* « aliud est favore vel odio sacerdotem proprium contemnere, quod canones prohibent; aliud cæcum vitare, quod Urbanus facere monet, ne *si cæcus cæcum,* » etc. Et illis casibus tunc efficitur subito alius sacerdos proprius, non quilibet tamen, sed discretus, et notus ex ordine vel persona. Dico autem *notus* (*c*), ne detur occasio declinandi ad hæreticos. Si vero prædictorum quatuor nihil impediat, potest confessor confitentem ab omnibus absolvere cum distinctione prædicta, videlicet, quod confitens sit bene contritus, quod non sit gravioribus criminibus irretitus, quod non majori excommunicatione innodatus, quod confessoris subditus uno prædictorum sex modorum.

[1] *Isa.*, V, 23. — [2] *Matth.*, XV, 14. — [3] *Matth.*, XVIII, 28. — [4] *Rom.*, XIII, 7. — [5] *Eccli.*, IV, 8. — [6] Aug., *ad Maced.*, epist. LIV, al. CLIII, n. 20.

PARTICULA II.

Quibus sacerdos possit, vel non possit injungere pœnitentias utiles ad salutem, et de pœnitentia solemni.

Attendendum igitur, cum sint tria genera confitentium, quod secundum omnes doctores primis nulla potest injungi pœnitentia utilis ad salutem, nec per majorem videlicet, nec per minorem. Horum autem sunt sex genera : primi, raptores; secundi, usurarii; tertii, incendiarii; quarti, fures; quinti, simoniaci; sexti, dolosi circumventores, ut sunt perversi judices, advocati iniqui, testes falsi, negotiatores fraudulenti, et hujusmodi, quibus omnibus non potest alia a quocumque injungi pœnitentia, nisi illa evangelica [3] : *Redde quod debes*: et illa apostolica [4] : *Reddite omnibus debita* : et illud *Ecclesiastici* [5] : *Redde debitum tuum.* Quod si hanc acceptare noluerit confitens, nulla alia injungi potest, quæ sibi valeat ad salutem; quia, ut dicit Augustinus in Epistola *ad Macedonium* [6]; et legitur caus. XIV, q. VI : « Si res aliena, propter quam peccatum est, possit reddi, et non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si vero pœnitentia veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. » Septimi sunt, quibus etiam a nullo injungi potest

(*a*) *Cæt. edit.* nullius. — (*b*) *Item* verum. (*c*) Item *notas.*

Digitized by Google

pœnitentia, quicumque mortale peccatum dimittere nolunt, de quibus tactum est supra : potest tamen eis dari consilium Beati Gregorii [1] dicentis (de Pœnit., dist. v, c. *Falsas pœnitentias dicimus*, etc.) : « Nec tamen desperet, sed faciat interim quidquid boni potest, ut Dominus illuminet cor ejus ad pœnitentiam. »

Secundi vero sunt, quibus tantum a majore injungi potest pœnitentia; quorum sunt quinque genera. Primi, quibus solemnis pœnitentia est injungenda, non dico publica, sed solemnis, quæ fit in capite Quadragesimæ cum solemnitate illa, quæ traditur dist. L, c. *In capite*, et est decretum illud Agathensis concilii, cujus verba sunt hæc : « In capite quadragesimæ, omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu et vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est archipresbyteri parochiarum, et presbyteri pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, et secundum modum culpæ, pœnitentiam per præfatos gradus injungere. Post hoc eos in ecclesiam introducant, et cum omni clero, septem pœnitentiæ psalmos in terra pontifex prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc surgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, et cum gemitu et crebris suspiriis denuntiet eis, quod sicut Adam projectus est a paradiso, ita et ipsi pro peccatis ab ecclesia abjiciuntur. Postea jubeat ministris, quod eos extra januam ecclesiæ expellant, clerus vero prosequatur eos cum responsorio [2] : *In sudore vultus tui*, etc., ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum decanis, et eorum presbyteris, ecclesiæ liminibus repræsententur. » Hæc canon.

Secundi, quando quis est excommunicatus a jure, vel a judice : qui non debet absolvi nisi a majore, salva distinctione juris.

Tertii, quando quis est in quacumque irregularitate, quia propter illam debet pœnitentem mittere ad episcopum, vel ad alium qui possit dispensare.

Quarti sunt incendiarii satisfacere volentes, de quibus (caus. XXIII, q. ult.) Eutychianus Papa, c. *Si quis*, et Innocentius II, c. seq. *Pessimam*. Nam talia majoribus reservantur, et propter quorumdam sacerdotum simplicitatem, juxta verbum quod elici potest ex Glossa Bedæ super illud [3] : *Confitemini alterutrum*, etc., majora majoribus, minora minoribus confitenda sunt.

Quintus casus, si sit consuetudo in aliquo episcopatu, quod aliqua certa et gravia crimina ad episcopum deferantur, quæ sibi singulariter reservavit, puta in quibusdam ecclesiis homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam notorie facta, peccata falsariorum, et hujusmodi talia, si sit consuetudinis ut majoribus reserventur. Pro omnibus aliis potest injungi pœnitentia vere contrito etiam a minori, cum distinctione prædicta.

PARTICULA III.

De quatuor regulis observandis in pœnitentiis injungendis.

Post hoc notandæ sunt quatuor regulæ, in injunctione pœnitentiæ strictissime observandæ.

Prima est, ut secundum qualitatem culpæ, imponat qualitatem pœnitentiæ, videlicet pro occultis peccatis occultam, pro manifestis vero manifestam injungat pœnitentiam, ut ait, super *Marci* c. VI, magna Glossa Bedæ, quæ sic incipit : *Christus tres mortuos* : « Notandum quoque, quod publica noxa publico eget medicamento, levia autem et secreta possunt deleri pœnitentia levi et secreta. » Hæc Glossa. Augustinus [4] : « Qui enim multos offendit peccando, multos oportet placare satisfaciendo. » Item in homilia *de Pœnitentia*, et habetur caus. II, q. I, c. *Si peccaverit* : « Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. »

Secunda regula, ut secundum quantitatem peccati, major vel minor pœnitentia injungatur, consideratis tamen diversis statibus personarum, et circumstantiis, de quibus tactum est in c. III, partic. I. Sic enim præcipit Dominus [5] : *Juxta mensuram peccati, erit et modus plagarum, ita tamen* (a) *quod quadragenarium numerum non excedat*, id est, vires pœnitentis : status enim

[1] Greg. VII, *in Syn. Rom.*, 1078, c. VI. — [2] *Gen.*, III, 19. — [3] *Jac.*, V, 16. — [4] Imo auctor libri *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XI. Vide etiam, *de verb. Dom.*, serm. XVI, al. LXXXII. — [5] *Deut.*, XXV, 2, 3.

(a) Vulg. *duntaxat*.

Digitized by Google

pœnitentiæ per quadragenarium numerum figuratur. Item [1] : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis* (*a*) *eam,* scilicet culpam. Attendendum tamen, quod si minorem condigno injungat sacerdos pœnitentiam, non est propter hoc pœnitens a pœna absolutus, sed quidquid purgandum remanserit, si decedit, procul dubio in igne purgatorii purgabitur, quia dicit Gregorius [2] (et habetur, de Pœnitentia, dist. I, c. *Si peccatum David*) : « Aut Deus punit, aut homo. » Et infra : « Nequaquam igitur peccatori parcitur, quia nullatenus sine vindicta culpa laxatur. » Hæc canon. Qualiter autem se habere debeat sacerdos circa infirmos, docetur in *Pœnitentiali* a Theodoro, episcopo Cantuariensi (et habetur, caus. XXVI, q. VII, c. I, § *Ab infirmis,* et libro Sententiarum IV, dist. XX, c. *Solet quæri*) : « Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est peccatorum confessio inquirenda; non tamen illis est imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum studiis, pondus pœnitentiæ sublevandum, si forte migraverint, ne obligati, et communione, et consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum a sacerdote sibi impositum diligenter observet. Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis, sacra olei inunctione inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur. » Hæc canon.

Tertia regula est, ut injungat toto tempore vitæ suæ de peccatis præteritis pœnitere, et propositum habeat in futuris semper abstinendi : quia quamvis pœnitentia exterior injungatur alicui ad tempus, debet tamen usque ad finem vitæ suæ dolere, secundum quod dicit Augustinus in libro *de Vera et falsa pœnitentia;* et introducitur, de Pœnitentia, distinct. III, cap. IV, et superius [3] tactum est : « Continue dolendum est de peccato, quod declarat etiam ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse se dolet. » Et c. V : « Ubi dolor finitur, deficit et pœnitentia. » Hæc canon.

Quarta regula est, ut sibi injungat illud quod ait ipse Salvator [4] : *Vade, et amplius noli peccare.* Unde Augustinus [5] : « Non dixit : Nec pecces; sed : Nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur? Sic igitur semper doleat, et de dolore gaudeat, et non semper doluisse doleat. » Hæc Augustinus. Qui ergo in uno vel in pluribus offendere vult, non debet tali, sive sano, sive infirmo, sive litterato, sive illiterato, religioso, vel sæculari veniam peccatorum sacerdos promittere, nec corpus Domini aliquatenus dare, vel licentiare, nisi semper de cætero desistere voluerit ab omni mortali, etiamsi sit sacerdos, et instet festum quodcumque, etiamsi vestitus missalibus indumentis, etiamsi expectaret Papa, et Imperator, et totus mundus sacerdotem sic indutum, etiamsi post annum peccare vellet, et tibi confiteretur. Talis enim confessio est istorum, qualis erat confessio presbyterorum, de quibus legitur [6], quod ad invicem *confessi sunt concupiscentiam suam* de Susanna; et quia tamen desistere noluerunt, propter iniquitatem suam perierunt. Similiter et isti peribunt in voluntate peccandi permanentes, quia, ut Apostolus ait [7] : *Voluntarie nobis peccantibus, jam non relinquitur hostia pro peccato :* Glossa : « In voluntate peccandi permanentibus. » Quotiescumque autem sacerdos in voluntate peccandi mortaliter permanentibus licentiat corpus Christi, peccat mortaliter, quia Christum cum Juda tradit, ut secundario crucifigatur. Imo dicit Augustinus in glossa super illud Psalmi [8] : *Et dederunt in escam meam fel,* quod gravius peccat qui contemnit regnantem in cœlo, quam qui crucifixerunt ambulantem in terra. Hoc quidam pestiferi et idiotæ non attendentes, dant largam licentiam communicandi luxuriosis, exactoribus, usurariis, concubinariis, et hujusmodi monstruosis, ira et odio plenis. O magna et infelix præsumptio, licentiare aliis tam ingens flagitium, quod sibi nullus hominum licentiare posset! Magna vero præsumptio simplicis sacerdotis, licentiare aliis, quod nec papa, nec angelus, nec Petrus, nec omnes angelorum exercitus possent licentiare, cum sententiam judicis Paulus voce præconia proclamaverit [9] : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit* (*b*) *corporis et sanguinis Domini;* Glossa : « Indignus est, qui aliter celebrat mysterium Eucharistiæ, quam a Christo tradi-

[1] *Isa.,* XXVII, 8. — [2] Greg., *Moral.,* lib. IX, c. X. — [3] Huj. cap. partic. 1, p. 381. — [4] *Joan.,* VIII, 11. — [5] Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.,* c. XIII. — [6] *Dan.,* XIII, 14. — [7] *Hebr.,* X, 26. — [8] *Psal.* LXVIII, 22. — [9] I *Cor.,* XI, 27.

(*a*) Cæt. edit. *judicavit.* — (*b*) Item *est.*

Digitized by Google

tum est, et qui non devota mente accedit ad Eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens : et iste talis est reus corporis et sanguinis Domini, id est, mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur. » Hæc Glossa. Continua : Tam grave peccatum est Christum indignis licentiando tradere, ut ipse Judex per se elamet [1] : *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset, homo ille;* Glossa : « Multo melius esset omnino non esse, quam male esse. » Ac si aperte dicat : Melius esset tali homini, quod Christus nunquam fuisset incarnatus, nunquam natus, nunquam passus, nunquam a morte resuscitatus, licet per hoc multos liberaverit, infernum spoliaverit, cœlos ditaverit, quia omnia hæc talia non proficiunt ad salutem, sed ad acerbiorem damnationem; quia gravius peccant qui contemnunt regnantem in cœlo, quam qui crucifixerunt ambulantem in terra, ut dictum est. Unde in nullo casu sanis, nec infirmis, nec sacerdotibus, nec aliis peccare volentibus, debet sacerdos corpus Christi licentiare vel indulgere, quia præcipit Dominus [2] : *Nolite sanctum dare canibus,* id est, ad vomitum peccatorum redire volentibus. Sciat ergo confessor studiosus, quod si discrete in omnibus prædictis se circa confitentem habuerit, non tantum salvat ipsum confitentem, sed etiam seipsum; insuper et operit multitudinem peccatorum, ac ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi conquirit, sicut beatus Jacobus dicit, qui cum disseruisset de sacerdotibus et confessione, statim subintulit dicens [3] : *Scire debet quoniam qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam a morte, et operiet* (a) *multitudinem peccatorum.*

CAPUT V.

De Irregularitatibus et Dispensationibus.

PARTICULA I.

Summa irregularitatum ipso jure injunctarum.

Qui adultus causa mortis baptizatur, non debet promoveri, ut distinct. LVII, c. *Si quis.* Potest tamen episcopus dispensare cum eo propter raritatem clericorum, si meruerit ejus vita, ut dist. cit., c. *Si quis.*

PARTICULA II.

Qui scienter bis baptizatur (de Consec., dist. IV, c. *Qui bis.*), vel bis confirmatur (de Consec., dist. V, c. *Dictum,* et dist. L, c. *Presbyteros*), cum his non dispensatur. Si vero ignoranter, episcopus potest dispensare, ut in dist. cit., c. *Qui bis,* et caus. I, q. IV, c. *Placuit.*

PARTICULA III.

Qui sine baptismo ordinatur, talem potest episcopus baptizare, et iterum ordinare (Extra., (b) de Presbytero non baptizato, c. *Si quis,* et cap. *Veniens*).

PARTICULA IV.

Qui bis ordinatur (caus. I, quæst. III, c. *Saluberrimum,*) cum hoc dispensat episcopus, si ignoranter, ut ibidem Alexander Papa.

PARTICULA V.

Qui per saltum ascendit ad ordinem prætermisso aliquo, potest ab episcopo ordinari, interim ab executione suspensus, donec prætermissum suscipiat (dist. XLIII, c. *Sicut,* et dist. LII, c. *Sollicitudo.*; Extra., de Clerico per saltum promoto, cap. unico.

PARTICULA VI.

Qui furtive ab episcopo suo ordinem recepit (Extr., eodem tit., c. *Veniens,* et c. *Cum H. Lator.*), si talis intraverit religionem, episcopus vel prælatus suus potest cum eo dispensare. Hoc intellige, si sententia excommunicationis lata non fuit, ut in dictis capp. et in App.

PARTICULA VII.

Qui ab alieno episcopo, præter sui episcopi licentiam, ordinatur (caus. VII, q. I, c. *Episcopus in diœcesim*), cum hoc potest episcopus dispensare (caus. IX, q. II, c. *Lugdunensis*).

PARTICULA VIII.

Qui extra tempora statuta ordinatur (Extra., de Temporibus Ordin., c. *Cum quidam*), cum hoc solus Papa dispensat, ut dicitur ibid.

PARTICULA IX.

Qui ab episcopo, qui cessit loco et ordini, ordinatur (Extra., de Ordinatis ab Episcopo qui resignavit episcopatui, vel excommunicato, c. *Requisivit*), sed (c) ignoranter ad majores ordines a tali promovetur, episcopus suus cum

[1] *Matth.*, XXVI, 24. — [2] *Matth.*, VII, 6. — [3] *Jac.*, V, 20.

(a) Cæt. edit. *operit.* — (b) *Cæt. edit. add.* cod. — (c) *Edit. Ven. add.* si.

Digitized by Google

eo poterit dispensare, nisi crassa fuerit ignorantia, ut in dicto c. *Requisivit*. Apparatus tamen dicit, quod etiamsi probabilis sit ignorantia, necessaria est dispensatio.

PARTICULA X.

Qui ab excommunicato vel suspenso ordinatur (Extra., de Ordinatis ab Episcopo qui resignavit episcopatui, vel excommunicato, c. *Cum clericis*). Sed episcopus potest cum eo dispensare, ut ibidem dicitur, si ignoranter recipit; quia si scienter, non dispensaretur cum eo (caus. IX, quæst. I, c. *Ordinationes*).

PARTICULA XI.

Qui suspensus vel excommunicatus ordinem recipit (Arg. Extra., de ætate et qualitate Ordinandorum, c. *Cum bonæ;* Extra., de Clerico excommunicato ministrante, c. *Postulasti*, cum hoc solus Papa dispensat (Extra., eod. tit., c. *Clerici*, in Appar.).

PARTICULA XII.

Qui rejicit religionis habitum, et in sæculo in apostasia fuerit ordinatus (Extra., eod. tit., c. *Consultationi*), cum hoc solum Papa dispensat, ut ibidem dicitur. Ubi nota quosdam speciales casus, in quibus Papa dispensat, in Apparat.

PARTICULA XIII.

Qui in quolibet mortali ordinatur (Arg. Extra., de Cohabitatione Clericorum et Mulier., c. *Qui sint;* dist. XXV, c. *Primum*, et caus. XI, quæst. II, c. *Audi*). Et licet talis indigeat dispensatione secundum Raymundum Rodonen., tamen dicit hæc verba : « Non credo quod indigeat dispensatione post pœnitentiam, si sit occultum. (Arg. Extra., de Temp. Ord., c. *Qui sint*). » Cui concordat Bernardus, in Appar., ibid. Item Rodonen. dicit, quod talis large dicitur suspensus, non per modum sententiæ, sed per modum simplicis prohibitionis, contra quam prohibitionem qui celebrat, non incurrit irregularitatem, sicut incurrit qui celebrat suspensus per sententiam. De hac materia multa invenies in Summa Raymundi, titulo *de Lapsis*, et c. *Is* § *Contra prædictas tres regulas*.

PARTICULA XIV.

Qui duos sacros ordines, vel minores cum subdiaconatu, aut diaconatu recipit una die (Extra., de Temporibus Ordin., c. *Litteras;* Extra., eod. tit., c. *Dilectus;* Extra., de eo, qui furtive suscepit ordines. *Cum H. Lator*, et c. *Innotuit*), cum hujusmodi potest episcopus dispensare in minoribus et majoribus, si intraverit religionem; vel prælatus suus potest, ut in dicta decretali *Innotuit*.

PARTICULA XV.

Qui non habens ordines, divinum exercet officium, vel habens aliquem ordinem, et alterius ordinis, quem non habet, officium exercet, hic per dispensationem Papæ in ordine, quem habet, toleratur, sed ad alium non promovebitur, ut caus. XIV, quæst. III, c. *Privilegium;* caus. XXV, quæst. II, c. *Sic decet;* Extra., eod. tit., c. *Si quis*, et c. *Ex litteris*.

PARTICULA XVI.

Qui excommunicatus vel suspensus celebrat, ut Extra., de Cleri. excommunic. ministrante, c. *Clerici.*, et cap. *Latores*, et cap. sequen., et *Fraternitati*, et *Apostolicæ*, et *Si celebrat minori*.

PARTICULA XVII.

Qui in loco interdicto celebravit (Extra., de Cleri. excomm. min., c. *Postulasti*), in hoc casu, et in præcedenti, dispensat Papa, ut dicitur in cap. dictis, maxime c. *Clerici*, ubi hoc satis dicitur in Appa.

PARTICULA XVIII.

Qui in hæresim lapsus, ab ea revertitur (caus. I, quæst. VII, c. *Saluberrimum*, et c. *Convenientibus*), hic ad majores ordines non promovetur, sed in susceptis potest episcopus dispensare cum eo, ut in dicto cap. *Saluberrimum*.

PARTICULA XIX.

Qui hæreticis ecclesiastica sacramenta distribuerit, vel eos sepulturæ tradiderit, vel oblationes eorum receperit (Extra., eod. tit., c. *Excommunicamus;* caus. I, §. *Si vero clericus*); cum his dispensat solus Papa, ut ibidem dicitur.

PARTICULA XX.

Qui hæreticis, credentibus, fautoribus, et defensoribus eorum in aliquo præstiterit auxilium, consilium et favorem, et qui eis in causis, vel factis, vel aliis litigationibus sub eorum examinatione patrocinium præbuerit, et pro eis publica instrumenta, vel scripta fecerit, perpetuo est ab officio suspensus (Extra., eod. tit., c. *Si adversus nos.*)

Digitized by Google

PARTICULA XXI.

Qui duas uxores simul, vel successive habuit (dist. XXXIV, c. *Christiano*; caus. XXX, quæst. I, c. *Quomodo;* Extra., de Divort., c. *Gaudemus*).

PARTICULA XXII.

Qui contrahit cum corrupta, vel vidua (dist. XXXII, c. *Serialim*, et dist. XXXIV, c. *Curandum*, et cap. *Præcipimus*, et Extra., de Bigamis, c. I et II). Secundum Raymundum, non potest Episcopus cum bigamo dispensare (Extra., de Bigamis, *Nuper*). Ad idem facit Extra., de Bigam., c. *Super eo*; distinct. L, c. *Si quis viduam*. Sed hoc non tenet illud c., dist. XXXIV, *Lector*, nisi forte quoad minores ordines, in quibus credo quod episcopus potest dispensare propter necessitatem (arg. dist. XXXIV, c. *Subdiaconus*, et in d. c. *Lector*, et dist. L, c. *Placuit*.) Si tamen clericus in sacris ordinibus constitutus, qui nullam ante susceptionem ordinum habuit uxorem, contraheret de facto matrimonium, et postea transiret ad religionem, in qua conversaretur honeste, posset suus episcopus dispensare (Extra., c. *Qui clerici, vel vo.* Hucusque Raymun.)

PARTICULA XXIII.

Qui duxit viduam a primo viro intactam, vel qui duas uxores habuit prima incognita, si mortua fuerit, non est bigamus (Extra., eod. tit., c. *Debitum*, et dist. XXXIV, cap. ultimo).

PARTICULA XXIV.

Qui cum virgine contraxit, sed postea alteram (*a*) cognovit (dist., XXXIV, *Si cujus uxorem*, et c. seq.)

PARTICULA XXV.

Qui infra sacros ordines consistens, de facto contraxit (Extra., de Bigamis, c. *A nobis fuit*).

PARTICULA XXVI.

Qui post votum castitatis emissum, professione regulari contempta, de facto contraxit matrimonium (caus. XXVII, quæst. I, c. *Quotquot*). In istis casibus quinque bigamiæ, potest episcopus dispensare in minoribus tantum propter necessitatem (Arg., dist. XXXIV, c. *Lector.*, et cap. *Subdiaconus*, et distinct. L, c. *Placuit*).

PARTICULA XXVII.

Qui claustra egrediens, physicam vel leges audit (Extra., Ne cler. vel mon., c. *Super specula*), cum hoc solus Papa dispensat, ut dicitur ibid.

PARTICULA XXVIII.

Qui duxit levem personam, utputa ancillam joculatricem, licet virginem, a promotione repellitur (dist., XXXIV, c. *Si quis viduam*).

PARTICULA XXIX.

Qui in duello pugnavit (Extra., eod. tit., c. *Porro*), cum hoc episcopus dispensat, si mors, vel decisio membrorum non sit secuta, ut in dicto c. *Porro*.

PARTICULA XXX.

Qui solemnem egit pœnitentiam (dist. L, c. *Ex pœnitentibus;* dist. XXXVI, c. *Illiteratos;* Extra., de Bigamis, cap. I), cum his dispensat episcopus tantum in minoribus propter necessitatem Ecclesiæ, vel utilitatem (dist. L, c. *Placuit;* Extra., de sent. excommunicationis, c. *Nuper*.)

PARTICULA XXXI.

Qui illegitime natus est (Extra., de fil. presbyter., c. I, Extra., de Elect., c. *Innotuit*; Extra., Qui fil. sint legit., c. *Per venerabilem*), si intraverit religionem, poterit promoveri, quia religio tóllit hanc irregularitatem ad omnes ordines. Si remanserit in sæculo, potest episcopus cum eo dispensare ad omnes ordines (Extra., eod. tit., c. *Veniens*). Solus autem Papa dispensat, ut habeat curam animarum vel prælationem habeat (Extra., eodem tit., c. *Nimis in provincia tua*, ubi de hoc bene dicitur in Apparat.).

PARTICULA XXXII.

Qui contempto ecclesiastico judicio in casu non licito vadit ad sæcularem judicem (caus. III, q. V, c. *Si quis Episcopus;* caus. XI, quæst. I. c. *Continua.* in Auth. *Quomodo Apostolus*, § *Non aliter*.)

PARTICULA XXXIII.

Qui mutilatus est sponte sine causa, vel justa causa, vel magno, vel parvo membro, repellitur a promotione, et dejicitur jam promotus (Extra., de corpore viciat., c. *Significavit*, et dist. XV, c. *Si quis abscidit partem*, et dist. XXXIII, c. *Maritum*).

PARTICULA XXXIV.

Qui justa causa, vel propter lepræ periculum, amputare facit virilia, vel aliud parvum membrum, non repellitur, vel rejicitur. Idem intelligitur, si sit casu fortuito mutilatus, vel in infantia

(*a*) *Cæt. edit.* alterum.

Digitized by Google

sectus, nisi fuerit magnum membrum, quod deformitatem generet vel scandalum (dist. LV, c. *Si quis a medicis*, et c. *Si quis per ægritudinem*, et c. *Lator*; Extra., eod. tit., *Ex parte M.*, et c. *Ex parte B.*).

PARTICULA XXXV.

Si membrum amisit, quod generet deformitatem, vel si amisit oculum, non potest sine dispensatione Papæ promoveri.

PARTICULA XXXVI.

Debilitatus si sine baculo stare non poterit, ab altari repellitur (Arg., de Consecr., dist. I, c. *Nullus*; dist. XLIV, c. *Disciplina*); si manum aridam habet, si maculam in oculo, quæ generet deformitatem (Extra., eod. tit., c. *Quoniam tua*); si leprosus efficitur (Extra., de clerico ægrotante, c. *de Rectoribus*, et cap. *Tua nos*); si morbum caducum patiatur (caus. VII, q. I, c. *Illud*, et quæst. II, c. *Nuper*, et dist. XXXIII, c. *Maritum*, et cap. *Communiter*, et cap. *Clerici*); idem est de furiosis, ut cap. *Maritum* : tales non ad administrationem, vel ordinem admittuntur, et suspensi sunt sine culpa, sed non sine causa; tamen a beneficio non removentur (dist. LV, c. *Si Ecclesiastica*; caus. VII, quæst. I, c. *Cum percussio*.)

PARTICULA XXXVII.

Qui homicidium fecerit sine causa justa, cum hoc non dispensatur. Si causa justitiæ, cum hoc non dispensatur ut possit promoveri; sed si sit promotus in ipsis ordinibus, cum ipso potest per Papam dispensari (dist. LI, c. *Aliquantas*.) Alias, si sponte fecerit homicidium, sine spe recuperationis et dispensationis deponatur (dist. L, c. *Clerici*, et cap. *Si quis viduam*). Si necessitate evitabili, similiter ad superiores ordines non potest ascendere, sed in susceptis cum eo potest dispensari, licet non facile dispensatur, et per Papam. Si inevitabili, datur consilium ut non ministret homicida etiam in susceptis ordinibus (dist. L, *De his clericis*), non tamen deponitur, sed in suo ordine toleratur, de jure absque dispensatione, secundum L. et Raymundum (Extra., de homicid., c. II, et secundum Bernardum in Appar. super illud cap., Extra., eod. tit., c. *Sicut dignum*.) Si casu, cum culpa et negligentia, ab ordine suscepto perpetuo cessabit (dist. L, c. *Hi qui arborem*, et Extra., eod. tit., *Presbyterum*). Episcopus tamen potest in minoribus et in subdiaconatu jam suscepto dispensare (Extra., eod. tit., c. *Continebatur*). Si diaconus vel sacerdos fuerit, ad Papam pertinet ut in ipsis ordinibus vel ministret, vel promoveatur ad ipsos, ut in dicto cap. *Continetur*, et cap. *Lator præsentium*. Secundum Raymundum tamen non potest dispensare episcopus (dist. L, c. *Miror*) : « Quod intelligunt quidam indistincte, scilicet tam de voluntario, quam de casuali ; alii de homicida voluntario. » Hæc Raymundus. Si sine culpa et negligentia, in ordine suscepto poterit ministrare, et ad majores promoveri (Extra., eod. tit., c. *Litteris significasti*, c. *Dilectus*, et c. *Ex litteris*). Et dicunt quidam, quod non oportet cum eo dispensari, ut in dictis capitulis apparet. Sed securius et tutius est, ut vel saltem episcopus cum eo dispenset (dist. L, c. *Clerico*.)

PARTICULA XXXVIII.

Sunt et alii casus, in quibus tenetur reatu sanguinis, licet non occidat, utpote qui homini vel mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, vel concipere, vel nasci soboles.

PARTICULA XXXIX.

Qui hominem ceperit, vel capi fecerit, vel consilium dederit, vel in pressionem miserit, si ex pressione vel captione mors subsecuta fuerit (Extra., eodem tit., c. *Sicut dignum*).

PARTICULA XL.

Qui consilium, vel mandatum, vel studium dederit, ut homo occidatur (Extra., eodem tit., c. *Significasti*; dist. L, *Si quis viduam*; de Pœnit., dist. I, c. *Periculose*).

PARTICULA XLI.

Quicumque in causa sanguinis est judex, assessor, procurator, advocatus, officialis, testis, notarius, scribens sententiam, vel dictans (distinct. LI, c. *Aliquantas*, et cap. *Clericis*).

PARTICULA XLII.

Qui chirurgiæ curam adhibuerit, vel potionem dederit, unde mors fuerit secuta, si per cupiditatem fecit, et in arte eadem expertus non extitit, nec diligentiam, quam debuit, adhibuit, tenetur, ut de casuali homicidio cum culpa, et negligentia (Extra., eodem tit., c. *Tua nos*.).

PARTICULA XLIII.

Qui interest ubi vindicta sanguinis exercetur (Extra., Ne clerici vel monachi, c. *Sententiam san-*

Digitized by Google

guinis). Bernardus in Appar.: « Si tantum interest, propter hoc non videtur irregularis effici, vel debere deponi, sed alias debet puniri, quia interfuit contra præceptum dicti canonis. »

PARTICULA XLIV.

Si hi qui retinent beneficium, vel feudum, de ecclesia, ipsi ecclesiæ personam occiderint, filii eorum usque in quartam generationem in clericos non debent promoveri (Extra., de Pœnis, c. *In quibusdam.*) Bernardus in Appara. dicit secundum Joannem, quod episcopus potest cum talibus dispensare; honestum tamen esset, quod nullus episcopus in hoc casu dispensaret, ut supra dictum est.

PARTICULA XLV.

Qui pro ordinatione sua promissum, vel juramentum fecerit ordinatori, vel præsentatori, quod eos super provisione sua non inquietabit, cum eo non dispensat, nisi Papa (Extra., de Simonia, c. *Si quis ordinavit.*)

PARTICULA XLVI.

Qui a simoniaco ordinatur episcopo, sive tunc sciat esse simoniacum, sive non (Caus. I, quæst. I, c. *Si qui a simoniacis.*) Sed in primo casu sine misericordia deponitur (caus. I, quæst. I, c. *De cætero*, nisi violenter attrahatur (caus. I, quæst. I, c. *Constat*). In secundo casu dispensatio toleratur, ut in cap. *Si qui a simoniacis.*

PARTICULA XLVII.

Qui ordinem vel beneficium aliquod spirituale aliquo dato, vel promisso, vel retento, vel in pactionem deducto, vel precibus carnalibus vel alienis, receperit (Caus. I, quæst. I, c. *Ordinationes*, *Sunt nonnulli*, *Statuimus decretum*, *Si qui a simoniacis*).

PARTICULA XLVIII.

Nota quod simoniacus in ordine, sive sit occultum, sive manifestum, suspensus est quoad se, et quoad alios. Similiter simoniacus in beneficio dando, vel recipiendo, vel in ordine confirmando, vel conferendo, si sit notorium (Extra., eod. tit., c. *Tanta*). Si occultum quoad se tantum (Extra., eod. tit., c. *Ex tuæ fraternitatis*), de hoc dicitur in Appa. (Extra., eod., supra illud c. *Accusatum*): « Tales sine spe dispensationis oportet renuntiare ordini et beneficio sic suscepto. » (Caus. I, q. I, c. *Erga simoniacos*; Extra., eod., c. *Ex tuæ fraternitatis*), etc. Matthæus: « Potest tamen Papa cum eis ex plenitudine potestatis dispensare, quamvis non sit in jure expressum. » Episcopus vero dispensare non potest, nisi in casu, scilicet si crimen nescientibus ordinato et ordinatore commissum sit, et postquam simpliciter renuntiavit ordini vel beneficio sic suscepto (Extra., eod. tit., c. *De simoniace ordinatis*).

PARTICULA XLIX.

Qui decanatum, vel archidiaconatum, vel aliquam jurisdictionem ad agendas vices episcoporum, sub annuo censu receperit, ut simoniacus est suspensus, (caus. prima, quæst. tertia, c. *Ex multis*; Extra., Ne prælati vices suas sub annuo censu, c. *Quoniam in quibusdam.*)

PARTICULA L.

Sunt et alii casus, in quibus suspenditur aliquis ipso jure, sed ipso facto non efficitur irregularis. Monitione competenti non præmissa, prælatus excommunicans aliquem, suspenditur ipso jure per unum mensem ab introitu ecclesiæ (Extra., de sententia excommunicationis, c. *Sacro approbante*, et in nova constitutione *Cum medicinalis*). Quando dicitur monitio competens, intelligitur trina (caus. XXIV, q. tertia, c. *De illicita*).

PARTICULA LI.

Rector ecclesiæ, qui pro alienis debitis gravat ecclesiam sibi commissam, vel litteras alicui concedit, vel sigilla quibus Ecclesia possit obligari, suspenditur ipso jure, donec cum ipso dispensetur (Extra., de solutionibus, c. *Si quorumdam*).

PARTICULA LII.

Adulter manifestus, fornicator, vel testis falsus, si crimina ipsa sint notoria, suspensi sunt quousque pœnitentiam egerint (Extra., de temporibus ordi. et qualitate ordin., c. *Quæsitum est de sacerdotibus*; Extra., de cohabitatione clericorum, c. *Quæsitum.*)

PARTICULA LIII.

Si ordinator ab ordinato acceperit juramentum, vel promissionem, quod super provisione eum non inquietet a collatione ordinum, per triennium est suspensus (Extra., de simoniacis, c. *Si quis ordinaverit.*)

PARTICULA LIV.

Usurarium manifestum, et in hoc decedentem, qui tradiderit sepulturæ ecclesiasticæ, vel

Digitized by Google

receperit oblationes ejus, suspensus est usque ad arbitrium episcopi (Extra., de usuris, c. *Quia in omnibus*).

PARTICULA LV.

Qui eligunt in episcopum personam patientem defectum in natalibus, ætate et scientia, id est illegitime natam, et infra trigesimum annum ætatis, vel non competentis litteraturæ, triennio a beneficiis suspenduntur (Extra., de election.).

PARTICULA LVI.

Nota quod capitulum quandoque dispensat secundum Raymundum (Extra., de simon., c. *Ex insinuatione*; Extra., de præben., c. *Cum non ignores*); ubi Bernar. in Appar. videtur sentire contrarium.

PARTICULA LVII.

Ad pleniorem autem intelligentiam omnium in hoc ultimo capitulo prædictorum, nota verba Augustini scribentis ad Bonifacium [1], quæ introducuntur dist. L, c. *Ut constitueretur*, et sunt hæc: « Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat: non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioqui contra claves Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est [2]: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo.* Sed ne forte etiam de tectis criminibus (*a*), spe honoris ecclesiastici, animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam pœnitentiam de damnabili crimine, nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major et verior esset humilitatis. Nam et sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, et tamen in honore suo perstitit, et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, et tamen apostolus mansit. Sed non ideo putanda est supervacua posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati addiderunt aliquid, quo salus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in hujusmodi causis ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. » Hæc Augustinus.

[1] Aug., *ad Bonif.*, epist. L, al. CLXXXV, n. 45. — [2] *Matth.*, XVIII, 18. — (*a*) *Cæt. edit.* etiam de criminibus cæteris.

PARTICULA LVIII.

Ex his verbis Augustini colliguntur tres regulæ. Prima: Qui peccavit post baptismum, non potest promoveri.

Secunda est: Promotus qui mortale crimen committit, dejicitur.

Tertia est: Qui ab ordine deponitur, non potest restitui; ubicumque mitius agitur, dispensatio est.

Contra prædictas tres regulas potest Papa dispensare in omni casu ex plenitudine potestatis, licet plures casus sint in quibus nullo modo dispensat, ut in homicidio voluntario (dist. L, c. *Miror*); in quatuor casibus, qui continentur in his versibus:

Sive bis ordo datur, sive baptismus repetatur,
Sive, ut evertatur fidei status, ordo petatur,
Vel si præstetur ut utrinque Simon operetur,
Ut dispensetur spes irrita prorsus habetur.

Baptismus repetatur, sive ignoranter, sive scienter. Secus tamen est, si aliquis ad cautelam sub conditione se faciat baptizari, quia talis non incurrit irregularitatem. *Evertatur*, quando scilicet aliquis, cum possit ordinari a catholico episcopo, se facit ab hæretico ordinari. *Utrinque Simon*, id est si simonia interveniat ex parte ordinati et ordinatoris. Sed circa episcopos inferiores duplex est solemnis opinio: una dicit, quod episcopus potest dispensare contra duas regulas primas in adulterio et minoribus criminibus; in majoribus adulterio nequaquam, nisi in casibus a jure expressis, quod in eis possit episcopus dispensare. Alia opinio dicit, quod potest episcopus dispensare in omni crimine contra duas regulas primas, nisi expresse sibi prohibeatur a jure. Hoc probatur dist. LXXXII, c. *Presbyter*, et de Pœnit. dist. VI, c. I, in fine, verbo: « Itaque Pontifex justus atque discretus non cogitur sacerdotes suos semper abjicere, nec mox restituere, nisi a Romano Pontifice fuerit statutum. » Hanc secundam opinionem tenent Laurentius, Vincentius, Tancred., Joannes, Raymundus, et Bernardus, ut notatur in Appar. illius c., Extra., de Judic., c. *At si clerici*. Quibus consentiendo, dicatur quod episcopus contra

Digitized by Google

primas regulas duas, nisi expresse sibi prohibeatur a jure, potest in omni crimine dispensare.

Unde sciendum, quod episcopis in viginti quinque casibus dispensare prohibetur.

Primus de homicidio (distinct. L, c. *Miror*), quod intelligunt quidam indistincte, tam de voluntario, quam de casuali, quod etiam generali Ecclesiæ consuetudine roboratur; alii de homicida voluntario.

Secundus casus de simoniaco, cum distinctionibus, quas require supra, c. eod., partic. XLVIII.

Tertius casus de eo, qui excommunicatus majori excommunicatione vel per judicium suspensus ab officio, celebrat officiando (caus. VII, q. I, c. *Si quis Presbyter*; caus. XI, quæst. III, c. *Si quis Episcopus*, primo; Extra., de sententia excommunicationis, c. *Cum illorum absolutio*). Quidam dicunt contrarium in hoc casu, scilicet, quod posset episcopus dispensare (Arg. caus. II, quæst. IV, c. *Quæ de causa*). Sed non tutum, nec consuetum, nisi in casu, scilicet si eos redderet ignorantia facti probabiliter excusatos (Extra., de clerico excommunicato, c. *Minist. apostolicæ.*)

Quartus casus est de clerico excommunicato in concilio, qui accedit ad judicium principis in casu non concesso, contempto judice ecclesiastico (caus. XXVI, quæst. V, c. *Si quis episcopus.*)

Quintus casus est de bigamo (Extra., de Bigamis, c. *Super eo*, c. *Nuper*, et require supra, c. eod., de Bigamis [1].)

Sextus casus est de duobus presbyteris, ut præsint uni ecclesiæ æqualiter (Caus. XXI, q. II, c. penult.).

Septimus casus est de habendis duobus vel pluribus beneficiis curam animarum habentibus (Extra., de Cler., c. *Dudum*).

Octavus casus est de eo, qui constitutus est infra vigesimum quintum annum, quia non potest cum eo episcopus dispensare, ut promoveatur ad honores (Extra., de elect., c. *Cum in cunctis*; Extra., de ætate et qualitate ordin., c. *Eam te*, ubi præcipit Papa, quod nullus promoveatur, nisi sit ætatis legitimæ; Extra., de elect., c. *Nihil est*).

Nonus casus est de illegitime nato, cum quo non potest episcopus dispensare, ut promoveatur ad honores (Extra., de filiis presbyt., c. penult. et ult., ubi dicit, quod cum illegitime natis solus Papa dispensat). Quod autem tales prohibentur ab honoribus, dicitur in concilio Pictavien. (Extra., de filiis presbyteror., cap. I).

Decimus casus est de eo, qui recipit ordinem scienter ab episcopo, qui resignavit episcopatui; cum quo non dispensatur nisi a Papa.

Undecimus casus est de eo, qui recipit ordinem scienter ab episcopo excommunicato (Extra., eod. tit., c. 2.)

Duodecimus casus est de tertia regula supradicta, contra quam non potest episcopus, nec aliquis alius a Papa dispensare (dist. L, cap. I et II, et caus. II, quæst. VI, *Ideo* 1 et 2.) Et intelligas hoc de solemniter degradato. Bernardus in Appar. illius cap. (Extra., de clerico excommunicato ministrante, c. *Clerici*,) dicit, quod si episcopus cum aliis episcopis ipsum a sacerdotio tantum deposuit, potest eum recipere in inferioribus ordinibus, et sic de aliis ordinibus (Arg. caus. XV, quæst. VIII, c. *Qui admiserit*, et c. *Si quis presbyter*). Si vero despositus est ab omni ordine, tunc solus Papa restituit. Hæc Appar., et sunt verba hæc: « Quidam tamen dicunt, et male, quod episcopus potest depositum restituere. Pro eis est caus. XI, quæst. III, c. *Episcopus, presbyter*; sed illud potest intelligi, cum constabat depositionem nullam esse. Item pro eis esse videtur distinct. XLVI, c. *Clericus maledicus*. Sed ibi expone *degradetur*, id est, suspendatur.

Tredecimus, et decimusquartus, decimusquintus, et decimussextus, continentur in his versibus:

Sive bis ordo datur, sive baptismus repetatur,
Sive, ut evertatur fidei status, ordo petatur,
Vel si præstetur, ut utrinque Simon operetur,
Ut dispensetur, etc.

De primo require hujus capituli particulam IV. De secundo require, eod. c., partic. II. De tertio, habes, caus. I, quæst. VII, c. *Convenientibus*, § *Item Tharasius patriarcha*, vers. (*a*) *Constantinus episcopus dixit*. De quarto require ejusdem cap. partic. XLVI et XLVIII.

Decimusseptimus casus est de eo qui extra tempora statuta ordinatur, de quo require hujus c. partic. VIII.

Decimumoctavum casum require partic. VIII.
Decimum nonum require particula XI.
Vigesimum require particula XII.
Vigesimumquintum require particula XV.
Vigesimumsecundum require particula XVII.
Vigesimumtertium require particula XIX.
Vigesimumquartum require particula XXVII.

[1] Partic. XXI et seqq.

(*a*) *Suppl.* finem, post §.

Digitized by Google

Vigesimumquintum require particula XXXV.

Fortassis apparebunt et alii casus; sed de istis dixisse sufficiat, qui ad præsens memoriæ occurrerunt. Et quoniam

Rebus in humanis, nihil omni parte beatum,
Quod Deus unus habet, cui subjacet omne creatum:
Plura quidem dictu bona, cum reor, esse relicta,
Hæc quoque cognosco; merito veniam mihi posco.
Christe, reum purga, fac dignum vera Sophia.
Lux, dux, vita, via, fer opem prece, Virgo Maria.
Fac precibus gratum, culpæ solvendo reatum.
Fac cruce damnatum quondam, nunc clarificatum,
Virgo, tuum natum sine fine videre beatum,
Quem dilexisti, molli gremio tenuisti,
Ubere nutristi, cui lac sacrum tribuisti,
Fac faciem Christi cognoscere, quem genuisti.

De qua facie loquitur Apostolus, cum dicit [1]: *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Hæc facies summe luminosa est finis omnium studiorum; summe gratiosa, finis omnium desideriorum; summe virtuosa, finis omnium sacramentorum; sufficientissime copiosa, est finis omnium laborum et dolorum. De hac facie Augustinus ait : « Facies Dei manifestatio ejus intelligenda est. » Hanc optabat cognoscere ille mitissimus Moses, dicens [2]: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te.* Ad hanc faciem pervenire est finis sine fine. Ad quam finem, omnia finientem, nos perducat bonitas infinita, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Beata Trinitas unus Deus. Qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] I *Cor.*, XIII, 12. — [2] *Exod.*, XXXIII, 13.

Digitized by Google

OPUSCULUM

QUOD INSCRIBITUR

DE SEPTEM ITINERIBUS ÆTERNITATIS

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

In prologo summatim explicat Auctor, quis sit ejus scopus, et argumentum circa quod versatur iste tractatus, doctrina, et eruditione plenus : qui devotas mentes dirigit per itinera septem ad ingrediendum intrinsecum secretum et æternum, quod est animæ patria. Hoc autem opusculum suo pristino splendori restitutum est ex Codice manuscripto, cujus liberalissime copiam fecit Revendissimus D. F. Augustinus Fivizianus ordinis Eremitarum S. Augustini, S. D. N. CLEMENTIS VIII Sacrista et Archihospitalis, S. Spiritus in Saxia, ejusque Ordinis Generalis Commendatarius. Nam multa quæ deerant, quæque depravata legebantur, hujus M. S. Codicis beneficio expleta sunt, et restituta, ita ut opusculum hoc auctius nunc et integrius, quam antea, in lucem prodeat.

PROLOGUS

Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, inquit [1] Salvator. S. Augustinus [2], *de Cognitione veræ vitæ*, dicit in principio : « Cum Christus, veritas et vita, dicat [4] : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum* solum; constat profecto, naturam rationalem ad hoc solum esse factam, ut factorem suum verum Deum intelligat; intelligendo, diligat; diligendo, in eo qui est æterna vita æternaliter permaneat, et beate vivat. » Ex quo concludit dicens : « Divinitatis ergo essentiam rationabiliter investigare, ut est possibile, est ad vitam æternam festinare. Hanc ergo negligendo ignorare, est utique ad mortem indeficientem damnabiliter properare. » In his verbis ostendit B. Augustinus [3] generaliter æternitatis esse duo maneria : unum, quod est vita æterna; alterum, quod est mors amarissima. Innuit etiam Augustinus [3] hic in his verbis, istorum æternorum maneriorum duo itinera : quia ad primum pervenitur per rationabilem investigationem cum amore; ad secundum, per damnabilem omissionem cum dolore. Dominus autem Jesus Christus, qui est [5] *via* in qua imus, *veritas* ad quam pervenimus, et *vita* in qua permanebimus, in verbis propositis ostendit specialiter et principaliter utrumque manerium, et eorum itinera : unum intrinsecum, et quasi secretum, et æternum in se, quia ipse est animæ patria et habitatio, ut dicitur in libro [6] *de Spiritu et Anima*;

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 145; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugdun., an. 1647, tom. II, pag. 140; edit. Venet., an. 1754, tom. XII, pag. 99. — [2] *Joan.*, VI, 37. — [3] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de Cognit. ver. vit.*, c. I, inter Oper. Aug., append. tom. VI. — [4] *Joan.*, XVII, 3. — [5] *Joan.*, XIV, 6. — [6] *De Spir. et Anim.*, c. LX, inter Oper. S. Aug., append. tom. VI.

Digitized by Google

aliud ostendit manerium extrinsecum et extra se, quod est æternum animæ exilium, in quo, secundum Matthæum [1], est fletus et stridor dentium. Itinera autem ad primum manerium, et intrinsecum, dicit Dominus esse secundum multiplicem accessum ad se. Itinera vero ad secundum manerium, et extrinsecum, dicit secundum multiplicem recessum a se. Unde Augustinus, in libro *Soliloquiorum* primo, dicit [2] : « Deus est, a quo averti est cadere, in quem converti est surgere (*a*), in quo manere est consistere. » De isto ergo intrinseco secreto et æternali manerio, primo videndum est; postea de itineribus, quibus acceditur ad illud.

DE INTRINSECO SECRETO,

ET ÆTERNALI MANERIO IN CHRISTO.

Circa primum igitur, scilicet circa intrinsecum secretum, et æternale manerium, sunt septem per ordinem notanda, quæ sunt necessaria ad dicendorum cognitionem.

Notandum est igitur primo, quid illud intrinsecum secretum in Christo dicatur; secundo, qualiter in illo intrinseco secreto variæ mansiones distinguantur; tertio, secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur; quarto, quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur; quinto, qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur; sexto, qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabiliatur et perpetuetur (*b*); septimo, quæ et quot sint (*c*) itinera, per quæ ad illud intrinsecum pervenitur et intratur.

DISTINCTIO I.

Quid intrinsecum secretum in Christo dicatur.

Primo notandum est, quid sit illud intrinsecum secretum, et æternale manerium in Christo. De quo sciendum, quod cum in Christo sit duplex natura, humana et divina; divina autem sit omni creaturæ maxime intrinseca, ut ait Augustinus, et Hugo [3] : ideo intrinsecum illud in Christo est divina persona in humanitate ejus abscondita, ita quod Christi humanitas est via ad divinitatem. Unde Augustinus exponens illud Joannis : *Ego sum via*, dicit [4] : « Verbum assumens humanitatem, factum est via. Ambula per hominem, si vis venire ad humanitatem, et pervenies ad Deum, » scilicet personam Verbi, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei. Procul dubio, si non esset aliquod intrinsecum in Christo secretum, ad quod intrandum invitaret nos, non dixisset ipse [5] : *Ego sum ostium* (etc. usque *inveniet*). Ego sum ostium sensui, per corporale objectum : *Videte*, inquit [6], *manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Ego sum ostium intellectui per fidem reseratum. Unde in Isaia dicitur [7] : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ego sum ostium voluntati per charitatem apertum. Charitas non vult scire medium inter se, et dilectum; imo, ut dicit Hugo [8] : « Amor sive charitas suo acumine omnia penetrat, donec ad dilectum veniat. » Per me ergo ostium si quis introierit, per fidem et charitatem, ad meam intrinsecam et absconditam divinitatem, salvabitur : quia sive ingrediatur ad meam divinitatem contemplandam, sive egrediatur ad meam humanitatem imitandam, pascua utrobique inveniet æternæ viriditatis et salutis. Et de pascuis humanitatis intratur ad pascua divinitatis. Quod ostendit Hugo bene in prologo suo *super Angelicam Hierarchiam*, ubi dicit sic [9] : « Propterea Jesus carnem assumptam in edulium nobis proposuit, ut per cibum carnis, invitaret nos ad gustum divinitatis. » In his pascuis sponsa constituta dixit [10] : *Comedi favum cum melle meo.* Favus, sicut dicit Origenes, est cera virginea, loculis vel cellulis distincta, quæ sunt melle repletæ. Quid ergo aliud est, *Comedi favum meum cum melle meo*, nisi : Gustavi dulcissimam divinitatem in cera virgineæ humanitatis absconditam cum ipso abscondito? De isto intrinseco Augustinus loquens *super Joannem*, quasi admirando exclamat dicens [11] : «O magnum penetrale, et secretum dulce! O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpolatione tentationum et dolorum! Hoc est gaudium, de quo dicit Salvator [12] : *Intra in gaudium Domini tui.* » Hæc Augustinus; et sic patet intrinsecum Domini Jesu Christi.

[1] *Matth.*, VIII, 12; XIII, 42, 50. — [2] Aug., *Solil.*, lib. I, c. I, n. 3. — [3] Hug., *super Angelic. Hier.*, lib. VI, post med. — [4] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LV, al. CXLI, n. 4. — [5] *Joan.*, X, 9. — [6] *Luc.*, XXIV, 39. — [7] *Isa.*, VII, 9, juxta LXX; Vulg. *Si non credideritis, non permanebitis* — [8] Hug., ubi sup. prox. ante med. — [9] Ibid., lib. II, in c. I, versus fin. — [10] *Cant.*, V, 1. — [11] Aug., *in Joan.*, tract. XXV, n. 14. — [12] *Matth.*, XXV, 21, 23.

(*a*) *Al.* resurgere. — (*b*) *Cæt. edit.* stabilitur et perpetuatur. — (*c*) *Item* sunt.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Qualiter in intrinseco Christi secreto variæ mansiones distinguantur.

Secundo videndum est, qualiter in illo intrinseco Christi variæ mansiones, vel maneria distinguantur. De quo notandum est, quod per ostium intrantes ad interiora domus, non omnes æqualiter locantur, sed secundum majora merita vel minora personarum. Unde Bernardus in *Cantica* dicit [1] : « Unaquæque anima devota inveniet sibi secretum cum sponso, ut dicat illud Isaiæ [2] : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* : quia non omnibus uno loco datur frui gratia, et secreta sponsi præsentia, sed ut cuique paratum est a Patre. *Non* enim [3] nos ipsum *elegimus, sed* ipse nos *elegit, et posuit* nos, et ubi a Deo unusquisque positus est, ibi est. » Hæc Bernardus. Unde notandum, quod quidam ex ingredientibus intrinsecum secretum Domini Jesu, recipiuntur in domum sanctæ compunctionis, ut Maria Magdalena [4] in domo Simonis; in palatium continuæ meditationis, ut David qui dicit [5] : *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper;* in mensam dulcis refectionis, ut Petrus, qui dicit [6] : *Si tamen gustastis (a), quoniam dulcis est Dominus;* in cubiculum solitariæ contemplationis, ut Joannes [7] quiescens in pectore Domini; in amplexus amorosæ unionis, ut de sponso dicitur [8] : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me :* spiritus tamen sponsæ jam omnes istas mansiones visitaverat. Sed Bernardus aliter distinguit istas mansiones, dicens [9] : « Denique una mulier compuncta secus pedes Domini Jesu sortita est locum hujus secreti; sed altera suæ devotionis fructum, sive secretum, ad caput invenit, si tamen altera. Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti. » Et sequitur : « Porro mulier stravit sibi in tuto humilitatis; posterior, in solido spei; Thomas, in solido fidei; Joannes, in lato charitatis; Paulus, in intimo sapientiæ; Petrus, in veritatis luce : et sic apud sponsum mansiones multæ sunt. » Hæc sunt verba sancti Bernardi. Sed Gregorius in Evangelium (*b*), *Erant appropinquantes ad Jesum*, et Hugo de Sancto Victore, libro quarto *de Claustro Animæ*, cap. XXVI, videtur has mansiones distinguere, quasi ad modum distinctionis angelicarum mansionum. Unde, super primum *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit Hugo [10] : « Secundum illam namque proportionem, qua nunc dona gratiarum differenter percipimus, merito postea vel hic per mentis contemplationem, vel illic per retributionem, in numerum, id est, in mansiones, transimus angelorum, et etiam secundum differentiam progressionum, et incrementa illuminationum, et secundum gradus spiritualium profectuum in nobis differenter transimus in numerum angelorum. » Et tam Gregorius, quam Hugo hæc explicant, dicentes [11] : « Oportet, et in hac vita manentes, conformare se cœlestibus mansionibus per aliquam imitationem, qui volunt ascendere ad illas. » Unde dicit uterque : « Sunt nonnulli qui parva capiunt, sed tamen illa pie fratribus nuntiare non desistunt. Illi itaque in numerum, id est, mansiones Angelorum currunt. Et sunt nonnulli qui, divina largitate refecti, secretorum cœlestium summa capere valent, et nuntiare : quo ergo isti, nisi inter Archangelorum mansiones deputantur? Et sunt alii qui mira faciunt, signa valenter operantur : quo ergo isti, nisi ad supernarum Virtutum sortem et mansionem congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus dæmones fugant, et virtute orationis ejiciunt : itaque isti mansionem suam inter Potestates sortiuntur. Et sunt nonnulli qui, acceptis virtutibus, etiam electorum hominum merita transcendunt, ideo electis fratribus principantur : ubi ergo isti, nisi in mansionibus Principatuum sortem accipiunt? Et sunt nonnulli qui sic, in seipsis, cunctis vitiis et desideriis dominantur, ut ex vitæ munditia dii inter homines vocentur : quo isti, nisi inter Dominationes currunt? Et sunt nonnulli qui, dum sibimetipsis vigilanter dominantur, et se discutiunt, semper inhærentes, hoc in munere accipiunt, ut recte alios judicent, in his, veluti throno, Deus residens, cuncta mirabiliter examinat et dispensat : quid ergo isti, nisi Throni Conditoris sui sunt, et ad supernorum sedilium mansiones adscribuntur? Et sunt

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XXV, post med. — [2] *Isa.*, XXIV, 16. — [3] *Joan.*, XV, 16. — [4] *Luc.*, VII, 37. — [5] *Psal.* XVIII, 15. — [6] 1 *Petr.*, II, 3. — [7] *Joan.*, XIII, 23. — [8] *Cant.*, II, 6; VIII, 3. — [9] Bern., ubi sup. prox. — [10] Hug., in prim. cap. *Angel. Hier.*, lib. I. — [11] Greg., *in Evang*, hom. XXXIV, post med.; Hug., *de Claust. Anim.*, lib. IV, c. XXVI.

(*a*) Cæt. edit. *gustatis*. — (*b*) *Cæt. edit.* Evangelio.

Digitized by Google

nonnulli qui plenitudinem scientiæ accipiunt, ut Cherubim jure nominentur, qui dilectione Dei et proximi pleni sunt : hi sortem mansionis suæ inter Cherubim percipiunt. Et sunt nonnulli qui, supernæ contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo sapiunt, sed solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant et ardent, atque in suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo alios accendunt, et quos loquendo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt : quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, et quo, nisi inter Seraphim, mansionis suæ sortem accipiunt ? » Sequitur [1] : « Ad hos ergo vicos, ut in eis sine fine permaneant, venient, qui modum, quem prædiximus, in hoc sæculo pro posse suo tenent. » Hæc ille. Et his concordat Hieronymus, qui dicit [2] : « Paratæ sunt in cœlo diversæ mansiones diversis virtutibus, quia non personæ acceptantur, sed opera, » etc.

DISTINCTIO III.

Secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur.

Tertio videndum est, secundum quid homo in illud intrinsecum et secretum Domini admittatur et introducatur, vel intromittatur. Circa quod notandum, quod cum in homine sit corpus, et anima, et spiritus, ut dicit Origenes super *Cantica*, oportet videre secundum quod istorum trium homo ad illud intrinsecum admittatur, et introducatur. De quo sciendum, quod cum Christus dicat [3] : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant* (*a*) *eum in spiritu et veritate*, id est in devotione et cognitione, *oportet adorare* ; hæc autem conveniunt spiritui humano : ergo secundum spiritum oportet adorare, et intrare. Item cum Deo maxime assimilemur secundum spiritum, secundum quem etiam sumus ad imaginem et similitudinem Dei, et secundum hoc sumus capaces Dei, ut dicit Augustinus, libro quartodecimo *de Trinitate* ; ergo secundum spiritum ingredimur, qui est supremum et optimum in homine. Item secundum corpus non possumus ingredi illud intrinsecum, cum corpus non possit locari nisi in loco corporali. Item cum anima, ut corpus animet, necessario insit ei ut forma, nec sic possit se extendere extra corpus ad æterna, cum Apostolus dicat [4] : *Nostra conversatio in cœlis est*, non secundum corpus, sed secundum mentem, nec secundum animam ut animat corpus, ut patet ex Glossa : ideo necesse est, ut per spiritum nostrum, tanquam optimum in nobis, accedamus ad illud speciale intrinsecum secretum Domini Jesu : quia ipse misit spiritum suum, ut spiritum nostrum levaret post ipsum, ut ait [5] Richardus. Et quia ipse Richardus alibi [6] dicit : « Oportet introire liceat in illud intimum secretum quietis, et supremæ tranquillitatis arcanum, ut fiat ista valde mirabilis divisio, non corporis et animæ dissolutio, sed alia ac multo mirabilior, multoque gloriosior divisio, videlicet animæ et spiritus, quam in nobis operari solet, sicut testatur Apostolus, dicens [7] : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et omni gladio ancipiti penetrabilior, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus.* » Hæc ille. Ex quo oportet videre, qualiter iste spiritus ab anima dividitur (*b*), ut ab omnibus exoneratus, ascendat ad illud intrinsecum et secretum quietis. De quo notat Richardus [8], et auctor libri *de Spiritu et Anima* [9], ubi uterque exponens prædictum verbum Apostoli dicentis, quod sermo Dei pertingit usque ad divisionem spiritus et animæ, concordant per omnia, dicentes sic : « Nihil in creaturis hac divisione mirabilius cernitur, ubi illud, quod essentialiter unum est atque individuum in se ipso, quamdam divisionem patiatur ; neque enim in homine uno alia est essentia ejus spiritus, atque ejus animæ, sed una eademque substantia simplicis naturæ. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur : sed cum ad distinctionem ponitur gemina nominatio ejusdem essentiæ, una superior per spiritum, alia inferior designatur, et hæc per animam. » Sequitur : « In hac itaque divisione, anima, et quod animale est, in imo remanet. Spiritus autem, et quod spirituale est, ad suprema evolat, et ab infimis dividitur, ut ad suprema elevetur ; ab anima scinditur, ut Domino jungatur. Quoniam [10] *qui adhæret Domino, unus spiritus est* cum illo. O quam felix divisio,

[1] Apud Hug., ibid., in fin. — [2] Hieron., *in Matth.*, c. III. — [3] *Joan.*, IV, 24. — [4] *Philip.*, III, 20. — [5] Richard., *de Trinit.*, Prolog., circa med. — [6] Id., *de Extermin. Mali*, tract. III, cap. ult. — [7] *Hebr.*, IV, 12. — [8] Richard., ubi sup. prox. — [9] *De Spir. et Anim.*, c. XXXIV, inter Oper. S. Aug., append. tom. VI. — [10] I *Cor.*, VI, 17.

(*a*) Cæt. edit. *et qui adorat*. — (*b*) *Leg.* dividatur.

Digitized by Google

et mirabilis separatio; ubi quod corpulentum est et fæculentum, deorsum remanet; quod spirituale et subtile est, usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur, et in eamdem imaginem transformatur! Pars inferior componitur ad summam pacem et tranquillitatem, dum pars superior sublimatur ad gloriam et jucunditatem. » Hoc uterque ponit. Ex quo apparere potest, quot quanto spiritus noster ab omnibus temporalibus, et etiam ab ipsa anima, vel etiam a seipso dividitur, quod tanto facilius et perfectius illud spirituale intrinsecum, et æternale manerium perfectius accedit et ingreditur. Et ideo notandum est, quod spiritus noster aliquando in tantum a corpore et anima dividitur, ut spiritus in spiritu esse asseratur; et quandoque ut spiritus supra spiritum esse dicatur, et quandoque spiritus sine spiritu credatur. Primo dico, quod spiritus humanus quandoque a corpore in tantum alienatur, et ab anima distrahitur, vel dividitur, ut spiritus merito in spiritu esse dicatur. Quod ostendit Richardus, loquens de Joanne Evangelista, ubi dicit [1]: « Nonne spiritus in spiritu esse tunc recte asseritur, quando exteriorum omnium obliviscitur, pariter et ignarus est omnium eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, et illa solum intelligit per memoriam vel intellectum, quæ in spiritum et circa spiritum actitantur? » Quare Joannes in Apocalypsi bene dicit [2]: *Fui in spiritu in dominico die.* Vel, sicut ibidem Richardus dicit: « An hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intrare, et intra semetipsum totum colligere, et ea quæ circa carnem, seu etiam in carne geruntur, interim penitus ignorare? » Sed Haymo, super Apocalypsim, sic exponit, dicens: « Joannes sic fuit in spiritu, quod tamen ipsam carnem funditus non deseruit, sed spiritui æternitatis adhæsit mens ejus, et a spiritu docente assumptus fuit spiritus docendus: ideo tam mirabilia et profunda vidit. » Secundo dico quod spiritus humanus quandoque in tantum amoris fervore supra se rapitur, ut merito spiritus supra spiritum esse dicatur. Unde Hugo dicit [3]: « Acumen amoris est, cum omnia transcendendo despicit. Superfervidum autem amoris est, cum etiam semetipsum contemnendo relinquit, et in comparatione dilecti se despicit; et modo miro fit, ut per dilectionis ignem in illum sustollatur, qui est supra se, et per vim amoris expellatur, et exeat etiam a se, nec se cogitet, dum Deum solum amat. » Hæc ille. Hoc modo Petrus fertur raptus fuisse supra se; quare in *Actibus* dicitur [4]: *Et Petrus ad se reversus dixit*, etc. Quod Richardus exponens, dixit [5]: « Hoc sane non imprudenter dicitur, quod Petrus longe super hominem fuit, quia longe a semetipso, et supra semetipsum recessit; alioquin non erat a quo ad se reverteretur. » Tertio dico, quod spiritus humanus in tantum a seipso quasi dividitur, ut spiritus sine spiritu esse dicatur: unde in libro *Regum* legitur [6], quod videns regina Saba sapientiam Salomonis, et domum, et habitacula, etc., *non habebat ultra spiritum.* Quod exponens Richardus, dicit [7]: « Nonne recte dicitur spiritum semetipsum non habere, quando incipit a semetipso omnino deficere, et a suo esse in supermundanum quemdam, et vere plusquam mundanum vel humanum statum transire, et mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videtur in divinum deficere, ita ut ipse jam non ipse, eo dumtaxat tempore, quo incipit Domino altius inhærere? *Qui autem adhæret Deo unus spiritus est* [8]; et sic totus illud divinitatis arcanum intrat, clamans cum Psalmista [9]: *Defecit in salutare tuum anima mea.* » Hæc ille.

Nota de divisione humani spiritus a corpore et anima.

DISTINCTIO IV.

Quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur.

Quarto videndum est quibus pedibus et gressibus spiritus noster in illud intrinsecum secretum, et spirituale manerium ingrediatur. De quo notandum, quod, sicut dicit Vercellensis super *Cantica*, « pedes nostri spiritus sunt intellectus et affectus, quibus frequenter anima devota carpit itinera æternitatis. » Ratio autem hujus est, quod spiritus noster per intellectum et affectum se ad æterna extendit, et eo attingit aliqualiter. Unde Hugo, libro primo *de Arca Noe*, dicit [10]: « Hoc est ad Deum tendere, et ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quærere, per cogitationem invenire, et per gustum tangere. » Et Commentator

Pedes nostri spiritus sunt intellectus et affectus.

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. V, c. XII, circa fin. — [2] *Apoc.*, I, 10. — [3] Hug., in sept. cap. *Angel. Hier.*, lib. VI, circa. med. — [4] *Act.*, XII, 11. — [5] Richard., *de Contempl.* lib. V, c. XIII, circa fin. — [6] III *Reg.*, X, 5. — [7] Richard., ubi sup., c. XII, in fin. — [8] I *Cor.*, VI, 17. — [9] *Psal.* CXVIII, 81. — [10] Hug., *de Arc. Noe*, lib. I, c. IV, circa med.

Digitized by Google

Hugo, super septimum *Angelicæ hierarchiæ*, dicit [1] : « Mentes cœlestes sive spiritus rationales ad interiora mentis cognitione et dilectione accedunt, et proximi fiunt secundum excellentissimam collocationem, quam habent juxta Deum, » ubi est intrinsecum spiritus nostri, ut supra dictum est. Sed notandum, quod pedes spiritus nostri oportet esse mundos et puros, quia nihil inquinatum intrabit intra secretum Domini Jesu. Et cum pedes spiritus humani quandoque tangant terram mediante sensualitate, et etiam ne pulvis terrenus eis adhæreat, ideo indigent frequenti lotione et mundatione; ut ostendit Dominus, quando dixit [2] : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* : id est, qui sine peccato mortali est, non indiget capitis lotione. Cujus ratio est, quia caput nostri spiritus est intelligentia, quæ in viris sanctis immediate conjungitur Deo, ut dicit beatus Augustinus [3] in suo libro *de Spiritu et Anima* : ideo lotione non indiget. Nec tales indigent lotione manuum, quia opera eorum munda sunt, propter munditiam capitis ea in Deum ordinantis; sed indigent lotione pedum. Cujus ratio est, secundum Augustinum [4] et Origenem, quia impossibile est hominem aliquando non peccare venialiter, et non habere aliquam inordinationem in sua sensualitate, propter continuam conversationem in terris, ex qua contrahitur aliqua macula impuritatis in affectu, et ex hoc ruga obscuritatis in intellectu. Unde Origenes dicit : « Ego impossibile puto non contaminari extrema animæ, et infima ejus, quanquam quis perfectus quoad homines reputetur. » Ideo carissimi discipuli Domini sunt, qui solum pedum indigent lotione. Hos pedes bene lotos timuit coinquinari sponsa, quando dixit [5] : *Lavi pedes meos*; Glossa : « Id est, cogitationes meas, quibus aliquando terram tangere solebam, quos secretis fletibus compunctionis ablui, ut intrare merear cœlestem patriam. » *Quomodo ergo iterum coinquinabo illos?* Vercellensis dicit : « Quomodo coinquinabo illos iterum umbris et imaginibus temporalium, cum etiam intellectuales operationes et formæ in hoc loco, in superintellectuali exercitio, reputentur maculæ et offendicula? » Hæc ille.

Secundo notandum est, quod quia multa offendicula et diversa in istis itineribus æternitatis sunt, quibus spiritus noster impeditur et retardatur ab ingressu illius intrinseci secreti, ideo oportet ut spiritus noster non solum habeat pedes ab immunditiis lotos, sed etiam ad ambulandum exercitatos, et agilitate veloces. Unde Dionysius dicit [6], quod « pedes in Scriptura significant virtutem motivam, acute penetrantem, et velocem, id est, semper tendentem in divina. » Et sequitur : « Propter quod alatos Theologia figuravit pedes sanctorum intellectuum, quod significat reductivam velocitatem, et supernis invectivam, ab omni terrestri deprimentem. » Hæc Dionysius. Horum pedum velocem agilitatem habuit propheta David, cum dixit [7] : *Qui perfecit pedes meos quasi cervorum.* Quod Gregorius exponens, dicit [8] : « Cervus, cum juga montium ascendit, quæque aspera et objecta transgreditur, donec ad superiora elevetur; non solum currit, sed etiam saltat : ita etiam electorum mentes, quæcumque sibi obvia respiciunt, contemplationis saltu transcendunt, donec se ad superna evehunt. »

Tertio notandum, quod oportet quod pedes spiritus nostri non solum ad ambulandum sint expediti, sed etiam per amorem ad penetrandum acuti, ut spiritus potenter omnia transire possit, dicens cum Psalmista [9] : *In Deo meo transgrediar murum.* Quod Gregorius exponens, ubi supra, dicit : « Murus est omne quod itineri nostro objicitur, cum ad dilectum transitur : quem transgredimur, cum, præ amore supernæ patriæ, omnia hujus mundi objecta calcamus. » Hæc ille. Et sicut dicit Augustinus [10] : « Ire ad Deum tanto nobis melius est, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tanto habebimus præsentiorem, quanto amorem, quo in eum tendimus, habebimus puriorem. » Hæc Augustinus. Gressus ergo mentales, et pedes spiritus, non sunt corporales, sed spirituales. Et ideo Gregorius dicit [11] : « Ad se quippe venire præcipit Deus, non gressibus corporis, sed profectibus amoris et spiritus, veritate dicente [12] : *Venite ad me omnes, qui laboratis.* » Et Augustinus [13] : « Iter tuum voluntas tua est. Amando

[1] Id., sup. sept. cap. *Angel. Hier.*, lib. VII, post med. — [2] *Joan.*, XIII, 10. — [3] Imo auctor, quisquis ille sit, lib. *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [4] Aug., *in Joan.*, tract. LVI et seq. — [5] *Cant.*, V, 3. — [6] Dion., *de Angel. Hier.*, c. XV, ante med. — [7] *Psal.* XVII, 34. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. I. — [9] *Psal.* XVII, 30. — [10] Aug., *ad Maced.*, epist. LII, al. CLV, n. 13. — [11] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. IV, ante med. — [12] *Matth.*, XI, 28. — [13] Aug., *in Psal.* LXXXV, Enarr., n. 6.

Digitized by Google

ascendis, negligendo descendis : stans in terra, in cœlo es, si diligis Deum. » Et sic patet de passibus spiritualibus.

DISTINCTIO V.

Qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur.

Quinto videndum est, qualiter spiritus noster in illo intrinseco manerio multipliciter esse dicatur. Circa quod notandum est, quod cum Apostolus dicat [1], quod *in Domino Jesu sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*, quis potest investigare et enarrare magnitudinem et multitudinem divitiarum et deliciarum istius intrinseci secreti cubiculi, nisi quantum quilibet per fidem illuminatus, et per charitatem inflammatus, in illo habitare consueverit, et per aliqualem experientiam didicerit? Unde dicit Bernardus [2] : « In hoc arcanum, in hoc sanctuarium Dei, si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi et sic abscondi contigerit, ut nemo eum avocet aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporalium phantasmata, poterit quidem hic, cum ad nos reducitur, gloriari dicens [3] : *Introduxit me rex in cubiculum suum* (*a*). » Et ibidem, quasi admirando, exclamat dicens : « O vere quietus locus est, quem non immerito nomine cubiculi censuerim, in quo Deus non turbatus ira, nec velut distractus cura prospicitur, sed probatur voluntas ejus bona, et beneplacens, et perfecta! Visio ista non terret, sed mulcet : inquietam curiositatem non excitat, sed sedat; nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic vere quietus Dominus quiescit, Deus tranquillus, qui tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est. » Hæc Bernardus. Hi qui secreta istius cubiculi ingrediuntur, sive gazophylacii secretum inhabitant, per veram fidem et charitatem, magni sunt : quia magna audiunt, et percipiunt magna, introducti in plenitudinem æternorum et divinorum thesaurorum in illo absconditorum. Et ideo Bernardus dicit [4], quod « hi, qui magni sunt fide et charitate, digni inveniuntur, ut inducantur in omnem plenitudinem Dei, nec est omnino in omnibus apothecis sapientiæ aliquid, a quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidos veritatis, non conscios vanitatis. » Et infra sic dicit : « Istiusmodi sapientibus spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam et veritatem suam, eosque adducens et deducens in montem sanctum suum, in tabernacula sua. Regem in decore suo videbunt, præeuntem se ad speciosa deserti, et ad flores rosarum, ad lilia convallium, ad amœna hortorum, ad irrigua fontium, ad delicias cellariorum, ad odoramenta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubiculi. Isti sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, absconditi penes sponsum. Hæc sunt pascua vitæ, præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis. » Hæc Bernardus. Sed procul dubio si spiritus humanus quasi ab anima divisus, et corpore, quandoque illud intrinsecum lucis manerium ingrediatur solus, et intus recipiatur, rediens de regione lucis illius intrinseci ad animam et corpus, ipse enarret quales divitias acceperit, qualia verba audiverit, et quales delicias gustaverit, si tamen enarrare potest, quia Gregorius dicit [5] : « Sæpe amantis animus tantæ contemplationis munere impletur, ut videre valeat quod omnino loqui non valeat. » Si autem enarrare non poterit, saltem ut alter Moyses, descendens a consortio Domini in anima et corpore, aliqua signa et testimonia secum ferat, testificantia quod in regione lucis fuerat. Dicit enim Hugo [6] : « Ecce dum de illo divino internæ contemplationis secreto revertimur, quid nobiscum afferre poterimus, nisi lucem? Lucem de regione lucis venientes portamus. Hoc enim decens et necessarium est, ut cum a lucis regione venimus, ad fugandas nostras tenebras, nobiscum lucem apportemus. Et quis scire poterit quod ibi fuerimus, si illuminati non redimus? Sed si vidimus Patris potentiam, apportemus lucem divini timoris. Si vidimus Filii sapientiam, apportemus lucem veritatis. Si vidimus Spiritus sancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia torpentes excitet ad timorem. Sapientia ignorantiæ tenebris excæcatos illuminet. Clementia calore charitatis frigidos inflammet. » Hæc ille.

[1] *Coloss.*, II, 3. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, circa fin. — [3] *Cant.*, I, 4. — [4] Bern, *in Cant.*, serm. XXXI, post med. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XVII. — [6] Hug., *de Trib. Diæt.*, circa fin.

(*a*) Vulg. *cellaria sua.*

Digitized by Google

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabiliatur, et perpetuetur (a).

Sexto videndum est, qualiter spiritus noster cum in illud intrinsecum manerium æternale fuerit introductus, in illo stabiliatur et perpetuetur, ita tamen quod ad imperium regis egrediatur, et ingrediatur ad naturam humanam imitandam, et contemplandam divinam. De quo sciendum est, quod spiritus noster in illo arcano secreto per veram fidem collocatur et stabilitur, et per sanctam charitatem in eodem perpetuatur. De fidei collocatione et stabilitione dicit Dionysius [1] : « Quod circa veritatem vere existentem et non errantem versatur fides divina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, et firmans simplicem veritatem, in transmutabili identitate in ipsis credentibus, habentibus cognitionem veritatis : et ideo credentem in veritate, teste Scriptura, nihil movebit a lætitia, quæ est secundum veram fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis et intransmutabilis identitatis. » Sequitur : « Qui enim veritati unitus est, ipsa unione bene novit quod bene sentit. Quamvis multi corripiant ipsum, tanquam mentis excessum passum, sive furiosum; ipse tamen bene novit seipsum non furentem, ut errantes ei imponunt, sed per simplicem veritatem, semper eamdem et eodem modo se habentem, liberatum ab instabili et variabili divisione contra errorem. » Hæc Dionysius. Ex his apparere potest, quomodo fides spiritum nostrum in illo intrinseco manerio Jesu collocat et stabilitat. Unde dicit Isaias [2] : *Si non credideritis, non permanebitis*, scilicet in Deo. Et Eusebius in glossa super illud Lucæ [3] : *Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit*, dicit sic : « Qui mentem applicaverit ad cœlestia, ibi mentem habebit, ut videatur solo corpore cum hominibus conversari, animo vero jam sit aggressus mansiones cœlestes. » Hæc ille. De charitatis autem perpetuatione, id est qualiter spiritus noster in intrinseco Domini Jesu perpetuetur, notandum, quod cum Joannes dicat [4] : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet*, ergo quandiu spiritus manet in charitate, tandiu manet in Deo, sive in intrinseco Domini Jesu : sed spiritus noster in æternum potest in charitate manere cum adjutorio Dei : ergo in æternum potest manere in Deo. Unde, in libro *de Spiritu et Anima*, dicitur [5], quod « anima habet in se amorem, quo semper potest stare cum Deo. » Quod autem spiritus noster in æternum possit stare cum Deo, et manere in charitate, ostendit Apostolus ad Romanos, ubi dicit [6] : *Quis potest nos separare a charitate Christi?* quasi dicat : Nemo, imo nulla creatura, sicut ipse postea probat. Ergo nulla creatura potest nos ejicere ab illo intrinseco, nec ipse Deus vult ejicere, ut ipse [7] dicit in Joanne. Quandiu enim sumus charitate vestiti, licet nosipsos per peccatum ejicere possimus, non tamen distantia locali, cum Deus sit ubique, sed distantia dissimilitudinis. Dicit enim Augustinus : « Non locorum intervallis, sed similitudine acceditur ad Deum, et dissimilitudine discceditur ab eo. » Quod autem nulla creatura possit nos separare a charitate Dei, quæ nobis in Christo datur, ostendit Apostolus ibidem, dicens [8] : *Certus sum quod neque mors*, scilicet quam minantur, *separabit nos a charitate Dei.* Cujus rationem assignat Augustinus, *de Moribus Ecclesiæ*, dicens [9] : « Licet corpus nostrum possit mori, tamen ipsum quo diligimus Deum, scilicet anima, mori non potest, nisi dum non diligit Deum : cui mors est non diligere Deum, quod nihil aliud est, quam ei in diligendo aliquid præponere. » Alia est ratio secundum Ambrosium [10] : « Quia mors erat sanctis occasio eundi ad præmium promissum, et quasi janua; ergo mors non potest nos separare a charitate Christi : ergo non potest abjicere ab eo. »

Secundo *neque vita*, inquit Apostolus, scilicet promissa, *potest nos separare a charitate.* Cujus rationem assignat Augustinus in libro *de Moribus Ecclesiæ*, dicens [11] : Quia Deus fons vitæ : sicut ergo « nemo separat a fonte aquæ, promittendo aquam; » ita nemo separat a fonte vitæ, promittendo vitam. Unde Dominus dicit in Joanne [12] : *Qui credit in me, habebit vitam æternam.*

Tertio inquit Apostolus : *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes*, neque inferiores, neque medii, neque superiores, *poterunt nos separare a charitate Dei.* Cujus ratio est secundum

[1] Dion., *de Div. Nomin.*, c. VII, circa fin. — [2] *Isa.*, VII, 9. — [3] *Luc.*, XII, 34. — [4] I *Joan.*, IV, 16. — [5] *De Spir. et. Anim.*, c. XXXVI. — [6] *Rom.*, VIII, 35. — [7] *Joan.*, VI, 37. — [8] *Rom.*, VIII, 39. — [9] Aug., *de Morib. Eccles.*, n. 19. — [10] Imo Ambrosiastrum, *in Epist. ad Rom.*, c. VIII. — [11] Aug., ubi sup. proxim. — [12] *Joan.*, V, 47. — (a) *Cæt. edit.* stabilitur, et perpetuatur.

Digitized by Google

Augustinum [1], quia Angeli, cum inhæremus Deo, non sunt mente nostra potentiores, imo toto mundo superior est mens inhærens Deo, ut ait Augustinus, *de Moribus Ecclesiæ* [2]. Quomodo ergo separabunt nos a charitate Christi, ad quam nos etiam hortantur? Ergo nec nos ejicient.

Quarto inquit Apostolus : *Neque instantia*, id est instantes molestiæ, nos a Deo separabunt; quia eo ipso eas leviores sentimus, quo ei, a quo nos separare moliuntur, arctius inhæremus : *charitas* enim [3] *omnia sustinet*, et « est vita morientium, » ait Augustinus *de Laude Charitatis :* ergo non separat, sed unit.

Quinto inquit Apostolus : *Neque futura*, id est promissio futurorum nos a charitate separabunt. Cujus ratio est secundum Augustinum, *de Moribus Ecclesiæ*, « quia quidquid boni futurum (*a*) est, certius promittit Deus, et nihil est ipso Deo melius, qui perfecte inhærentibus sibi jam præsens est : » ergo nec talia separant a charitate; ergo nec ejiciunt a Deo.

Sexto inquit Apostolus : *Neque fortitudo*, id est violentia alicujus, *poterit nos separare a charitate Dei, neque altitudo*, id est prosperitas, *neque profundum*, id est adversitas poterunt nos separare a charitate Christi, *neque alia creatura*. Cujus rationem innuit Apostolus in eodem capite, dicens [4], quia bonis *omnia cooperantur in bonum :* ergo non separant, nisi nos velimus. Per charitatem ergo, quæ, ut dicit Apostolus [5], *omnia potest, omnia sustinet*, et *nunquam excidit*, spiritus noster in illo intrinseco, ubi est fons vitæ et charitas, potest manere semper, maxime cum charitas voluntates nostras ad Deum, quasi ad centrum suum proprium, inclinet, et nos sibi incorporet, et voluntas perfecte concordet, quæ maxime amantium refectionem consummant et perpetuant. Unde dicit Dominus [6] : *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras*. Quod Augustinus exponit, dicens : « Veniamus ad Deum, intremus ad Deum, et incorporemur ei, ut nos non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei; et non ejiciet nos foras, scilicet in exilium tenebrarum æternarum ; sed sive ingrediamur, sive egrediamur, pascua inveniemus nostram nutrientia charitatem, quæ nos perpetuat in Christo, quia *qui manet in charitate, in Deo manet*, sicut dixit Joannes [7].

[1] Aug., ibid. — [2] Ibid. — [3] I *Cor.*, XIII, 7. — [4] *Rom.*, VIII, 28. — [5] I *Cor.*, XIII, 7, 8. — [6] *Joan.*, V, 47. — [7] I *Joan.*, IV, 16. — [8] *De Spir. et Anim.*, c. VI. —

DISTINCTIO VII.

Quæ et quot sint (a) itinera, per quæ ad illud intrinsecum pervenitur et intratur.

Septimo, postquam visum est, quid sit illud intrinsecum secretum, et æternale manerium in Christo, et qualiter in illo intrinseco variæ mansiones distinguantur (*c*), et secundum quid homo in illud intromittatur; viso etiam quid spiritus in homine dicatur, et quibus pedibus illud intrinsecum ingrediatur, et qualiter humanus spiritus in illo dicatur, stabiliatur et perpetuetur (*d*); videndum est, quæ et quot sint (*b*) itinera, per quæ ad illud intrinsecum secretum, et æternale manerium, spiritus humanus accedat et ingrediatur. Circa quod sciendum est, quod, sicut dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [8], duo sunt loca inter quæ spiritus humanus existens, ad utrumque se movere potest, sive itinerare. Deus enim est in summo, mundus vero in imo. Ille, scilicet Deus, in eodem statu æternitatis suæ immobilis existit; ideo ipse solus est æternitate mensurabilis. Cujus ratio est, quia, sicut Boetius in libro *de Consolatione* dicit [9] : « Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio : » quæ nulli creaturæ convenit, sed soli Deo, ut patet consideranti hujus diffinitionis partes. Iste autem mundus cursu mutabilitatis suæ semper instabilis fuit, et ideo tempore mensuratur, quia tempus est mensura motus mutabilium rerum, non permanentium, sed succedentium, ut fit, et ideo talia dicuntur temporalia. Rationalis autem spiritus quasi in quodam medio est constitutus : sed medium oportet participare naturam extremorum, propter connexionem universi : et ideo oportet, quod spiritus noster in aliquo conveniat cum æternis, et in aliquo cum temporalibus. Cum æternis convenit in hoc, quod secundum substantiam omnino est stabilis perpetuo, in æternum manens; et ideo quoad hoc non mensuratur tempore transeunte, quia illo corruptibilia mensurantur; nec mensuratur æternitate, quia illa soli Deo convenit : ergo necessario mensuratur mensura media, scilicet ævo, quod est quædam participatio æternitatis. Unde Dionysius, *de Divinis Nominibus*, dicit [10], quod ævum dicitur quie

Triplex mensura entium, scilicet tempus, ævum et æviternum.

[9] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. V, pros. 6. — [10] Dion., *de Div. Nom.*, c. V et X. — (*a*) *Cæt. edit.* futurorum. — (*b*) Cæt. edit. *sunt*. — (*c*) *Cæt. edit.* distinguuntur. — (*d*) *Item* stabilitur et perpetuatur.

Digitized by Google

ta et tota simul vita. Et Damascenus dicit [1], quod ævum non est tempus nec pars temporis, sed quod simul protenditur cum æternis, scilicet secundum perpetuationem. Idem dicit Augustinus [2], libro duodecimo *Confessionum*. Unde in libro *de Spiritu et Anima* dicitur [3]: « Spiritus humanus quadam conditionis suæ excellentia, huic mutabilitati, quæ deorsum est, supereminet, quasi creatus in horizonte æternitatis, et ideo ad illam, quæ est apud Deum, immutabilitatem nondum pervenit, » quamvis pertingere possit cum Angelis. Spiritus enim noster convenit cum temporalibus in hoc, quod secundum operationes aliquas est mutabilis, et in eis successiones patitur. Unde in libro *de Spiritu et Anima* dicitur : « Si spiritus noster in his quæ (*a*) deorsum transeunt se per cupiditatem immerserit, statim per infinitas distractiones sive itinera rapietur, et a (*b*) seipso quodammodo divisus dissipabitur : » et ideo quoad istas operationes temporalis efficitur, quia tempore mensuratur.

De hac instabilitate et mutabilitate dicit Hugo, *de Arca Noe*, sic [4] : « Dum cor nostrum, sive spiritus noster, per desideria fluere cœperit, quasi in tot divisum est, quot sunt ea quæ concupiscit. Hinc nascitur motus sine stabilitate, labor sine requie, cursus sine perventione, ita ut semper sit inquietus spiritus noster, donec illic inhærere cœperit, ubi desiderio suo nihil deesse gaudeat, et ea quæ diligit semper mansura confidat et credat. » Hæc ille. Ex quo concluditur, quod necesse est quod spiritus humanus habeat aliquas operationes, quæ maneant secundum suam substantiam, licet una alteri succedat. Quod accidit, ubi sunt operationes intrinsecæ intellectus et affectus, maxime quando in æternis figuntur, quas operationes exercere posset spiritus humanus, etiam si cœlum staret, vel si nullum esset tempus, ut patet per Augustinum [5] : nec mirum, cum sit spiritus humanus supra tempus existens in carne temporali. Dicit enim Gregorius in *Moralibus* : « Sublevata mens, id est, spiritus, extra terminos temporum ducitur, etiam cum a carne in tempore tenetur. » Et in libro *de Spiritu et Anima* [6] : « Si spiritus humanus ab hac infima distractione, quæ deorsum est, erexerit se, et hæc infima deserens, atque paulatim se in unum colligens, secum esse didicerit, tanto amplius in unum colligetur, quanto magis desiderio et cognitione sursum elevabitur, donec tandem omnino immutabilis sit, et ad illam veram et unicam, quæ apud Deum est, immutabilitatem perveniat, ut perpetuo sine omni mutabilitatis vicissitudine requiescat, » jam in intrinseco Domini perfecte collocatus (*c*). Hæc ille. Ex his patet, quod sicut spiritus humanus ex inordinato amore temporalium aggravatus, descendit ab æternis per aliqua itinera iniquitatis deorsum ad temporalia; sic spiritus humanus ex ordinato amore æternorum alleviatus ascendit sursum, per itinera rectæ æquitatis, ad æterna. Et sicut ille per septem itinera obliqua descendit ad temporalia; ita iste per septem itinera recta ascendit ad æterna : propter quod itinera æternitatis nuncupantur.

Septem itinera.

Itinera ergo æternitatis ducentia ad intrinsecum secretum et æternale manerium Domini, sunt hæc, scilicet æternorum recta intentio, æternorum studiosa meditatio, æternorum limpida contemplatio, æternorum charitativa affectio, æternorum secreta revelatio, æternorum experimentalis prægustatio, æternorum deiformis operatio.

Ad itinerandum autem in his septem itineribus æternitatis, Dominus amorose invitat spiritum humanum, ostendens et promittens ei septem adminicula, cooperantia ad ambulandum in itineribus æternitatis. Istam autem invitationem mens humana diligenter advertat, quia, sicut dicit Vercellensis super *Cantica* : « Nihil est quod ad continuos sponsæ profectus eam promoveat efficacius, quam Deum imitari, et ab eo invitari effective. » Hoc quidem exercitio continuo uniformiter proficiunt cœlestes substantiæ, quæ non cessant post sponsum ingredi. Totus enim cursus amoris in assidua et continua hujusmodi invitatione consistit, ut in fine libri *Canticorum* patet; dicit ergo [7] : *Surge, propera, amica mea, et columba mea, formosa mea, et veni. Amica,* quia amans et amata : *Ego* enim [8] *diligo diligentes me. Columba mea*, quia spiritu simplificata, sicut scriptum est in Matthæo [9] : *Estote simplices sicut columbæ. Formosa mea*, quia ad imaginem et similitudinem Dei facta, ut dicitur [10] in Genesi.

[1] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. I. — [2] Aug., *Conf.*, lib. XII, c. XI. — [3] *De Spir. et Anim.*, c. XLVII. — [4] Hug., *de Arc. Noe*, lib. I, prolog. circa fin. — [5] Aug., *Conf.*, lib. XII, c. XI. — [6] *De Spir. et Anim.*, ubi sup. proxim. — [7] *Cant.*, II, 10. — [8] *Prov.*, VIII, 17. — [9] *Matth.*, X, 16. — [10] *Gen.*, I, 28.

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Cæt. edit. deest* a. — (*c*) *Cæt. edit.* collocatur.

Digitized by Google

Surge igitur a temporalibus ad æterna tendendo; et *propera*, æterna investigando, et *veni*, æternitatem meam ingrediendo. Hujus petitionis reddit causam, dicens : *veni, surge, propera, amica mea, et veni*, quia jam est itinerandi opportunitas temporanea, quia *jam hiems transiit* peccati infrigidantis, et itinera ambulantium obliquantis, quia jam est itinerum optata facilitas, quia jam *imber abiit et recessit* curæ distrahentis et itinerantes impedientis; quia jam est itinerantium amœna jucunditas, quia jam *flores apparuerunt in terra nostra;* quia jam tempus vernale venit, ex præsentia divini solis in terra nostræ carnis; quia jam est perambulantium alleviata agilitas, quia jam *tempus putationis advenit*, quo spiritus noster exoneratur ab omnibus superfluis et vanis; quia jam est viarum revelata veritas, quia *vox turturis audita est in terra nostra*, Verbi incarnati, omnem veritatem docentis; quia jam est viatici desiderati satietas, quia *ficus protulit grossos suos*, scilicet Pater, fons dulcedinis, Filium panem omnis suavitatis, et Spiritum sanctum potum sobriæ ebrietatis ; quia jam est medii odorifera suavitas , quia *vineæ florentes odorem suum dederunt*, id est, potentiæ fœcundæ dederunt odorem bonæ famæ ex operibus odoriferis , quia [1] *bonus odor Christi sunt*. Igitur *surge, propera, amica mea, et veni*. Unde dicit Origenes : « Quis jam non surgat (*a*)? quis non properet? aut quis non veniat ubi tot utilitatum insignia concurrunt? » Singula istorum adminiculorum applicabuntur singulis itineribus, ut patebit infra, et hæc itinera [2] *abscondita sunt a sapientibus et prudentibus hujus mundi, et revelata sunt parvulis*, id est, humilibus. Unde dicit Habacuc [3] : *Incurvati sunt colles mundi*, id est, sapientes, *ab itineribus æternitatis ejus*, id est, obliquati sunt a viis rectis æterni Dei : quia qui a recta via declinant, quanto plus vadunt, tanto plus a termino rectæ viæ recedunt, et quanto plus se sapientes mundi ab æterna veritate avertunt, tanto plus stulti facti in temporalibus evanuerunt, dicentes illud Sapientiæ [4] : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis, viam Domini ignoravimus.* Cum ergo Augustinus, XIV et XV *de Trinitate*, dicit quod spiritus noster ad imaginem et similitudinem Dei æterni sit, et ex hoc æternitatis capax sit, et ex hoc sortiatur quamdam jam participationem, cum (*b*) etiam secundum substantiam et secundum aliquas operationes intrinsecas sit supra tempus, quia in ævo, quod est quædam æternitatis participatio, ut supra dictum est; ideo spiritus noster humiliatus et contritus, et a Deo amorose invitatus ad veniendum per itinera æternitatis ad suum intrinsecum secretum et æternale manerium, secure et gaudens cum Psalmista petat, dicens [5] : *Deduc me, Domine, in via æterna.*

DE ITINERIBUS

QUIBUS AD ILLUD INTRINSECUM SECRETUM ET ÆTERNALE MANERIUM IN CHRISTO ACCEDITUR

DE PRIMO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM RECTA INTENTIO (*c*).

Primum igitur iter æternitatis, quod est æternorum recta intentio, spiritus humanus desiderio æternorum ab omnibus alleviatus, et ad perambulandum incitatus et expeditus, primo aggrediatur unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum, quod est optimum et unum necessarium, et finis quietans, et consummans multitudinem omnium desideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, ut patet in *Luca* [6]. Sed quia nemo caute itinerat, qui vias itineris ignorat, ideo ad cognitionem is-

(*a*) *Cæt. edit.* surget.— (*b*) *Cæt. edit.* dum.— (*c*) Cæt. edit. non habent *quod est æternorum recta intentio.*

[1] II *Cor.*, II, 15. — [2] *Matth.*, XI, 25. — [3] *Habac.*, III, 6. — [4] *Sap.*, V, 7. — [5] *Psal.* CXXVIII, 24. — [6] *Luc.*, X, 42.

Digitized by Google

tius viæ, sive itineris, quod est æternorum recta intentio, oportet sex considerare per ordinem.

Primum est, quæ sit necessitas istius itineris, et quare aliis itineribus præmittatur.

Secundum est, quid sit intentio, et a qua potentia animæ oriatur.

Tertium est, qualiter intentio nostra rectificetur, et deiformis, et æterna efficiatur.

Quartum est, per quæ signa intentio recta, simplex et perfecta cognoscatur.

Quintum est, qualiter per intentionem rectam spiritus humanus ad intrinsecum et æternale manerium Domini Jesu accedat et ingrediatur.

Sextum, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per illud ad intrinsecum æternum Jesu, dulciter et amanter ab eo invitetur (*a*).

DISTINCTIO I.

Quæ sit necessitas istius itineris, et quare aliis itineribus præmittatur.

Primo igitur videndum est, quæ sit necessitas istius itineris, quod est æternorum recta intentio, et quare alia itinera præcedat. Circa quod notandum est, quod cum intentio finem actionis et itineris nobis præostendat, ut dicit Gregorius, XXVIII *Moralium*, ubi sic dicit [1]: « Intentio priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. » Item cum intentio actionem dirigat nostram in operatione, ut dicit Gregorius ibidem, unaquæque actio intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur. Item cum intentio operi nostro quasi fundamentum finale præstituatur, ut dicit Gregorius, XXVIII *Moralium*, ubi dicit [2]: « Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus fulciuntur, ita vita nostra virtutibus, virtutes vero intima intentione subsistunt. » Ideo rationabiliter iter intentionis alia itinera præcedere debet. Unde Gregorius ibidem dicit: « Vigilanti cura per cuncta opera intentio nostra nobis pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat; sed totam (*b*) se in soliditatem æternitatis figat: ne si extra fundamentum nostræ actionis fabrica ponatur, totum opus in nihilum solvatur: quia etiam summa opera inaniter fiunt, si intentiones cordium extra æternitatis rectitudinem defluctuntur. » Hæc ille. Et ibidem dicit: « Si recta intentio in operatione non tenetur, totum opus amittitur et deturpatur. Si autem recte intendimus, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum extra videatur. » Plane ergo patere potest istius itineris necessitas in ordine respectu aliorum.

DISTINCTIO II.

Quid sit intentio, et a qua potentia animæ oriatur.

Secundo videndum est, quid sit intentio, et a qua potentia animæ oriatur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Anselmus, libro *de Concordia præscientiæ et liberi arbitrii* [3], « Voluntas est instrumentum seipsum movens, et omnia alia instrumenta, quibus sponte utimur et quæ sunt in nobis, ut manum, linguam, visum, et cætera hujusmodi, et quæ sunt extra nos, ut stylum, securim, et cætera hujusmodi, et facit omnes voluntarios motus: ipsa vero se suis affectionibus movet » in finem desideratum; et ideo sola voluntas elicit actum intentionis proprie dictæ et principaliter, sed a ratione sive intellectu dirigente, sive dictante. Et nota, quod hæc intentio non fit sine amoris desiderio: quia quanto major est amor finis, tanto vehementior est motus intentionis in finem, ita quod amor movet in finem desideratum, sed intentio omnia per quæ amor potest consequi hunc finem desideratum, ordinat et disponit ad illius finis consecutionem. Unde Glossa, super illud Psalmi [4]: *In laqueo isto quem absconderunt*, dicit, quod pes animæ est amor, et eo movetur anima ad locum, quasi ad terminum ad quem tendit, id est ad dilectionem bonam vel malam, quo se pervenisse ad amorem lætatur: amor autem est actus voluntatis.

Intentionis descriptio.

Ex quo patet, quod intentio proprie et principaliter est actus voluntatis, ut elicientis, et libere ordinantis, et moventis in finem, et a ratione directus. Et nota, quod ista intentio, ut est a voluntate per gratiam formata, non solum actualis, sed et habitualis facit actum et opus meritorium. Cujus ratio est, quia præter naturalem bonitatem, quæ est in actu voluntatis, eo ipso quo est ens, tota alia bonitas ipsius est ex ejus sufficienti ordine intentionis ad debitum finem. Tunc autem debiti finis est sufficiens ordo, quando ex parte agentis per in-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXVIII, c. VI, post med.— [2] Ibid., paulo post. — [3] Anselm., *de Conc. Præsc. et Lib. Arb.*, c. XI, al. XXI, in fin. — [4] *Psal.* IX, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* invitatur. — (*b*) *Item* totum.

Digitized by Google

tentionem bonam, fit ordinatio actus sui in debitum finem, et quando ex parte actus est, quod sit ordinabilis ad illum finem, ut per ipsum possit finis acquiri, id est, quod actus sit de genere bonorum : talis enim ordo includit bonitatem esse in actu, quæ sibi debetur ex objecto debito, et ex forma debita, quæ est charitas, et ex circumstantia, et ex debito fine. Deficiente autem altero istorum, actus vitiosus est. Ex quo patet, quod etiam actus indifferens per ordinationem debitam in debitum finem fit meritorius, quia intentio recta, si sit actualiter a voluntate elicita mediante gratia, addit aliquam bonitatem supra habitum, cui debetur præmium substantiale. Per actus enim voluntatis elicitos ex gratia, meremur vitam æternam. Ex his etiam patet, quod intentio actualis est perfectior et magis meritoria habituali, quia addit aliquam bonitatem supra habitualem. Unde Gregorius, XXVIII *Moralium* [1], dicit: « Sicut lucerna corporis est oculus carnalis lucens toti corpori, ita per radium intentionis illustrantur itinera actionis. » Nam dicit Dominus [2]: (Intentio) *sicut lucerna fulgoris illuminabit te.*

Intentio actualis majoris est meriti, quam habitualis.

DISTINCTIO III.

Qualiter intentio nostra rectificetur, et ex hoc deiformis et æterna efficiatur.

Tertio videndum est, qualiter intentio rectificetur, et ex hoc deiformis et quasi æterna efficiatur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Hugo, libro primo *de Arca Noe* [3]: « Cor hominis, quod prius amore divino stabile et fixum in æternitate perstitit, quia, unum amando, unum permansit, postquam per desideria terrena defluere cœpit, quasi in tot divisum est, quot ea sunt quæ concupiscit. » Ergo, secundum diversitatem concupiscentiæ sive amoris, erit diversitas intentionis. Unde Bernardus, super *Cantica*, ostendit [4], quod si amans turpia appetit, etiam intentio turpis erit, et fœdans faciem animæ vel spiritus; et si honesta, etiam intentio honesta erit. Unde Bernardus ibidem describit diversas intentiones, secundum diversas affectiones.

Diversificantur intentiones juxta diversitatem affectionum.

Primo ergo, secundum Bernardum, est quædam intentio perversa et iniqua, ut illa quæ procedit ex voluntate affectata carnaliter, sive ex amore carnali, tendens ad finem qui contrarius est ultimo fini et æterno, ut est intentio illorum [5] *qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est*, qui intendunt gulæ, ut magis possint exercere actus luxuriæ. Talis intentio est obstinatorum in temporalium amore. Unde Bernardus ibidem dicit: « Tendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis animæ est, ut dictum est, et habet talis faciem fœtidissimam fœtore peccati. »

Secundo est intentio quædam ficta et falsa, ut quæ procedit ex voluntate affectata, mendaciter tendens in Deum, apparenter et false, et non vere, quia propter favorem hominum; de qua dicit Bernardus ibidem : « Tendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ plane animæ est, omnem decorem animæ exterminantis, et totam illam fœdantis propter turpitudinem hypocrisis. »

Tertio intentio quædam est obliqua et mercenaria, ut quæ procedit ex voluntate affectata, pusillanimiter tendens in Deum, non propter Deum, sed propter præsentis vitæ necessaria, ex qua recurvatur ad se. Unde mercenaria est, quia veris filiis non convenit, ut patet per Ambrosium, qui dicit in Glossa *Luc.*, XV, sic : « Filius qui habet sancti Spiritus pignus, in corde sæcularis mercedis lucra non quærit, sed servat jus heredis. » De hac intentione dicit Bernardus ibidem [6] : « Si autem intentio solum, vel maxime, ob vitæ præsentis necessaria se ad Deum convertit, non quidem fœce hypocrisis fœtidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus obscuram et minus acceptam, eo quod non quærit Deum propter se. » Ideo prædicta tria itinera sunt obliqua et temporalia, non æterna.

Quarto quædam intentio est recta, quæ est et propter Deum principaliter, et propter ipsum directa; quæ est actuum bonorum : et hæc procedit ex voluntate affectata spiritualiter, id est æstu divini amoris calefacta. Quæ voluntas sic æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati operando impellit, liquefaciendo in Deum dirigit, nec eam sistere, nisi in Deo æterno sinit. Unde Origenes, super *Cantica*, dicit : « Qui sancto desiderio intus æstuat, ad quodlibet opus bonum habilis invenitur, quia nihil duri in corde, id est in intentione portat, quod non fervore æstuantis desiderii in Deum liquescat. » Hæc Origenes. Hæc tamen intentio perfectum decorem non habet per omnia, quia

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXVIII, c. VI, post med. — [2] *Luc.*, XI, 36. — [3] Hug., *de Arc. Noe*, lib. I, in prolog. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XL. — [5] *Philip.*, III, 19. — [6] Bern., ubi sup. proxime.

Digitized by Google

adhuc circa multa est occupata, licet propter Deum. Unde Bernardus, ubi supra, dicit: « Porro in aliud tendere quam in Deum, et tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem, ut quæ hujusmodi est, quidquam dixerim illam habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris, quippe quia adhuc *sollicita est*, et *turbatur erga plurima*, et non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non aspergi : quem tamen facile citoque deterget in hora sanctæ devotionis, vel dormitionis, casta intentio, et bonæ conscientiæ interrogatio ad Deum. » Hæc Bernardus super Cantica.

Quinto intentio quædam est recta, simplex, et magis immediata, et odore finis æterni dulciter allecta, quæ est contemplativorum, et illa procedit ex voluntate finis æterni affectiva experimentaliter. Experimentalis enim odor ultimi finis omnia alia aliquo modo contemnere facit: ex quo intentionem in nullo alio fine quiescere facit, sed eam, quantum potest, ultimo fini immediate unit. Dicit enim Hugo [1], quod experientia est mater vel magistra intelligentiæ, et quod ille optime veritatem novit, qui eam non cupiendo solum, sed etiam gustando et faciendo didicit. In tali enim experientia intentio non ambulat, sed quasi currit. *In odorem*, inquit Sponsa [2], *curremus unguentorum tuorum*. Hæc intentio tendit in Dominum solum immediate, quantum potest, et propter ipsum; sed ut pluries non totaliter propter ipsum solum, sed etiam quærit propter se delectari et consolari, retinens adhuc aliquid de proprio, ut dicit Bernardus : et ideo talis intentio divisa est. Talis clamat cum Petro [3] : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Et cum Psalmista [4] : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Quam tamen intentionem Dominus non reprehendit, quia non principaliter quærebat mercedem, sed Domini voluntatem, cum multi tales sint *in* æterna *domo* [5] *Patris*.

Sexto intentio quædam est immediata, simplificata, et deificata, et amore finis æterni totaliter attracta. Et hæc est beatorum in patria, et inde intentio fit intentio æterna, et elicitur a voluntate affectata deiformiter. Deificatio autem, ut dicit Bernardus [6], nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, sed totum per intentionem dirigit in Deum. Unde dicit ibidem sic: « O pura et defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior et purior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est quod sentitur! » Sic affici deificari est : sic omnem tunc in sanctis, qui sunt in patria, humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse est quiescere, et a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transformari voluntatem ; alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine aliquid de homine supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, in alia gloria, aliaque potentia. Et videtur sentire Bernardus hoc impossibile fieri, nisi post resumptionem corporum, « cum beati adhuc, ante resumptionem corporum, desiderio naturali appetant unionem corporum suorum. » Hæc Bernardus. Idem sentit Augustinus de appetitu corporum, ut patet libro duodecimo *super Genesim* [7].

DISTINCTIO IV.

Per quæ signa, recta et simplex intentio cognoscatur.

Quarto videndum est per quæ signa recta et simplex intentio cognoscatur. Circa quod notandum est, quod hujus intentionis aliqua signa sunt quasi exteriora, et quoad homines; et quædam interiora, et quoad conscientiam. Signa ergo exteriora rectæ et simplicis intentionis, secundum Origenem exponentem illud [8] : *Quam pulchri sunt gressus tui*, etc., sunt quinque. Loquens ergo de multa pulchritudine gressuum intentionalium, dicit : « Sponsa calceata pulcherrime incedit quasi rectissima intentione. Post sanctorum exempla incedit calceata; sed hypocrita nudo pede incedit, quia Deum sequitur corrupta intentione : caret enim exemplari pelle : utraque tamen ex fructibus suis cognoscitur. » Et ponit ibi quinque signa rectæ et simplicis intentionis, per quæ illi ab istis distinguuntur.

Primum signum est humanæ laudis detestatio, et Dei glorificatio. Unde Salvator [9] : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.* De hoc dicit Chrysostomus [10] :

[1] Hug., super cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VII. — [2] *Cant.*, I, 1. — [3] *Matth.*, XIX, 27. — [4] *Psal.* CXVIII, 112. — [5] *Luc.*, XV, 17. — [6] Bern., *de dilig. Deo*, post med. — [7] Aug., *de Genes. ad litt.*, lib. XII, c. XXXV. — [8] *Cant.*, VII, 1. — [9] *Matth.*, VI, 2. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. XIX.

Digitized by Google

« Tuba est omnis actus, per quem operis jactantia demonstratur. »

Secundum signum, est sobria tristitia et exultatio mentis. Unde Christus dicit [1] : *Cum jejunatis, nolite fieri*, etc.; ubi Origenes dicit : « Non inveni verius signum boni cordis, quam si erumpat foras dulcedine mentis, et frequentia sobriæ exultationis et tristitiæ. »

Tertium signum est ordo correctionis, ut primo a teipso incipias, et post, alios corripias. Unde in Matthæo dicitur [2] : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Et Origenes ibidem : « Nisi fallar, nihil aliud appetis, nisi apparere justus, dum me corripis, et te negligis ; aut si me et te corripis, quare a me incipis, et non a te ? »

Quartum signum est benignitas compassionis. Unde Salvator dicit [3] : *Væ vobis, scribæ hypocritæ, qui aliis clauditis regnum cœlorum, et imponitis eis gravia onera*, etc. Gregorius : « Qui bonus est corde, benignus est compassione. »

Quintum signum est immobilitas mentis, tam in adversis, quam in prosperis, quæ, ut alter Job, anima æqualiter acceptat, dicens [4] : *Si bona accepimus de manu Domini, cur non similiter et mala?* Unde Gregorius exponens illud *Job*, primo : *Erat simplex et rectus*, dicit : « Simplex et rectus est ille, qui in adversis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur vel incurvatur, qui ad superiora totus erigitur, qui Domini voluntati humiliter subjicitur. » Hæc Gregorius. Hæc Origenes breviter enumerat dicens : « Quam pulchri sunt gressus tui in calcaneo tuo, filia principis, si in operibus, quæ agis, laudem humanam vitas; si sobrie exultas; si primo te corripias; si aliis benignitatem exhibeas; si patientiam in adversis ostendas ! » Hæc sunt signa exteriora.

Post hæc primo videndum est de signis interioribus rectæ et simplicis intentionis. De hoc nota, quod Bernardus, libro *de Præcepto et Dispensatione* [5], dicit sic : « Ut interior oculus intentionis vere (*a*) sit simplex, duo arbitror illi necessaria esse, scilicet charitatem in intentione, et veritatem in electione. » Primo necessaria est charitas in intentione. Cujus ratio est, quia charitas intentione ad omnia illa, quæ ad finem sunt principaliter intenta, dirigit et extendit, et per hoc arctius unit, cum in omnibus unum intendit, et ad unum tendit, et omnia, quantum potest, cum illo unire quærit. Unde Gregorius in *Pastorali* dicit : « Charitas divisa unire consuevit, et cor justi non dividi per multa compellit : quod tanto arctius in Deo colligit, quanto illud latius per sancta desideria spargit. »

Secundo, ad hoc quod oculus intentionis sit rectus et vere simplex, requiritur veritas in electione, quia illa non sinit errare circa finem intentum. Unde Bernardus ibidem dicit : « Quomodo denique simplex erit oculus intentionalis, cum ignorantia veritatis, etiam qui bonum diligit, et malum nescius agit? Sed illius non immerito oculum simplicem duxerim, cui neutrum bonum desit, quia ista duo oculum intentionis faciunt simplicem, scilicet amor boni, et cognitio veri. » Hæc Bernardus. Sic igitur nec charitas intentionem sinit ante finem intentum stare, nec veritas sinit eam circa finem errare. Veritas enim non amat angulos, nec ei diversoria placent, ait [6] Bernardus. Igitur opus per intentionem bonam agitur, quando illa charitate et veritate munitur. *Spiritum* igitur [7] *rectum innova in visceribus meis.*

DISTINCTIO V.

Qualiter per intentionem rectam et simplificatam spiritus humanus ad intrinsecum et æternale manerium Domini Jesu accedat, et ingrediatur.

Quinto videndum est, qualiter, per intentionem rectam et simplificatam, spiritus humanus ad intrinsecum et æternale manerium Domini Jesu accedat, et ingrediatur. De hoc nota, quod cum recta et simplex intentio sit quædam tendentia recta sine obliquitate, et simplex sine admixtione, in æternitatem a voluntate desideratam, et a ratione dictatam, consequens est, quod intentionis tendentia continua est æternitatis consideratæ approximatio, et attingentia continua. Unde Hugo, libro primo *de Arca Noe*, dicit sic [8] : « Hoc est ad Deum tendere, semper eum per desiderium quærere, per cognitionem invenire, et per gustum tangere. » Intentio charitate et veritate munita, omnia temporalia derelinquat, et ad æterna redeat, donec intentio tentio fiat, ut dicere possit [9] : *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam*, donec eum introducam in omnes mentis capacitates, tam com-

[1] *Matth.*, VI, 16. — [2] Ibid., VII, 5. — [3] Ibid., XXIII, 13 et 4, quoad sensum. — [4] *Job*, II, 10. — [5] Bern. *de Præc. et Dispens.*, c. XVII. — [6] Id., *in Ascens. Dom.*, serm. VI, post med. — [7] *Psal.* L, 12. — [8] Hug., *de Arc. Noe*, lib. I, c. IV, circa med. — [9] *Cant.*, III, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* veræ.

Digitized by Google

munes quam singulares, ubi intentio omnibus inferioribus superfertur, extra mundum constituitur, in æternis collocatur et quietatur. Unde Gregorius, vigesimo quinto *Moralium*, dicit sic : Si semel in appetitione cœlestis patriæ forti stabilitate animus pro intentione figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe exterioribus motibus eamdem intentionem suam, quasi quemdam secretum secessum petit, ibique incommutabili inhærens, et mutabilia cuncta transcendens, jam ipsa tranquillitate quietis suæ in domo, scilicet in mundo, extra mundum est. Excedit quippe omnia ima, intentione summorum; et cunctis rebus, quas non appetit, libertate quadam superesse se sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris : quia terrena omnia, quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subtus jacent. Unde per Prophetam dicitur [1] : *Statue tibi speculum*, quia dum quisque speculatur summa, supereminet infimis. » Hæc Gregorius. Si igitur spiritus noster, in se bene ordinatus, cum omnibus actionibus in unum se colligat, sursum ad æterna tendat, et licet quoad aliqua instabilis permaneat, intentione tamen in æternitate stabilis persistit, quæ non nisi in æternis stabilitur. Dicit Gregorius, et Hugo, libro quarto [2] *de Arca Noe* : « Quandiu homo ordinem suæ naturæ tenuit, quamvis per actionem variaretur, interius tamen per intentionem et amorem stabilis permansit, quia unum intendebat, et propter unum omnia faciebat, unum diligebat, et omnium voluntatum atque actionum suarum finem ad unum referebat Creatorem suum, qui solus sufficiebat. » Hæc ille. Et Basilius, exponens illud Lucæ [3] : *Porro unum est necessarium*, dicit : « Uniformis est vita christiana, ad unam tendens intentionem, scilicet gloriam Dei ; multiformis vero et varia est vita eorum qui (*a*) deforis sunt, pro libitu suo variata. »

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus ad veniendum per iter rectæ et simplicis intentionis ad æternum intrinsecum Domini Jesu dulciter ab eo invitetur (*b*).

Sexto videndum est, qualiter spiritus ad veniendum per iter rectæ et simplicis intentionis ad æternum intrinsecum Domini Jesu, dulciter ab eo invitetur (*b*), dicente sponso in Canticis [4] : *O amica mea*, propter intentionis tuæ simplicitatem, tam in quiete interioris contemplationis, quam in exercitio exterioris actionis, et in consolatione angelicæ allocutionis, me solum intendebas, cum me in lectulo quæsisti, civitates circuisti, vicos perambulasti, custodes angelicos sustinuisti : quare pertransitis his omnibus, singularis me singulariter invenisti et tenuisti. *Surge* : si enim amica mea es, surgendum est tibi, per tuæ intentionis stabilitatem, ad me incessanter tendendo, quia etsi me ut amicum invenisti, nondum tamen ad plenum cognovisti. Quære ergo faciem meam semper cum Psalmista [5] ; quia qui sine fine est amandus, sine fine est quærendus, ait Augustinus in Glossa. O *columba mea*, propter intentionis simplicitatem et unitatem. *Una* enim [6] *est columba mea*, quæ, ut dicit Vercellensis ibidem, unica simplicem habens intuitum; unde signat puram intelligentiam, contemplans divinam simplicem essentiam, ex quo simplificata magis fuit, sicut scriptum est [7] : *Estote simplices sicut columbæ. Propera* [8], propter intentionis tuæ agilitatem mihi continue approximando, quia per continuam desiderati finis intentionem, consequeris continuam approximationem ad me, qui sum [9] *principium et finis* : principium te liberaliter creans, finis te finaliter quietans. O *formosa mea* [10], propter intentionis tuæ deiformitatem. Ipsa enim intentio, ait Dominus [11], *quasi lucerna fulgoris illuminabit te*, ut jam nihil proprium in te relinquens, quod in me amorose non ordinaveris, propter quod [12] *tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni* [13] igitur ad meam divinitatem, quia intentionis tuæ tendentia non quiescit nisi in mea æternitate, quæ est secretum meum intrinsecum et æternale manerium. *Veni* autem, quia jam est itinerandi temporanea opportunitas, quia *jam* [14] *hiems transiit*. Quod Vercellensis exponens ait : « Hiems multiplici intemperie itinerantes præpedit. » Unde Dominus ait [15] : *Orate, ne fuga vestra fiat hieme vel sabbato.* « Hiemis igitur nomine, inquit Vercellensis, intelliguntur quælibet impedimenta, vel offendicula itinerum æternitatis. Horum autem itinerum offendicula sunt concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, cum omnibus familiis suis; sed

[1] *Jerem.*, XXXI, 21. — [2] Hug., *de Arc. Noe*, lib. IV, c. III, statim a princ. — [3] *Luc.*, X, 42. — [4] *Cant.*, II, 10. — [5] *Psal.* XXVI, 8. — [6] *Cant.*, VI, 8. — [7] *Matth.*, X, 16. — [8] *Cant.*, II, 10. — [9] *Apoc*, XXII, 13. — [10] *Cant.*, II, 10. — [11] *Luc.*, XI, 36. — [12] *Cant.*, IV, 7. — [13] Ibid., II, 10. — [14] *Cant.*, II, 11. — [15] *Matth.*, XXIV, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* quæ. — (*b*) *Item* invitatur.

Digitized by Google

hæc omnia jam sunt diminuta, quia jam hiems transiit. » Hæc ille. Et æstas Solis æterni, incarnati Verbi, jam in terra nostra apparuit, et ideo jam temporanea itinerandi est opportunitas. Ideo dicit Vercellensis : « Hæc itinera sibi carpit Sponsa per totam seriem Canticorum, Sponso vocante, illuminante, adjuvante, supportante et amplexante, cœlestibus paranymphis obsequia sua impendentibus. » Hæc ille. *Veni* ergo, o *amica mea*, quia *jam hiems* peccati, intentionis tuæ ascensum retrahentis, transiit. *Veni, columba mea*, quia *jam hiems* peccati, intentionis tuæ agilitatem retardantis, abiit. *Veni formosa mea*, quia *jam hiems* peccati, intentionem pulchritudinis tuæ deturpantis, recessit. *Veni* autem, *amica mea*, per intentionis tuæ singularitatem, ut me æternaliter amplexeris. *Veni, columba mea*, per intentionis tuæ deiformitatem, ut me æternaliter fruaris. Ego enim [1] *perpetua dilectione dilexi te.* Ad quam fruitionem æternam nos perducat, qui in æternum regnat æternus Deus, in æternum benedictus. Amen.

DE SECUNDO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM STUDIOSA MEDITATIO (*a*).

Secundum iter æternitatis per quod spiritus humanus tendit ad intrinsecum secretum, et æternale manerium Domini Jesu, id est, ad æternam ejus divinitatem, est æternorum studiosa meditatio. De quo itinere sunt septem per ordinem notanda.

Primum est, qualiter iter studiosæ meditationis immediate iter rectæ intentionis sequatur.

Secundum est, quid sit meditatio, et qualiter a cogitatione distinguatur.

Tertium est, qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum illuminet, et confabuletur.

Quartum est, qualiter spiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

Quintum est, qualiter allocutio divina intrinseca a nostra meditatione distinguatur.

Sextum est, qualiter spiritus humanus, per iter meditationis æternitatem Domini Jesu ingrediatur.

Septimum est, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter meditationis ad æternitatem, a Jesu invitetur (*b*).

(*a*) Cæt. edit. non habent *quod est æternorum studiosa meditatio.* — (*b*) *Cæt. edit.* invitatur. — (*c*) *Item* spiritu.

DISTINCTIO I.

Qualiter iter studiosæ meditationis iter rectæ intentionis sequatur, et de necessitate hujus itineris.

Primo igitur notandum est qualiter iter studiosæ meditationis, iter rectæ intentionis sequatur, et quæ istius itineris sit necessitas. De quo notandum est, quod cum radius rectæ et simplicis intentionis, spiritui (*c*) humano, æternum et beatificum finem omnis consolationis vel consummationis, quasi speculative præostendat, quod necessarium est, quia nisi spiritus humanus finem illum aliqualiter præcognosceret, nesciret quo tenderet, vel ubi quiesceret, et nisi illum finem aliqualiter desideraret et inveniret, nunquam quærere curaret, sed *vagus et profugus super terram*, ut alter Cain [2] a facie Domini projectus, nunquam stabilis permaneret, ut dicit Hugo, libro primo *de Arca Noe* : meditatio studiosa, per omnia discurrendo, ad hunc finem intentum investigando, quasi practice quærat, et inveniat; et spiritum ad illum cum animi ratione et exultatione non desistat adducere : ideo rationabiliter, imo necessario, iter meditationis immediate sequitur iter intentionis. Unde Richardus [3] dicit : « Meditationis studium est semper quovis industriæ labore, qualibet animi difficultate, ardua quæque apprehendere, obscura irrumpere, occulta penetrare, donec veritatem diu quæsitam inveniat, et animam sive spiritum ad veritatis contemplationem cum admiratione et exultatione adducat. » Hæc ille. Hæc etiam duo itinera mutuo se juvant. Intentioni duo sunt necessaria, scilicet amor boni, et cognitio veri, ut supra dictum est : sed meditatio hæc duo augmentat et confortat suo fervore, quia secundum Psalmistam [4] : *In meditatione mea exardescet ignis*; quia intentionem ad cognitionem veri illuminat, et quoad desiderium boni finis inflammat, ex quo intentio meditationem in finem intentum et desideratum rectius dirigit, et vehementer impellit. Item intentio finem itineris ostendit; meditatio vero viam ad summa et æterna pandit, et quæ sint necessaria itineri provide disponit, ait [5] Bernardus. Ex his patet, quare iter meditationis sequatur iter intentionis, et ejus necessitas.

[1] *Jerem.*, XXXI, 3. — [2] *Gen.*, IV, 12. — [3] Richard., *de Arc. Myst.*, c. IV. — [4] *Psal.* XXXVIII, 4. — [5] Bern., *de S. Andrea*, serm. I.

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

Quid sit meditatio, et qualiter a cogitatione distinguatur.

Secundo videndum est, quid sit cogitatio, ne spiritus humanus per viam cogitationis, pro via meditationis, iter arripiat. Oportet scire quid sit cogitatio, et quid sit meditatio, et qualiter inter se distinguantur. De quo nota quod Richardus dicit sic [1] : « Sciendum, quod unam eamdemque materiam habentia, aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur. » Multum enim a se invicem differunt hæc, quamvis quandoque in materia conveniant. Et ideo dicit Richardus ibidem, « quod cogitatio est ipsius animi aspectus, ad evagationem pronus. » Ipsa enim singulis pene momentis consuevit se ad inepta et frivola relaxare, et sine ullo discretionis freno ad omnia se ingerere; vel præcipitem dare. Meditatio vero, ut dicit idem, « est studiosa mentis intentio, ad investigandum diligenter intendens, et est providus animi intuitus, ad veritatis inquisitionem vehementer occupatus. » Ex his patet multiplex istorum differentia, ut ostendit Richardus ibidem dicens : « Prius differunt, quia cogitatio per diversa quæque lento pede graditur, sine respectu perventionis, passim huc illucque vagatur. Meditatio vero sæpe per ardua et aspera ad directionis finem cum magna animi industria pervenire nititur. Secundo differunt, quia cogitatio serpit; meditatio incedit, et ut plurimum currit. Tertio differunt, quia cogitatio est sine labore et fructu; meditatio vero, cum labore et fructu. Quarto differunt, quia cogitatio semper vagis motibus de uno in aliud transit; meditatio autem semper circa unum aliquod incessanter incedit. Quinto differunt, quia cogitatio oritur ex imaginatione, et ideo quandoque est sine ratione. » Ad cujus intellectum nota, quod, sicut dicit Richardus [2], duplex est imaginatio : una est bestialis, alia rationalis : bestialis sine utilitate et deliberatione huc illucque discurrit, quod et bestia facere potest; rationalis autem est illa qua imaginamur diversa, componendo vel dividendo prout volumus, quod bruta non possunt sic facere. Meditatio enim oritur ex ratione : unde quandoque transit in contemplationem per admirationem, et exultationem. » Hæc ille. Et sic apparet, quid sit cogitatio, et quid meditatio, et qualiter inter se differant et conveniant (*a*) : unum tamen pro altero frequenter ponitur, quia cogitatio in meditationem convertitur, ut dicit Richardus [3].

[1] Richard., *de Arc. Myst.*, lib. I, c. III. — [2] Richard., *Benj. min.*, c. XVI. — [3] Id., *Benj. maj. de Contempl.*, lib. I, c. IV. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXXI. — [5] *Luc.*, XXIV, 32. — [6] *Joan.*, I, 9. — [7] Greg., *Moral.*, lib. II, c. IV, ante med. — [8] Imo auctor, quisquis ille sit, libri *de Triplici Habitac.*, c. V, inter Oper. S. Aug., append. tom. VI.

(*a*) *Cæt. edit.* differunt et conveniunt.

DISTINCTIO III.

Qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum illuminet, et alloquatur.

Tertio, quia allocutio divina, illuminans mirabiliter a montibus æternis, mentem hominum ad ambulandum ad æterna inducit, et alleviat viam; ideo notandum est, qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum alloquatur, et de æternis quandoque quasi confabuletur, ne, sicut dicit Bernardus [4], itinerantes laboribus fatigentur, sermonibus delectati. Dicit namque Bernardus super *Cantica* sic : « Deus, quasi viator quispiam, itinerantibus sese associans, jucundis confabulationibus suis, a labore viæ omnem hominem relevat et commutat, ita ut, eo discedente, loquantur [5] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* » Hæc ille.

Primo ergo videndum est, qualiter Deus in meditationibus nostris cum spiritu nostro loquatur et confabuletur. De quo notandum est, quod Dionysius in principio *Angelicæ Hierarchiæ* dicit : « Pater æternus lumen generat simplicissimum in essentia, et ipsum universale lumen ab ipso Patre prodiens, ad communicandum sui cognitionem et participationem, non solum admittit cœlestes mentes, sed et ad nos per distributionem bonitatis suæ venit, ut nos, ab infimis separatos, suscitet ad sui desiderium et cognitionem, et remota mentis distractione, convertit nos ad congregantis Patris visionem æternam. » Hæc ille. Et hoc est [6] lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quantum in se est : sed divina illuminatio, est inspirata Dei locutio. Unde Gregorius, secundo *Moralium* [7], dicit : « Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. » Et Augustinus [8], *de triplici habitaculo*,

Digitized by Google

dicit sic : « Dei locutio est occulta inspiratio, qua mentibus suam voluntatem, et suam veritatem ostendit visibiliter. » Sic et Gregorius, secundo *Moralium* [1] ostendit, quod Deus nos alloquitur per inspirationem mentis intrinsecam. Unde et trigesimo quinto *Moralium* [2] dicit sic : « Loquitur quippe Deus intrinsecus silenter, sonans invisibili lingua compunctionis, et quanto plenius intus auditur, tanto ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius audiens avertitur, ut cum Propheta David dicat [3] : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, etc., *in his qui convertuntur ad cor*, id est, mentem, in qua Deus, tanquam in imagine sua, habitare dignatur. Quomodo autem ibi habitaret Æternus, et non loqueretur de æternis ?

Secundo nota quis divinam allocutionem audiat. Ad hoc respondit Dominus, dicens [4] : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Et in Apocalypsi [5] : *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quod exponens Richardus ibidem dicit : « Aures audiendi habet ille, qui spiritum habet intelligendi, et affectum diligendi, et promerendi ea quæ dicuntur vel promittuntur. » Unde Dominus loquens Judæis surdis quantum ad auditum interiorem, sive sensum spiritualem, dixit [6] : *Quare non cognoscitis loquelam meam ? Quia non potestis audire sermonem meum*, quia ex Deo non estis, sed *ex patre diabolo estis*, qui *in veritate non stetit*, et ideo *mendax est* : sed *qui ex Deo est, verba Dei audit*, et *si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Sed qui vivit, habet sensus interiores spirituales vivaces ; sed tamen non omnes habent eos exercitatos et apertos ad audiendum verbum Dei. Nisi enim sensus auditus interior excitetur, et a Jesu aperiatur, spiritus noster surdus et mutus ad audiendum efficitur, ut de talibus dicatur illud Psalmi [7] : *Aures habent, et non audient* Deum intus loquentem : nec enim est spiritus in ore ipsorum ad Deum alloquendum. His concordat Gregorius, vigesimo septimo *Moralium* [8], ubi dicit sic : « Vox Domini auditur, cum gratiæ ejus aspiratio mente concipitur : cum sensualitas occultæ nostræ surditatis rumpitur, tunc auditus reparatur. » De hoc nota infra, in sexto itinere, distinct. IV.

Sed qualiter sensus interiores reparantur et excitantur ? Docet Apostolus *ad Romanos*, ubi dicit [9] : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, scilicet secundum spiritum. *Qui autem secundum spiritum vivunt* (*a*), *quæ spiritus sunt, sentiunt*, id est, spiritualia ejus sapiunt. Cujus ratio est, quia, vivificato spiritu, vivificatur et sensus spiritus, ut in spiritualibus exercitentur, et delectentur in eis, scilicet in spiritualibus : quod non solum verum est de sensu interiori auditus, sed etiam de omnibus sensibus interioribus. Quod etiam probatur in libro *de Spiritu et Anima*, ubi dicitur sic [10] : « Cum exterior sensus carnis bono suo utitur, interior sensus quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate exteriorum bonorum capitur. Nam qui in carne vivit, in carne sentit, et dolores carnis fugit, quantum potest, et consolationes quærit carnis ; sed talis vulnera animæ prorsus ignorat : ideo nec medicinam quærit eis. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, nunc vivificari incipiet sensus interior, quo sentit semetipsum, et tunc sciet dolores suos spiritus, sentire incipiet sua vulnera, et etiam oblectamenta sua, et tanto perfectius, quanto intimius. » Hæc ille. Tales ergo, cum jam habent interiorem auditum apertum, audiunt Deum in se loquentem, ut dicant illud Psalmi [11] : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Et de hoc infra, in sexto itinere, dist. III.

Tertio etiam nota, quod, sicut patet per Gregorium, secundo *Moralium* [12], « Deus non omnes æqualiter alloquitur in meditationibus suis, nec unumquemque hominem omni tempore æqualiter alloquitur, sed prout unicuique opus est. » Quare et Dominus discipulis dixit [13] : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

Item sciendum est, quod Dominus multipliciter loquitur nobis : primo, aliquando acriter arguendo, dicens [14] : *Quos amo, arguo et castigo.* Quod Richardus et Haymo exponentes, dicunt : « Ut ad illud, quod Dominus suadet, nos perducat, proponit arguere et castigare quos amat ; ideo libenter toleranda sunt jus verba et verbera. » Secundo, terribiliter com-

[1] Greg., ubi sup. prox. — [2] Ibid., lib. XXXV, c. III, et lib. XXVII, c. XIII, post med., in sensu. — [3] *Psal.* LXXXIV, 9. — [4] *Matth.*, XI, 15. — [5] *Apoc.*, II, 11. — [6] *Joan.*, VIII, 43 et seq. — [7] *Psal.* CXIII, 6. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXVII, c. XIII, paulo post princ. — [9] *Rom.*, VIII, 13. — [10] *De Spir. et Anim.*, c. IX. — [11] *Psal.* CXVIII, 140. — [12] Greg., *Moral.*, lib. II, c. IV. — [13] *Joan.*, XVI, 12. — [14] *Apoc.*, III, 19.

(*a*) Vulg. *qui vero sec. sp. sunt.*

Digitized by Google

minando, dicit [1] : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et in ignem mittetur, et ardet.* Tertio, prudenter docendo, dicit [2] : *Vos dixi amicos*, quare? *Quia omnia, quæ a Patre meo audivi, nota feci vobis*, scilicet quæ necessaria ad salutem fuerunt, ait Chrysostomus [3]. In Matthæo [4] : *Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quarto, utiliter suadendo, dicens [5] : *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* « Per aurum, ut dicit Richardus ibidem, signatur charitas, quæ ut aurum fulget, quæ dilectione fervet, quæ in tribulatione fornacem examinationis sustinet. » Hæc ille. Quinto, veraciter promittendo, unde ait Dominus [6] : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Hic tria promittit, scilicet dilectionem, visitationem et mansionem. Quid majus his? Sexto, dulciter consolando, dicens [7] : *Comedite, amici mei, et inebriamini, carissimi.* Comedite corpus meum, bibite sanguinem meum, et inebriamini divinitate mea. « Verbum caro factum est, ut cibus Angelorum fieret cibus hominum, » ait Gregorius. Septimo, familiariter susurrando; unde in *Job* dicitur [8] : *Porro dictum est ad me verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri* (*a*) ejus. Quod Gregorius exponens, quinto *Moralium*, dicit [9], quod « per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligitur, quæ mentem sive spiritum contingens sublevat, et temporales cogitationes deprimens, hanc æternis desideriis inflammat, ut nihil nisi superna cogitare libeat, et cuncta inferiora contemnat. Absconditum igitur verbum audire, est locutiones sancti Spiritus in corde concipere, quem mundus audire non potest, quia Spiritum Sanctum accipere non potest, qui ad diligenda invisibilia non assurgit. » Hæc Gregorius. Sequitur : *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri* (*a*) ejus, ubi dicit Gregorius : « Susurrium occulti verbi est ipsa locutio aspirationis internæ. Venæ autem susurrii, dicuntur earum cogitationes, quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Venas igitur superni susurrii auris cordis furtive suscipit, quando subtilitatem locutionis intime afflata mens raptim et occulte cognoscit. Nisi enim ab exterioribus desideriis se abscondat, interna non penetrat, et occultatur ut audiat, et audit ut occultetur. » Hæc ille. Verba hujus divini susurrii quandoque sic sunt abscondita et occulta, ut in intimis audita, extra dici non possint. Unde dicit Gregorius, vigesimo quinto *Moralium* [10] : « Rivuli spiritualium donorum, in amantis mente, ita de cœlestibus subtiliter currunt, ut per os carnis explicari non possunt. » Hæc ergo *nemo scit, nisi qui accipit*, ait Dominus in Apocalypsi [11], ubi dicit Haymo : « Qui ad hoc prædestinatus est, » vel, ut dicit Augustinus ibidem : « Qui acceperit per experientiam, vel per revelationem. » Et hujus allocutionis habuit experientiam, qui dixit [12] : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Sic igitur apparet, qualiter Deus spiritum nostrum in meditationibus alloquatur.

DISTINCTIO IV.

Qualiter spiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

Quarto videndum est, qualiter spiritus noster, sive mens nostra, in meditationibus suis Deum se alloquentem alloquatur. Cum enim Deus, ut jam supra dictum est, spiritum sive mentem nostram in meditationibus quandoque tam amicabiliter et dulciter alloquatur, ut spiritus noster quasi admirando cum Propheta clamet [13] : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo :* condecens et necesse est, ut spiritus noster Deum, alloquentem se, humiliter et dulciter cum reverentia et cum gratiarum actione alloquatur, dicens cum Psalmista [14] : *Si immaculatus ero, erunt, ut complaceant, eloquia oris mei*, quantum ad allocutionem exteriorem; *et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, quantum ad allocutionem interiorem. De hac allocutione dicit Bernardus [15] : « Sicut quondam Moyses quasi amicus ad amicum cum Domino loquebatur, et Dominus respondebat, ita et nunc inter Verbum et animam, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur allocutio. Nec mirum : ex uno enim fonte amoris unicui-

[1] *Joan.*, XV, 6. — [2] Ibid., 15. — [3] Chrys., *in Joan.*, hom. LXXVI, al. LXXVII, n. 1. — [4] *Matth.*, V, 2, 3. — [5] *Apoc.*, III, 18. — [6] *Joan.*, XIV, 23. — [7] *Cant.*, V, 1. — [8] *Job*, IV, 12. — [9] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XVI, statim a princ. — [10] Ibid., lib. XV, c. XI. — [11] *Apoc.*, II, 17. — [12] *Cant.*, V, 6. — [13] *Psal.* CXVIII, 103. — [14] *Psal.* XVIII, 15, 16. — [15] Bern., *in Cant.*, serm. XLV, in princ.

(*a*) Vulg. *susurrii.*

Digitized by Google

que influit diligere invicem, et confoveri pariter. Dulciora ergo melle volant hinc inde totius in se verba suavitatis, et mutui feruntur aspectus, sancti indices amoris, cum dicat alter in Canticis [1] : *Ecce tu pulchra es, amica mea*; et statim altera dicat : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi.* Ibidem : *Lectulus noster floridus.* » Hæc ille.

Primo igitur de ista allocutione notandum est, quod Deus summe affabilis, ut spiritum sive animam ad hanc allocutionem animet et incitet, ipse prior alloquitur eam, dulciter invitando ad se alloquendum, dicens [2] : *Sonet vox tua in auribus meis*, id est, desideriuum tuum. Et reddit illius rationem, dicens [3] : *Vox enim tua dulcis*; quia procedit a fonte dulcedinis inspiratæ charitatis, et ex fonte candidæ et sapidæ veritatis, ideo in spiritu et veritate sonent in auribus meis. Et quia verba tua exteriora dulcescunt ex dulcedine verborum interiorum, ideo [4] *favus distillans* sunt *labia tua*, quantum ad verba exteriora, quia mel dulcis charitatis, et lac candentis veritatis sub lingua tua abscondita sunt quantum ad verba interiora; ideo dicit [5] : *Eloquium tuum dulce.*

Secundo de ista allocutione nota, quid sit os animæ vel spiritus, et quid lingua quibus Deum alloquimur. Gregorius, quinto decimo *Moralium* [6], dicit, quod os cordis, id est, animæ, est meditatio sive cogitatio; alias Propheta non diceret [7] : *Labia dolosa, in corde et corde locuti sunt. Ex abundantia* enim [8] *cordis os* (*a*) *loquitur*, tam spirituale, quam corporale, sive bonum, sive malum. Lingua vero spiritus, sive animæ, quid sit, ostendit Bernardus dicens [9] : « Verbum Dei est spiritus, et anima est spiritus, et habent linguas suas, quibus sibi se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et Verbi divini lingua, est favor dignationis. Animæ vero lingua, est fervor devotionis. » Et sequitur ibidem : « Elinguis est anima atque infans, quæ hanc non habet, et nullatenus potest illi esse sermocinatio cum Verbo Dei. Ideo cum Verbum hujusmodi linguam movet, volens ad animam loqui, non potest anima non scire, vel sentire ejus sermonem. *Vivus est enim* [10] *sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritus et animæ.* Et rursum, cum sua verba movet anima, Verbum Dei multo minus potest latere, non propter hoc quia ubique præsens, sed magis propter hoc quod, nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum moveretur. » Hæc omnia Bernardus, et Gregorius.

Tertio necessarium puto, circa istam allocutionem spiritualem, scire quid sint verba spiritus et animæ, et qualiter diversimode Deum alloquatur (*b*) anima. De hoc dicit Gregorius, secundo *Moralium* [11], sic : « Animarum verba sunt ipsa desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret [12] : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua.* Magnum desiderium est magnus clamor. Tanto ergo minus clamat quis, quanto minus desiderat; et tanto majorem vocem in aure circumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderio plenius fundit. » Inde dicit Augustinus, decimo libro *Confessionum* [13], quod « nihil corporale in spirituali allocutione imaginandum est. » Unde Bernardus dicit [14] : « Quoties legis vel audis Verbum æternum et animam pariter colloqui, et se invicem intueri, noli imaginari corporeas voces, vel apparere corporeas imagines, quia hæc locutio Verbi est infusio doni, et responsio animæ est admiratio cum gratiarum actione. » Hæc Bernardus. Sed Gregorius, secundo *Moralium* [15], dicit : « Vox animæ per distincta verba se explicat, dum se per innumeros modos admirationis format. » Ideo notandum est, quod anima, sive spiritus humanus, secundum diversa desideria et diversos modos admirationis, diversimode Deum alloquitur in suis meditationibus; qui licet sint infiniti, tamen ad septem reducuntur. Quandoque enim eum animus alloquitur ut Deum, fideliter adorando, ut quando in meditationibus suis desideria sua in vera fide et sincera charitate soli Deo exhibet quod soli Deo debetur, quia *scriptum est* [16] : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Veri adoratores sunt [17], qui eum *in spiritu et veritate* adorant, ita quod concordat cultus exterior interiori. Soli autem Deo servitur, cum totus homo in Deum per intentionem ordinatur.

Anima in oratione multipliciter loquitur cum Deo.

Secundo, ut Creatorem, vehementer admirando, ut quando cum stupore mentis divino-

[1] *Cant.*, I, 14, 15. — [2] Ibid., II, 14. — [3] Ibid., 14. — [4] Ibid., IV, 11. — [5] Ibid., 3. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. V, post med. — [7] *Psal.* XI, 3. — [8] *Matth.*, XII, 37. — [9] Bern., *in Cant.*, serm. XLV, post med. — [10] *Hebr.*, IV, 12. — [11] Greg., *Moral.*, lib. II, c. IV, ante med. — [12] *Psal.* X, 17. — [13] Aug., *Conf.*, lib. X, c. II, in sensu. — [14] Bern., ubi sup. proxim. — [15] Greg., *Moral.*, lib. II, c. IV, ante med. — [16] *Matth.*, IV, 10; *Deut.*, VI, 13. — [17] *Joan.*, IV, 24.

(*a*) Cæt. edit. deest *os*. — (*b*) *Cæt. edit.* alloquitur.

Digitized by Google

rum operum et factorum magnitudinem rimamur, per gradus admirationis ascendendo usque ad mentis excessum, ait Richardus,[1], ut clamet cum Apostolo [2] : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, etc. Et Psalmista [3] : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!*

Tertio, ut Patrem, confidenter deprecando, ut quando desideria filialis necessitatis ad paternam clementiam humiliter clamant, dicendo : *Pater noster, qui es in cœlis*, etc., in quo omnes petitiones nobis necessariæ includuntur. Gregorius, vigesimo secundo *Moralium* [4], dicit : « Vera postulatio non est in vocibus oris, sed in cogitationibus cordis. Valentiores voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria petitoria. »

Quarto, ut Dominum, humiliter honorando, ut quando se inutilem reputans servum, nihil boni sibi ascribit, sed omnia a Domino, largitore omnium, se gratis recipere cognoscit. Unde Gregorius, sexto decimo *Moralium* [5], dicit, sic recitans illud Psalmi [6] : *Dixi Domino ; Deus meus es tu : quoniam bonorum meorum non eges*, et dicit : « Talis vere nobis Dominus est, qui bono servi non indiget, sed bona confert. »

Quinto, ut judicem, horribiliter timendo, ut quando trepidis desideriis reatum et infirmitatem propriam cum confidentia infinitæ misericordiæ insinuat, dicens illud Job [7] : *Loquar in amaritudine animæ meæ ;* ubi dicit Gregorius [8] : « Amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguit supplicia sequentis iræ. » Quare confidenter dicit : *Noli me condemnare.* (Si autem dicis : Non (*a*) condemnabo te; ergo) *indica mihi cur me ita judices.* Respondet dicens per Apostolum [9] :*Cum a Domino judicamur, corripimur, ut non cum hoc sæculo damnemur.*

Sexto, ut socium, familiariter confabulando, ut quando anima, divina allocutione refecta, e converso seipsam cum gratiarum actione in fervore desideriorum socialiter se exhibet, et familiariter se alloquentem alloquitur. Quod autem societas possit esse inter Deum et animam, dicit Apostolus [10] : *Fidelis Deus per quem* (*b*) *vocati estis in societatem Filii ejus.* Et Joannes [11] : *Si in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habebimus ad invicem.* Quod autem mutuo se et socialiter alloquantur, patet supra [12], ubi dicitur, quod Deus quasi viator itinerantibus sese associat, et jucundissimis confabulationibus suis a labore viæ relevat omnem hominem, et commutat, etc.

Septimo, ut sponsum, dulciter susurrando, ut quando, præ magnitudine amoris, occulta et intima desideria nec ad plenum formare valet, nec plene exprimere. Cum enim Dominus Deus cum anima susurrat (*c*), ut supra [13] dictum est, necesse est ut anima cum Deo susurret. Susurrium autem divinum, ut ait Gregorius, quinto *Moralium* [14], est cum animam tam intima inspiratione alloquitur, ut per os carnis exprimi non possit. » Sic et susurrium animæ est, ut cum ad intima sua reducta fuerit per divinum susurrium, concipiat verba, quæ per os carnis exprimere non potest. Hoc autem susurrium non fit, nisi in silentio et in solitudine. Ideo dicit Dominus per Prophetam Oseam [15] : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* Ducit autem in solitudinem, vocando eam ad sua intima, ut sola cum solo loquatur, in nullo impedita. Unde Canticorum ultimo dicit [16] : *Fac me audire vocem tuam :* ac si dicat : Ego intimus menti sum, tu autem exterius adhuc quasi longe distas, ait Vercellensis : et ideo vox tua, quasi exterior, minus audibilis ; tanquam frigida, et adeo minus gratiosa : et ideo fac me audire vocem tuam in intimis ardentissimorum desideriorum. Unde Vercellensis, exponens idem verbum, dicit : « Sponsus trahens se ad interiora supernarum allocutionum, ut animam ad interiora desideriorum provocet, et eo ferventiora desideria in ea suscitet, dicit : *Fac me audire vocem tuam* in intimis tuis. Non enim est sponso vox audibilior, quam fervens desiderium sui. » Hæc ille. « Ex quo patet, ait Vercellensis, quod Dominus ostendit nihil nobis esse salubrius, nihil in nobis esse Deo jucundius, nihil in portione Mariæ esse perfectius, quam in fervore desideriorum ecstaticorum, in divinum radium extentorum, incessanter exerceri, semper in supernis jucundando in intima Dei allocutione. » Ibi audit verba arcana, quæ non licet homini loqui, ait Hugo [17], *super Angelicam hierarchiam.*

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. II, c. I, in princ. — [2] *Rom.*, XI, 33. — [3] *Psal.* CIII, 24. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XIII, ante med. — [5] Ibid., lib. XVI, c. I. — [6] *Psal.* XV, 2. — [7] *Job*, X, 1. — [8] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXIV, statim a princ. — [9] I *Cor.*, XI, 32. — [10] Ibid., I, 9. — [11] I *Joan.*, I, 7. — [12] Vid. sup., dist. III, huj. itin., pag. 410. — [13] Vid. ibid., per totum, pag. 410-412. — [14] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XIX et XX. — [15] *Ose.*, II, 14. — [16] *Cant.*, VIII, 13. — [17] Hug., *in cap. sept. Angel. Hierarch.*, lib. VI, ante med. — (*a*) *Delend.* Non. — (*b*) Cæt. edit. *Fides est per quam.* — (*c*) *Item* susurret.

Digitized by Google

DISTINCTIO V.

Qualiter allocutio divina a nostra meditatione distinguatur.

Quinto, quia simillima sunt cogitata nostræ mentis sermonibus veritatis, ideo necesse est, ut arbitror, scire qualiter allocutio divina a nostra meditatione distinguatur. De quo notandum est, quod cum secundum Augustinum [1], *de Triplici Habitaculo*, allocutio Dei sit « divina inspiratio, qua mentibus nostris suam voluntatem et suam veritatem invisibiliter ostendit; » meditatio autem humana sit « studiosa mentis intentio ad investigandum veritatem, diligenter insistens cum labore, » ait Richardus [2], planum est, quod meditatio humana ab allocutione divina multipliciter distinguatur.

Primo distinguuntur in hoc, quia allocutio divina præcedit et inchoat meditationem humanam. Dicit enim Apostolus, quod [3] *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis:* quanto minus sumus sufficientes aliquid meditari ex nobis, tanquam ex nobis! cum meditatio perfectior sit cogitatione, sicut dicit Richardus, libro primo, capite tertio. *Sufficientia autem* [4] *nostra ex Deo est.* Unde Sapiens [5]: *Cor hominis phantasias patitur, nisi ab Omnipotente juvetur et illustretur.* Cui concordat Bernardus, sermone quadragesimo sexto [6] super *Cantica*, ubi loquens de spirituali locutione, quæ fit in meditatione, dicit : « Lingua animæ est fervor devotionis. Et elinguis est anima, et infans, quæ hanc non habet, et non potest illi esse sermocinatio cum Verbo, et, nisi ipso Verbo divino stimulante, devotionis lingua nunquam ad loquendum movetur. » Nisi ergo allocutio divina, sive inspiratio, mentem ad meditandum excitet, et inspiret spiritui quid, qualiter, et quando de divinis sit meditandum, humana meditatio vana et inutilis remanet, quia in ea non exardescit ignis devotionis, sed ignis vanitatis et cupiditatis.

Secundo distinguitur, quia allocutio divina meditationem humanam instruit, et verificat. Allocutio enim divina ex inspiratione divina procedit a veritate infallibili, docens loqui et meditari cœlestia, et supernaturalia ostendit, ut supra dictum est; meditatio autem oritur ex ratione humana, ut dicit Richardus, libro primo, capite tertio. Qualiter ergo ratio meditationem de cœlestibus instruet vel verificabit, cum ipsa sine inspiratione et unctione, quæ *de omnibus docet*, ut dicit [7] Joannes, non possit se extendere ad supernaturales veritates, et ideo, circa talia, cæca et muta est? Qui enim [8] *de terra est, de terra loquitur.* Super quibus verbis dicit Augustinus [9], quod homini secundum se considerato, non convenit loqui nisi terrena. Talis enim ex propriis loquitur, et [10] *animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt.* Talis [11] *iniquitatem meditatus est in cubili suo*, ait Psalmista, id est, in corde suo, de quo [12] *exeunt furta, homicidia*, etc. Divina autem allocutione adveniente et audita in interiori inspiratione, tota meditatio instruitur et verificatur. In inspiratione enim idem est dicere, et illuminare; audire, et videre : quia, sicut dicit Gregorius, secundo *Moralium* [13], « quasi audiri dicitur, quod videntibus inspiratur. Loquendo, veritas docetur; illuminando, veritas videtur. » Hæc ille. Experientia prædictorum patet, quia cum ex abundantia cordis os loquatur, tam cordis, quam corporis; de corde sic inspirato non exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, et cætera talia, sed meditationes odoriferæ, verba dulcia, ut talis anima dicere possit illud Canticorum [14] : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Dilectus *inter ubera*, id est in mea memoria, ait Glossa, commoratur per continuam meditationem, ut fasciculus myrrhæ, quæ corpora a putredine conservat, et vermes mortificat, ait Vercellensis : et ideo fasciculus myrrhæ signat suavissimam fragrantiam sanctarum meditationum de Deo, quæ mentem a putredine et corruptione mortalium præservat, et vermes, id est, offendicula meditationum mortificat. Talis meditationis *eloquium* est [15] *dulce.*

Tertio patet distinctio inter allocutionem divinam et meditationem, quia allocutio divina meditationem humanam perficit et consummat. Dicit namque Dionysius [16], quod bona naturalia perficiuntur per bona supernaturalia. De bonis autem naturalibus animæ dicit Glossa super

[1] Imo auctorem, quisquis ille sit, libri *de Tripl. Habit.*, c. v, statim a princ., inter Oper. S. Aug., append. tom. VI. — [2] Richard., *de Contempl.*, lib. II, c. III. — [3] II *Cor.*, III, 5. — [4] Ibid. — [5] *Eccli.*, XXXIV, 6. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. XLVI, post med. — [7] I *Joan.*, II, 27. — [8] *Joan.*, III, 31. — [9] Aug., *in Joan.*, tract. XIV, n. 8. — [10] I *Cor.*, II, 14. — [11] *Psal.* XXXV, 5. — [12] *Matth.*, XV, 19. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. IV, ante med. — [14] *Cant.*, I, 12. — [15] Ibid., IV, 3. — [16] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. I.

Digitized by Google

principium *Canticorum* sic : « Omnes animæ motiones universitatis Conditor creavit ad bonum, scilicet æternum, ad quod tantum per se pervenire non poterant', nisi supernaturalibus bonis supernaturaliter perficerentur. » Unde dicitur ibidem : « Disce motus animæ tuæ et naturalis amoris incendium ad meliores transferre, » scilicet ad supernaturales perfectiones. Motus enim animæ tam intellectuales quam affectuales, inter Deum et animam, in meditationibus quasi quidam nuntii discurrunt, qui inutiles et indigni erunt in conspectu Dei, nisi lumine veritatis et fervore charitatis per divinum alloquium præveniantur; alioquin, si homo ex propriis loquatur, mendax invenitur. Hæc enim dona supernaturalia faciunt motus mentis, tam intellectuales, quam affectuales, dignos et acceptos in conspectu Dei, tanquam filias Judæ et Hierusalem regem suum in decore suo videntes. De istis nuntiis loquens Richardus dicit sic [1] : « Quotidie, ni fallor, qui meditationi et locutioni insistitis, Dei nuntios suscipitis. Quoties enim, ex abditis Scripturæ recessibus, novos intellectus eruimus, quid aliud quam quosdam dilecti nostri nuntios recipimus? Huic sane negotio subservit omnis sacra lectio, sagaxque meditatio. Alii namque legentibus, alii meditantibus, divinorum secretorum internuntii occurrunt, qui dilecti nostri ad nos mandata perferunt, et de singulis instruunt [2]. Non enim decet amantes mutua studia, mutuaque in alterutrum desideria nescire, neque sufficit æstuanti animæ ardentique desiderio (*a*) semel audire dilectum. Obsecro ergo [3] : *Manda, remanda.* Nuntius medius inter nos discurrat, qui me de singulis instruat, doceat me non solum super statum meum, sed et de statu tuo doceat, quomodo apud te sit, vel quid tibi de me placuerit. » Hæc ille.

Qualiter cognosci possit an aliqua motio sit a Deo, vel a dæmone.

Sed qualis differentia inter nuntios veros, et falsos sit', et quomodo cognoscamus, docet Richardus dicens sic [4] : « Divinus nuntius procul dubio est, per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoscimus, per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad æternorum desiderium inflammamur. » Hæc ille. Ex quo patet istorum nuntiorum differentia. Nuntiantes enim nobis quæ sunt contra Dei voluntatem, vel de mundanis, vel de his quæ sunt carnis, sunt falsi nuntii, quæ carnis sunt sentientes, quia caro et sanguis revelavit eis. Alii vero sapiunt quæ Dei sunt, quia Pater revelavit eis : ergo [5] *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* [6] *Aqua frigida animæ sitienti, bonus nuntius de terra longinqua.*

Sed Bernardus aliter distinguit inter allocutionem divinam, et meditationem humanam, dicens [7] : « Sunt quædam verba nostri sponsi ad nos, nostræ meditationes de ipso et de ejus gloria, elegantia, potentia et majestate : et non solum hæc; sed et cum versamus avida mente testimonia ejus, et judicia oris ejus', et in lege ejus meditamur die ac nocte, sciamus pro certo adesse Sponsum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Tu ergo cum tibi talia volvi animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit [8] : *Ego qui loquor justitiam.* » Sequitur : « Similia enim sunt cogitata nostræ mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis, nec facile quis discernit, quid intus cor suum portet (*b*), quidve intus audiat, nisi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem, quia [9] *de corde exeunt cogitationes malæ,* et illud [10] : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* et : Loquitur mendacium [11], qui de propriis loquitur. Apostolus autem [12] : *Non sumus sufficientes,* inquit, *cogitare aliquid ex nobis* tanquam ex nobis, subaudi, bonum, *sed sufficientia nostra ex Deo est.* » Sequitur : « Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est; si bona, sermo Dei est. Illa cor nostrum dicit; hæc audit, si bona sunt. *Audiam,* ait Propheta [13], *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, et his similia, de corde exeunt, nec illa audimus, sed ea dicimus. » Sequitur : « Fiunt tamen quandoque in cordibus [14] *immissiones per angelos malos,* ut in cor Judæ [15] misit diabolus, etc.; nec talia de corde exeunt, sed ei immittuntur. Quid autem in his tribuatur cordi, vel quid hosti, et quando, incertum est

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XIV, ante med. — [2] Ibid., c. XIII, ante med. — [3] *Isa.*, XXVIII, 10. — [4] Richard., ibid., lib. V, c. XIII, ante med. — [5] *Matth.*, VII, 16. — [6] *Prov.*, XXV, 25. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XXXII, ante med. — [8] *Isa.*, LXIII, 1. — [9] *Matth.*, XV, 19. — [10] Ibid., IX, 4. — [11] *Joan.*, VIII, 44. — [12] II *Cor.*, III, 5. — [13] *Psal.* LXXXIV, 9. — [14] *Psal.* LXXVII, 49. — [15] *Joan.*, XIII, 2.

(*a*) *Cæt. edit.* desideria. — (*b*) *Cæt. edit.* portat.

Digitized by Google

mihi; sed hoc quidem sine periculo est. » Sequitur : « Sed sane aliud est, ubi periculose, imo damnabiliter erratur, atque ubi certa regula præfigitur, ne quod Dei est in nobis, demus nobis, putantes Verbi visitationem, nostram cogitationem. Quantum ergo distat bonum a malo, tantum distant ista duo a se : quoniam nec de Verbo malum, nec de corde exit bonum, nisi forte quod prius de Verbo concepit. Sciant enim inimici gratiæ, absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum : sed sufficientia ejus ex Deo est. Et sciant qui cogitant bonum, vocem Dei esse, non cordis prolem existere. Vide autem quoniam verbum Dei quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, sed prosperatur, et facit omnia ad quæ misit illud, ut dicere possis et tu [1] : *Gratia Dei in me vacua non fuit.* » Sequitur : « Felix mens cui individuus comes ubique se affabilem præbet, cujus indesinenter oblectata suavitate facundiæ, a carnis molestiis et vitiis sese vendicat, omni hora redimendo tempus a diebus malis, quoniam talis non conturbabitur, sicut dicit Scriptura [2], *quidquid acciderit ei.* » Hæc omnia Bernardus.

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini ingrediatur.

Sexto videndum est, qualiter spiritus noster in itinere studiosæ meditationis intrinsecum secretum, æternum manerium Domini Jesu ingredi conetur (*a*). Circa quod notandum est, quod cum Verbum æternum se spiritui nostro in meditatione sua, quasi quemdam viatorem, jucundissimis confabulationibus associet ipsum de temporalibus abstrahendo, de æternis instruendo, ad æterna invitando, ut ex prædictis patere potest, ideo necesse est, ut spiritus noster temporalia fugiat, quia ex hoc æternis appropinquat, et ad interiora deserti cum Moyse intrat, ut de æternis audiat, in solitudine meditationis assiduæ permaneat, in æterna introeat, et cum Apostolo Paulo *conversationem* [3] *in cœlis* habeat, ut cum Psalmista dicere possit [4] : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Quod verbum exponens Bernardus, super *Cantica*, dicit sic [5] : « Non fuit contentus exire, nisi et longe se faceret, ut quiescere posset. Et si transilisti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris et curis, perfecisti et separasti te, sed nondum te elongasti; nisi et irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum, transvolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si circa te invenire æstimas locum secretum quietis et solitudinis, secretum luminis et habitaculum pacis. » Hæc Bernardus.

Utanima ad perfectionem perveniat contemplationis, temporalia fugere debet.

Sed nota, quod hæc solitudo meditationis in mente est humana, ut dicit Gregorius, quarto *Moralium*, dicit enim [6] : « In solitudine manere, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et in una intentione æternæ patriæ, amorem intimæ quietis anhelare. » Sequitur : « A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto verius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret. » Hæc ille. Unde Psalmista manens in solitudine illa, ait [7] : *Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.* In quibus verbis dicit Propheta se a duobus malis liberatum in solitudine, quæ consueverunt impedire ambulantes in tenebris æternitatis, scilicet a pusillanimitate spiritus, et tempestate. Primum est interius, secundum est exterius. Primum, scilicet pusillanimitas, est ex defectu fidei : ex quo omnia interiora impedimenta oriuntur, quia spiritus sine fide infirmus est usque ad mortem. Ab hac pusillanimitate in solitudine tantum salvatus fuit, ut dicat [8] : *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.* Quod Gregorius exponens, vigesimo sexto *Moralium* [9], dicit : « Murus est omne quod itineri nostro objicitur ne ad Deum, quem diligimus, transeamus : sed murum transgredimur, cum præ amore illius omnia mundi delectamenta calcamus. »

Secundum, scilicet tempestas, est ex defectu charitatis, ex quo oriuntur impedimenta itinerantium ab exteriori, quia omnis tempestas exterior frequenter generat interiorem, nisi adsit charitas, quæ omnia suffert. Ab hac tempestate in solitudine Psalmista tantum liberatus fuit, ut diceret [10] : (Quoniam in solitudine expectabam), *perfecit pedes meos tanquam cervorum.*

[1] I *Cor.*, XV, 10. — [2] *Prov.*, XII, 21. — [3] *Philip.*, III, 20. — [4] *Psal.* LIV, 8. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LII, circa med. — [6] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXVIII, circa med. — [7] *Psal.* LIV, 9. — [8] *Psal.* XVII, 30. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. X. — [10] *Psal.* XVII, 34.

(*a*) *Cæt. edit.* conatur.

Digitized by Google

Quod Gregorius, vigesimo sexto *Moralium* [1], exponens dicit: « Electorum mentes *cervi* dicuntur, dum quæque, quæ in hoc mundo obviantia, obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum, despectis terrenarum rerum sentibus, in superna, id est æterna, se evehunt. » Hæc ille. Igitur in hac meditatione solitaria, sola cum solo secure manet, a temporalibus abscondita, æternis veritatibus, meditatione fidei et charitatis fervore vivificata et stabilita. Quod etiam Hugo, lib. secundo *de Arca Noe*, ostendit, dicens [2]: « Si per studium meditationis assidue cor nostrum inhabitare cœperimus, jam quodammodo temporales esse desistimus, et quasi mortui mundo facti, intus cum Deo vivimus, tunc quidquid fortuna extra molitur, facile contemnimus, quia ibi fixum est nostrum desiderium, ubi mutabilitati non subjacemus. » Ecce jam studiosa mentis meditatio in tantum se exercuit et perfecit, quod in contemplationem transivit. Et hoc est, quod dicit Richardus [3]: « Veritatem per meditationem diu quæsitam, tandem inventam, mens solet cum aviditate suscipere, mirarique cum exultatione, ejusdem quoque admirationi diutius inhærere: et hoc est jam meditando meditationem excedere, et per meditationem in contemplationem transire, sicut etiam cogitatio quandoque in meditationem transit. » Hæc ille. Ex his apparere potest, quomodo spiritus humanus per meditationem æternorum a temporalibus recedit, et æternis inhæret, ut dicat cum Apostolo [4]: *Nostra conversatio in cœlis est;* et cum Psalmista [5]: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter meditationis ad æternitatem, a Jesu invitetur (*a*).

Septimo videndum est qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter studiosæ meditationis, ad intrinsecum et æternum Domini Jesu secretum, ab ipso dulciter invitetur (*a*), dicente (*b*) Sponsæ in Canticis [6]: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Cujus invitationis subjungit allectivum, dicens: *Veni*, quia jam est itinerandi optata facilitas. Jam enim [7] *imber* curæ temporalis distrahentis et impedientis ambulantes in itinere meditationis *abiit et recessit*, et quia pluvia æstivalis descendit, et venit in vellus virgineum, colligendo dispersiones meditationum, ad congregantis Patris unitatem, et simplificatam æternitatem. Dicit ergo animam invitando: O *amica mea*, propter meditationis tuæ amorosam assiduitatem, quæ est incentiva amoris, quia in ea *exardescit ignis*, ait [8] Psalmista. Quod Hugo, libro quarto *de Arca Noe* [9], exponens dicit: « Sicut ligna ignem nutriunt, sic cogitationes sive meditationes desideria pascunt. » Quare in *Canticis* dixit Sponsa meditatrix æternorum [10]: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur;* id est, in memoria mea, ait Glossa, sive meditatione (*c*). Surge per meditationis tuæ extensionem a temporalibus in æternitatem, ut primo egrediaris cum Isaac [11] in agrum ad meditandum; secundo extendas te in cœlum cum Apostolo [12] ad conversandum. O *columba mea*, propter meditationis tuæ columbinam simplicitatem: ait Isaias [13]: *Meditabor ut columba.* Vercellensis dicit, quod columba habet simplicem intuitum, et signat puram et simplicem intelligentiam. Ex pura autem et simplici intelligentia oriuntur puræ et simplices meditationes, quæ sunt Deo gratissimæ. *Propera*, per meditationis tuæ agilitatem: quam agilitatem desiderabat, qui dixit [14]: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Quam agilitatem obtinuit, cum dixit [15]: *Si ascendero in cœlum, tu illuc es; si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo*, etc. O *formosa mea*, propter meditationis tuæ pulchrificatam puritatem. Meditationis enim sedula exercitatio circa æterna, mentem purificat, a temporalibus abstrahendo, et eam pulchrificat, et formosam facit, ad æterna extendendo, ut cum Psalmista dicat [16]: *Meditatus sum in nocte*, scilicet temporalium: *exercitabar*, me ad æterna extendendo: *et scopebam spiritum meum*, non solum a temporalibus fugiendo, sed etiam umbram temporalium similitudinum et imaginum

[1] Greg., ubi sup. proxim. — [2] Hug., *de Arc. Noe*, lib. II, c. I, ante med. — [3] Richard., ubi sup., lib. I, c. IV. — [4] *Philip.*, III, 20. — [5] *Psal.* LXV, 12. — [6] *Cant.*, II, 10.— [7] Ibid., II.— [8] *Psal.* XXXVIII, 4. — [9] Hug., *de Arc. Noe*, lib. IV, c. IV, post med. — [10] *Cant.*, I, 12. — [11] *Gen.*, XXIV, 63. — [12] *Philip.*, III, 20. — [13] *Isa.*, XXXVIII, 14. — [14] *Psal.* LIV, 7. — [15] *Psal.* CXXXVIII, 8. — [16] *Psal.* LXXVI, 7.

(*a*) *Cæt. edit.* invitatur. — (*b*) *Item* dicens. — (*c*) *Item* meditationum.

Digitized by Google

omnino abstergendo. De hac extensione ad æternitatem dicit Augustinus [1]: « Mens quanto magis se extendit ad illud quod æternum est, tanto magis se extendit ad illud quod formatur ad imaginem Dei, et ideo quærenda est facies Dei semper, ut imago magis reformetur, donec, secundum Apostolum [2], *in eamdem imaginem transformetur*, ut dicat illi Deus illud Canticorum [3]: *Quam pulchra es*, etc. *Veni* igitur ad meum intrinsecum, et [4] *intra in gaudium Domini tui; veni* jam ingressa, ut amplius ingrediaris, quia post me ingredi non cessabis. Et hujus amorosæ invitationis subjungit amorosum allectivum, dicens: *Surge* velociter et *veni*, quia *imber abiit et recessit*. Quod Vercellensis exponens dicit: « Imber est aqua hiemalis a cœlo fugiens, et in terram corruens, frigefaciens, et in multas guttas se dividens, lutum generans, et itinerantes impediens: et signat affectum curæ temporalis, quia in (*b*) lubricum et deorsum trahit, et quasi justa necessitate mentem retrahit a suspendio spirituali in æterna spectacula, et ad sollicite tractanda negotia terrena vehementer urget: unde spiritualis mentis fervorem sæpe tepefacit, vel etiam totaliter extinguit, licet quidam perfectissimi inter majores exemplo angelico præcedant, et incedant recti (*c*), inferius agant (*d*) sursum erecti, scilicet per rectam et devotam intentionem. Iste imber est vitandus in usu et intentione. » Hæc ille. Sed quia iste imber, sive aqua hiemalis, abiit et recessit, et imber æstivalis, sive aqua sapientiæ salutaris, advenit, quæ iter meditationis nostræ ab æternis non impedit, sed promovet, dirigit et perficit, ideo *veni*. Nam hæc aqua æstivalis spiritum tuum in meditationibus ad veniendum ad meam æternitatem sursum erigit, ad meam æternitatem salire facit, ad meam æternitatem introducit. Unde dicit Jesus, sol æstivus [5]: *Aqua quam dabo ei* (*e*) *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. In his verbis veritas innuit, quod aqua æstivalis a fonte vitæ oritur, quia [6] *apud* Deum *est fons vitæ*, ut ait Psalmista, et ideo meditationem nostram sursum trahit per desiderium æternorum. Quare Psalmista dicit [7]: *Sitivit anima mea ad Deum fontem* (*f*) *vivum*. Secundo innuit, quod aqua æstivalis spiritui nostro ad velociter veniendum per meditationem multipliciter cooperatur, tum quia sitim spiritus, itinerantis ad æterna, quoad temporalia extinguit: quia aqua illa fiet in eo fons aquæ fluentis per omnes valles animæ. Qui autem intra se habet fontem, sitire non potest, ait Chrysostomus [8]. Item spiritui itineranti ad æterna vigorem tribuit, quia est aqua saltare faciens. Tertio aqua hæc æstivalis spiritum itinerantem reformat et perficit, quia ad vitam æternam introducit, quia non saltat ad temporalia, sed salit in vitam æternam, ut dicitur hic. Ad quam vitam nos perducat Pater et Filius, et Spiritus sanctus, unus Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Imber quid spiritualiter significet.

[1] Aug., *de Trinit*, lib. I, c. XIII. — [2] II *Cor.*, III, 18. — [3] *Cant.*, IV, 1. — [4] *Matth.*, XXI, 23. — [5] *Joan.*, IV, 14. — [6] *Psal.* XXXV, 10. — [7] *Psal.* XLI, 3. — [8] Chrys., *in Joan.*, hom. XXXI, al. XXXII, n. 1.

DE TERTIO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM LIMPIDA CONTEMPLATIO (*g*).

Tertium iter æternitatis, per quod spiritus humanus venit ad intrinsecum et æternum manerium Jesu, est æternorum limpida contemplatio. Ad cujus itineris majorem notitiam septem per ordinem sunt notanda.

Primum, quæ sit istius itineris necessitas, et quare iter meditationis immediate sequatur (*h*).

Secundum est, quid sit contemplatio, et qualiter descriptio ejus intelligatur.

Tertium est, qualiter contemplatio a cogitatione, meditatione, speculatione et intuitiva visione distinguatur.

Quartum est, qualiter contemplatio secundum diversos gradus diversimode a diversis dividatur.

Quintum est, quantam jucunditatem spiritus humanus in itinere contemplationis experiatur.

Sextum est, qualiter per iter contemplationis spiritus æternum manerium Jesu ingrediatur.

Septimum est, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter contemplationis ad secretum Jesu, invitetur (*i*).

DISTINCTIO I.

Quæ sit necessitas itineris contemplationis, et quare immediate sequatur iter meditationis.

Primo igitur videndum est, quæ sit necessitas istius itineris, scilicet contemplationis æter- Contemplatio finis est

(*a*) *Cæt. edit.* significet.— (*b*) *Cæt. edit. deest.* in. — (*c*) *Cæt. edit.* erecti. — (*d*) *Item* agunt. — (*e*) Item *ego do*. — (*f*) Vulg. *fortem*. — (*g*) *Cæt. edit. non habent* quod est æternorum limpida contemplatio. — (*h*) *Cæt. edit.* sequitur. — (*i*) *Cæt. edit.* invitatur.

Digitized by Google

meditationis. norum, et quare immediate iter meditationis sequatur. De quo sciendum, quod cum meditatio æternorum sit quædam investigatio et inquisitio, cum magna animi industria, veritatis æternorum, nec ab inquisitione desistat, donec quod quærit, inveniat quantum potest; planum est, quod spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur, quod per meditationem quærebatur. Sed quam cito quæsitum invenitur, et spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit, tam cito meditatio esse desinit, et in contemplationem transit. Ait Richardus [1] : « Per meditationem veritatem diu quæsitam, tandem inventam, mens solet cum aviditate suscipere, mirari cum exultatione, ejusdem quoque admirationi diutius inhærere : et hoc est jam meditationem meditando excedere, et per meditationem in contemplationem transire. Proprium est enim contemplationi, jucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere; meditationi vero proprium est, sua promotione semper in ulteriora tendere. » Hæc ille. Ex his igitur patere potest istius itineris necessitas, quia motus meditationis imperfectus et minus utilis permaneret sine termino et quiete contemplationis, cum meditatio terminetur et transeat in contemplationem, tanquam in illud quod perfectius est. Ex his etiam patet ordo istius itineris contemplationis ad iter meditationis : ex quo studio meditationis, spiritus humanus surgit in iter contemplationis, ut ait Richardus; et per veritatis contemplationem homo convertitur ad justitiam, et confirmatur ad gloriam : et sic patet primum.

DISTINCTIO II.

Quid sit comtemplatio, et qualiter descriptio ejus intelligatur.

Contemplationis diffinitio. Secundo videndum est, quid sit (*a*) contemplatio, et qualiter descriptio ejus intelligatur. De quo notandum est, quod contemplatio, secundum potissimum statum, est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi. Sic videtur Richardus contemplationem describere, dicens sic [2] : « Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula admiratione suspensæ (*b*).

(*a*) *Cæt. edit.* est. — (*b*) *Item* cum admiratione suspensa. — (*c*) Vulg. *facit peccatum.*

In hac descriptione innuuntur quatuor, quæ contemplantibus sunt necessaria. Primum est liber contemplationis motus, ab omnibus exoneratus, et in nullo impeditus, ut Richardus ibidem dicit : « Contemplatio libero quodam motu, et secundum spontaneum nutum, huc illucque circumfertur, et nullo difficultatis obstaculo a discursionis suæ impetu impeditur, quin contemplanda contempletur, quantum potest. » Ex hoc apparet, quod spiritus contemplativus debet esse sine peccato, quia [3] *qui peccat* (*c*), *servus est peccati*, et vinculis ejus ligatur, ne sursum feratur. Debet etiam esse liber a desiderio et cura temporalium, quæ sunt juga duræ servitutis. Liber autem spiritus dimittitur, quando, calcatis terrenis desideriis, ab appetitione temporalium in securitate mentis exoneratur. Hæc Gregorius, tertio *Moralium.* Contemplantibus quatuor sunt necessaria.

Secundum, quod necessarium est contemplantibus, quod hic ponitur in descriptione, est quod oculus contemplationis sit perspicax, id est, gratia sanatus. Dicit enim Hugo [4] commentator super *Angelicam Hierarchiam*, quod triplex est oculus. « Est enim oculus carnis, quo videt homo ea quæ sunt extra se; et oculus rationis, quo videt homo ea quæ sunt intra se; et oculus contemplationis, quo videt homo ea quæ sunt supra se. Oculus carnis apertus est; oculus rationis lippus, et oculus contemplationis clausus est. » Hæc ille. Igitur necesse est, ut oculus contemplationis perspicax sit, et sanetur. Oportet igitur scire quatuor : primo, quid oculus contemplationis dicatur; secundo, qualiter oculus sanetur; tertio, quid sit aspectus ejus; quarto, quid sit visio ejus. Hæc quatuor dicit auctor *de Spiritu et Anima* [5], omni animæ necessaria esse, et ostendit quodlibet eorum, dicens : « Spiritus dicitur mens rationalis, ubi est quædam scintilla tanquam oculus animæ, ad quam pertinet imago et cognitio Dei. » Sequitur : « Oculus ergo animæ est mens; et hæc ab omni labe corporis debet esse pura, et tunc est sana. Mentis autem aspectus est ratio; intellectus vero, visio. Hæc omni animæ necessaria sunt, id est, ut oculos habeat, et sanos, ut aspiciat et videat. » Sequitur : « Sanos oculos habet, cum ab amore talium cupiditatum purgata est atque remota, scilicet ab imaginibus. Aspicit, cum in Dei lumine oculos figit; sed videt, cum in ista

[1] Richard., *de Arc. Myst.*, lib. I, c. IV. — [2] Ibid. — [3] *Joan.*, VIII, 34. — [4] Hug., in cap. sept. *Angel Hier.*, lib. III, post med. — [5] *De Spir. et Anim.*, c. X.

Digitized by Google

contemplatione conspicit, quanta sint gaudia, quanta lætitia, quanta serenitas, quanta jucunditas. Sanitas facit illam securam; aspectus, rectam; visio, beatam, qui (*a*) est finis aspectus.» Hæc ille. Iste est oculus contemplationis, de quo dicit Sponsus [1]: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*, id est, tua intelligentia simplificata penetrasti omnia pertingendo ad cor meum, et propter te vulneratum fuit ex amore intimo quo dilexi te.

Tertium, quod ponitur in descriptione contemplationis, est quod oculus contemplationis in spectacula sapientiæ æternæ sit directus: quod notatur per hoc quod dicitur, *in sapientiæ spectacula*. Ex hoc autem patet, quod Richardus hic non accipit contemplationem ut est actus intellectus præcise, sed etiam ut saporosam dilectionem includit. Nam sapientia a *sapore* dicitur, ut dicit Bernardus [2], et objectum sapientiæ principale et primarium est ipse Deus, sub ratione qua verum est excitativum voluntatis ad ejus saporosam dilectionem: et actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate in affectu. Igitur spectacula sapientiæ sunt cognitio veri, et amor sive sapor boni. Dicit enim Linconiensis, quod «sapientia oritur ex amore, quæ prorumpit in lumen cognitionis et saporem gustationis, sicut ex calore prorumpit lux et flamma.» Hæc ille. Actus igitur contemplationis duo includit, scilicet cognitionem, et saporosam dilectionem: et dilectio adjuvat cognitionem. Unde secundum mensuram dilectionis, dispensatur et modus manifestationis, ait Richardus.

Quartum, quod ponitur in descriptione contemplationis, est mentalis suspensio ex admiratione causata: et notatur in hoc quod dicit, *admiratione suspensæ* (*b*). De hac admiratione dicit Richardus, libro quinto *de Arca mystica*, cap. nono [3]: «Ex novitate rei quæ est supra spem et nostram æstimationem oritur admiratio, ex admiratione autem accressit attentio, et ex attentione cognitio, et ex his mentis suspensio;» quia, sicut dicit ibidem: «Dum humana intelligentia, divino lumine irradiata, intelligibilium contemplatione suspenditur, dum in eorum admiratione, ad modum auroræ, distenditur, quanto semper ad altiora vel ad mirabiliora ducitur, tanto amplius tantoque copiosius ad modum auroræ dilatatur. Unde quanto ab infimis fit remotior, tanto semetipsa purior, et ad sublimia subtilior invenitur. Ex quo sequitur, quod tanto in superioribus diutius suspenditur, quanto a retrahentibus dilatatur et elongatur.» De hoc suspendio dicit Job [4]: *Suspendium elegit anima mea*. Quod Vercellensis exponens, dicit sic: «Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, ut, cum fieri potest, nunquam ex intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis, acies inde flectatur, ut dicit Psalmista [5]: *Oculi mei semper ad Dominum*,

DISTINCTIO III.

Qualiter contemplatio differat a cogitatione, meditatione, speculatione, et ab intuitiva visione.

Tertio videndum est qualiter contemplatio differat (*c*) a cogitatione, meditatione, speculatione, et ab intuitiva cognitione: hæc enim quemdam ordinem et gradum habent inter se. Nam cogitatio, quæ oritur ex imaginatione, transit et terminatur in meditationem. Meditatio, quæ oritur ex ratione, transit et terminatur in speculationem. Speculatio, quia partim oritur ex ratione, et partim ex intelligentia, transit et terminatur in contemplationem. Contemplatio autem, quæ oritur ex intelligentia, transit et consummatur in intuitivam cognitionem. Hæc enim omnia in hoc conveniunt, cum fuerint ordinata, quod dirigunt in divinum aspectum, sed tamen differenter: et hæc differentia prædictorum quatuor a contemplatione, potest cognosci per quatuor, quæ in contemplationis diffinitione ponuntur, quam Richardus ponit in libro primo, capite quarto.

Primo differt contemplatio a cognitione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, quod sit libera. Unde Richardus, libro primo *de Arca mystica*, capite tertio, dicit sic: «Contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio autem per devia quæque lento pede, sine respectu perventionis, passim huc illuc vagatur.» Et quia cogitatio ex imaginatione oritur, ideo quandoque sine ratione movetur, ut dicit Richardus: et ideo minus libera est, quam con-

[1] *Cant.*, IV, 9. — [2] Bern., *de pass. Dom.*, c. XLV, circ. med. — [3] Richard., *de Contempl.*, lib. V, c. IX; hi enim libri *Benjamin. majoris*, vel *de Contempl.* vel *de Arca Myst.*, inscribuntur. — [4] *Job*, VII, 15. — [5] *Psal.* XXIV, 15.— (*a*) *Cæt. edit.* quæ.— (*b*) *Item* suspensa. — (*c*) *Item* differt.

Digitized by Google

templatio, quæ ex intelligentia procedit et oritur; imo cogitatio rationi subjicitur, quæ est infra intelligentiam, et per eam regitur. Unde Gregorius, libro primo *Moralium* [1], sic dicit : « Cogitationes ad modum ancillarum rationi subjiciuntur : quia si a domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor, velut garrula ancillarum turba, multiplicat : ut autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, et quasi ancillæ ad injunctum opus se tacite reprimunt, dum cogitationes protinus se causis propriis ad utilitatem subdunt. » Hæc Gregorius. Et sicut Richardus libro primo, capite quarto, dicit : « Si cogitatio quandoque ratione moveatur, ut ad cognoscendum aliquid ambiat, et ad hoc vehementer et fortiter insistat, jam non est cogitatio; sed modum cogitationis cogitando excedit, et cogitatio in meditationem transit. »

Secundo igitur sciendum est, quod contemplatio etiam differt a meditatione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, quod ipsa est mentis perspicacia. De quo sciendum est, quod perspicacia est actus intelligentiæ. Intelligentia autem, ut dicit auctor libri *de Spiritu et Anima* [2], « est ea vis animæ, quæ supponitur Deo immediate, qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. » Sed, sicut dicit Richardus [3], ex intelligentia oritur contemplatio, ex ratione autem oritur meditatio; » et ex hoc ipse ostendit, quantum contemplatio excedat meditationem : ex quo patet etiam differentia eorum. Unde Richardus dicit sic : « Ecce tria, imaginatio, ratio, intelligentia. Inter hæc intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimum, ratio medium : et omnia quæ subjacent sensui inferiori, necesse est ea subjacere sensui superiori; sed non e converso. Unde constat, quod cuncta quæ imaginatio vel ratio comprehendit, sub intelligentia cadunt, et etiam illa, quæ nec imaginatio vel ratio comprehendit. » Sequitur : « Vide quam late contemplationis radius se expandat, qui omnia illustrat, et quomodo contemplatio sub uno visionis radio, ad innumera se extendit. » Sequitur : « Per intelligentiam siquidem sinus mentis in immensum expanditur, et contemplantis animi acies acuitur, ut capax sit ad multa comprehendenda, et perspicax ad subtilia penetranda. » Hæc ille. Et propter hoc dicit Richardus ibidem, quod meditatio in contemplationem transit, tanquam in illud quod perfectius est, id est, in aliquem gradum contemplationis, qui dicitur speculatio, qui non est perfectus gradus contemplationis, licet unum pro alio ponatur, ut patet.

Tertio sciendum est, quod contemplatio differt a speculatione per hoc, quia in descriptione contemplationis ponitur, quod fertur in sapientiæ spectacula. De quo nota, quod secundum Augustinum [4], libro quinto decimo *de Trinitate*, speculatio dicitur, cum aliquid non in se, sed per imaginationem suam videtur, et in ænigmate, id est, obscure. Richardus, libro quinto *de Arca mystica* [5], dicit : « Quamvis contemplatio et speculatio pro invicem soleant poni, et in hoc sæpe Scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent et involvant; aptius tamen et expressius speculationem dicimus, quando per speculum cernimus; contemplationem vero, quando veritatem sine aliquo involucro umbrarumque velamine in sui puritate videmus. » Unde Hugo, in septimum *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit [6] : « Dionysius vocat simplices fulgores, puras illuminationes devenientes ad primas contemplationes. Pura illuminatio est, quando veritas per se ipsam concipitur. Pura contemplatio est, quando veritas in seipsa, non per subjectam imaginem videtur. » Hæc ille. Ex quo apparet, quod contemplatio, in speculationem sapientiæ, clariorem aspectum habet, quam speculatio, et gustum sapidiorem. Unde Richardus, ibidem exponens illud [7] : *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*, dicit : « Colles ad agnorum similitudinem exultant, quando immensa illa intimæ solemnitatis tripudia eos usque supra semetipsos levant, ut cœlestium secretorum arcana, saltem per speculum in ænigmate, videre valeant; montes vero quasi ad instar arietum exultant, quando majores in jucunditatis suæ excessibus, in pura et in simplici veritate vident, et minores, ut jam dictum est, vix per speculum in ænigmate videre valent. » Hæc ille. Expedit etiam scire, quod Linconiensis commentator Dionysii, loquens de speculis spiritualibus, super tertium *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit, quod specula spi-

[1] Greg., *Moral.*, lib III, c. XI. — [2] *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [3] Richard., *de Arc. Myst.*, lib. I, c. III. — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. XIII. — [5] Richard., *de Arc. Myst.*, lib. V, c. XIV, circa fin. — [6] Hug., in cap. sept. *Cæl. Hier.*, lib. VII, longe post med. — [7] *Psal.* CXIII, 4.

Digitized by Google

ritualia pura, clara et plana, spiritualiter primo recipiunt radios solares, sibi incidentes immediate a fonte luminis, et tale dicitur lumen contemplationis, contemperatum tamen in oculo contemplantis, ut infra patebit ; et secundario lumen receptum specula refundunt in eos, qui luminis sunt capaces, non tamen secundum claritatem illam, qua ipsi recipiunt, sed secundum cujuslibet capacitatem, et hoc dicitur lumen speculationis, quia mediante speculo spirituali recipitur, vel per scripturam, vel doctrinam, vel per exempla ab illuminatis speculis procedentia, quemadmodum speculum materiale primo a lucido suscipit radios sibi incidentes, quos reflectit in oculos conspicientis, quos oculus tanquam sibi jam mediante speculo proportionatos recipit, quos tamen in fonte luminis propter nimiam refulgentiam oculus debilis immediate videre non potuit, ut patet ad sensum. Nec lumen speculare ita efficaciter repræsentat lucidum oculo videntis, sicut lumen immediate receptum a lucido, ut patet in perspectiva, et in epistola Jacobi, ubi dicitur, quod [1] *considerans vultum suum in speculo, statim oblitus est*, etc.

Quarto sciendum est, quod contemplatio differt ab intuitiva cognitione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, *admiratione suspensæ* (*a*). Suspensio enim dicit quasi quamdam violentam elevationem, dum anima naturæ suæ possibilitatis supergreditur terminos. Unde Richardus dicit [2] : « Procul dubio, cum anima suncta de interno quodam tripudii sui applausu a semetipsa excutitur, dum supra semetipsam ire mentis alienatione urgetur, dum in cœlestibus tota suspenditur, dum angelicis spectaculis tota immergitur, nativæ possibilitatis terminos supergressa videtur, propter quod anima contemplativa frequenter ad inferiora dilabitur. » Unde sequitur ibidem : « Nonne velut terra a terra suspenditur, quando homo super hominem ducitur, cui per exprobrationem a Domino dicitur [3] : *Terra es, et in terram ibis?* » Sequitur : « Terra recte dici potest, quandiu luteas inhabitat domos, et terrenum habet fundamentum. » Sed Gregorius, decimo *Moralium* [4], dicit : « Anima (*b*) contemplativa infirmitatis suæ pondere victa lassatur, et tanto celerius labitur, quanto carnis claustra transgrediens, supra semetipsam ire conatur. » Sed anima intuitive cognoscens Deum nunquam ad inferiora relabitur, sed sine intermissione et fatigatione Deum in æternum dulciter intuetur, quod in corpore corruptibili fieri non potest. De quo plenius notatur in quinto itinere. Unde dicit Dionysius, in secundo *Angelicæ Hierarchiæ*, secundum Commentatorem : « Deus, quia semper uniformiter et æqualiter bonus et pulcher est, et quia habet in se simplicissime omnem speciem desiderabilem, et secundum omnia est totus desiderabilis, ideo plenarie, intime et irrevocabiliter in se trahit omnium suorum comprehensorum desideria. » Hæc ille. Omnes igitur istæ differentiæ sunt secundum clariorem, et minus clarum aspectum ad Deum; et quodlibet prædictorum terminatur in sequens se, tanquam in perfectius eo : sic etiam contemplatio proficiendo terminatur in intuitivam cognitionem, tanquam in suam perfectionem. Unde Glossa *Lucæ*, capite decimo, dicit : « Vita contemplativa hic incipit, et in cœlesti patria perficitur, quia amor est ignis, qui hic ardere incipit; sed cum ipsum quem amat videbit, amplius amore ignescet (*c*). Et Gregorius in *Moralibus*, exponens illud Lucæ [5] : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, dicit : « Activæ vitæ opera cum corpore transeunt; contemplativæ autem vitæ gaudia melius ex fine cunvalescunt. » Et sic patet differentia prædictorum.

DISTINCTIO IV.

Qualiter contemplatio secundum diversos gradus diversimode a multis dividatur.

ARTICULUS I.

De gradibus contemplationis secundum Vercellensem (*b*).

Quarto videndum est, qualiter contemplationis iter per diversos gradus vel modos, secundum varias considerationes sanctorum, et diversas traditiones doctorum, distinguatur, ut per hoc verius, brevius et securius iter contemplationis eligamus, et per hoc ad æternum intrinsecum Domini Jesu verius perveniamus. Sed ad intellectum istorum, hoc prænotandum est, quod aliud sunt gradus contemplationis, et aliud sunt gradus perveniendi per diversas

[1] *Jac.*, I, 23. — [2] Richard., *de Arc. Myst.*, lib. V, c. XIV, circa med. — [3] *Gen.*, III, 19. — [4] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XI, versus fin. — [5] *Luc.*, X, 42. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. ult., ante med.— (*a*) *Cæt. edit.* suspensa.— (*b*) *Cæt. edit. add.* a.— (*c*) *Cæt. edit.* ignescit.— (*d*) *Cæt. edit. deest titulus ille particularis.*

Digitized by Google

dispositiones ad contemplationem. Gradus contemplationis sunt quidam progressus et profectus intellectualis cognitionis, et saporosæ dilectionis, ad contemplandum Deum sub ratione veri et boni. Unde Gregorius, vigesimosecundo *Moralium* [1], dicit : « Gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum. Tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles. Gradus autem ad contemplationem disponentes, sunt illa quæ adjuvant et disponunt gradatim intellectum et affectum ad contemplandum, et sic omnis creatura est quasi quædam scala, per quam gradatim ascenditur ad contemplandum Deum, cum creaturæ sint creatæ propter electos. Loquendo tamen secundum consuetum modum, gradus contemplationis dicuntur illa incrementa contemplationis, et illæ dispositiones quæ magis intellectum et affectum coadjuvant ad contemplandum, et quæ distincta sunt et tradita a sanctis doctoribus. Unde Gregorius, vigesimosecundo *Moralium* [2], dicit : « Gradus vocantur incrementa virtutum, distincte tradita a Sanctis. » Necessitatem autem istorum graduum contemplationis ostendit Gregorius, vigesimosecundo *Moralium* [3], dicens sic : « Nemo infima deserens, repente fit summus : quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam ascensionis gradibus perveniat. » Unde et recte Psalmista dicit [4] : *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur* (*a*) *Deus Deorum in Sion.* Et idem [5] : *Deus in gradibus* (*b*) *ejus cognoscetur*, scilicet contemplationis, *cum suscipiet eam* contemplator. Similiter Linconiensis, super *Angelicam Hierarchiam*, ostendit necessitatem istorum graduum per exemplum, dicens sic : « Sicut oculi carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum, et magis coloribus superfusum ; deinde magis confortati, suscipiunt illud a coloratis mediis coloribus, et postea visu roborato, plus suscipiunt illud superfulgidum coloribus albis ; deinde vero plus aucta sanitate, suscipiunt illud fulgentibus coloribus superfusum, ut speculis ; tandem oculis perfecte sanatis, suscipiunt solarem radium, non autem alicui superfusum, sed in se purum ipsum solem in ipso puro solari lumine irreverberate conspicientes : sic etiam oportet, mentis oculum infirmiorem prius assuefieri ad conspiciendum lumen solis intelligentiæ (*c*) in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione multis multipliciter superfusa, extendamur, et restituamur in simplicem ipsius radium. » Hæc ille.

Ex prædictis apparet, quod tam in radioso lumine contemplationis speculativæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim, et gradatim proficiendo, clarius cognoscere Deum : quia, sicut dicit Hugo super *Angelicam Hierarchiam* [6] : « Quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur et confortetur, et affectus mentalis magis purificetur et inflammetur, et totus homo, exterior et interior, in Deum ordinetur : » et hoc verius et perfectius videtur fieri per gradus illos, qui mentem ad similitudinem cœlestis hierarchiæ purgant, illuminant et perficiunt. Ait enim Hugo commentator super tertium *Angelicæ Hierarchiæ* [7] : « Et oportet quod mens quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, postea illuminetur, et deinde perficiatur, quia nisi præcederet purgatio, non sequeretur illuminatio ; et nisi esset illuminatio, non veniret consummatio sive perfectio : et tales quanto magis ascendunt, tanto magis appropinquant divinitati ; quanto autem magis appropinquant, tanto verius contemplantur. » Tales autem gradus Dionysius in *Angelica Hierarchia* dicit esse tam in mente angelica, quam in mente humana bene ordinata. Unde secundum commentatorem Linconiensem, et Hugonem, et Vercellensem, dicit Dionysius : « Addam ego, et ex abundanti non inconvenienter, quod unaquæque mens, angelica vel humana, bene ordinata, habet in sua singulari persona primas, medias et ultimas ordinationes et virtutes, et sursum actiones, hierarchiarum illuminationes manifeste distinctas. » Hæc Dionysius. Hæc verba exponens Commentator Vercellensis, dicit sic [8] : « Qualiter in singulis mentibus hierarchicis disponantur tres hierarchiæ, et in singulis earum tres ordines juxta angelicam dispositionem, videlicet in infima Angeli, Archangeli et Principatus, videndum est. Per hos enim mens bene ordinatur ad exteriora, vel respectu exteriorum. In media autem mentis

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XIV, ante med. — [2] Ibid., circa fin. — [3] Ibid., ante med. — [4] *Psal.* LXXXIII, 8. — [5] *Psal.* XLVII, 4, secundum LXX. — [6] Hug., in sept. cap. *Cœl. Hier.*, lib. IX, circa fin. — [7] Ibid., in tert. cap. lib. VIII, post med. — [8] Vercell., *sup. Isa.*, c. VII, et in Prolog. *sup. Cant.*

(*a*) Vulg. *videbitur.* — (*b*) LXX βάρεσιν ; Vulg. *domibus.* — (*c*) *Cæt. edit.* intelligentia.

Digitized by Google

hierarchia sunt Potestates, Virtutes et Dominationes : per hos ordinatur respectu interiorum. In summa mentis hierarchia sunt Throni, Cherubim et Seraphim : per hos ordinatur respectu superiorum. » Et has novem ordinationes vocat Vercellensis novem gradus contemplationis, quibus reducimur in divinam monadem. Et prosequitur ibi de singulis gradibus, præmittens, quod infima mentis hierarchia consistit in ejus natura; media, in industria; tertia, in gratia, quæ incomparabiliter excedit utramque. In prima operatur natura; in summa sola gratia; in media, industria et gratia. Et sequitur : « Infimus ordo infimæ hierarchiæ, qui dicitur Angelicus, continet primas et simplices apprehensiones naturales, tam intellectus, quam affectus, sine aliqua dictatione commodi vel incommodi, quæ tanquam Angeli, scilicet nuntii, aliquid simpliciter annuntiant. »

In contemplatione tres possunt distingui hierarchiæ, et in qualibet tres gradus instar cœlestis hierarchiæ.

Ecce Vercellensis subtiliter incipit ab infimo gradu intellectualis operationis et affectionis, quæ sunt primæ et simplices apprehensiones; et ascendit paulatim et gradatim, per cacumina collium æternorum, usque ad summos apices intellectus et affectus, ut patebit infra.

« Medius ordo infimæ hierarchiæ continet naturales dictationes apprehensorum, utrum videantur commoda vel incommoda : ex his fit annuntiatio principalior, quam sit prima.

« Tertius ordo vel gradus infimæ hierarchiæ continet appetitus, vel fugas apprehensorum, secundum dictationes commodi, vel incommodi. Fuga autem est mali, et appetitus boni : et ita iste ordo præbet ducatum inferioribus in divina, quod signatur nomine Principatuum. » Hæc Vercellensis. Ecce per hos tres ordines et gradus infimæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus respectu exteriorum, dum primi et infimi gradus intellectus et affectus fuerint bene ordinati : quod fit, dum sibi objecta simpliciter apprehendunt, discretive discernunt, sincere bona appetunt, et mala fugiunt. Unde Bernardus, super *Cantica*, dicit : « Beata mens, quam totam sibi vendicant sapor boni, et odium mali ! Hoc est reformari ad sapientiam. »

« Quartus ordo vel gradus, qui est infimus in media hierarchia mentis, continet voluntarios motus intellectus et affectus, et libero arbitrio jam accepta distantia boni et mali, cum deliberatione rationis examinantis et ordinantis mentem, quantum est in ipsis, per diffinitivam sententiam, ad petendum et quærendum totis viribus intellectus et affectus summum bonum, et ad repellendum omnia obstacula. Nomen autem Potestatis signat ordinem, secundum Dionysium.

« Quintus ordo, qui est medius mediæ hierarchiæ mentis, continet robora virtutum valida, naturalium et gratuitarum, ad exequendum fortiter quod a Potestatibus recte decretum est, quod notatur nomine Virtutum.

« Sextus ordo, qui summus est in media hierarchia mentis, continet authentica imperia liberi arbitrii, quibus apices intellectus et affectus tota virtute suspenduntur ad suscipiendum divinos superadventus, quantum possibile est libero arbitrio adjuto a gratia. Et hujusmodi suspendii, et imperii ac libertatis sublimitas, vocatur nomine Dominationum. In isto autem ordine mens adhuc sobria extenditur ad radium superiorem usque summos naturæ terminos. » Et infra : « Mens itaque contemplativa, decursis seriatim quinque gradibus contemplationis prædictis, in culmine sexti aciem figens, in ordine Dominationum mentis, nititur in theoricos excessus, cupiens in ordinem Thronorum mentis assumi. » Hæc Vercellensis.

Ecce per hos tres gradus mediæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus respectu interiorum, id est ad seipsum, ita ut totum regnum animæ pacificetur, dum primo per gradum infimum potestate ordinata, viriliter repelluntur omnia offendicula mentis bene ordinatæ, et Deo conformiter operantis (*a*), ut sine ulla ordinis confusione et perturbatione tendat ad finem ultimum, ad quem creata est, et dum secundo per gradum medium mens in virtute valida et inconcussa exequitur omnes operationes intellectus, et voluntatis sive affectus, Deo conformiter operantis (*a*), ad Deum seu finem intentum consequendum, quantum potest, juxta gratiam et virtutes a Deo acceptas : et dum tertio per gradum summum mediæ hierarchiæ plena libertate et in nullo impedita, et Deo conformiter operante, ut possibile est, intellectus et affectus cum omni familia sua liberi in æterna extenduntur : ergo ordinatio interioris hominis est necessaria, quia, sicut dicit Hugo [1] : « Sicut sine gratia operari vanum est, ita præter ordinem

[1] Hug., sup. tert. cap. *Cœl. Hier.*, lib. IV, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* operante.

Digitized by Google

operari, ac contra ordinem, perversum est. » Et quia, sicut dicit Linconiensis ibidem : « Ordo dicitur potestas a Deo tradita ad disponendum sacra omnia potestati suæ subjecta, » ideo homo interius ordinatus per istos tres gradus, fit etiam ordinatus respectu interiorum.

« Septimus ordo, qui est infimus in suprema vel summa hierarchia mentis, per mentis excessus susceptivus est divini superadventus. Unde Thronorum nomine censetur, et quot sunt sinus mentis, sive capacitates illius supersubstantialis solaris radii, supersimplicis in essentia, et multiplicis in efficacia, tot sunt throni mentis. Throni autem inconcussi collocantur stabiliter, et sunt susceptivi divini superadventus, et sunt deiformes, et familiariter aperti ad Deum in se suscipiendum. » Hæc Vercellensis. Hugo vero idem dicit [1] : « Subsellia Dei, id est, sedilia sublevantur per dignitatem, collocantur per stabilitatem, Deum advenientem in se suscipiunt et ferunt, quia fiunt ad susceptiones aperti. » Hæc ille.

« Octavus ordo, sive gradus, qui est medius in summa hierarchia mentis, sicut dicit Vercellensis, continet omnimodam cognitionem intellectus, et affectionem affectus (*a*) intellectus attracti divina dignatione, quo non valet ascendere per se ; et attracti affectus, tamen (*b*) summitatem intellectus attracti non extendentis : simul enim attrahuntur, et quasi coambulant ipse affectus et intellectus, usque ad novissimum defectum intellectus, qui est in summitate hujus ordinis Cherubim, quem intellectuales etiam attractus non excedunt, sed ibi habet suæ cognitionis et sui luminis consummationem. Unde ordo sive gradus ille *Cherubim* vocatur. » Hæc ille, et iterum dicit sic [2], quod manifestatio interpretationis hujus nominis *Cherubim* signat, quod substantiæ hujus ordinis, sive gradus, habent virtutem excellenter cognitivam, et divinorum mysteriorum inspectivam, et supremæ influitionis luminum divinorum post Seraphim susceptivam principaliter, contemplativam divinæ pulchritudinis, quam etiam communicant inferioribus.

« Nonus ordo sive gradus, qui est summus in summa hierarchia mentis, continet principaliter in Deum pura suspiria, superintellectuales extensiones et immissiones, fervidos fulgores, et fulgidos fervores, ad quorum omnium sublimes excessus, et excedentes sublimitates, intelligentia trahi non potest, sed solus affectus principalis Deo unibilis. » Sequitur : « In hoc ordine offeruntur Deo orationes castissimæ, quibus Deo assimilamur. Iste ordo Sponsum amplexatur, et Sponsi amplexibus admittitur, speculum nescit, Mariæ partem percepit [3], *quæ non auferetur ab ea.* De isto ordine sive gradu contemplativo in inferiores ordines et gradus seriatim, id est, ordinate fluit divini luminis inundatio. » Hæc ille. Ecce per hos tres gradus supernæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo creatus et bene ordinatus respectu supernorum, scilicet respectu Dei : dum primo per gradum infimum omnes throni sive mentis capacitates Deo aperiuntur, et ab ipso inhabitantur; et dum secundo per medium gradum omnes intellectuales actiones ad Deum contemplandum intime, quantum possibile est, et veraciter diriguntur; et dum tertio per supremum gradum, omnis voluntatis affectiones ad Deum diligendum totaliter et finaliter reducuntur, ut Deum in omnibus, et omnia in Deo ordinate diligant. In hoc gradu fuit anima contemplativa constituta, quando dixit ipsa [4] : *Ordinavit in me charitatem.* Quod exponens Vercellensis dicit : « Per ordinem seraphicum omnes inferiores ordines sive gradus participant lumina divina, et hierarchiæ disponuntur, id est inferiora et exteriora, per media inferiora, reducuntur ad superiora, scilicet in Deum ordinata charitate. Unde bene dicit : *Ordinavit in me charitatem.*

ARTICULUS II.

De gradibus contemplationis secundum Richardum.

Richardus autem [5] ponit sex gradus, vel species contemplationis, quasi quasdam dispositiones et itinera ad æternitatem. Et sicut Commentator Dionysii infimum gradum contemplationis ab infimo gradu intellectualis et affectualis operationis, quæ sunt simplices apprehensiones, incipit et instituit, et ascendere gradatim docet, per cacumina collium æternorum, usque ad summos apices intellectus et affectus, ut supra patuit; ita Richardus, ponendo sex gradus contemplationis, instituit primum gradum et infimum in imaginatione, quæ non est aliquis gradus intellectualis operationis, sed longe inferior est intellectu et affectu; et ab illa ascendit gradatim usque ad cognitionem increatæ veritatis, Sex sunt gradus contemplationis.

[1] Hug., sup. sept. cap. *Cœl. Hier.*, lib. VII, longe ante med. — [2] Vercell., sup. cap. sept. *Cœl. Hier.* — [3] *Luc.*, x, 42. — [4] *Cant.*, II, 4. — [5] Richard., *de Contempl.*, lib. II, c. VI. — (*a*) *Cæt. edit.* et affectus. — (*b*) *Item* affectus, affectionem tamen et.

Digitized by Google

omnem humanum intellectum excedentis, et etiam usque ad excessum humanæ mentis. Unde idem Richardus dicit [1] : « Nos debemus a novissimis incipere, et scientiæ nostræ promotionem paulatim sublevare, et per exteriorum notitiam ad invisibilium cognitionem ascendere. Cum enim exteriorum scientiam apprehenderis, et in eorum doctrina exercitatos sensus habueris, debes ad ulteriora ascendere, et spiritualium creaturarum scientiam comparare. » Hæc ille.

Primum ergo gradum, sive infimum, Richardus dicit esse imaginationem, et secundum [2] solam imaginationem. Unde dicit [3] : « Tunc contemplatio nostra in gradu imaginationis versatur, et secundum solam imaginationem formatur, quando nihil arguendo quærimus et ratiocinando investigamus ; sed libere mens nostra huc illucque discurrit, quo eam in hoc genere speculationis admiratio rapit, quæ oritur ex his quæ sensu corporeo hauriuntur, dum imaginamur quam sunt multa et varia, et pulchra, et jucunda : talium enim forma et imaginatio, in considerationem adducta, inferunt stuporem et admirationem. » Sed necessarium est hoc scire, quod duplex est imaginatio, ut supra dictum est. Dicit namque Richardus [4], quod « imaginatio alia est bestialis, ut illa quando circa ea, quæ ante vidimus, vel fecimus, sine utilitate, et absque omni deliberatione, huc illucque vaga mente discurrimus. Utique hæc bestialis est, et ideo ad contemplationem non pertinet. Alia est imaginatio rationalis, ut quando aliqua imaginamur rationabiliter ex his quæ videmus, et illis sæpe utimur in contemplatione. » Hæc ille. Et licet imaginatio non sit aliquis gradus intellectus, est tamen ordinata dispositio ad intellectum, quia, sicut dicit Richardus, imaginatio rationi famulatur ; et ideo aliqualiter gradus contemplationis dicitur.

Imaginatio alia bestialis, alia rationalis.

Secundus gradus contemplationis, secundum Richardum [5] est qui in imaginatione consistit, tamen secundum rationem formatur atque procedit, ratiocinando circa ea quæ imaginationi præsentantur : quod fit, quando ea, quæ in imaginatione versamus, et ad primum gradum contemplationis pertinent, ratione quærimus et invenimus, et inventa in considerationem cum admiratione adducimus. In primo itaque gradu res istas imaginamur ; in secundo autem gradu rerum utilitatem, rationem et ordinem, et cæteras conditiones rimamur, speculamur et miramur. Hæc itaque contemplatio in imaginatione consistit secundum talem (*a*) rationem, quia circa eam (*b*) ratiocinando procedit. » Hæc ille. Hic gradus est superior præcedenti gradu, eo quod ratio in eo operatur, licet cum imaginatione quæ rationi subjicitur. Dicitur enim in libro *de Spiritu et Anima* [6] : « Et imaginatio (*c*) ad rationem non ascendit (*d*), sed infra remanens (*e*), eam aliqualiter deducere potest (*f*), et quasi a longe quædam ostendit (*g*), ad quæ non potest (*h*) pervenire. » Et ideo bene ponitur gradus contemplationis, quia per ipsum spiritus humanus magis appropinquat, et ascendit ad cognitionem veræ contemplationis, quam præcedens gradus. Multa enim ratio concludit ex imaginatione, occasione assumpta, quæ continue assistit rationi famulando, etiam sensu absente, sive quiescente.

» Tertius gradus contemplationis, ut dicit Richardus [7], est, qui in ratione secundum imaginationem formatur. Isto autem gradu contemplationis tunc veraciter utimur, ut inquit Richardus, quando rerum visibilium similitudine multifaria in rerum invisibilium speculationem sublevamur. » Sequitur : « Hæc vero speculatio in ratione consistit, quia in his solum, quæ imaginationem excedunt, per intuitionem et investigationem insistit, ut quæ sunt invisibilia. Dicitur autem secundum imaginationem formari, quia ex rerum visibilium imaginatione in hac speculatione similitudo trahitur, unde in rerum invisibilium investigatione animus adjuvetur. Et hic gradus perfectior est præcedentibus, ex eo quod iste se extendit ad contemplationem invisibilium et spiritualium, licet ex imaginatione visibilium similitudinem trahant in sui adjutorium. » Unde Richardus dicit [8] : « Cum scriptum sit [9], quia *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ;* manifeste ex hoc colligi potest, quod ad invisibilium cognitionem nunquam ratio consurgit, nisi ei ancilla sua, videlicet imaginatio, rationi visibilium formam repræsentaret. Per rerum enim visibilium speciem,

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. III. — [2] *Id est*, penes. — [3] Ibid., c. VI. — [4] Id., lib. *Benj. min.*, c. XVI. — [5] Ibid., lib. I, c. VI. — [6] *De Spir. et Anim.*, c. XII, inter Oper. S. Aug., append. tom. VI. — [7] Richard., *de Contempl.*, lib. I, c. VI. — [8] Id., *Benj. min.*, lib. I, c. V. — [9] *Rom.*, I, 20.

(*a*) *Leg.* aliqualem. — (*b*) *Cæt. edit.* ea. — (*c*) In libro ipso *de Spir. et Anim.*, legitur : « Sensus et imaginatio. — (*d*) *Item* ascendunt. — (*e*) *Item* remanentes. — (*f*) *Item* possunt. — (*g*) ostendunt. — (*h*) Non possunt.

Digitized by Google

surgit ratio ad invisibilium cognitionem, quotiens his adjuta, illa trahit ad quamdam similitudinem. Sed constat quia, sine imaginatione, corporea nesciret, sine quorum cognitione ad cœlestium cognitionem, vel contemplationem, non ascenderet. »

« Quartus gradus, secundum Richardum [1], est, qui in ratione et secundum rationem formatur : quod utique fit, cum, semoto omni officio imaginationis, solum illis animus intendit, quæ imaginatio non novit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehendit. Tali enim speculationi tunc insistimus, quando invisibilia nostra, quæ per experientiam novimus, et ex intelligentia capimus, in considerationem ducimus, et ex eorum consideratione in cœlestium animorum, et supermundanorum intellectuum contemplationem assurgimus. » Sequitur : « Hæc autem contemplatio in ratione consistit, quia, sensibilibus semotis, solum intelligibilibus intendit. Et hæc quidem contemplatio ab illis utique invisibilibus nostris videtur initium sumere, et fundamentum capere, quæ humanum animum constat per experientiam intellectualem nosse, et per communem intelligentiam comprehendere. Sed tamen pro hac parte hæc contemplatio etiam in ratione recte dicitur consistere, quia ipsa invisibilia nostra a ratione comprehenduntur, et in eo ipso ratiocinationis modum minime supergreditur. » Hæc ille. Hic gradus contemplationis perfectior est præcedentibus, eo quod tam a corporalibus, quam a temporalibus, magis elongatur, et spiritus magis in eo purificatur, et æternis unitur. Unde Richardus ibidem dicit, quod « in hac contemplatione animus humanus primum pura intelligentia utitur, quia (*a*), semoto omni (*b*) imaginationis officio, ipsa intelligentia nostra in hoc primum negotio seipsam per seipsam ingerere videtur. Hæc enim per seipsam operatur, et quasi per speciem contemplatur. » Hæc ille.

« Quintus gradus contemplationis esse dicitur, qui est supra rationem, sed non præter rationem. In hanc autem contemplationis speculationem, mentis sublevatione ascendimus, quando ex divina revelatione cognoscimus, quæ nulla ratione humana plene comprehendere valemus, et nulla ratiocinatione nostra intelligere et investigare sufficimus. Talia sunt illa, quæ de divinitatis natura in illa simplici essentia credimus, et scripturarum divinarum auctoritate probamus. » Sequitur [2] : « Ergo contemplatio nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis sublevationem credit, quod humanæ capacitatis metas transcendit; et supra rationem, nec tamen præter rationem censenda est, quando ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest : quin potius facile acquiescit, et sua attestatione alludit. » Hæc ille. Et hic gradus est perfectior, et sublimior præcedentibus gradibus, eo quod ista contemplatio est supra rationem. Circa quod nota, quod, sicut dicit idem Richardus [3] : « Quædam sunt infra rationem, ut quæ sensu corporeo percipimus; quædam secundum solam rationem sunt, ut quæ ratione investigamus; quædam supra rationem sunt, ut quæ vel per revelationem, vel quæ nullus sensus corporeus potest attingere, et nulla ratio humana penetrare, sed tamen veraciter ea esse credimus, licet nec experimento, nec intellectu comprehendere possimus. »

« Sextus gradus contemplationis est, quæ in his versatur, quæ sunt supra rationem, et videntur esse præter rationem, seu etiam contra rationem. In hac utique suprema omnique dignissima contemplationis specula, tunc animus veraciter exultat atque tripudiat, quando illa ex divini luminis irradiatione cognoscit atque considerat, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt pene omnia, quæ de personarum Trinitate credere jubemur, de quibus cum humana ratio consulitur, nihil aliud quam contraire videtur. » Iste gradus contemplationis perfectior est omnibus præcedentibus, eo quod in eo pura intelligentia operatur, quæ ad contemplationem divinæ majestatis admittitur. Unde idem Richardus dicit : « Quantum, quæso, est, quod intelligentia humana quotidie ad illos supercœlestium animorum theoricos excessus nititur, et quandoque etiam pro divinæ dignationis beneplacito, ad illa summæ majestatis magnalia contemplando sublevatur! [4] Hæc autem sublevatio, quæ quandoque extenditur usque ad mentis elevationem, fit ex tribus : quandoque ex magnitudine devotionis; quandoque ex magnitudine admirationis; quando-

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. I, c. VI. — [2] Richard., ubi sup. prox. — [3] Id., ibid., lib. IV, c. II. — [4] Ibid., lib. V, c. V.

(*a*) *Cæt. edit.* quæ.— (*b*) *Item* omnis.

Digitized by Google

que ex magnitudine exultationis : ut semetipsam omnino non capiat, sed supra semetipsam elevata in alienationem transeat. Magnitudine devotionis mens supra semetipsam elevatur, quando tanto cœlestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quæ animam humanam, ad ceræ similitudinem liquefactam, a pristino statu penitus resolvat, et ad instar fumi attenuatam, in superna elevet, et ad summa emittat. Magnitudine admirationis anima humana supra semetipsam ducitur, quando divino lumine irradiata, et summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut a suo statu funditus concutiatur, et in modum fulgoris coruscantis quanto profundius ex despectu sui ad ima dejicitur, tanto sublimius et celerius per summorum desiderium reverberata, et supra semetipsam rapta, in sublimia elevatur. Magnitudine vero exultationis et jucunditatis mens humana supra semetipsam rapitur, et a se alienatur, quando intima illa æternæ suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, et in alienationis excessum tripudii sui nimietate traducitur, et in supermundanum affectum quemdam sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. » Hi sunt igitur gradus contemplationis secundum Richardum.

ARTICULUS III.

De gradibus contemplationis secundum auctorem de Spiritu et Anima.

Sed auctor libri *de Spiritu et Anima*, considerans, quod etiam Dionysius dicit, in epistola ad Titum, quod homo ex duabus naturis constat, anima scilicet et corpore : anima rationali, quæ simplex est in essentia; et ex corpore composito : ut juxta utriusque naturæ proprietatem illuminetur divinis cognitionibus; et ut mens ejus puras et simplices et intimas sensibilium signorum intelligentias, segregata ab ipsis signis, conspiciat; et ut sensualitas ejusdem per naturæ proprietatem cooperetur mentali cognitioni, ut sic ad divina extendatur; et ideo in contemplatione oportet uti sensibilibus formis, in quibus divina invisibilia immundis, id est, carnalibus abscondantur, et spiritualibus manifestentur : ideo auctor prædictus primum gradum ascendendi in Deum dicit [1] esse in sensuum operatione, per quam concipiuntur res corporales; secundum, in imaginatione, per quam concipiuntur corporalium similitudines; tertium, in ratione, per quam percipiuntur rerum naturæ sive rationes; quartum in intellectu, per quem percipiuntur spiritus creati; quintum in intelligentia, per quam percipitur spiritus increatus; sextum in sapientia, per quam aperitur spiritualis gustus. Et auctor prædictus addit ibidem : « Quidquid sensus percipit, imaginatio repræsentat, ratio investigat, intellectus judicat, memoria servat, intelligentia comprehendit, et ad contemplationem adducit, sed sapientia gustare facit. » Sequitur : « Sic fit ascensus ab inferioribus ad superiora, et a summis dependent ima. Et cum ab inferioribus ad superiosa, id est a temporalibus ad æterna ascendere volumus, prius occurrit nobis sensus, tanquam primum iter; deinde imaginatio; postea ratio, intellectus, intelligentia, et in summo est sapientia. » Et statim subdit diffinitiones prædictorum, dicens : « Sensus est ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas percipit formas præsentes, quæ variæ et multipliciter ostendunt suum Creatorem. » Unde Bernardus, *super Cantica*, dicit : « Quid est, quod hic est tanta formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, nisi quidam radii divinitatis, monstrantes quidem quia vere est, a quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaque de ipso vero verum vides, sed non ipsum verum. Unde hoc genus videndi commune est : in promptu enim est, juxta Apostolum, omni utenti ratione, *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere.* » Hæc ille. Et hæc est a temporalibus ad æterna ingressio, ait Augustinus [3], *de Vera Religione.*

Sensus quid.

Secundum gradum dicit esse imaginationem. Est autem imaginatio, secundum eum, ea vis animæ quæ rerum corporearum incorporeas recipit formas absentium, præsentium, præteritorum et futurorum, quandoque ut sic ipsa inter sensum et rationem, quasi ancilla inter dominum et servum discurrat, et quidquid exterius haurit per sensum carnis, intellectui repræsentet ad obsequium rationis. Ex hoc apparet, quod imaginatio simplicior est et nobilior potentiis sensitivis, cum ipsa sola similitudines objectorum omnium sensuum in se recolligat, et quoad aliquid quasi ab hoc loco et hoc tempore abstrahat, ut patet per Richar-

Imaginatio quid.

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXXI, ante med. — [3] Aug., *de Ver. Rel.*, c. XXIX.

Digitized by Google

dum : quare imaginatio animam magis facit appropinquare æternis, quam sensus exteriores. Unde Richardus dicit [1], quod ratio ad invisibilium cognitionem nunquam assurgeret, nisi ei ancilla sua imaginatio visibilium formas repræsentaret, sine quarum cognitione, ad cœlestium contemplationem nunquam ascenderet. Merito ergo gradus contemplationis potest dici, dispositive saltem.

Ratio quid.

Tertius gradus ascendendi ad Deum, sive contemplandi, dicitur esse in ratione. Ratio autem, secundum eum, « est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias et propria accidentia percipit, omnia incorporea, sed non extra corpora. Abstrahit enim a corporalibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Natura nempe ipsius corporis, secundum quam omne corpus est, nullum corpus est. Hæc ratio sensum mentis acuit, veraque a falsis distinguit, et imaginem Dei in se conservat. » Hæc ille. Ex quo apparet, quod ratio sensum et imaginationem incomparabiliter excellit dignitate, et excedit opere. Unde anima per rationem non solum Deum esse cognoscit, sed etiam ejus capax fit, ut patet per Augustinum, quarto decimo et quinto decimo *de Trinitate*. Nam per rationem anima de Deo meditatur, meditando contemplatur, Deus contemplatus amatur, et vere amatus habetur; imo, sicut dicit Augustinus in originali : « Hæc est vis naturæ divinitatis, ut creaturæ rationali, jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi » : unde est vere gradus contemplationis ratio.

Intellectus quid.

Quartus gradus, secundum eum, est in intellectu. Intellectus autem, secundum eum, est ea vis animæ, quæ invisibilia percipit, sicut angelos, animam et omnem creatum spiritum : et sic intellectus acceptus ad contemplationem cooperatur, quia importat quamdam intimam contemplationem. Dicitur enim intellectus, quasi intus legens : penetrat enim usque ad essentiam rei, quia objectum intellectus est quidquid est : quod etiam asserit Philosophus [2]. Accipitur etiam intellectus quandoque, ut est virtus intellectualis, sive ut est habitus principiorum naturalium, quæ sub lumine sunt naturali, et sic intellectus ostendit veritatem infallibiliter. Dicitur namque in libro *de Spiritu et Anima* [3], quod « in intellectuali visione nunquam fallitur anima : aut enim (*a*) intelligit, et verum est; aut si verum non est, non intelligit : » et ideo intellectus sic acceptus dicit aspectum manifestum et infallibilem circa principia : et sic acceptus intellectus etiam cooperatur ad contemplationem. Accipitur enim (*b*) aliquando intellectus ut est donum Spiritus sancti, et sic intellectus est habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, et sic nominant quamdam excellentiam cognitionis, penetrandi ad intima cognoscibilium. Unde Gregorius, libro primo *Moralium* [4], dicit : « Intellectus in die suo convivium parat in mente, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illustrat. » Nam lumen intellectus sic acceptum, ita se habet ad principia, quæ nobis naturaliter (*c*) innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea principia, quæ primordialiter cognoscimus. Sed sicut lumen naturale infallibiliter veritates principiorum naturales ostendit; ita et donum intellectus supernaturales veritates infallibiliter ostendit. Unde intellectus sic acceptus est verus et necessarius contemplationis gradus.

Quintus gradus ascendendi ad æterna, sive contemplandi, secundum eum, est intelligentia : « Est autem intelligentia, ut ibidem [5] dicitur, ea vis animæ, quæ immediate supponitur Deo, cernit quippe ipsum supremum verum et incommutabile. Et infra dicit sic [6] : « Intelligentia est vis animæ, qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. » Ad cœlestia (*d*) arcana penetranda (*e*), quæ, ut dicit Boetius, paucorum est hominum. Ex quo patet quod intelligentia excellit rationem (*f*) in sua actione, et ab ea differt, et quod est perfectior gradus contemplationis. Quod etiam Richardus videtur sentire, dicens [7] : « Per intelligentiam siquidem sinus mentis in immensum extenditur, et contemplantis animi acies acuitur, ut capax sit ad intelligibilia comprehendenda, et perspicax ad subtilia penetranda. Et nunquam contemplatio

Intel... quid.

[1] Richard., *de Patriarch.*, c. v, qui liber *Benjamin minor* vulgo inscribitur. — [2] Arist., *de Anima*, lib. III, text. 37. — [3] *De Spir. et Anim.*, c. XXIV. — [4] Greg., *Moral.*, lib. I, c. X. — [5] *De Spir. et Anim.*, c. V. — [6] Ibid., c. XXXVII. — [7] Richard., *de Contempl.*, lib. I, c. III. — (*a*) *Cæt. edit. add.* tantum. — (*b*) *Leg.* etiam. — (*c*) *Leg.* supernaturaliter. (*d*) *Suppl.* enim. — (*e*) *Suppl.* ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. Tunc finis ejus, si bene viget, cum ad notitiam secretorum, quæ diu investigando quæsivit, pervenerit, intellectus seu intelligentia nuncupatur. Boetius tamen dicit intelligentiam solius Dei esse et admodum paucorum hominum. — (*f*) *Cæt. edit.* intellectum.

Digitized by Google

potest esse sine vivacitate intelligentiæ. » Sequitur : « Etiam quotiens contemplantis animus dilatatur ad ima, quotiens elevatur ad summa, quotiens acuitur ad inscrutabilia, quotiens agilitate mira et pene absque timore rapitur per innumera, ex quadam vi intelligentiæ hoc esse non dubitatur. » Hæc ille.

Sextus gradus contemplationis, sive ascendendi ad æterna, secundum prædictum, est in sapientia, quæ sequitur intelligentiam, quia, sicut dicit idem [1] : « Ut visio mentis est intelligentia, sic mentis gustus est sapientia. Illa contemplatur; ista gustat et delectatur. » Sed hic primo notandum est, quod sapientia quædam est, quæ acquisita est per studium humanum, quæ est virtus intellectualis, de qua loquitur Philosophus in *Metaphysica* sua. Et hæc per rationis investigationem inquirit rectum judicium de divinis, et actus intellectuales et omnes operationes animæ perficit secundum eum, quantum potest. Quia, sicut dicit Seneca [2] : « Sapiens ad omnem incursum munitus et intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus, et contra illa ibit, et inter illa. » Et infra : « Sapiens plenus est gaudio et inconcussus; cum diis ex pari vivit. » Hæc ille. Ideo potest dici aliquis gradus contemplationis. Alia est [3] *sapientia quæ desursum est infusa* : et hoc est donum Spiritus sancti, et ad istam non solum pertinet secundum judicium rectum contemplari divina, sed gustare et regulare humanos actus excellentiori modo, quam sapientia, quæ est virtus intellectualis, utpote magis de propinquo Deum attingens, et experiens per quamdam unionem spiritus et animæ ad ipsum, ut directa per regulas legis æternæ. De ista sapientia loquens Bernardus, libro *de Amore Dei*, dicit sic [4] : « Sapientia a *sapore* dicitur; sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem illum nemo exprimere potest, nec etiam ille, qui meretur gustare; sed dicere potest [5] : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Hoc gustu, secundum Apostolum [6], gustatur Dei verbum, gustantur etiam divitiæ sæculi venturi. » Et sequitur : « Hic gustus si defuerit solus, omnes alii sensus, scilicet spirituales quatuor languescunt. Gustum autem sequitur quædam saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, quodam modo singulari, quæ suscipit, cuncta discernit et dijudicat, seque et omnes sensus vegetat et confirmat, scilicet interiores. » Hi sunt gradus contemplationis secundum illum.

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [2] Senec., epist. LIX, circa med. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] Bern., *de Nat. et dign. div. Amor.*, c. X, fere in princ. — [5] *Psal.* XXXIII, 9. — [6] I *Petr.*, II, 3. — [7] Orig., *sup. Cant.*, c. II. — [8] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVII, post med. — [9] *Exod.*, III, 1. — [10] *Rom.*, I, 20. — [11] Aug., *de Ver. Relig.*, c. XXIX.

(a) *Cæt. edit.* consummatur.

ARTICULUS IV.

De gradibus contemplationis secundum Origenem.

Ad hos gradus sive species contemplationis supradictorum Doctorum, quasi omnium aliorum doctorum gradus et species contemplationis mediate vel immediate possunt reduci, ut patet de sex gradibus contemplationis Origenis, quos declarat, dicens [7] : « Contemplatorem verum, et jubilatorem certum te judico, si primo perficiat te actio. » Hic Origenes subtiliter considerat, quod ubi vita activa terminatur et perficitur, ibi vita contemplativa ordinate inchoatur, et gradatim sursum tendit et proficit, donec in visionem intuitivam consummetur (a). Unde proprie loquendo de contemplatione, perfectio actionis non est gradus contemplationis, sed potest dici status quidam resultans a summa perfectione vitæ activæ, quæ necessario præcedit, tanquam disponens potentias contemplativas ad actus suos non impeditos, sed perfectos. Gregorius, sexto *Moralium*, dicit sic [8] : « Qui arcem contemplationis ascendere desiderant, prius necesse est, ut in opere actionis perfecte se exerceant. » Et pro tanto dicitur gradus contemplationis.

Secundo, secundum Originem, verus contemplator es, si in te est sensuum exteriorum retentio, sive retractio ad interiora, et collectio eorum in unum. Hoc enim, juxta Vercellensem, est *greges* [9], id est, sensus bestiales, *minare ad interiora deserti* per itinera æternitatis. Hoc fit, quando [10] *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna virtus ejus, et divinitas.* Hæc est, sicut dicit Augustinus [11], libro *de Vera Religione*, a temporalibus ad æterna regressio, et ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio, ut supra patuit.

Tertio, verus contemplator es, quando est in te omnium imaginabilium transitus, quando mente omnia imaginabilia transcendis. « Talis

Digitized by Google

contemplator, sicut dicit Bernardus [1], fuit qui dixit [2] : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Non enim fuit contentus exire, nisi longe se faceret, ut posset quiescere. » Sequitur : « Transilisti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris; perfecisti, et superasti te : sed nondum elongasti, nisi et irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas. » Hæc ille. De quo vide supra, dist. VI [3].

Quarto, verus contemplator es, si transcendisti omnia rationalia, propter phantasmata et alia impedimenta retardantia animam ad superiora properantem. De hoc dicit Richardus [4] : « Contemplatio nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis sublevationem cernit, quod humanæ capacitatis metas transcendit, ut sunt illa, quæ de divinitatis natura, et de simplici ejus essentia credimus. Et licet illa contemplatio supra rationem sit, non tamen præter rationem censenda est, quando ei, quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest, quin potius ei facile acquiescit, et sua attestatione alludit. » Hæc ille.

Quinto, verus contemplator es, si sursum tractus es super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus contemplationis est de quo loquitur Dionysius, dicens [5] : « Adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyses [6] separatur ab his, qui locum Dei secum viderant, et subtrahitur illis visis, et intrat in caliginem ignorantiæ, et unitur incomprehensibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ vere est omnium clarissima, et in se claudit et secretissime celat omnes cognitiones comprehensivas tanquam in causa prima omnium : et per eam omnis unitus Deo, qui est supra omnia, constituitur in excellentia, quam neque ratio investigat, nec intellectus speculatur, et ab omnibus, et quasi a seipso segregatur, et per unionem dilectionis, quæ affectiva est veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori, quam sit cognitio intellectualis, in eo quod intellectualem cognitionem deseliquit, et super intellectum et mentem Deum cognoscit. » Hæc Dionysius secundum Commentatorem Vercellensem dicit. Hæc require plenius supra [7].

Sexto, verus contemplator es, si in te est uniformis fixio intelligentiæ puræ, et ab omnibus omnino denudatæ, et conformis affectio volitivæ potentiæ per omnia, in nullo impeditæ, in uno fontali principio cœlestium gaudiorum, quod est Deus trinus et unus. Unde Origenes ibidem prædicta in unum recolligens, dicit : « Contemplatorem verum, et jubilatorem certum te judico, si primum te perficiat actio, si sensum ab exterioribus revoces, si imaginabilia felici motu pertranseas, si rationabilia celeri motu percurras, si intelligibilia felici et illuminata fide cognoscas, si in primo vero et in summo bono intelligentiam et voluntatem tuam ponas sugens, unde teneritudinem tuam nutrias; bibas, unde gaudeas; haurias, unde nunquam deficias. » Hi sunt gradus contemplationis secundum Origenem.

DISTINCTIO V.

Quantam utilitatem spiritus in itinere vitæ contemplativæ experiatur.

Vitæ contemplativæ utilitas

Quinto videndum est, quantam jucunditatem et utilitatem spiritus humanus in itinere vitæ contemplativæ experiatur. Nam Deo per totum illud iter associatur continue. Primo ergo videamus, qualiter spiritus in hoc itinere dulciter a Domino consoletur (*a*). De quo illud *Lucæ* [8] de vita duarum mulierum, scilicet Marthæ et Mariæ, de quibus dicit Gregorius, libro sexto *Moralium* [9] : « Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita figuratur? » Quæ stetit, quia, sicut (*b*) dicit Glossa : « Vita activa in laborioso desudat certamine; » quæ et querulabatur de sorore, quia turbata circa plurima vitæ activæ. Unde Bernardus dicit [10] : « Cum anima in actione sua in aliud tendit, quam in Deum, quamvis hoc faciat propter Deum, tamen non hoc est Mariæ otium, sed Marthæ negotium, quæ adhuc sollicita est, et turbatur erga plurima, et non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non respergi, quem tamen cito facileque deterget in hora sanctæ devotionis vel dormitionis casta inten-

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LII, post med. — [2] *Psal.* LIV, 8. — [3] Scilicet de secund. itin., dist. VI, pag. 417. — [4] Richard., *de Contempl.*, lib. I, c. VI, circa fin. — [5] Dion., *de Myst. Theol.*, c. I. — [6] *Exod.*, XXIV, 15-18. — [7] Vid. sup., *Myst. Theol.*, fere per totum. — [8] *Luc.*, X, 39-40. — [9] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVIII, ante med. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. XL, circa med.

(*a*) *Cæt. edit.* consolatur. — (*b*) *Item* sic.

Digitized by Google

tio, quæ est intendere et quærere solum Deum propter ipsum solum, quod proprium est sponsæ, » etc., ut dictum est supra, in primo itinere, distinct. tertia [1].

Ex quo patet, quod itinerantes in vita activa frequenter turbantur; sed spiritus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, a Deo dulciter consolatur post activam. Unde Gregorius, libro sexto *Moralium* [2], dicit: « Quid per Mariam, quæ ad pedes Domini residebat, audiens verbum Domini, nisi vita contemplativa exprimitur, quæ ex hoc a Domino commendata fuit, quia *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea?* » Quæ autem illa optima pars fuit, quærit Richardus dicens [3]: « Quæ est pars optima, quam elegit Maria, nisi vacare, et videre quam suavis est Dominus? Nam Maria sedens secus pedes Domini, audivit verbum illius. Summam itaque sapientiam Dei in carne latitantem, quæ oculus carnis videre non poterat, audiendo intelligebat, et intelligendo videbat, quia credebat: et in hunc modum sedendo et audiendo, summæ veritatis contemplationi vacabat. » Sequitur: « Hæc est pars, quæ electis et perfectis nunquam aufertur, et sane est negotium, quod nullo fine terminatur. Nam veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura vita jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis sane contemplationem homo eruditur ad justitiam, et consummatur ad gloriam. » Hæc ille.

Vita contemplativa Deo unitur.

Secundo videamus qualiter humanus spiritus ambulans per itinera vitæ contemplativæ, Deo familiari amicitia unitur. In Joanne enim legitur [4], quod Dominus dixit Petro: *Sic volo eum manere donec veniam. Tu me sequere.* Ubi dicit Augustinus [5], quod per hos duos apostolos signantur duæ vitæ: una activa, per Petrum; altera contemplativa, quæ signatur per Joannem Evangelistam. De Petro, per quem significatur activa vita, dixit Dominus: *Tu me sequere* per imitationem, perferendo mala temporalia. Vita igitur activa Petri est in labore; altera, scilicet contemplativa Joannis, in requie. Una est in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Prima agitur, dum facit bonum et declinat a malo, quæ tamen finitur: altera vero finitur bono, quod non finitur, Christi scilicet gloria. De Joanne vero dixit Dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Ubi dicit Glossa: « Nolo eum per martyrium consummare; sed expectabit placidam absolutionem carnis suæ, quando ego veniens, recipiam eum in æternam beatitudinem. » Unde hæc vita contemplativa hic inchoatur, et in futura vita consummatur. Hanc vitam Dominus in Joanne inchoavit, quando volentem nubere, sibi familiariter associavit, quam multis familiaribus signis amicitiæ continuavit, donec eum invitando dulciter in æterna beatitudine consummavit. Hæc vita contemplativa est summum beneficium, quod conferri potest animæ. Habet enim sibi annexas perfectissimas, et supremas, et ultimas delectationes, consequentes virtutes, dona, beatitudines, et fructus, magnificativas, et contentivas, et unitivas spiritus creati rationalis, et Dei increati, tanto felicius, quanto immediatius, sicut dicit Origenes, *super Cantica.* Signa familiaritatis patent in Evangelio.

De quiete vitæ contemplativæ.

Tertio videamus, qualiter spiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplativæ vigili somno quietetur et illuminetur (*a*) post luctam vitæ activæ, sicut patet de Jacob, qui post luctam et somnum contemplationis, didicit videre spiritualia, ut diceret [6]: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Unde Hugo dicit [7]: « Tunc ex Jacob fit Israel, quando post sudationes bonæ operationis, pervenitur ad lucem contemplationis. Tunc [8] *exultabit Jacob, et lætabitur Israel.* » Igitur per Jacob luctantem, signatur vita activa, quæ contra vitia luctatur. In quo luctamine, etsi spiritus non mortificatur, ut plurimum tamen infirmatur et fatigatur, ut clamet cum Psalmista [9]: *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* Per Israel vero videntem, signatur vita contemplativa, quia in via dormiens, cœlestia contemplatur. « Quid namque est dormire in via, ait Glossa, nisi, in præsentis vitæ transitu, a rerum temporalium amore labentium, oculos mentis claudere? Hos oculos concupiscentiæ aperuit diabolus, quos innocentia clausos tenuit. » Hæc Glossa. Iste somnus tantum placet Deo, ut cum contestatione juramenti prohibeat tales excitari a somno tali et pausatione, dicens (*b*) contemplativa [10]: ***Adjuro***

[1] Vid. sup., pag. 405. — [2] Greg., ubi sup. prox. — [3] Richard., *de Contempl.*, lib. I, c. 1, post med. — [4] *Joan.*, XXI, 21. — [5] Aug., *in Joan.*, tract. CXXIV, n. 5. — [6] *Gen.*, XXXII, 30. — [7] Hug., *de Claust. Anim.*, lib. IV, c. XXII, in fin. — [8] *Psal.* XIII, 7. — [9] *Psal.* XXXVII, 9. — [10] *Cant.*, II, 7; III, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* quietatur et illuminatur. — (*b*) *Suppl.* de, *nisi transferas hoc modo:* pausatione contemplativa, dicens.

Digitized by Google

vos, filiæ Jerusalem, ne excitetis, neque evigilare, etc. Quod exponens Origenes dicit : « Conjurationem tuam audivi, Domine, quam, ni fallor, sponsæ tuæ actus et status causabat, status optimus, actus præcellentissimus, tibi incumbens sine medio, te videns sine nubilo, in te quiescens sine tædio, de te hilarescens sine modo, a te permanentiam accipiens sine termino. » Hæc ille.

Quarto videndum est, qualiter spiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplativæ facie pulchrificetur, et visu clarificetur (*a*). Richardus dicit [1] : « Duas, ut legimus, uxores Jacob habuisse cogebatur. Una Lia, altera Rachel vocabatur. Lia fuit fœcundior, Rachel fuit formosior. Lia fœcunda, sed lippa; Rachel sterilis, sed formosa singularis. Per Liam signatur vita activa, per Rachel vita contemplativa. Ad Liam pertinet flere, dolere, gemere, et suspirare : et ideo recte talis uxor *Lia*, hoc est laboriosa, vocatur, et minus videns. Sed ad Rachel, quæ interpretatur *visum principium*, vel *otium*, pertinet meditari et contemplari, discernere et intelligere. » Sequitur : « Sed quid dulcius, quidque jucundius potest esse, quam oculum mentis ad summæ contemplationem sapientiæ erigere? Ad hanc itaque contemplationem cum ratio dilatatur, merito Rachel nomine honoratur. » Hæc ille. Ex hac autem contemplatione summæ sapientiæ, facies mentis pulchrificatur. Exemplum habemus de Moyse [2], cujus facies splendida fuit facta ex consortio sermonis Domini, ut Judæi non possent intendere in eam. Similiter ex hac contemplatione visus mentis clarificatur. Exemplum de S. Benedicto, de quo narrat B. Gregorius, libro secundo *Dialogorum* [3], quod cum in oratione constitutus, quemdam radium divini solis aspiceret, totus mundus ante oculos suos adductus videbatur, ubi vidit etiam animam Germani Episcopi Capuani, in sphæra ignea in cœlum ferri ab angelis. Et Gregorius dicit ibidem : « Quid mirum, quod mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine, et contemplatione, extra mundum fuit? » Hæc ille. Spiritus igitur in itinere contemplationis facie pulchrificatur, visu clarificatur. De hac contemplatione purificante, dicit Hugo [4] : « Contemplatio est deifica similitudo, quia dum per eam illuminati lucentes fiunt, quodam modo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt. » Hæc ille. Et Gregorius, libro sexto *Moralium* [5] : « Vita contemplativa speciosa est in anima contemplantis. Proptur quod dicitur animæ contemplativæ [6] : *Tota pulchra es, amica mea.*

Anima contemplativa multipliciter reficitur.

Quinto, spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, dulciter et multipliciter reficitur. Nam cibatur primo, ut fortificetur. Comedere autem animæ spirituale est supernæ lucis contemplationibus pasci, ait Gregorius [7], quinto *Moralium*. De hac refectione dicit Gregorius, *super Ezechielem* [8] : « Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quæ supra semetipsam animam rapit, cœlestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abscondit, ut talis contemplatrix dicat illud Canticorum [9] : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Vigilanti enim corde dormit per hoc, quod dum interius contemplando proficit, ab inquieto corporis opere foris quiescit. Neque adhuc tamen præsens Deus in sua claritate conspicitur, sed quædam sub ipsa speculatur anima, unde refecta proficiat, et post ad visionis gloriam pertingat. » Hæc ille. Hanc refectionem anima contemplativa gloriatur se esse expertam, dicens [10] : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Ubi Origenes sic dicit : « Da mihi, Domine, fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ : altus es, attolle desiderium : benedictus es, sanctifica obsequium : imputribilis es, purifica affectum : suavis es, lætifica animam. » Item in hoc itinere vitæ contemplativæ spiritus reficitur potu inebriantis gratiæ. Unde anima contemplativa in *Canticis* ostendit se hanc potationem inebriantem expertam esse, cum dixit [11] : *Introduxit me Rex in cellam vinariam*; ubi Glossa dicit : « Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit! Ita me recreatam spiritu, et ab amore terrenorum in suprema translatam sentio, ac si in cellam vinariam introducta novo sui (*b*) meri odore, et poculo inebriata sim. » Sed hanc refectionem spiritus ambulans in viis vitæ activæ vix et raro expe-

[1] Richard., *de Duod. Patriarch.*, sive *Benj. min.*, c. I. — [2] *Exod.*, XXXIV, 30. — [3] Greg., *Dial.*, lib. II, c. XXXV. — [4] Hug., in sept. cap. *Cæl. Hier.*, lib. VII, ante med. — [5] Greg. hoc dicit, *in Ezech.*, hom. XIV, post med. — [6] *Cant.*, IV, 7. — [7] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VI, in princ. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. XXVI, post med. — [9] *Cant.*, V, 2. — [10] Ibid., II, 3. — [11] Ibid., 4.

(*a*) *Cæt. edit.* pulchrificatur... clarificatur. — (*b*) *Cæt. edit.* sua.

Digitized by Google

ritur. Unde Augustinus, in Epistolam (*a*) *ad Hebræos*, dicit : « Contemplativi, non activi, amare et gustare possunt sincerum bonum, ad quod gustandum, necesse est cessare a tumultu mundi : propter quod esuriunt et sitiunt modo activi, quia non habent gustus sensum exercitatum.

Anima contemplativa a labore viæ relevatur.

Sexto, spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, a labore viæ relevatur per divinam allocutionem. Unde in *Luca* dicitur [1] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* Quod exponens Gregorius, dicit sic [2] : « Ex audito sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, audire libet præcepta cœlestia, et quod mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. » Et idem Gregorius, libro secundo *Moralium*, dicit : « Cum in itinere comes jungitur, via quidem non subtrahitur, sed de societate comitis labor itineris levatur. » Item, cum spiritu illo in itinere ambulante quandoque Deus confabulatur, ut supra [3] patuit, ubi dicit Bernardus [4] : « Deus, quasi viator quispiam, itinerantibus sese associans, jucundissimis confabulationibus suis a labore viæ omnem relevat comitem. » Quam plura ibi de hoc. Item, cum spiritu ambulante in hoc itinere contemplationis Deus habet dulcia susurria. Unde Origenes, exponens illud Canticorum [5] : *Vox dilecti*, etc., dicit sic : « Quando ad cor reduco, quod cum contemplantibus sua susurria habet Deus, quibus tanto fortius clamat, quanto efficacius susurrat, non sine admiratione commendatam te habeo, quod hanc vocem, et tenuisti mente, et commendasti ore, dicens : *Vox dilecti*, etc. » Ubi dicit Glossa : « Gaudeo consolatoriam vocem ejus audiens, et dum ejus faciem nondum video, tamen sublevato ad cœlum animo, aliquam suavitatem futuræ beatitudinis prægusto. » Tali igitur allocutione spiritus a labore viæ sic relevatur.

Anima contemplativa, a terrenis elevata, in cœlo commoratur.

Septimo, spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, ultra omnia inferiora mentaliter elevatur, et in sancta Trinitate ineffabiliter jucundatur. Unde Hugo dicit [6] : « Contemplatio *claustrum* animæ dicitur, in cujus sinu dum se recepit animus, sola cœlestia meditatur, a terrenis separatur, a turba carnalium cogitationum longe ponitur, dulces carnis refugit affectus, vagos sensuum astringit motus, in Domino delectatur, angelica dulcedine fruitur, legit in libro vitæ, pro silentio pacem tenet, in choro virtutum servat concordiam morum, summi Patris potentiam considerat, sapientiam Filii investigat, Spiritus sancti benignitatem amat. Dum hæc tria contemplatur, tribus modis consolatur. » Hæc ille. Hos autem tres modos consolandi potest experiri pro vero, qui in itinere contemplationis ambulans, experitur in memoria Patrem admonentem, et trahentem ad Verbum suum Jesum Christum audiendum ; quia, sicut dicitur in Joanne [7] : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* per internam inspirationem. Item consolatur, qui experitur in intelligentia Filium Patris illuminantem ad Patrem suum cognoscendum, quia, sicut dicitur in Matthæo [8] : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Item consolatur, qui experitur in voluntate Spiritum sanctum allicientem (*b*) ad Patrem et Filium amplexandum et tenendum. Quare in amore, qui appropriatur Spiritui sancto, Pater et Filius tenentur et amplexantur ; quod ostendit Augustinus [9]. Spiritus ambulans in itineribus vitæ activæ, sæpe ab hujusmodi consolationibus impeditur, et amaritudinibus repletur. Unde Origenes, *super Cantica*, dicit : « Qui terrenis inhæret, invenire non potest, nisi quod in terrenis latet, scilicet amaritudinem et dissipationem. » Sunt et aliæ multæ utilitates contemplationis.

[1] *Luc.*, XXIV, 33. — [2] Greg., *in Evang.* hom. XXX, post med. — [3] Sup., *de sec. itin.*, dist. III, pag. 410. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXXI. — [5] *Cant.*, II, 8. — [6] Hug., *de Claust. Anim.*, lib. III, c. I, in princ. —

[7] *Joan.*, VI, 44. — [8] *Matth.*, XI, 27. — [9] Aug., *de Trinit.*, lib. VI, c. V, n. 7.

(*a*) *Cæt. edit.* Epistola.— (*b*) *Item* afficientem.

DISTINCTIO VI.

Qualiter per iter contemplationis spiritus æternum manerium Christi ingrediatur.

Spiritus contemplativus debet prius mundo mori, ut Deum in oratione videre possit.

Sexto videndum est quomodo per iter contemplationis spiritus noster ad intrinsecum secretum Domini Jesu ingrediatur, et ab exterioribus abscondatur. Et quamvis ex prædictis gradibus contemplationis satis patere posset, qualiter spiritus humanus contemplando ingrediatur in æternum manerium Jesu, cum Hugo, *super primum Angelicæ Hierarchiæ*, dicat, quod quanto magis crescit a seipso ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur et confortetur, et affectus mentalis magis purificetur et

Digitized by Google

inflammetur, et totus in Deo quietetur, et istum ascensum doceant prædicti gradus contemplationis : planum est, quod per eos potest cognosci, qualiter spiritus contemplativus in illud secretum intrinsecum Domini Jesu ingrediatur et abscondatur : tamen, propter istius manerii utilitatem, notandum, quod cum Dominus dicat [1] : *Non videbit me homo, et vivet*, necesse est ut spiritus contemplativus mundo prius moriatur, et mundus sibi moriatur, et ex tunc in æterna ingrediatur, et in eis abscondatur. Quid est autem spiritum per contemplationem illud intrinsecum secretum intrare, nisi ab omnibus temporalibus absolvi et elongari, et in æterna extendi, et in eis abscondi continuis profectibus, donec totus homo, exterior et interior, in Deum ordinetur, prout possibile est statui viæ? Unde Gregorius, libro quarto decimo *Moralium*, dicit : « Contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum raptim, et intentione cordis, et dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipsum, et hoc ire est requiescere. » Dissimiliter tamen requiei divinæ assimilamur, et imitamur requiem Dei : nam sequitur ibidem : « Namque ut beati simus et æterni, æternum imitabimur in æternum, et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec expertes sumus ejus quam imitari possumus. » Hæc Gregorius. Oportet enim verum contemplatorem mori mundo, ut mundus sibi moriatur, ut in nullo contemplatio ejus impediatur. Dicit enim Gregorius, libro duodevigesimo *Moralium* [2] : « Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam amore ejus teneatur. » Talis fuit ille verus contemplator Paulus, quando dixit [3] : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Quod Gregorius exponens, libro quinto *Moralium*, dicit [4] : « Mundus quidem ei crucifixus fuerat, quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat. Sed seipsum mundo crucifixerat, quia talem se exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. » Et sequitur [5] : « Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium turbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis absconduntur. Unde recte per Psalmistam dicitur [6] : *Abscondes eos in abscondito vultus tui, a perturbatione hominum.* Quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiamnunc ex magna parte agitur, cum a temporalibus tumultibus, et eorum delectatione, in interiora rapiuntur : ut mens eorum, dum in amore Dei tota tenditur, nulla mundi perturbatione laceretur. Hinc est, quod Paulus contemplatione mortuos, quasi in sepulchro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat [7] : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* » Hæc ille.

[1] *Exod.*, XXXIII, 20. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. ult., ante med. — [3] *Gal.*, VI, 14. — [4] Greg., *Moral.*, lib. V, c. III, circa med. — [5] Ibid., c. V, post med. — [6] *Psal.* XXX, 21. — [7] *Coloss.*, III, 3.

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis ad secretum JESU invitetur (a).

Invitatur spiritus humanus ad jucunditatem contemplationis.

Septimo videndum est, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter jucundæ contemplationis ad intrinsecum secretum Domini Jesu, ab eo invitetur, Sponso in *Canticis* dicente [8] : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Cujus invitationis subjungit allectivum, dicens : *Veni*, quia jam est itinerandi amœna jucunditas, quia flores apparuerunt in terra nostra. Jam enim tempus vernale advenit, ex præsentia divini Solis incarnati. Unde Origenes, *super Cantica*, dicit : « Ipso sole justitiæ oriente, hiems transiit, et ver fidei calore Spiritus sancti terram solvit, et flores virtutum producit. » Ergo, o *amica mea*, propter contemplationis tuæ amorosum affectum, vulnerasti cor meum, *Sponsa mea*, penerando dulcifluam dulcedinem in uno oculorum tuorum, sicut exponit Vercellensis, id est, intelligentia tua attracta et simplificata in contemplatione pulchritudinis meæ. *Surge* mentaliter per amorosæ contemplationis sursum actionem, ut, sicut dicit Glossa super illud Matthæi [9] : *Respicite volatilia cœli*, sola contemplatione jam in cœlo degas, quasi avis cœlica, non terrena. O *columba mea*, propter contemplationis tuæ radiosum aspectum, quia [10] *oculi tui columbarum*, ubi dicit Glossa : « Sensus tui spirituales contemplatione spiritualium rerum excellentes reverendi sunt et simplificati ; ideo magis confortati : propterea ait Isaias [11] : *Assument pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient.*

[8] *Cant.*, II, 10. — [9] *Matth.*, VI, 26. — [10] *Cant.*, IV, 1. — [11] *Isa.*, XL, 31.

(a) Cæt. edit. *invitatur*.

Digitized by Google

Aquila, sicut dicit Hugo [1], super quintum decimum *Angelicæ Hierarchiæ*, avis est altifera, et cito volans, et significat agilitatem spiritus, » etc. *O formosa mea*, propter contemplationis tuæ speciosum objectum. Ex pulchritudine enim objecti beatifici, mentes contemplatrices beatificantur, et pulchrificantur. Undè Dionysius, in *Angelica Hierarchia*, dicit : « Deus pulchros facit suos contemplatores et amatores, juxta illud ad Corinthios [2] : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur*, etc. Tali contemplatrici dicitur [3] : *Ostende mihi faciem tuam. Facies enim tua decora*, non decore corporali, sed decore vero, et spirituali, et interiori. *Veni* ergo de labore ad requiem, de dolore ad consolationem, de languore ad impassibilitatem. *Veni* ad interiores theorias unitivæ contemplationis, tanquam ad interiora deserti, ubi jam apparent flores, id est splendores cœlestis sapientiæ, qui ibi apparent in contemplatione clara, qui prius te latebant in prima desideriorum extensione. Unde in *Job* dicitur [4] : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Veni*, aperta sunt prata, apparuerunt herbæ florentes, varios flores, et odoriferos, et spirituales in Ecclesia producentes. Unde Gregorius exponens illud Genesis [5] : *Odor filii mei sicut odor agri pleni*, dicit [6] : « Aliter redolet flos uvæ, per quem signantur prædicatores doctrinis inebriati ; aliter flos olei, id est misericordes, qui lucent, et refovent debiles ; aliter flos rosæ, id est, martyres exemplis fragrantes; aliter flos lilii, id est, virgines candidam famam spirantes; aliter flos violæ, id est, humiles purpuram cœlestis vitæ servantes; aliter spica nardi, id est perfecti et maturi, opera bona fructificantes, » dicit Gregorius. Et Origenes : « Quis jam non surgat, quis non properet, aut quis non veniat, ubi tot utilitatis insignia concurrunt? » Per illud iter floridæ contemplationis fideliter et amorose ambulare tribuat nobis, qui est æternorum via, veritas et vita. Amen.

DE QUARTO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM CHARITATIVA AFFECTIO (*a*).

Quartum iter æternitatis (*b*), per quod spiritus humanus venit ad intrinsecum secretum, et æternum manerium Jesu, est æternorum charitativa affectio. Ad cujus itineris majorem cognitionem, septem sunt notanda.

Primo, quare iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur.

Secundo, quid sit charitativa affectio, et quomodo sit iter ad æterna, ut verius cognoscatur.

Tertio, qualiter charitativa affectio a naturali affectione, vel acquisita dilectione distinguatur.

Quarto, quibus signis et conjecturis charitativa affectio qualitercumque manifestetur.

Quinto, qualiter charitativa affectio a sanctis Doctoribus per gradus dividatur.

Sexto, qualiter spiritus noster, per iter charitativæ affectionis, æternum manerium ingrediatur.

Septimo, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter charitativæ affectionis ad æterna, a Domino invitetur (*c*).

DISTINCTIO I.

Quare iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur.

Amor sequitur contemplationem.

Primo igitur videndum est, qualiter iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur. De hoc nota, quod quia affectio charitativa tanquam posterior perficit contemplationem (dicit enim Augustinus [7], quod quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius sereniusque eum videmus) : ideo charitativa affectio debet immediate sequi contemplationem, tanquam excellentior, et perfectior, et perficiens intellectum contemplativum. Voluntas enim, tanquam posterior in ordine, aperit intellectui suam perfectionem. Cujus signum est, quia voluntas imperat intellectui quærere et invenire notitiam, quæ est perfectio intellectus, et partus mentis, sicut ostendit Augustinus [8]. Et Hugo, super septimum *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit [9] : « Dilectio supereminet scientiæ, et major est quam intelligentia. Plus enim diligitur Deus, quam intelligatur; et dilectio intrat et appropinquat, ubi scientia foris stat. » Et istius dicti reddit rationem dicens : « Nec mirum, quia dilectio semper amplius præsumit et confidit, semper acutum habet penetrans omnia, et sequens im-

[1] Hug., in cap. quintumd. *Cœl. Hier.*, lib. X, post med. — [2] II *Cor.*, III, 18. — [3] *Cant.*, II, 4. — [4] *Job*, XLII, 5. — [5] *Gen.*, XXVII, 27. — [6] Greg., *in Ezech.*, hom. VI, ante med. — [7] Aug., *de Trinit.*, lib. VIII, c. IX, n. 13. — [8] Ibid., lib. IX, c. XII, n. 18. — [9] Hug., in cap. sept. *Cœl. Hier.*, lib. VI, ante med. — (*a*) *Cæt. edit.* non habent *quod est æternorum charitativa affectio.* — (*b*) *Cæt. edit. add.* est. — (*c*) *Cæt. edit.* invitatur.

Digitized by Google

petum ardentis desiderii, nec dissimulare valet, donec ad amatum perveniat. » Hæc ille. His concordat Gilbertus Porretanus, ubi dicit [1] : « Scientia inflat, charitas perflat. Charitas intimior est, quam scientia, et ad secretiora pertingit. Omnia enim interiora perflat spiritus amoris, quo et scrutatur profunda Dei. » Hæc ille. Nullum etiam bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur, sicut Augustinus dicit [2]. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [3] : *Qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabit* (*a*) *corda vestra.* Rationabiliter igitur charitativa affectio sequitur contemplationem, tanquam perficiens eam, quamvis incognita amari omnino non possint, secundum Augustinum.

DISTINCTIO II.

Quid sit charitativa affectio, et quomodo sit iter ad æterna, ut verius cognoscatur.

Charitas quid sit.

Secundo videndum est, quid sit charitativa affectio, ut ex hoc spiritus cognoscat, qualiter ipsa sit iter ad æterna. De quo primo sciendum est, quod amor, dilectio, et charitas, in Scriptura frequenter pro eodem accipiuntur, ut dicit Dionysius, quarto *de Divinis Nominibus,* ubi dicit : « Communiter et uniformiter utendum est in divinis nomine amoris, nomine dilectionis, sive etiam charitatis. » Et Augustinus, octavo *de Trinitate*, dicit [4], quod « nihil aliud est charitas, nisi amor boni. » Est igitur sciendum, sicut dicit Dionysius ubi supra, quod unus est amor increatus, qui sua supersubstantiali et universali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus rebus; qui amor creatus est quædam inclinatio et coordinatio amantis ad bonum amatum : et ideo Dionysius distinguit ibidem diversos amores, secundum diversas inclinationes ad bonum appetibile, dicens : « Quando amorem nominamus, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem, designamus, nomine amoris, quamdam virtutem unitivam. » Ubi dicit Commentator : « Amor est connexio et vinculum, quo omnium rerum universitas ineffabili amicitia insolubilique unione copulatur. » Et Commentator exponit et declarat istos amores ibidem. Ex quibus magis, quid amor sive charitas sit, apparebit. Amorem naturalem vocant inclinationem ad bonum, quæ non præsupponit cognitionem aliquam, quæ inest omnibus rebus a Creatore indita, qua inclinentur ad conservationem sui esse, quod est bonum eis. Unde dicitur in Job [5] : *Frumentum desiderat nubes,* id est naturalem habet inclinationem ad hoc bonum. Amorem animalem vocat inclinationem ad bonum, quæ præsupponit cognitionem sensitivam; et hic tantum est in his, in quibus est sensibilis appetitus, ut in homine, et in brutis. Amorem intellectualem vocat inclinationem ad bonum, quæ præsupponit cognitionem rationis, ut Commentator ait, quæ est in homine : et hic amor distinguitur : quia quædam est inclinatio ad bonum, quæ non præsupponit nisi naturalem cognitionem boni absolute, et est a voluntate non deliberata; quædam est inclinatio in bonum, quæ præsupponit cognitionem deliberatam respectu boni relati ad aliud ut ad finem, vel circumstantias, vel ad aliquid aliud : tunc est amor electivus, qui proprie dicitur dilectio. Si autem ille amor sit (*b*) per aliquem habitum supernaturalem, per quem homo sit acceptus Deo, et dignus remunerari in æterna vita, amor charitatis est sive gratuitus, et hic necessarius est, ut sicut intellectus per fidem, quod est lumen supernaturale, elevatur ad beatifici objecti supernaturalem cognitionem; ita et affectus, sive voluntas, per supernaturalem habitum charitatis elevatur ad beatifici objecti supernaturalem affectionem, ut infra patebit.

Amor naturalis.

Diversi modi amores.

Amorem autem angelicum vocat inclinationem in bonum, quæ (*c*) præsupponit altiorem cognitionem, quam sit cognitio humana : et ideo Angelus fortius inclinatur in bonum cognitum, et perfectius. Unde Linconiensis Commentator super quintum *Angelicæ Hierarchiæ* dicit : « Angeli ex rationis abundantia scientes id, quod appetunt, esse vere desiderabile, et vehementissime, et intime, et totis viribus desiderandum et amandum amore puro, et non in aliud tendente; illud intendunt ita fortiter et inavertibiliter, quod illa intentio a nulla potestate et potentia intercipi potest, vel impediri : et sic amor intellectualium tendit in eis in visum bonum, quod est verum et summum bonum. » Hæc ille.

Amorem vero divinum Dionysius, ubi supra, ponit « præexistentem supersubstantialiter in bono ad existentiam emanante (*d*), qui et rursus

[1] Gilb. Porret., *sup. Cant.*, serm. XXXIX, circa fin., inter Bern. Opera. — [2] Aug., lib. *LXXXIII Quæst.*, q. XXXV, n. 1. — [3] *Eccli.*, II, 10. — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. VIII, c. X, n. 14. — [5] *Job.*, XXXVII, 11.

(*a*) Vulg. *illuminabuntur.* — (*b*) *Edit. Ven.* fit. — (*c*) *Edit. Lugd.* in qua; *cæt. edit.* qua. — (*d*) *Al.* emanantem.

Digitized by Google

ad bonum convertitur : in quo divinus amor monstratur sicut quidam æternus circulus, habens finis interminabilitatem, et principii carentiam, circumambulantis propter bonum ex bono, et in bonum, per quamdam circulationem non errantem, et ipse amor in eodem et secundum idem procedens, semper in se manet, et ad se restituitur. » Hæc ille. De isto amore dicit idem sic : « Audeo autem pro vero dicere, quia ipse Deus omnium tam pulchro et bono amore omnium per abundantiam amativæ bonitatis, quasi extra seipsum fit, providendo omnibus existentibus, et per amorem et bonitatem trahitur, et ex eo, quod est super omnia, ad id, quod est in omnibus, deducitur secundum virtutem supersubstantialem facientem ecstasim, sed a se inegressibilem. Propter quod Deum zelotem vocant, tanquam abundanter amantem existentia, et excitantem mentes ad fervens desiderium ipsius : unde amabilis et diligibilis dicitur, in quantum est plenitudo bonitatis et pulchritudinis cunctis appetentibus. Dicitur Deus amor et dilectio, in quantum ipse est virtus movens, et quasi sursum agens omnia ad se naturaliter appetendum, quemadmodum adamas, quiescens, facit ferrum moveri. » Hæc Dionysius. Ex his omnibus concludit, dicens : « Quando ergo amorem nominamus, sive divinum, sive angelicum, sive intellectualem, sive animalem, sive naturalem, designamus nomine amoris quamdam virtutem unitivam et concretivam, moventem superiora ad providentiam inferiorum, et coordinatam ad continuam et mutuam habitudinem inferiorum, ad conversionem ad superiora. » Ex quibus omnibus apparere potest, quod amor est virtus unitiva amantis cum amato.

Amor quid.

DISTINCTIO III.

Qualiter charitativa affectio a naturali affectione, vel acquisita dilectione distinguatur.

Affectio charitativa qualiter ab affectione naturali, et acquisita differat.

Tertio, ne spiritus humanus arripiat iter naturalis affectionis, vel acquisitæ dilectionis, pro itinere charitativæ affectionis, expedit videre qualiter affectio charitativa, sive gratuita, a naturali affectione, et acquisita dilectione vel amore, differat, vel distinguatur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Hugo de Sancto Victore in libro qui incipit : *Accipe, frater charissime,* affectus est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia, sicut ipse dicit ibidem, secundum variam inclinationem affectionum et motuum variantur nostri amores, ideo, ut de omnibus affectionibus et motibus quibus amor noster multipliciter variatur, quis illorum maxime sequendus sit, et quantum, et qualiter, ut competenter fiat, et quis respuendus sit, vel etiam reprimendus, subtilius est inquirendum. Per hoc patebit in quo amores isti conveniunt, et differunt.

Sunt autem, sicut ipse ostendit ibidem, quinque amores, et affectiones quibus inclinamur ad aliquem vel aliquid.

Primus est affectus naturalis, de quo dicit Hugo ibidem sic [1] : « Naturalis affectus est cujuslibet ad carnem suam : *nemo* enim [2] *carnem suam odio habuit.* Item matris ad filium : *non* enim [3] *potest mater oblivisci infantem uteri sui.* Item hominis ad domesticum suum : *Qui* enim [4] *curam domesticorum non habet, fidem negavit, et est deterior infideli.* Hunc sane affectum, sicut non admittere impossibile est, ita non sequi summæ virtutis est, nisi ratione reguletur. Semper enim iste affectus mollia suggerit, et suave, et jucundum, quod terrenum, quod voluptuosum, et quod delicatum, libenter amplectitur; quod vero asperum, quod voluntati contrarium, omni horrore refugit : quocirca hujus affectionis executio amor perversus est. Hic amor a Salvatore interdicitur, cum dicit [5] : *Qui amat animam suam, perdet eam.* Proinde sanctus Augustinus dicit [6] : « Si male amas, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. » Sequitur : « Qui enim amat secundum talem affectum, utique odit, quia [7] *qui diligit iniquitatem, odit animam suam;* qui vero odit secundum illum affectum, secundum rationem diligit. Naturale quidem est, quod homo erga se et suos affectum habeat; sed amorem secundum affectum habere non debet. » Hæc ille. Quod ab (*a*) isto affectu naturali affectio charitativa differat, patet, quia iste (*b*) cum homine nascitur, illa vero a Deo inducitur, dicit idem Hugo.

Secundus est affectus carnalis, de quo dicit idem sic : « Carnalis affectus duplex est. Plerumque enim neque virtus, neque vitium est; sed est quædam exterioris hominis habitudo, animum intuentis sibi inclinans facile. Quippe cum alicujus forma est elegantior, et sermo sua-

[1] Hug., ubi sup. prox. — [2] *Ephes.*, v, 29. — [3] *Isa.*, XLIX, 15. — [4] 1 *Tim.*, v, 8. — [5] *Joan.*, XII, 25. — [6] Aug., in *Joan. Evang.*, tract. LI, n. 10. — [7] *Psal.* X, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* in. — (*b*) *Item* ista.

Digitized by Google

vior, venustus aspectus, etiam ignorantis qualis ipse sit, provocat et perstringit ipsum affectum. Hoc in puero Moyse apparuit, quod propter elegantem formam tribus mensibus contra præceptum Pharaonis abscondebatur, et a filia ipsius Pharaonis in filium fuit adoptatus. Porro et qui ad noxiam voluptatem in qualibet specie suavitatis male blanda compungit, motum carnalis affectus nemo sani capitis dubitavit. Hic carnalis affectus fuit, qui David [1] ad speciem Bethsabee prævenit incautum, præventum dissolvit, dissolutum obruit. Hic affectus sapientiam Salomonis [2] absorbuit, et carnali libidine dissolutum, in spiritualis fornicationis barathrum, et nefandissimam idolorum culturam dejecit. » Hæc ille. Talis affectus non meretur habere nomen amoris veri; sed, ut dicit Dionysius [3], est longinquum idolum veri amoris, et plenus anxietate. Affectio autem charitativa plena est jucunditate. Unde Richardus, *de Trinitate* [4] : « Sicut charitate nihil est melius, ita et nihil est jucundius. »

Tertius affectus est officialis, de quo Hugo sic dicit : « Officialem affectum dicimus, qui meritorum vel obsequiorum exhibitorum quorumdam (*a*) animos inclinat; qui quamvis sit periculosus, tamen admittendus est, ne sis ignarus vel ingratus in officio : cavendum est ne tam homini impertiatur, quam vitio. Quid magis cavendum est, quam ne obsequiis vel muneribus illectus, aut foveas vitia, aut vitiosa? Proinde in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna habenda est discretio. Et attendendum est ad personæ dignitatem, ut si forte tanti meriti sit, ut affectus officialis transeat in rationalem, ut quem cœpimus diligere, quia nobis gratus diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus, et retributio secundum rationem, non secundum affectum impendatur, sed et desiderium quo amati præsentia desideratur, vel actus quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequatur, non affectum. Iste quoque affectus, qui hominem sine alterius causæ respectu sponte complectitur, per omnia temperetur. Ab isto affectu multum differt affectio charitativa, quia iste quærit quæ sua sunt, per charitatem autem singula sunt omnium, et omnia singulorum, quia [5] *non quærit quæ sua sunt*, ut ait Gregorius in *Moralibus* [6].

Quartus est affectus rationalis, de quo Hugo sic dicit : « Rationalis affectus hic est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris cujuslibet virtus vel sanctitas explorata, vel fama divulgata, mentem nostram dulcedinis suavitate perfundit. » Sequitur : « Hic est affectus qui nos, audita triumphali martyrum passione, suavissima compungit devotione, ac memorabiles actus præcedentium quasi sub oculis delectabili meditatione depingit, et ad proximi dilectionem contemplantis ejus virtutibus (*b*) accendit : propter quod constat hunc affectum esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis, ex quo ad actum virtutis excitabitur. » Hæc ille. Ab isto affectu differt affectio charitativa, quia ista, ratione mediante, ab exemplis exterioribus oritur et exercitatur; affectio vero charitativa a Spiritu sancto ad amandum etiam peccatores inflammatur, et bonorum exemplis multo dulcius afficitur, ut patet per Apostolum, vel per alios sanctos.

Quintus est affectus spiritualis, sic dictus, quia vel a spiritu immittitur, vel a spiritu oritur, vel a spiritu inspiratur. Et hic affectus est triplex, quia quandoque immittitur a spiritu maligno; quandoque oritur a spiritu humano, et quandoque inspiratur a spiritu divino et sancto. A spiritu maligno affectus immittitur, ut dicit Hugo, quando inclinat aliquem ad vitia. Illo affectu maligno filius David [7] improbe in sororis exarsit amplexus. Istumque affectum misit in cor Judæ [8], ut Dominum traderet. Illo affectu inclinat ad quæque turpia. Unde Osee [9] : *Spiritus*, inquit, *fornicationis decepit eos.* Quod autem affectio charitativa differat ab illo, planum est, quia illi contrariatur. A spiritu autem humano, tam ex innata ingenuitate, quam ex studiosa, et exercitata exquisitione, oriuntur quandoque affectus amorosi ad summum bonum diligendum, quod est summe appetibile, et sunt simillimi affectioni charitativæ, sive gratuitæ. Nam si accipiatur gradus maximæ charitatis, qui, testante veritate in Evangelio, est [10] *ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, similem gradum ex puris naturalibus inveniuntur multi ascendisse. Unde Augustinus narrat [11], quod

Affectus triplex.

[1] II *Reg.*, XI. — [2] III *Reg.*, XI. — [3] Dion., *de Cæl. Hier.*, c. II, et *de Div. Nom.*, c. IV. — [4] Richard., *de Trinit.*, lib. III, c. III, statim post princ. — [5] I *Cor.*, XIII, 5. — [6] Greg., *Moral.*, lib. X, c. IV, vers. fin. — [7] II *Reg.*, XIII, 5. — [8] *Joan.*, XIII, 2. — [9] *Ose.*, IV, 12. — [10] *Joan.*, XV, 13. — [11] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. VIII.

(*a*) *Suppl.* gratia. — (*b*) *Forte leg.* virtutes cor.

Digitized by Google

multi utilitatem Reipublicæ propriæ vitæ præponebant; et exemplificat de hoc. Et Tullius, *de Officiis*, dicit [1], quod duo erant præcepta Platonis volentibus Reipublicæ prodesse : primum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum; secundum præceptum fuit, ut totum corpus Reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deserant. A spiritu autem divino affectus charitatis infunditur, ut patebit, qui licet in multis differat a prædictis, in multis tamen convenit cum eis : propter quod difficile est distinguere inter istas affectiones, scilicet charitativam, naturalem, et acquisitam, propter similitudinem actuum suorum.

Charitas gratuita ab aliis affectibus dilectionis multipliciter differt.

Et tamen isti habitus differunt : quod certum est, primo, quantum ad originem, quia charitas gratuita a solo Deo supernaturaliter infunditur. Unde dicit Apostolus [2] : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum sanctum.* Illa autem, scilicet naturalis, per naturam cum homine nascitur, et altera per exercitium acquiritur. Secundo differunt quantum ad substantialitatem, quia charitas gratuita est vivificativa, purior et ferventior, quia nunquam est sine Spiritu sancto, qui datur in ea; neutra autem aliarum vivificat. Tertio differunt quantum ad formalitatem, quia charitas gratuita alias virtutes, vel habitus informat et perficit, ut dicit Ambrosius, utrique autem illorum manent informes et imperfecti sine ista. Quarto differunt quantum ad finis capacitatem, quia charitas gratuita spiritum humanum a culpa educit, in gratiam conducit, et Deo unit, et gaudio perenni et jubilatione consummat et perficit. Unde Rabanus in quodam sermone dicit sic : « Charitas sive amor divinus est ignis in meditatione, mentem purificans a sordibus vitiorum; lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum; mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine divinorum beneficiorum; vinum est in contemplatione, mentem inebrians jucunda delectatione; sol est in æterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine et suavissimo calore, exhilarans ineffabili gaudio, in perenni jubilatione. » Hæc ille. Nullum istorum potest perficere sine charitate, nec naturalis amor, nec acquisita dilectio. Bernardus, super *Cantica*, sermone quinquagesimo, sic distinguit, dicens [3] : « Est affectio, quam caro, sive natura gignit; est affectio, quam studiosa exercitatio acquirit, sive quam ratio regit; et affectio, quam sapientia condit. Hæc ultima primam illuminat, secundam remunerat : prima quidem est dulcis, sed turpis; secunda est sicca, sed fortis; tertia suavis et pinguis, quæ gustat, quoniam suavis est Dominus. » Hæc ille. Certa tamen differentia in his non potest haberi.

[1] Cic., *de Offic.*, lib. I. — [2] *Rom.*, v, 5. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. L, ante med.

DISTINCTIO IV.

Quibus signis et conjecturis charitativa affectio qualitercumque manifestetur.

ARTICULUS I.

De signis charitatis jam genitæ.

Quibus conjecturis cognosci possit quis non sit in gratia.

Quarto igitur videndum est, quibus signis vel conjecturis charitativa affectio, ut a Deo inspirata est, qualitercumque cognoscatur. Circa quod sciendum, quod quamvis Magister in *Sententiis* notificare nitatur habitum charitatis, dicens : « Charitas est virtus gratuita, voluntatem in esse secundo perficiens, in ordine ad actum diligendi prompte et faciliter, propter se et supra omnia, summum bonum; » et licet habitus notificentur per eorum actus : tamen, ut supra patuit, quia actus charitatis, et actus amoris naturalis, et acquisitæ dilectionis sunt simillimi, ideo non possumus certitudinaliter scire, utrum habeamus habitum charitativæ affectionis : quod non absque rationabili causa a Deo ordinatum est : et ideo oportet nos esse contentos aliquibus signis et conjecturis, quibus aliqualiter confidamus (*a*) nos habere charitatem gratuitam. Et quia ista signa et conjecturæ oriuntur ex actibus charitatis, quorum aliqui ex ipsa charitate eliciuntur, aliqui ex ipsa imperantur, et horum aliqui sunt charitatis incipientium, et alii charitatis proficientium, et alii charitatis perfectorum : propter quod Sancti et Doctores aliqui dicunt aliqua signa esse charitatis genitæ, aliqua roboratæ, et aliqua esse charitatis signa jam perfectæ. Et signa charitatis jam genitæ, seu infusæ, sicut dicit Bernardus, sunt quatuor, quæ ibi numerat, dicens sic [4] :

Primum signum charitatis genitæ sive infusæ, est dolor de culpa præterita. Ratio hujus est : charitas et culpa mortalis opponuntur, et ideo

[4] Bern., serm. *de Omnib. Sanct.* — (*a*) *Al.* confidimus.

Digitized by Google

simul stare non possunt in eadem voluntate : ideo quando charitas est in voluntate, expellit culpam per dolorem contritionis. Unde Augustinus [1] dicit sic : « Radix omnium bonorum est charitas, et radix omnium malorum est cupiditas, et simul ambæ non possunt esse, quia nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non potest. » Ergo dolor contritionis signum est habitæ charitatis, cum utraque simul in voluntate esse possit.

Secundum signum charitatis genitæ, secundum Bernardum, est firmum propositum cavendi futura peccata cum effectu. Cujus ratio est, quia habere propositum cavendi omnia peccata mortalia cum effectu, nec per amorem naturalem, nec per acquisitam dilectionem potest diu quis habere sine gratia, sive charitate adjuvante. Unde Augustinus dicit [2], quod « voluntas ipsa nisi gratia Dei liberetur a servitute, qua facta est serva peccati, et ut vitia superet per gratiam adjuvetur, recte pieque vivi a mortalibus non potest : » licet enim propter libertatem posset vitare quodlibet peccatum mortale signatum, non tamen propter infirmitatem potest diu omnia in communi vitare, quin in aliquod incidat. Ergo diu esse sine mortali peccato signum est charitatis jam habitæ sine mortali, id est sine conscientia mortalis.

Tertium signum charitatis genitæ, secundum Bernardum, est delectatio in auditu divini sermonis. Ratio hujus est, quia amantes delectantur in sermonibus mutuis, sive sint sermones inspirati, sive scripti, sive exterius auditi, ut ex illis capiant experimentum mutuorum affectuum, quos charitas silentio tegere non potest. Mos enim amantium est, ait Chrysostomus, ut amorem suum silentio regere non queant. Unde et Gilbertus Porretanus idem dicit [3]. Ideo charitas inspiratione, id est, interna locutione non est contenta ; sed sacri sermonis institutiones, velut clypeos, undique memoriter apprehendit; sed nec his contenta, quasi vociferando clamat [4] : *Nuntiate dilecto, quia amore langueo*, ubi dicit Glossa : « Illis volentibus docere, ista flagrans amore prior alloquitur. » Ex his apparet, quod delectatio in auditu verbi Dei, est signum charitatis genitæ.

Quartum signum charitatis genitæ est promptitudo boni operis. Ratio hujus signi est, quia charitas maxime est operativa, quia ipsa est amor finis, et ideo imperat omnem actum ordinatum, vel ordinabilem in hunc finem. Unde Gregorius, in homilia super Joannem [5] : *Si quis diligit me*, dicit [6] : « Nunquam amor est otiosus : operatur enim magna, si est ; si autem operari renuerit, amor non est. » Et ibidem : « Probatio dilectionis est exhibitio operis. » Et Bernardus, *super Cantica* [7] : « Magna res est amor, si ad suum recurrit principium, si suæ origini reducitur, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. » Igitur operatio bonorum operum signum est charitatis habitæ.

Quintum signum charitatis jam genitæ ponit Anselmus in libro *de Similitudinibus*, ubi dicit, quod quando aliquis de defectu alicujus tristatur spirituali, et de profectu aliorum spirituali lætatur, signum est charitatis. Et Augustinus, in una epistola ad Hipponenses, dicens [8] : « Qui non dolet de malo proximi, non est in eo charitas Christi. » Ratio hujus signi est, quia cum secundum Dionysium charitatis ardor sit virtus unitiva, ideo nititur omnia liquescere (*a*), et in unum conflare, ut ipsa uniantur. Unde Gregorius, *super Ezechielem*, dicit sic [9] : « Ecce qualis est charitas, quæ diversitates mentium accendit, concremat, conflat, et quasi in unam speciem reformat. » Sed hanc conflationem unitivam defectus spiritualium impedit, et profectus perficit : ideo charitas facit de uno tristari, et de altero lætari. Unde Apostolus dicit [10], quod charitas *non congaudet iniquitati, sed magis congaudet veritati* : igitur tristari de defectu spiritualium, et gaudere de eorum profectu, signum est charitatis.

ARTICULUS II.

De signis charitatis jam roboratæ.

Signa charitatis proficientis.

Secundo quidam tradunt aliqua signa charitatis jam roboratæ, sive proficientis. Et licet multa sint signa istius charitatis, tamen quinque sufficiant magis utiliora. Primum igitur signum jam roboratæ et proficientis charitatis, est frequens et justa conscientiæ examinatio, non solum de peccatis mortalibus, sed etiam

[1] Vel auctor, quisquis ille sit, hom. VIII inter L, al. hom. CCLXX, in append. tom. V, Oper. S. Aug. — [2] Aug., *Retract.*, lib. I, c. IX, n. 4. — [3] Gilb. Porret., *in Cant.*, serm. XXVI, post med. — [4] *Cant.*, II, 5. — [5] *Joan.*, XIV, 23. — [6] Greg., *in Joan.*, hom. XXX, in princ. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIII, circa med. — [8] Aug., *ad cler. et pleb. Hippon.*, epist. CXXXVII, al. LXXVIII, n. 2. — [9] Greg., *in Ezech.*, hom. XIV, longe ante med. — [10] I *Cor.*, XIII, 6.

(*a*) *Leg.* liquefacere.

Digitized by Google

de venialibus. Ratio hujus signi est, quia sicut charitas opponitur peccato mortali, ita fervor charitatis opponitur veniali, ut ipsum expellat ab anima, ne Spiritui sancto displiceat, qui omnes officinas mentis visitat et mundat. Unde Gregorius, in *Moralibus*, et Bernardus, in sermone *de Pentecoste* [1], dicunt : « Spiritus sanctus profecto monet, movet, et docet. Monet memoriam, movet voluntatem, et docet rationem, nec minimam peccati paleam intra (*a*) cordis, quod possidet, habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit. » Hæc ille. De quo igne Ambrosius, super illud [2] : *Veni ignem mittere*, dicit sic [3] : « Dicit *ignem*, quia aurea vasa dominicæ domus meliorat, fœnum vero consumit et stipulam. » Aurea vasa sunt animæ ad imaginem Dei factæ secundum tres potentias, secundum quas capaces Dei sunt, ut dicit Augustinus XIV et XV *de Trinitate*, quas ignis charitatis innovat et perficit, et peccata deformantia, tam majora, quam minora, liquescendo (*b*) consumit. Cum igitur frequens examinatio conscientiæ sit a Spiritu sancto per fervorem charitatis, planum est quia ipsa est signum roboratæ charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.

Secundum signum proficientis charitatis roboratæ, est concupiscentiæ diminutio. Ratio hujus signi est, quia quanto charitas diligens Deum magis augmentatur, tanto magis homo a concupiscentia temporalium elongatur, ex quo ipsa concupiscentia in tantum diminuitur. Unde Augustinus in Enchiridio dicit [4], quod « minuitur concupiscentia, crescente charitate, donec veniat ad magnitudinem, qua major esse non possit. » Ubi autem non est charitas, ibi regnat cupiditas : regnat autem cupiditas, quando desiderium veri et boni expellit, et saporem.

Tertium signum charitatis proficientis est sensuum interiorum, sive spiritualium, vitalis exercitatio. Ratio istius signi est, quia sicut exercitatio sensuum corporalium signum est corporalis vitæ, ita exercitatio sensuum spiritualium signum est spiritualis vitæ. Sunt namque quinque sensus interiores in mente, sicut sunt quinque sensus exteriores in corpore, sicut dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [5], et Gregorius in *Moralibus* dicit : « Habitare in corpore animam, probant vitales sensus : ita habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex visu et auditu dignoscitur ; istud ex charitate et aliis virtutibus probatur. » Bernardus, sermone *de Pascha*, dicit [6] : « Fidei vitam opera testantur. Sicut enim corporis vitam ex motu suo scimus ; ita fidei vitam ex bonis operibus cognoscimus : quia, sicut vita corporis est anima, per quam movetur et sentit ; ita vita fidei est charitas, per quam operatur actus virtutum et Spiritus sancti. » Igitur ex charitate, sive dilectione, quæ est vita animæ, secundum Hugonem *de Arrha Animæ*, sensus interiores vivificantur et exercitantur : ideo profectus interioris, sive spiritualis exercitationis, signum est augmentatæ dilectionis, quæ omnia exercet in finem, id est, ordinat.

Quartum signum charitatis est studiosa mandatorum Dei observatio. Ratio hujus signi est, quia observatio mandatorum vera sine charitate fieri non potest. Unde Dominus dicit sic [7] : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum*, etc. Quod exponens Gregorius in homilia dicit sic [8] : « In quorumdam corda venit, et mansionem non facit, quia tempore tentationis ab eo recedunt. In quorumdam corda venit, et mansionem facit, quia sic amor sive charitas Dei eos penetrat, ut ab amore tempore tentationis non recedant. » Qualiter autem charitate non proficeret, qui fontem dilectionis in se haberet, et jam aliqualiter gustaret ? Unde Augustinus dicit : « Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam promittitur, quæris, etiam hanc, inter amarissimas vitæ hujus molestias, suavem jucundamque gustabis, si ejus, qui eam promisit, præcepta servando, dilexeris. » Et sic patet quartum signum charitatis proficientis.

Quintum signum charitatis proficientis est divinarum veritatum manifestatio. Ratio hujus signi est, quia amor est signum communicationis : et ideo amicus revelat et communicat amico suo secreta sua, quasi non credens ea ponere extra se, sed in eo, qui est sicut ipse. Amicus enim meus est quasi alter ego, ait quidam. Unde Richardus dicit [9] : « Si vis noscere quia sublimitas divinarum revelationum sit

[1] Bern., *de Pentec.*, serm. 1, post med. — [2] *Luc.*, XII, 49. — [3] Ambros., *in Luc.*, lib. VII, n. 132. — [4] Aug., *Enchir.*, c. CXXI, n. 32. — [5] *De Spir. et Anim.*, c. XLIX. — [6] Bern., *de Resurr.*, serm. II, in princ. — [7] *Joan.*, XIV, 23. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, non longe a princ. — [9] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XVI, post med.

(*a*) *Cæt. edit.* infra. — (*b*) *Leg.* liquefaciendo.

Digitized by Google

manifestum divinæ dilectionis indicium, audi[1]: *Jam non dicam vos servos,* inquit Dominus, *sed amicos, quia omnia nota feci vobis, quæ audivi a Patre,* quia ex magnitudine divinæ dilectionis pendet modus divinæ revelationis. Et idem dicit sic[2]: « Certum igitur signum tibi sit, quod dilectum tuum minus diligis, et ab illo minus diligeris, si ad theoricos excessus, nondum vocantem, sequi merueris. » Ex quo patet, quod crescente revelatione, crescit et dilectio. Et signum quintum charitatis proficientis patet sic.

ARTICULUS III.

De signis extrinsecis charitatis jam perfectæ.

Tertio quidam tradunt quædam signa charitatis jam perfectæ, prout potest perfici in via, quia[3] *justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem,* scilicet perfectæ charitatis. Et ideo sciendum est, quod in viatoribus duplex est perfectio charitatis: una est necessitatis et sufficientiæ; alia est privilegiatæ sanctitatis et excellentiæ. Has perfectiones tangit Prosper, *de Vita Contemplativa,* ubi dicit sic[4]: « In hac vita perfecti sunt illi, qui perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Deus, nullis peccatis, quibus offenditur Deus, acquiescunt, et semper ad virtutes habendas se extendunt. » Perfectionem necessitatis tangit, cum dicit: « Qui volendo quod vult Deus: » et hanc habet quicumque manet in charitate; et ad hanc perfectionem invitat Dominus, dicens[5]: *Perfectus eris et absque macula coram Domino Deo tuo*: « *absque macula,* nempe criminali, » ut ait Glossa. Perfectionem autem excellentiæ tangit Prosper, cum dicit: « Semper ad virtutes habendas se extendunt. » Unde bene in epistola quadam dicit sic: « Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, reputatur perfectio. » Sed quia Apostolus dicit[6]: *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio*: ideo plena charitas, qualis erit in patria, nullo modo in via haberi potest. Propter quod signa talis perfectæ charitatis in his non quæruntur; sed signa perfectæ charitatis, prout in via haberi potest, quæruntur.

Charitatis perfectio duplex.

Est igitur notandum, quod signa charitatis perfectæ dupliciter considerari possunt: quia quædam habentur quasi ex actibus exterioribus, et quædam quasi ex actibus interioribus: et licet de utrisque multa assignari possint, tamen de utrisque quinque ad præsens sufficiant.

Primum igitur signum extrinsecum charitatis perfectæ est, si quis pro salute proximi mori paratus est. Ratio istius signi est, quia, sicut dicit Augustinus, libro *de Gratia et Libero Arbitrio*[7], parva charitas non sufficit ad implenda magna mandata, ut sunt mori pro Christo, vel pro fratribus, et cætera hujusmodi; sed requiritur ad hoc charitas magna, id est, perfecta. Unde, *super epistolam Joannis,* dicit Augustinus[8]: « Perfecta charitas hæc est, ut quis pro fratribus sit mori paratus. » Sicut et Origenes etiam exponit illud Canticorum[9]: *Ascendam ad palmam,* dicens: « Voluntas patiendi probavit, quia veraciter amavit, et tanto erat amor altior, quanto patiendi pro Ecclesia voluntas erat paratior. » Hæc ille. Et Dominus dicit[10]: *Majorem hac dilectionem,* etc. Signum igitur perfectæ charitatis est, si aliquis paratus est mori pro salute proximi.

Secundum signum extrinsecum perfectæ charitatis est, si inimicos diligit, et eis propter Deum benefacit. Ratio hujus signi est, quia, sicut dicit Hugo, *de Arrha Animæ*: « Amor transformat amantem in similitudinem amati, in quantum potest, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad operationes arduas et difficiles. » Cum ergo Deus ametur (*a*) ab eo qui diligit inimicos et bene facit eis, sibi assimilatur, ut ipse ostendit, dicens[11]: *Diligite inimicos vestros, et benefacite eis, ut sitis perfecti, sicut et Pater vester perfectus est*; et hoc non possit fieri per quamlibet dilectionem, sed per perfectam, quia dicit Augustinus in Enchiridio[12], quod talis dilectio perfectorum est, et Origenes *super Cantica* dicit: « In exhibitione pietatis probatur magnitudo amoris: » ideo illud verum est signum, diligere inimicos propter Deum dilectum.

Tertium signum charitatis perfectæ extrinsecum est, si omnia adversantia gaudenter suscipit, et patienter sustinet. Ratio hujus signi est, quia charitas perfectam mentem ab amore hujus vitæ quasi totaliter avertit, et occidendo quasi insensibilem reddit, quia pœnas tempo-

[1] *Joan.*, XV, 15. — [2] Richard., ibid. — [3] *Prov.*, IV, 18. — [4] Prosp., *de Vit. Contempl.*, lib. V, c. XV, circa fin. — [5] *Deut.*, XVIII, 13. — [6] *Rom.*, VII, 18. — [7] Aug., *de Grat. et lib. Arb.*, c. XVII, n. 33. — [8] Id., *in Epist. Joan.*, tract. V, n. 4. — [9] *Cant.*, VII, 8. — [10] *Joan.*, XV, 13. — [11] *Matth.*, V, 44, 45. — [12] Aug., *Enchir.*, c. LXXIII. — (*a*) *Al.* amatur.

Digitized by Google

rales et mortem contemnere facit. Unde Gregorius, in homilia dicit [1] : « Fortis est ut mors dilectio; quia sicut mors corpus interimit, sic charitas vitæ æternæ ab amore temporalium mentem avertit et occidit. Nam mentem, quam perfecta charitas absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit, neque sanctus quilibet mori pro Domino potuisset in corpore, nisi prius a terrenis desideriis in mente mortuus fuisset. » Hæc ille. *Charitas* enim [2] *omnia sustinet*, ait Apostolus. Unde *Apostoli* [3] *ibant gaudentes a conspectu concilii*, etc. Ex quo patet veritas istius signi.

Quartum signum perfectæ charitatis extrinsecum est, si omnibus renuntiare paratus sit, et sequi Christum. Ratio hujus signi est, quia perfecta charitas omnia renuit, quæ ejus officium impediunt. Unde Apostolus omnia arbitratus est [4] ut stercus, ut dilectum lucrifaceret. Sed temporalium concupiscentia maxime impedit officium charitatis. Dicit enim Augustinus [5] quod « charitatis venenum est spes adipiscendorum temporalium; et nutrimentum charitatis, imminutio cupiditatis : perfectio vero charitatis est, ubi nulla est cupiditas. » De hoc dicit Gregorius [6] : « Sunt nonnulli justorum, qui ad contemplandum culmen perfectionis, dum ad altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui rebus habitis se nudant, gloria honoris se expoliant, qui desideriorum internorum assiduitate se affligunt, de exterioribus habere consolationem nolunt, quibus Paulus dicit [7] : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est in Deo.* » Hæc ille. Et sic patet, quod renuntiare omnibus, et sequi Christum, ejus voluntatem faciendo, signum est perfectæ charitatis. Unde Joannes dicit [8] : *Qui servat verbum Dei, vere in eo charitas Dei perfecta est.*

Quintum signum perfectæ charitatis extrinsecum est, si nihil aliud quam solum Deum timuerit. Ratio hujus signi est, quia, sicut dicit Joannes [9] : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quod exponens Gilbertus Porretanus, sermone XVIII, dicit : « Charitas proximi caret livore, sed charitas Christi caret timore. Hæc enim nihil pœnale habet; timor autem pœnam habet : ergo in Christi charitate non erit timor nisi filialis. Quid enim timebit charitas veteres offensas ? quia [10] *multitudinem peccatorum operit charitas.* Quid infirmitatem propriæ conscientiæ timebit, ne decidat? quia [11] *fortis ut mors dilectio.* Quid temporales pro Christo timebit molestias finibiles, cum nec quidem si æternæ fuerint, defatigari aut nec evanescere poterit dilectio consummata, id est perfecta? Non ideo amat charitas ut pereat; sed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quam privari usu amoris interni æternaliter. » Hæc ille. Ex his patere potest, quod timorem expellit charitas perfecta. Quidam etiam ponunt signa istius amoris corporalia, ut faciei pallorem, corporis languorem, actionis torporem, et cætera hujusmodi. Sed illa sunt signa tam amoris carnalis, quam spiritualis, ut communiter patet.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XI, paulo post princ. — [2] 1 *Cor.*, XIII, 7. — [3] *Act.*, V, 41. — [4] *Philip.*, III, 8. — [5] Aug., *de Div. LXXXIII Quæst.*, q. XXXVI, n. 1. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XV, sub init. — [7] *Coloss.*, III, 3. — [8] 1 *Joan.*, II, 5. — [9] 1 *Joan.*, IV, 18. — [10] 1 *Petr.*, IV, 8. — [11] *Cant.*, VIII, 6. — [12] Hug., in cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VII. — [13] *Job*, III, 24. — [14] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VII. — [15] Richard., *de Grad. Charit. Viol.*, non longe a princ. — [16] Aug., *Conf.*, lib. XIII, c. IX.

ARTICULUS IV.

De signis intrinsecis charitatis perfectæ.

Ultimo videndum est de signis intrinsecis charitatis perfectæ. Sunt enim quædam actiones charitatis perfectæ quasi intus manentes, a charitate elicitæ vel imperatæ; et tanto sunt veriora, quanto interiora. Quanto enim charitas perfectior, tanto acutior, et ad intima pertingens, ut patet per Hugonem [12] : ideo intimiores et perfectiores elicit actus.

Primum igitur signum intrinsecum charitatis perfectæ, sunt profunda et intima suspiria mentis. Ratio hujus signi potest esse talis, quia quando memoria rei amatæ intima mentis amantis tangit, statim suspiria amorosa quasi quosdam nuntios amoris expellit, donec eam præsentia dilecti visitet, et visu reficiat. Unde Gregorius, quinto libro *Moralium*, adducens illud Job [13] : *Antequam comedam, suspiro*, dicit [14] : « Mens ad inspirationem fulgoris intimi, suspiriis vegetata, convalescit, quia eam amor veritatis afficit, et refectio contemplationis pascit. Tepidus autem amor hoc non facere potest, sed amor perfectus. » Patet ergo, quod intima suspiria sunt signum charitatis perfectæ, ut idem et Richardus [15] dicit.

Secundum signum charitatis perfectæ, sunt alta desideria. Ratio istius signi est, quia Augustinus, libro tertio decimo *Confessionum*, dicit [16] : « Omnia ponderibus suis aguntur, et

Digitized by Google

loca sua petunt : gravia deorsum, ut lapis; sursum levia, ut ignis. Hæc extra loca sua exeunt quasi inquieta : sed quod est pondus in corporalibus, est amor in spiritualibus. » Unde dicit idem : « Amor meus, pondus meum; eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, et sursum ferimur. » Ergo quanto amor magis accenditur, tanto desideria amorosa perfectius sursum feruntur, nec quiescunt, donec ad locum suum, scilicet ad amatum Deum perveniant. Unde sequitur : « Inardescimus, et imus, et ascendimus ascensiones in corde ad pacem in Hierusalem. » Simile dicit Linconiensis, super tertio *Angelicæ Hierarchiæ*. Et Gregorius, libro septimo *Moralium*, dicit sic [1] : « Sancti viri cum desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æstimant, quidquid id non sonat, quod intus amant. » Sequitur infra [2] : « Et multiplicata charitate, majoribus desideriis æstuant, et jam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis, anhelant. » Ex quo patet, quod alta desideria, quæ in summum desiderabile tendunt, signa perfectæ charitatis sunt. Idem dicit Richardus in tractatu *de Charitate*.

Tertium signum et intrinsecum perfectæ charitatis, sunt cogitationes languidæ. Ratio istius signi est ista. Fulgentius in quodam sermone dicit [3] : « Necesse est, ut quo præcessit dilectionis thesaurus, id est, amatum, illuc sequatur cogitationis affectus, id est, desiderium amorosum. Ideo veritas ait [4] : *Ubi enim thesaurus tuus est, ibi et cor tuum erit.* » Sequitur : « Ut ergo cœlestia thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis ergo nosse ubi thesaurizas? attende quid amas, attende et quid cogitas, et ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore recognoscas, et amorem tuum judicio tuæ cogitationis intelligas. » Hæc ille. Si ergo cogitationis affectus est ubi est thesaurus amoris, id est, amatum, planum est, quod cogitatio fastidit omne aliud ab amato. Unde Glossa, super illud Canticorum [5] : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ut annuntietis dilecto, quia amore langueo*; dicit sic : « Præ magnitudine amoris, omnia temporalia sunt mihi fastidium : unde langueo. » Languor autem iste causatur ex amore perfecto. Unde Origenes ibidem distinguit inter amorem simplicem, et ardorem, et languorem : « Amant, inquit, incipientes; ardent proficientes; languent perfecti. » Ergo cogitationes languidæ sunt signum amoris perfecti. Simile ostendit Richardus infra.

Quartum signum intrinsecum amoris perfecti, sunt expectationes tædiosæ. Ratio hujus signi est, quia, sicut dicit Linconiensis [6] : « Amore tendente in rem amatam, nihil velocius, nihil acutius, nihil subtilius, aut penetrabilius, quia sua natura non quiescit, donec substantialiter totam penetraverit profunditatem, et pertransierit amabilis totalitatem, quantum potest. » Et idem : « Quando cursus istius amoris impeditur, vel retardatur qualitercumque, tota mens turbatur, et expectatione attædiatur. » Quia, sicut dicit Richardus [7] : « Amanti omnis mora nimis longa videtur, expectatio onerosa; clamat cum sancto Job [8] : *Tædet animam meam vitæ meæ.* » Quod exponens Gregorius, nono *Moralium*, dicit [9] : « Præsens vita vilescere, id est, tædere incipit, dum divinus amor dulcescere cœpit, id est, perfici. » Unde amans perfecte, cum tædio quodam fastidit omne, quod cursum amoris impedit. Ideo Gilbertus Porretanus, sermone undecimo, dicit sic [10] : « Amor terrenarum occupationum impatiens est, suis satis habens inservire negotiis; otio gaudet, quiete fovetur, ad internam dilectionem libera tempora habere volens. » Sequitur : « O quam durum est amanti animum dimidiare cum Christo et mundo. Et quam durum est in dilectionis via peregrinas admittere curas, et cœleste secretum sæcularibus infestari turbis! » Sequitur : « Amor nihil magis vult quam amare. » Hæc ille. Et sic patet quartum signum charitatis perfectæ.

Quintum signum intrinsecum perfectæ charitatis, sunt affectiones ecstaticæ. Ecstasis autem est excessus mentis, ait Papias. Ratio hujus signi est, quia, sicut dicit Dionysius [11] : « Amor in Deum tendens, est faciens ecstasim spiritus. » Et reddit rationem ibidem, dicens : « Quia amor non permittit amatores esse sui ipsorum per mentis sobrietatem, sed eorum qui aman-

[1] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. V, circa fin. — [2] Ibid., c. VII, statim a princ. — [3] Fulgent., serm. *de Confessoribus*, longe post med. — [4] *Matth.*, VI, 21. — [5] *Cant.*, II, 5. — [6] Lincon., sup. cap. sept. *Angel. Hier.* — [7] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XXV, in princ. — [8] *Job*, X, 1. — [9] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXIII, in princ. — [10] Gilb. Porret., *in Cant.*, serm. XI, inter Bern. Opera. — [11] Dion., *de Div. Nomin.*, c. IV.

Digitized by Google

tur per mentis excessum : sed illi, qui sunt aliorum, extra se sunt. » Quia, sicut dicit Bernardus [1] : « Non est præsentior noster spiritus ubi animat, quam ubi amat. » Quod tamen intelligendum est, quantum ad conatum affectionis. Hunc autem excessum non potest facere nisi charitas perfecta, quæ, per fortem inclinationem, causat tendentiam vehementem in rem amatam : quod ostendit Dionysius ibidem per exemplum, dicens sic : « Unde beatus Paulus in amore Dei magnifice excellens dicit [2] : *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.* » Sequitur : « Hoc autem dicit verus amator, et ecstasim passus, vivens Deo, et non sibi. » Hæc exponens Vercellensis dicit [3] : « Vivo ego vita naturali, jam non ego, per imitationem excessivam ad æternitatis immensitatem, quasi absorpta et suo officio suspensa ; dirigor, moveor, doceor, et regor vita supersubstantiali, cui unior, qua repleor ; vivit autem in me Christus, id est, sicut anima sobria me regit naturaliter, et disponit ad omnem actum interiorem, sic virtus Christi, cui unior gratuite, me vivificat et ad omnia disponit. » Sequitur : « Hæc dixit, sicut verus amator. Verus amator est, qui in solum, et summe, et vere diligibile, et desiderabile, immediate, et propter ipsum, superintellectualiter tendit. » Hæc ille. Et sic patet quintum signum charitatis perfectæ. Sunt tamen plura alia signa charitatis perfectæ ; sed hæc propter brevitatem ad præsens sufficiant.

DISTINCTIO V.

Qualiter charitativa affectio a sanctis Doctoribus per gradus dividatur.

ARTICULUS I.

De gradibus amoris gratuiti.

Quinto videndum est, qualiter charitativa affectio a sanctis Doctoribus distinguatur per gradus. Dicit enim Augustinus sic [4] : « Numquid mox ut nascitur charitas, jam prorsus perfecta est? Imo, ut perficiatur, nascitur ; cum fuerit nata, nutritur ; cum fuerit nutrita, roboratur ; cum fuerit roborata, perficitur ; et cum ad perfectum venerit, dicit [5] : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* » Ex quo patet, quod in charitate sunt diversi gradus. Et quia Augustinus alibi dicit [6] : « Tanto nobis melius, quanto magis ad Deum imus, quo nihil melius est : imus autem non ambulando, sed amando, quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. » Hæc ille. Et quoniam major et minor puritas in gradibus invenitur charitatis, ideo de gradibus ejus videndum est, quomodo ab infimis ascendamus ad medios, et per medios veniamus ad summos : quia, ut ait Gregorius [7] : « Nemo repente fit summus, sed per gradus ad summum pervenitur. »

Propter quod notandum est, quod quidam distinguendo gradus charitatis, sive amoris gratuiti, incipiunt ab infimo gradu amoris, ascendendo usque ad gradus amoris violenti. Et quidam alii docent ascendere ultra per gradus amoris violenti, usque ad gradus amoris seraphici.

Primo igitur notandum, quod quidam doctor, scilicet Cantuariensis, super *Cantica*, incipit rationabiliter ab infimo gradu charitatis, sive amoris gratuiti, ascendendo per sex gradus, usque ad gradus amoris violenti sive vehementis, dicens : « Non omnis amor inducit languorem, sive vulnerat ; sed vehemens amor, qui habet sex gradus præcedentes. » Quos enumerat ibi dicens : « Primus amoris gradus dicitur amor incomparabilis, et iste est communis omnium electorum. Secundus gradus, est amor incontaminabilis, et iste est mundi contemptorum et religiosorum. Tertius gradus est amor infatigabilis, et iste amor est jugiter proficientium et confessorum. Quartus gradus est amor inseparabilis, et iste est bonorum contemplativorum. Quintus gradus est amor insuperabilis, et iste est Christi martyrum sive victorum. Sextus gradus est amor insatiabilis, et iste est jugiter desiderantium, ut solitariorum. »

Sex gradus amoris gratuiti.

His sex gradibus decursis, sequitur amor violenter inducens languorem.

Primus gradus charitatis sive amoris, et infimus, est amor incomparabilis (*a*), qui est communis omnibus electis, qui est tantæ virtutis, quod omne peccatum mortale ab anima expellit, et Deum super omnem creaturam diligit. Et hic gradus est necessitatis, ut ostendit Dominus in Evangelio Matthæi, ubi dicit [8] :

[1] Bern., *de Præc. et Dispens.*, c. VII. — [2] *Gal.*, II, 20. — [3] Vercell., in Prolog. sup. *Cantica*. — [4] Aug., *in Epist. Joan.*, hom. V. — [5] *Philip.*, I, 23. — [6] Aug., *ad Maced.*, epist. LII, al. CLV, n. 13. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XIV, non longe a princ. — [8] *Matth.*, X, 37. — (*a*) *Edit. Ven.* intemporalis.

Digitized by Google

Qui diligit (*a*) *patrem, et matrem*, etc., *non est me dignus.* Ergo super omnia diligendus est Deus. Unde Anselmus dicit, quod creatura rationalis nihil debet diligere, nisi summam essentiam, aut propter illam. Ratio istius est, quia in quo est summa diligibilitas, summe debet diligi : hoc autem est Deus.

Secundus gradus amoris charitativi est amor incontaminabilis, et hic gradus est mundi contemptorum, qui tantæ est virtutis, ut hominem a mundana conversatione abstrahat, ne mens polluatur, et ne charitas ab opere impediatur. Unde Joannes dicit [1] : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ratio istius est, quia ignis amoris, ut dicit Linconiensis in *Angelicam Hierarchiam* (*b*), separat heterogenea, et unit homogenea : separat enim omne inconveniens ab amato.

Tertius gradus charitativi amoris est amor infatigabilis, et iste est jugiter proficientium et Christi confessorum, qui est tantæ virtutis, ut animam non sinat quiescere, donec inveniat quem diligit. Unde in *Canticis* dicitur [2] : *In lectulo meo quæsivi per noctem*, etc. *Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas, quærens quem diligit anima mea.* Quod exponens Origenes dicit : « Quærendus es, Domine, cum frequentia laboris, nunc in lectulo lumine veritatis, nunc per noctes fervore charitatis, abjecta superstitione naturalis rationis. » Sequitur : « Solus amor te invenit, quia qui te amat, te habet ut amet, amat ut habeat, et ne te in æternum perdat. » Hæc ille.

Quartus gradus amoris charitativi est amor inseparabilis, et hic est assidue contemplantium, et hic gradus tantæ virtutis est, ut continuis stimulis agitet mentem contemplatoris ad comprehendendum dilectum, donec tandem dicat [3] : *Inveni quem diligit anima mea.* Et dicit Bernardus [4] : « Quis te non teneat, Domine Jesu, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis? Ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi ; et nunquam dimittam te, quia non benedicis nisi tenentem te. » Istum gradum videtur habusse Apostolus, cum dixit [5] : *Quis separabit nos a charitate Christi?* etc.

Quintus gradus amoris gratuiti est amor insuperabilis, et hic est Christi martyrum et adversitatibus non cedentium, qui est tantæ fortitudinis, ut in libro *de Moribus Ecclesiæ* dicat Augustinus [6] : « Nihil tam durum atque ferreum, quod non igne amoris vincatur. » Et Hieronymus in quodam sermone dicit [7] : « Nihil amantibus durum est, nullus labor difficilis. » Sequitur : « Amemus et nos Christum, et facile videbitur esse omne difficile. » Ratio hujus est, quia, sicut dicit Augustinus, *de Sancta Viduitate* [8] : « Nullo modo onerosi sunt labores amantium ; sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium et piscantium labores. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Amor autem reddit minus sensibilem, » ait Augustinus.

Sextus gradus amoris gratuiti est amor insatiabilis, et hic est jugiter desiderantium et sclitariorum. Hic gradus tantæ fortitudinis est, ut nihil sibi sufficiat præter unum solum quod amat, et ad ipsum semper amplius in hac vita sitit et desiderat. Ratio hujus est, quia, sicut dicit Richardus, libro *de Charitate* [9] : « Charitas ita semper invenit, quod adhuc concupiscere potest, quia quidquid agit, desiderium ardentis animæ non satiat ; sitit, et bibit ; bibendo, sitim non extinguit ; sed quo amplius bibit, eo amplius sitit. Avidæ enim, imo et insatiabilis animæ sitis, vel esuries ; non sedatur, sed irritatur. » Sequitur : « Quid, quæso, amore molestius, quidve acerbius, cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando possit extinguere. » Hæc ille. Ecce quod iste gradus amoris jam se extendit ad violentiam quamdam amantis, ut clamet cum Psalmista [10] : *Sitivit anima mea ad Deum fontem* (*c*) *vivum.* Unde Cantuariensis ibidem dicit : « Istis sex gradibus decursis, sequitur amor inducens languorem, qui est gradus amoris violenti. » Et ideo nunc de illo dicendum est.

ARTICULUS II.

De gradibus amoris violenti.

De gradibus igitur amoris violenti loquens Richardus in tractatu *de Charitate*, dicit [11] :

[1] I *Joan.*, II, 15, 16. — [2] *Cant.*, III, 1, 2. — [3] Ibid., III, 4. — [4] Bern., ubi sup. — [5] *Rom.*, VIII, 35. — [6] Aug., *de Mor. Eccl.*, c. XXII. — [7] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, vers. fin. — [8] Aug., *de Bon. Viduit.*, c. XXI. — [9] Richard., *de quat. grad. viol. Charit.*, ante med. — [10] *Psal.* XLI, 3. — [11] Richard., ubi sup., statim a princ.

(*a*) Vulg. *amat.* — (*b*) Cæt. edit. *Angelica Hierarchia.* — (*c*) Vulg. *Fortem.*

Digitized by Google

« Vis magna dilectionis, magna virtus charitatis, multi gradus in ea, et in illis magna differentia; et quis eos distinguere, vel saltem dinumerare sufficit? » Et dinumeratis aliquibus gradibus, idem dicit [1] : « Supra tamen omnes gradus dilectionis, est amor iste ardens et fervens, qui cor necessitat, et medullitus transfigit, ut veraciter dicat [2] : *Vulnerata charitate ego sum.* » Et sequitur : « Cogitemus ergo, quæ sit supereminentia charitatis Christi, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis superat, affectum carnis transcendit, vel extinguit, insuper et animam suam in odium vertit. O vehementia dilectionis! o violentia charitatis Christi! o excellentia, et supereminentia charitatis Christi! Hoc est de quo loqui volumus, de vehementia charitatis, de supereminentia perfectæ æmulationis, ascendendo ad opera violentæ charitatis : et invenio quod charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. Quid horum non violentum? quid horum non validum? » Hæc omnia Richardus. Et post hoc prosequitur dicens [3] :

« Primus igitur gradus violenti amoris est, quando mens desiderio suo resistere non potest, quin vulneretur. Nonne tibi cor percussum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque transverberat in tantum, ut desiderium sive æstum cohibere animo non valeat? Desiderio ardet, affectu fervet, æstuat, anhelat profunde ingemiscens, et longa suspiria trahens, ut dicat : *Vulnerata charitate ego sum.* » Sed nota, quod amor violentus non solum vulnerat amatrices animas, sed etiam cœlestes substantias, imo etiam ipsum fontem amoris Deum vulnerat. Unde Vercellensis exponens illud Canticorum [4] : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, dicit : « Filii sunt substantiæ supernæ civitatis, ex qua ipsa assidue spiritualia percipit alimenta, pugnaverunt contra me. Pugnantes corporaliter, spiculis acutis mutuo se feriunt et pungunt; sic mentes contemplativæ speculationes volatiles, ferventia desideria, subtilia et acute penetrativa immittunt, primo quidem in paranymphos. Prorsus eisdem pertransitis, in sponsum dirigunt sagittas acutas volatiles, violenti scilicet amoris, ut dicat [5] : *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa*, sicut dicitur in Canticis. » Et Sequitur : « Ex quo [6] *a diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur*, ex tunc enim regnum cœlorum quasi violenter rapitur ab his, qui stimulo violenti amoris aguntur : mentes enim cœlestes, ad similitudinem pugnantium, his speculationibus et desideriis occurrentes, luminibus fervidis et penetrativis illos perfundunt, et ad sui ipsarum excessum, quasi ad quandam spiritualem mortem provocant, quam eligunt ossa, ut vivant vita Sponsi. » Hæc Vercellensis. De signo hujus amoris Richardus, ubi supra, dicit : « Hæc tibi animæ vulneratæ certa sunt signa, gemitus et suspiria, vultus pallens atque tabescens, quæ omnia operatur amor vehemens. » Sed post subjungit utilitates istius gradus, dicens : « In primo isto gradu spiritus iste intrat super mel dulcis ad animam, et inebriat eam in tantum, ut habere dicatur mel et lac sub lingua. » Et parum post dicit sic : « Hic est ille cibus cœlestis, qui egredientes de Ægypto solet reficere, et per solitudinem ducere et pascere; hoc est illud [7] *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, non per doctrinam, sed per experientiam : et hic est ille dulcor suavitatis spiritualis, et tenera suavitas, quæ solet lactare et alere, et ad maturitatem paulatim perducere. » Et infra : « Hoc ergo, æstimo, per dilectionis gradum agitur, ut dum mens sæpe visitatur, sæpe reficitur, sæpe inebriatur, quandoque ad majora audienda provocatur, et ad secundum gradum charitatis disponitur. » Hæc ille.

« Secundum gradum amoris violenti, inquit Richardus, diximus illum qui ligat, sicut primum diximus, qui vulnerat. Nonne, inquit, sine omni contradictione animus ligatus est, quando omnium obliviscitur, ut aliud meditari non possit? Quia quidquid agat, quidquid dicat, semper hoc mente revolvit, perennique memoria retinet; hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora tractat. Unde facile est perpendere, ut arbitror, quomodo hic gradus priorem gradum transcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam esse permittit. » Sequitur : « Recte itaque dictum est, quod prior gradus sit qui vulnerat, secundus sit iste qui ligat. Licet ergo ligari minus sit quandoque, quam vulnerari, tamen major violentia videtur esse, si postquam aliquis percussus dejicitur, dejectus deprehenditur, deprehensus abducitur, ab-

[1] Richard., ubi sup., paulo post. princ. — [2] *Cant.*, II, 5, juxta LXX. — [3] Richard., ubi sup. prox., non longe a princ. — [4] *Cant.*, I, 5. — [5] Ibid., IV, 9. — [6] *Matth.*, XI, 12. — [7] *Apoc.*, II, 17.

Digitized by Google

ductus incarceratur, incarceratus catenatur atque ligatur, et jam omnino captivus tenetur. Quid horum, quæso, majus et violentius? Ille liber est; iste autem a loco, in quo detinetur, recedere non potest. Sic utique qui a secundo gradu violentæ charitatis absorptus est, quidquid agat, quocumque se vertat, ab illa una et intima sollicitudinis suæ cura avelli non potest, quia ligatus est. » Hæc ille. Sed quæ sunt vincula, quibus spiritus sive animus sic ligari potest? Respondet idem, dicens: « Si vultis audire de charitate ligante, propheta Osea dicit [1]: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Sed qui sunt isti funiculi Adam primi parentis nostri, nisi munera Dei? In magna enim gloria creatus fuit. Quid igitur sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia, bona naturæ, bona gratiæ, et bona gloriæ? Hujus enim beneficentiæ vinculis debitores obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, et gloriam repromisit. Ecce funiculus triplex. *Funiculus*, autem [2] *triplex difficile rumpitur.* Seneca dicit: « Qui beneficium accipit, libertatem vendidit. » Sequitur [3]: « Adjecit autem Dominus adhuc nova vincula charitatis, quæ manu valida multiplicat super nos, ut nos sibi arctius astringat, quæ enumerari non possunt. » Hæc ille. Cum his concordat Vercellensis, qui exponens eamdem auctoritatem, dicit: « *In funiculis Adam traham eos*, id est, *in vinculis charitatis.* Ipse siquidem Deus mentem movet in se suo amore, adducitque suis participationibus, quibus solum cognoscitur; quantæ autem illæ sint, quis novit? » Richardus igitur quasi concludendo dicit: « Sicut in priori gradu degustata suavitas satiat animum transfigitque affectum; sic in hoc secundo gradu, inspecta claritas cogitationem ligat, ut illius oblivisci, vel aliud cogitare non possit. » *Vincula illius, alligatura salutis*, dicitur in *Ecclesiastico* [4].

Ad tertium itaque gradum violenti amoris ascendit, quando omnem alium amorem excludit, quando nihil præter unum, vel nisi propter unum diligit. Sequitur: « In hoc itaque tertio gradu violentæ charitatis, nihil omnino satisfacere potest præter unum, sicut et nihil sapere potest, nisi propter unum. Unum amat, unum diligit, unum sitit, unum concupiscit, ad unum anhelat, in unum suspirat, et in uno inardescit, in uno requiescit, unum solum est in quo reficitur, unum solum ex quo satiatur; nil dulcescit, nil sapit, nisi hoc uno condiatur. » Sequitur: « Quidquid ultro se offerat, quidquid sponte occurrat, cito rejicitur, cito conculcatur, quod suo affectui non militat, vel ejus desiderio non deservit. Sed quis hujus affectus tyrannidem digne describat? quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter opprimit, quod suæ concupiscentiæ deservire non concupiscit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imo intolerabile videtur, nisi in unum sui desiderii finem concurrat. Cum autem frui potest eo quod diligit, omnia pariter se habere credit; sine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabescit ac languescit, consilium non accipit, rationi non acquiescit, nullam consolationem admittit; sed clamat cum Sponsa [5]: *Nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Ubi ait Glossa: « Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. » Sequitur: « Tertius itaque gradus amoris est, quando mens rapitur in Deum luminis abyssum, ita ut humanus animus in hoc statu omnium exteriorum oblitus, penitus nesciat seipsum, totusque transeat in Deum suum. In hoc itaque gradu, compescitur plene carnalium desideriorum turba, et [6] *fit in cœlo silentium quasi dimidia hora.* In hoc namque gradu, dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divinum secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio circumdatur, intime penetratur et inflammatur, seipsam penitus exuit (a), et divinum quemdam affectum induit, et inspectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit. In hoc statu anima in illum, quem diligit, liquescit, et in seipsa tota languescit, ut dicat [7]: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* » Hæc ille.

Sed nota, quod triplex est languor. Primus est defectus corporis, ex intensione fervoris amoris, vel charitatis. Unde Glossa dicit: « Jam anima supradictis confortata, ita in amore Dei ardet, ut, præ nimio ardore, languor carnis immineat. » Crescente enim virtute mentis, decrescit fortitudo corporis, ait Glossa super illud Genesis [8]: *Angelus Domini tetigit nervum*, etc.

Item est alius languor charitatis respectu temporalium. Unde Glossa ibidem: « Quanto, inquit, ad amorem Sponsi se accendit mens, tanto ab amore temporalium languescit. »

[1] *Ose.*, XI, 4. — [2] *Eccle.*, IV, 12. — [3] Richard., ibid. — [4] *Eccli.*, VI, 21. — [5] *Cant.*, V, 8. — [6] *Apoc.*, VIII, 1. — [7] *Cant.*, II, 5. — [8] *Gen.*, XXXII, 25.

(a) *Cæt. edit.* seipsum penitus exurit.

Digitized by Google

Item est alius languor respectu tribulationum : habet enim amor plagas suas, secundum Augustinum, quæ quandoque amarissime infliguntur. De his tribus dicit Origenes : « O si sic languescat servus Christi in spe æternæ visionis, ut caro pressa non lasciviat, mundus fallax non involvat, tribulatio utilis eum (*a*) custodiat, cum quo suis in tribulationibus est ipse Deus, ut dicit Psalmista [1] : *Cum ipso sum in tribulatione*, etc. » Et Richardus concludens in fine dicit : « Sicut primus gradus affectum sauciat, sic secundus sauciatum ligat, sic tertius actionem implicat, ut animus circa aliqua occupari non possit, nisi quo eam voluntatis divinæ nutus trahit vel impellit. Et sic qui ad hunc tertium gradum amoris profecerunt, nil jam propria voluntate agunt, nihil omnino suo arbitrio relinquunt, sed divinæ dispensationi omnia committunt. » Hæc ille. Sed hic caute intelligas, ut non cooperationem totaliter excludas creaturæ. Unde Richardus ibidem addit, dicens : « Sicut artifex liquefactis metallis formam, quamcumque voluerit, imprimit, sic anima in illo statu ad omnem divinæ voluntatis nutum se facile applicat, imo spontaneo quodam desiderio ad omne ejus arbitrium seipsam accommodat, et juxta divini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat, ut obediat cum Christo usque ad mortem. Huic exemplari quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere. »

« Quartus gradus violentæ charitatis est, ut ait Richardus ibidem, quando æstuantis animi desiderio jam omnino nihil satisfacere potest, et ideo ad defectum ducit. » Sequitur : « Quis hujus supremi gradus violentiam digne pensare sufficiat? quid, quæso, cor hominis profundius penetrat, vehementius exagitat, cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando extinguere possit? In hoc quarto gradu est amor insuperabilis, quia alii affectui etiam majori non credit. Inseparabilis est, quia a memoria nunquam recedit. Singularis est, quia socium non recipit. Insatiabilis est, quia ei satisfieri non poterit. » Sequitur : « Quanta est excellentia ipsius amoris, qui omnem alium affectum excedit! quanta, quæso, vehementia, quæ mentem quiescere non sinit? quanta, obsecro, violentia charitatis, quæ omnem alium affectum violenter expellit? quanta supereminentia, cui omnino nihil sufficit? O excellentia amoris! o violentia dilectionis! o charitatis vehementia! o æmulationis supereminentia! » Et infra dicit : « In primo gradu [2], *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, eo quod insuperabilis sit. In secundo gradu, anima [3] *ponit* dilectum suum *super cor suum sicut signaculum*, eo quod illum omnino oblivisci non potest. In tertio gradu [4], *si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, eo quod in re alia delectari non possit. In quarto gradu [5], *fortis est ut mors dilectio, et dura ut infernus æmulatio*, eo quod ei sit dulce, quidquid pro Deo facere, vel sustinere possit : hic enim omnem alium affectum expellit et vincit. Si enim ad aliquid affectum habemus, quod propter Deum non diligimus, profecto adulterinus affectus est, qui summæ charitatis constantiam frangit, viresque ejus minuit, in quantum ad aliena animam trahit vel impellit. » Sequitur : « In primo igitur gradu diligitur Deus ex corde; in secundo, ex toto corde; in tertio, ex tota anima; in quarto autem, ex tota virtute. » Et infra dicit : « Secundum aliquem modum anima in hoc gradu efficitur immortalis et impassibilis : immortalis, quia a vita separari non potest [6] : *Certus sum*, inquit Apostolus, *quod neque mors, neque vita, neque aliqua creatura*, etc. Nonne impassibilis secundum aliquem modum videtur, qui illa damna non sentit, qui in omni injuria hilarescit, et quidquid infertur ei ad pœnam, totum præsumit ad gloriam, ut cum Apostolo dicat [7] : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, etc. Et [8] : (*Apostoli*) *ibant gaudentes*, etc. Nonne hic gradus amoris violenti videtur animum hominis quasi in amentiam vel in sanctam insaniam vertere, dum non sinit eum in æmulatione modum vel mensuram tenere? Nonne summæ amentiæ videtur esse, veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, et omnipotentiæ resistere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus a Christo separari cupit, sicut ille, qui dixit [9] : *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, in quo me scripsisti?* Nonne sapientiam arguere voluit vel docere, qui ad Deum loquitur, dicens [10] : *Absit a te, Domine, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius? Non est hoc tuum facere?* Nonne omnipotentiæ resistere tentavit, qui iram ejus mitigare homo præsumpsit,

[1] *Psal.* XC, 15. — [2] *Cant.*, VIII, 7. — [3] Ibid., 6. — [4] Ibid., 7. — [5] Ibid., 6. — [6] *Rom.*, VIII, 38. — [7] II *Cor.*, XII, 9. — [8] *Act.*, V, 41. — [9] *Exod.*, XXXII, 32. — [10] *Gen.*, XVIII, 25.

(*a*) *Item* eos.

Digitized by Google

atque prævaluit, quando Dominus sententiam mutavit? Ecce in quantam præsumptionis audaciam consummatio charitatis solet mentem hominis erigere. » Hæc omnia Richardus, præpostere tamen.

ARTICULUS III.

De gradibus amoris seraphici.

De gradibus autem seraphici amoris nunc dicendum est, non quod nos similes actus amoris exercere in hac vita possimus; sed quod nos studeamus aliqualiter imitari eos, in quantum possumus in divino amore.

Primo igitur videamus de amore angelorum in communi. De quo sciendum est, quod, sicut Dionysius dicit secundum translationem Vercellensis [1] : « Amorem divinum angelorum intelligere oportet immaterialiter, qui est supra mentem et desiderium, indeclinabilem in aliud, et irremissibilem (*a*) a proprio fervore contemplationis divinæ, et per excessum omnis substantiæ in solos Sponsi amplexus tendentem (*b*) et nulla anxietate afflictum (*c*), ut accidit in desideriis carnalium voluptatum, quarum appetitus plenus est anxietate. » Et infra : « Desiderium non volens coerceri vel remitti propter sui fortitudinem ad id, quod appetit, et incorruptibilitatem ad id, quod nulla actione valet intercidere, propter hoc quod pure Deum et simpliciter desiderant, et nihil est quod possit eos ab ejus amore revocare vel retardare. Et quia semper Deus est uniformis, et æqualiter bonus et pulcher, et quia ipse habet in se simplicissime omnem speciem desiderabilem, ut sapientiam, bonitatem, pulchritudinem, æternitatem, omnipotentiam, etc., et secundum omnia est [2] *totus desiderabilis*, ut habetur in Canticis; ideo trahit plenarie, intime, irrevocabiliter in se omnium suorum omnia desideria (*d*) comprehensorum. » Hæc ille. Et cum hoc concordat Linconiensis Commentator, ibidem dicens sic : « Angeli ex rationis abundantia scientes illud, quod appetunt, esse desiderabile, et vere, et vehementissime, et totis viribus desiderandum, et amandum amore puro, et non in aliud tendente : illud intendunt ita fortiter et tam invertibiliter (*e*), quod illa tentio a nulla potentia interdici potest vel impediri, et est ipse amor, intentio et progressio ad illud (*f*), et amplexus illius adepti, nec aliqua ratione aut modo aliquo retinetur, aut avertitur, aut remittitur eorum tentio in illud, aut progressus, aut illud adeptum amoris amplexu deseritur. » Hæc ille. Ex his apparet, quantum amor angelorum excedit amorem nostrum, saltem quantum ad actum et operationem. Non invenimus in Scriptura sacra gradus amoris angelici distincte traditos, nisi Seraphim, de quorum amore Dionysius loquens ponit quinque gradus, vel magis quinque proprietates, dicens [3] : « Congruum est, ut in supremis substantiis ordinetur prima hierarchia, quæ super cæteras exaltatur, et circa Deum immediate collocatur, ad quam, tanquam Deo proximam, principalius deferuntur primæ (*g*) Dei influitiones et perfectiones. Et illius hierarchiæ ordo primus Seraphim, id est, *calefacientes*, vel *incendentes* interpretantur. » Sequitur : « Interpretatio autem istius nominis *Seraphim*, *incendentes*, vel *calefacientes*, juxta naturales proprietates ignis, qui incendit et calefacit, nobis significat æternam mobilitatem substantiarum illius ordinis circa divina, et incessabilitatem, et caliditatem, et acutum et superfervidum. Alia translatio habet : « et excedentem fervorem sempiternæ motionis eorum in Deum, quæ attentissima est et irremissibilis, et in aliud desiderabile nunquam declinans. » Hæc verba occultissima sunt : ideo Linconiensis Commentator, exponens ea, dicit sic : « Ad hos deiformes habitus tam excelsos, et a nostra infirmitate longinquos, et visui nostro tam absconditos exponendos, omnino minores sumus. Verisimile est enim hoc esse *de arcanis verbis*, quæ Paulus in raptu suo audivit [4], *quæ homini non licet loqui*. Hæc tamen Dionysio quasi specialissimo discipulo, et cœlesti ejus concivi locutus est, quæ iste, ut existimo, non omnibus communiter, sed puritate intelligentiæ et divinis illuminationibus et gratia privilegiatis, ac per hoc super hominem elevatis, decrevit communicare, de quorum numero ego non sum, tamen communicabo ea, in quantum possum. » Hæc ille. Similiter commentator Hugo [5] ostendit subtilitatem istorum verborum, et dicit sic : « Si quod sentio dicam, primum hoc fateor, quia verba audivi, aut non homini dicta, aut non dicta ab homine. Nam per hominem ea dici tam magnum mihi videtur, ut nihil am-

[1] Vercell., *de Angel. Hier.*, c. v. — [2] *Cant.*, v, 16. — [3] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. vii. — [4] II *Cor.*, xii, 4. — [5] Hug., in cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VI, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* indeclinabile... irremissibile. — (*b*) *Item* tendentis. — (*c*) *Item* afflictus. — (*d*) *Item* desiderabilia. — (*e*) *Leg.* inavertibiliter. — (*f*) *Cæt. edit.* aliud. — (*g*) *Item* primo.

Digitized by Google

plius homini dari possit. Et quia forte verba ista ab illis verbis nata sunt, quæ audiri potuerunt, dici non debuerunt. Nam ille, qui hæc dicebat, usque ad tertium cœlum pervenerat, et intraverat in paradisum Dei, ibique verba quædam audierat de Verbo secreta omnino et proxima silentio, usque ad quæ auris humana non contingeret, quæ nemo audiret, donec sciret. Intus enim audiebantur, ubi dicebantur, et non poterant exire foras, ubi erat homo. Propterea ab eo, qui intus erat et valde intus, intus et introrsum audiri potuerunt; sed his, qui foris erant, dici non debuerunt: ne tamen vel illi, qui foris erant, derelinquerentur, si ab eo, qui intus erat, non vocarentur, nata sunt verba de verbis, sicut de Verbo nata fuerant: de verbis quæ intus servari debuerunt, verba quæ foras proferri potuerunt, de immensis magna, de occultis obscura, de impenetrabilibus profunda: quæ a nobis audita sunt tanquam tonitrua; utrum intellecta, nescio. » Et addit ibidem : « Si hæc non gustantur, non amantur; si autem non amantur, non intelliguntur; et si non intelliguntur, vane audiuntur. In amore autem fit gustus, id est, experientia, quæ est magistra intelligentiæ, et nostra consummatio. » Hæc ille. Igitur qui volunt hoc perfecte intelligere, primo experiantur. Narrata autem difficultate istorum verborum, prædictorum doctorum expositionem videamus utrorumque.

Prima igitur proprietas seraphici amoris, sive supremus gradus secundum Dionysium, est *semper mobile*. De quo Linconiensis, et commentator Hugo concorditer dicunt, quod auctor volens ostendere proprietates amoris, quo fervent Seraphim, sicut ea significavit per ignem, sic eorum deiformes habitus significat per ignis proprietates. Ignis namque proprietates sunt : sempiterna, non interrupta mobilitas; caliditas; acumen penetrativum, et velociter acutum, et superfervidum, quia interius calidum, sibi eorum, quæ contingit, est assimilativum. » Et infra sequitur : « Eadem ignis proprietas, quæ dicitur motio amoris, ut æstimo, signat actionem et amationem non interruptam, nec finitam quiete, vel pausatione ab agendo. Quæ enim potest esse alia amoris motio, nisi ejus actualis amatio, quæ non in illis cœlestibus substantiis, sicut in nobis, quandoque quiescit et finitur, sed sempiterne agit, existens intenta, ut non desistat quandoque ab agendi motione : ac per hanc intentionem intermissibilis ab amandi intentione, et indeclinabilis, et inflexibilis ab amando ordinate amatum, et indeclinabilis ad aliquid aliud inordinate amandum. » Sequitur : « Hujusmodi ergo semper motione, prædicto modo, attenta, et per hoc irremissibilis et indeclinabilis, semper mobilis circa divina, primo docet manifestative cognominationem Seraphim. » Hugo commentator addit hic, dicens [1], quod motio dilectionis quæ ad superiora est intenta, intima et inflexibilis dicitur; prout autem fit ad subjecta, id est, inferiora, reductive et active exemplativa (*a*) nominatur. Motus enim ille, qui in superiori est contemplatio, in inferiori est operatio: et ad superiora tendit, ut in eis requiescat; ad inferiora tendit, ut ea ad se reducat; sursum charitas movetur, ut illic maneat deorsum ut redeat. Præterea motio charitatis in superioribus quidem ad inferiores reductiva et activa dicitur : reductiva in eo, quod illos ad Creatorem suum eodem igne charitatis succendens convertit; activa vero in eo, quod illos accepta claritate illustrans, ad ipsius voluntatem componit. » Et infra : « Propter quod itaque dilectio illorum exemplum facta est (*b*) inferiorum ad superiora tendendi, et secundum superiora intendendi, tanquam recalificans ista, scilicet inferiora, et resuscitans in consimilem caliditatem, ut semper ardeant, sed non æqualiter. Mobile igitur amoris est, ut non torpescat dilectio nostra, neque tepescat. » Hæc Hugo ibidem.

Secunda proprietas vel gradus seraphici amoris, est *incessabile*, vel *infinibile*. Et hæc proprietas amoris differt a prima. Et Commentator Linconiensis reddit rationem differentiæ, dicens : « Sicut hæc particula, *semper mobile*, tollit interruptionem motionis in amatione (*c*); sic hoc adjunctum, *incessabile* vel *infinibile*, tollit terminationem durationis. Vel forte, inquit Linconiensis, per hoc, quod dicit Auctor *incessabile*, vel *infinibile*, intendit exprimere hanc proprietatem amoris, ad similitudinem proprietatis ignis, videlicet quod sicut ignis non habet terminum in agendo, dum invenit materiam aptam in quam possit transire; sic amor et ejus actio non habent terminum in agendo, dum inveniunt materiam aptam, in quam possint (*d*) tran-

[1] Hug., in cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VI, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* reductivæ et activæ exemplativum. — (*b*) *Cæt. edit. add.* in. — (*c*) *Cæt. edit.* amotione. — (*d*) *Item* possunt.

Digitized by Google

sire. Deus autem infinitus est, quia infinitæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, justitiæ, misericordiæ, etc. De ipso igitur dictus amor in seipsum transiens, semper invenit aptam materiam in quam naturaliter aptus natus est transire, et ignis qui est amor aptus natus accendi. » Sequitur : « Amor igitur, et amoris motio in divina, terminum non habet in agendo. Signatur igitur per *mobile semper*, sempiternitas privans interruptionem, et durationis interminationem ; per *incessabile* vero vel *infinibile*, amoris et amationis (*a*) signatur augmentabilitas, privans terminum augmentationis, seu intensionis, et magnitudinis. Unde verus et consuetus sermo, quo dicitur [1] : « Modus amandi Deum, est quod sit sine modo et mensura. » Secundo idem declarat dicens : « Si scibilia sunt infinita, saltem ex infinitate specierum, numerorum et figurarum, et his per se accidentibus, et intellectus naturaliter amat omnia scibilia scire, » etc. Tertio idem declarat per reflexionem amoris super omnem suum actum, respectu omnium virtutum. Advertendum est, quod per prædicta duo nomina, scilicet per *mobile*, et *incessabile* seu *infinibile*, ex vi sermonis non signatur actus, sed ad prætactos amoris actus naturalis aptitudo. » Hæc omnia Linconiensis, et ibidem addit dicens : « Motio igitur illorum spirituum, summæ divinitati appropinquantium, *incessabilis* dicitur, et *intenta per intima*, et *inflexibilis*, quia a se per amoris desiderium in Deum tendens, et *mobilis* semper est, et nunquam in se subsistit, et *intenta* ut in illum pergat, et *intima* ut ad exteriora non defluat, *inflexibilis* ut ad alia extra ipsum non divertat. *Mobile* ad inquisitionem excitat, *incessabile* ad perseverantiam confirmat. » Hæc ille.

Tertia proprietas sive gradus seraphici amoris est *calidum*. De quo dicit Hugo [2] in commento, quod hoc tertio loco convenienter ponitur, quia sicut *mobile* præcedit, ut inquisitionem excitet, et *incessabile* sequitur, ut ad perseverantiam confirmet; ita *calidum* sequitur, ut sensum vivificet, et *acutum* sequitur, ut ad apprehendendum penetret, et ultimo *superfervidum* sequitur, ut adhæsionem et amplexum quietum manifestet. Require plura ibi, si vis. Linconiensis autem de calido loquens, dicit sic : « Sicut prima actio ponderosi, vel levis, est inclinatio ad naturalem locum, sic actio virtutis seu potentiæ amativæ est inclinatio ad naturale amabile. Hæc tamen actio non simpliciter est amatio, sicut inclinatio ponderosi et levis nondum actualis est motio ad locum naturalem, cum frequenter sit inclinatio cum quiete rei inclinantis, altero prohibente actum motionis. Hanc igitur inclinationem virtutis amativæ, puto significari per calidum; motionem autem ad naturaliter amabile amplexandum, existimo significari per acutum. » Ideo sequitur : « Ipsam autem rei amatæ amplexationem, semper tentionem, seu cum illa adhæsionem, et in illa (*b*) quietationem manifestari per *superfervidum*. Caliditas enim naturaliter est inclinativa subjecti in dilatationem et diffusionem sui in omnem partem. Gaudium autem est animi diffusio : sed amor est res, quæ per se et sola est gaudiosa et dilatabilis. Est igitur res amor per se dilatationis et diffusionis participativa : quapropter et inclinatio ad actum amoris, est inclinatio ad actum dilatationis et diffusionis. Unde convenienter hæc inclinatio nomine *calidi* est expressa. Calor namque, qui intus est, non videtur, et movet virtutem incendii latentis; sed quod movet, videtur, et, ex quo videtur, intelligimus vim magnam et violentiam fortem caloris, qui latet et non videtur. Calor iste sine tumultu et actione sensitiva ad amorem ingreditur, ut ingressus illius sibi assimilet, et tandem potenter a seipso ejiciat, et tandem per calorem totus ignescat. De isto gaudioso amore dicit Richardus sic : « Amor est dulcedo saporis intimi, et quanto ardentius amat, tanto suavius gustat. Et amor est gaudium spei, quia ubi amor, ibi spes, et ubi spiritualis amor, ibi est spirituale gaudium. » Amor quid.

Quarta proprietas sive gradus seraphici amoris est *acutum*. Quod exponens Commentator, dicit sic [3] : « *Acutum* significat quemdam impetum amoris, et vehementiam desiderii ardentis et penetrantis, ut ibi sit, ubi est ipsum amatum, cum ipso et in ipso, ut non solum ab ipso calidum sit, sed transeat acutum in ipsum. Poterat enim calidum esse, et quasi de longe calidum fieri, cui hoc satis esset, amare absentem, et præsentem non videre, vel præsentissimum possidere. Sed non erat iste amor perfectus, nisi acutum faceret sibi foramen, et transiret omnia, et penetraret, donec ad dilectum perveniret, imo potius in dilectum iret. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, neque acutum habes dilectionis, et torpens divisus es,

[1] Bern., *de Dilig. Deo*, in princ. — [2] Hug., ubi sup. prox., ante med. — [3] Hug., ibid.

(*a*) *Cæt. edit.* amotionis. — (*b*) *Item* illam.

Digitized by Google

manens extra, et alius a dilecto, et unum non efficeris cum ipso. Amor autem se vult unum facere cum ipso, et ideo penetrat omnia, et appropinquat, quantum potest, ad unum ipsum. Unde Propheta ait [1] : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Impetus acutum est. » Et infra dicit : « Acutum non quiescit, donec intret et penetret, et dicat [2] : *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Sed tamen ipsum ad te introductum, non quolibet modo, ut scilicet subsistat extra apud te, vel in partibus tuis, sive ante ostium domus tuæ, aut etiam solummodo in domo tua : quia hoc non esset signum magnæ dilectionis, nisi usque ad thalamum perveniat, et cubiculum ingrediatur, et usque ad interiora penetret, et in intimis requiescat. Ipse autem ingreditur, ut et tu ingrediaris ad illum. » Hæc ille. Linconiensis illud verbum exponit, dicens sic : « *Acutum* dicitur tam quod subtile et penetrativum est, quam quod in motione velox est. Inhiatione autem tendente in rem amatam, nihil velocius. Unde nihil acutius, nihil subtilius amore, aut penetrabilius, quia natura non quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetraverit virtutem, et profunditatem, et totalitatem, quantum potest. Hoc igitur existimo significari per *acutum.* » Hæc ille.

Quinta proprietas sive gradus seraphici amoris est *superfervidum.* Quod Linconiensis exponit, primo ostendens quid sit fervidum, et quid sit superfervidum. Dicit ergo sic : « Fervere dicuntur, qui impresso calore supra se sursum feruntur, et proprio pondere in se redeunt : hujusmodi super se levationes, et in se relapsus vicissitudinarie, fervores dicuntur. Sancti itaque viri, qui exarserunt sancti Spiritus gratia, supra se efferuntur in Deum, et ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se elevatione. Hi vicissitudinantes congrue dici possunt [3] *spiritu ferventes;* et qui in hoc supereminent, superabundanter superfervidi dicuntur.

Sed oritur quæstio : Angeli, quorum amor defixus in Deum non tepescit aut remittitur, aut aliquo modo declinat ab ipso, quomodo dici possunt ferventes? et si ferventes dici possunt, quomodo superfervidi dicuntur? Respondet Linconiensis quod potest dici, quod sicut Dei cognitio in se est sicut mane, et cognitio ejus in creaturis est velut vespere, sic amor in se est elevatior, et amor ipsius in creaturis depressior. Et in hoc utroque ipsius amore sese naturaliter ad invicem consequente, quasi quædam vicissitudo fervor est spiritualis, cujus supereminentia est esse in termino possibilis sibi intensionis. Vel quod forte, inquit Linconiensis, posset dici, amor quo Deum angeli amplexantur, superfervidus est, qui est intensus ad summum, non lentescit nec remittitur, sed immobiliter perstat (*a*) in intensionis suæ summitate. Si enim vis caloris, sursum ferentis partes liquidi (*b*) ferventis, supra se posset eas portare et sustinere in sua super se elevatione, ita ut neque caloris remissione, neque proprio pondere relaberentur ad inferius; liquidum hujusmodi, usitato modo loquendi, non diceretur fervere, sed verissime diceretur superfervere, cum majoris virtutis esset id elevare, et quietare in sua elevatione supra se, quam id solum elevare absque quietatione, si (*c*) statim laberetur inferius. Et sic patet cognominatio *Seraphim.* Docet etiam hæc proprietas istius potentiæ amativæ primum actum, qui est inclinatio, et consequenter secundum actum, qui est motio animi ad naturaliter amatum, intendens ipsum penetrare, ut possibile est; et deinceps docet tertium et ultimum actum istius potentiæ amativæ, qui est cum amato jam adepto adhæsio et quietatio. Intellige tamen prioritatem et posterioritatem naturæ, non temporis. » Hæc ille. Hugo vero commentator exponens prædictum verbum, scilicet *superfervidum,* dicit [4] : « Admonet nos hæc res aliquid magis cogitare de *superfervido,* quam de *calido* et *acuto.* Nostis enim quomodo id, quod fervet, quadam caloris incendii sui violentia jactatur extra se, tollitur supra se, et facit motionem magnam invisibili æstuatione. » Et infra : « Quod enim prius acutum fuit in dilectione, obsistentia omnia penetrans, superfervidum fit, jam bulliens, in seipso stare non valens. Acutum autem amoris est, cum omnia transcendendo despicit; superfervidum autem, cum etiam seipsum contemnendo relinquit. Nam qui hoc solum appetit, quod amat, in illius comparatione, etiam seipsum contemnit et despicit. Neque enim vere hoc solum appeteret, si vel semetipsum cum illo amaret : non autem hoc facere potest, nisi magna et singularis dilectio, ut præ amore illius,

[1] *Ezech.*, I, 12. — [2] *Cant.*, III, 4. — [3] *Rom.*, XII, 11. — [4] Hug., sup. cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VI, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* præstat. — (*b*) liquide. — (*c*) *Item* et.

Digitized by Google

quod solum diligitur, ille etiam qui amat quodammodo a semetipso despiciatur. Sic ergo miro modo per dilectionis ignem sustollitur, qui etiam supra se per vim amoris expellitur, ut exeat etiam a se. Quomodo igitur fervet, et quomodo bullit corde, qui per conceptum amoris superni ignem, dum in illum solum, qui sursum est, appetendum fertur cogitatione, et desiderio extra se projicitur, et supra se elevatur, nec se cogitat, dum illum solum amat! » Et in fine concludit, dicens : « Ecce diximus mobile illius dilectionis incessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum, et intensum, et intimum, et inflexibile, et exemplativum, et reductivum, et activum, et recalificans, et resuscitans, ut ex istorum aliquali cogitatione imitemur, ut possumus, in amando cœlestes substantias. »

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus noster per iter charitativæ affectionis æternum manerium ingrediatur.

Sexto videndum est, qualiter spiritus noster per charitativam affectionem intrinsecum et æternum secretum Domini Jesu ingrediatur. Circa quod notandum est, quod amare Deum, est accedere ad ipsum, et intrare et gustare, quoniam suavis est Dominus. Et hoc ostendit Gregorius, quintodecimo *Moralium*, dicens sic [1] : « Superiora amare, jam sursum est ire : dumque magno desiderio ad cœlestia animus inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, hoc jam degustat. » Et Gregorius, *super Ezechielem*, dicit : « Quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni appropinquat. In quantum vero ingredi negligit, in tantum recusat. » Ratio istorum est, quia verus amor, sive charitas, nullum patitur medium inter se et objectum, quod est Deus, sed vehementer tendit in ipsum immediate : et ideo nunquam quiescit, donec omnia transeat, et ad ipsum et in ipsum veniat. Et Hugo dicit [2] : « Dilectio sive amor, impetum sui ardentis desiderii sequens, amato appropinquat quantum potest, et eo amplius sitiens intrare ipsum cupit, et esse cum Christo, et tam prope, ut, si fieri potest, hoc idem ipsum sit quod ipsum est : ideo super omnia verius, citius, perfectius pervenitur ad Deum gressibus affectionum, quam gressibus pedum. » Unde Augustinus dicit [3] : « Ire ad Deum tanto nobis melius est, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando, quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. » Hæc enim charitas, ut dicit auctor *de Spiritu et Anima* [4], « est via Dei ad homines, et via hominum ad Deum. Per charitatem namque venit Deus ad homines, venit in homines. Per charitatem elegit Deus homines, et eligunt homines Deum, diligunt Deum, et ad Deum currunt, et ad Deum perveniunt. Sic familiaris est Deo charitas, ut mansionem habere nolit, ubi charitas non fuerit. » Et ibidem dicitur sic [5] : « Anima namque, quam Dei pietas respicit, humiliter subjicit, pœnitentia ducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas conjungit, et charitas unit. » Sequitur : « Habet anima in se amorem, quo semper potest stare cum Deo. Si igitur charitatem habemus, et Deum habemus, et in eo manemus, quia Deus charitas est. » De hac mataria require plus in hoc quarto itinere, quasi per totum.

[1] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XV, in fin. — [2] Hug., sup. sept. cap. *Angel. Hier.*, lib. VI, ante med. — [3] Aug., *ad Maced.*, epist. LII, al. CLV, c. IV, n. 13. — [4] *De Spir. et Anim.*, c. XVI. — [5] Ibid., c. XX.

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus noster, ad veniendum per iter charitativæ affectionis ad æterna, a Domino invitetur (a).

Septimo videndum est, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter charitativæ affectionis ad intrinsecum et æternum secretum Domini, ab ipso amicabiliter invitetur, dicente Sponso in Canticis [6] : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Et hujus invitationis allectivum subjungit, dicens : *Veni*, quia jam est ambulantium alleviata agilitas, quia tempus putationis advenit, id est, omnium superfluorum et gravantium depositio. Dicit ergo : *Amica mea*, propter tuam unitivam charitatem. Charitas enim, ut ait Apostolus [7], est fortissimum vinculum amicitiæ, quia ipsa est *vinculum perfectionis.* Imo [8] *fortis est ut mors dilectio. Surge*, propter dilecti tui attractivam amabilitatem : Ego enim [9] traho te movendo sicut amatum et desideratum, et traho te *in vin-*

[6] *Cant.*, II, 10. — [7] *Coloss.*, III, 14. — [8] *Cant.*, VIII, 6. — [9] *Ose.*, XI, 4.

(a) Cæt. edit. *invitatur.*

Digitized by Google

culis Adam, et in funiculis charitatis, id est, « in unitivis attractionibus primæ dilectionis, ait Vercellensis. *O columba mea*, propter charitatis tuæ sinceritatem. Charitas sincera est, ait Bernardus [1] in libro *de Diligendo Deum*, « qua proximi bonum æque diligimus ut nostrum. » Nam qui magis, aut certe solum, diligit suum bonum, convincitur non caste diligere bonum, quod propter se diligit, non propter ipsum. Homo, secundum Prophetam [2], *confitebitur tibi cum bene-feceris ei. Propera*, propter charitatis tuæ velocitatem. Nihil enim velocius est amore acuto tendente in rem amatam, ait Linconiensis super septimum *Angelicæ Hierarchiæ*, cui etiam hora brevis longa videtur (ut supra). *O formosa mea*, propter charitatis tuæ pulchriformitatem [3]: *Quam pulchra es, et quam decora, carissima in deliciis!* Ibidem dicit Origenes : « Miserabilis laus tua non ex tuo, sed ex eo qui diligit te. Fide enim polles, spe nites, charitate luces, justitia splendes, fortitudine rutilas, prudentia fulges, et temperantia candes. *Veni* per iter charitatis non divisæ, sed integræ, quæ fit *ex toto corde*, id est, secundum Augustinum, toto intellectu sine errore, *ex tota anima*, id est, ex tota voluntate sine contradictione, *ex tota mente*, id est, memoria sine oblivione. Si unum illorum deest, integre non venis. Hujus autem invitationis subjungit allectivum, dicens : *Veni*, quia [4] *tempus putationis advenit*, id est, omnia aggravantia et impedientia spiritum, itinerantem in itinere charitatis, sunt amota, quia [5] *charitas operit multitudinem peccatorum*, [6] *non quærit quæ sua sunt;* et alleviantia itinerantes collata sunt, scilicet palmites omnium habituum virtutum. Vercellensis exponens hæc verba, dicit : « In vite putantur, id est, resecantur sarmenta, quæ si in vere manerent, fructum multiplicem, sed minus nobilem proferrent. Sic (inquit) in mente sunt virtutes et motus, qui apti sunt in vita activa fructificare; sed illi fructus minus reputantur respectu fructuum vitæ contemplativæ [7] : *Maria optimam partem elegit, quæ*, etc. Similiter intellectus speculativus fructificat in divinorum cognitione per creaturarum investigationem; sed ille fructus minus nobilis est, quia ænigmaticus est, respectu cognitionis unitivæ. Nam, dicit Dionysius [8], « est iterum divinissima cognitio Dei, qua ipse cognoscitur per ignorantiam, quando scilicet mens ab omnibus intellectualibus et intelligibilibus recedens, et tandem seipsam excedens, unitur radiis æternæ sapientiæ, inscrutabilis profunditatis. » Et sequitur. « Quoties ergo superintellectualiter exercemur ad divinum radium, toties opus est ut resecemus intellectuales operationes, ut docet Dionysius primo *de Mystica Theologia;* et similiter creaturarum similitudines, ut innuitur in *Exodo*, ubi dictum fuit Moysi [9] : *Solve calceamenta de pedibus.* Pedes sunt intellectus et affectus, quibus spiritus noster ad æternum Deum accedit, ut supra dictum est. Qui pedes mundandi sunt ab omnibus pellibus, id est, creaturarum similitudinibus, quos Sponsa dixit se lavasse in *Canticis* [10], ubi dicit Vercellensis : « *Pedes meos*, id est affectum et intellectum, quibus carpsi itinera æternitatis, *lavi* et purgavi, vel purificavi : *quomodo iterum inquinabo illos* umbris et imaginibus temporalium; cum etiam intellectuales operationes et formæ in hoc loco, id est, superintellectuali exercitio, reputentur umbræ et offendicula? » Hæc ille. Et hæc sufficiant pro quarto itinere æternitatis.

[1] Bern., *de dilig. Deo*, longe post med. — [2] *Psal.* XLVIII, 19. — [3] *Cant.*, IV, 1. — [4] Ibid., II, 12. — [5] *I Petr.*, IV, 8. — [6] *I Cor.*, XIII, 5. — [7] *Luc.*, X, 42. — [8] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII, post med. — [9] *Exod.*, III, 5. — [10] *Cant.*, V, 3.

DE QUINTO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM OCCULTA REVELATIO (*a*).

Quintum igitur æternitatis, per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum et æternum manerium Domini Jesu, est æternorum occulta revelatio. Revelationes autem æternorum sunt studiosissime considerandæ et assidue ruminandæ : quia, sicut dicit Vercellensis : « Assidua revelationum spiritualium ruminatio præbet assiduum cognitionum et exultationum mentis incrementum : » et ex hoc excessum æternorum, et ingressum occultorum consequitur.

Sunt autem ad majorem hujus itineris cognitionem septem consideranda per ordinem.

Primo, qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis sequatur.

Secundo, qualiter revelatio æternorum occulta dicatur, et qualiter distinguatur.

Tertio, qualiter per sensibilem revelationem spiritus noster ad accessum æternorum mittatur.

(*a*) Cæt. edit. non habent *quod est æternorum occulta revelatio.*

Digitized by Google

Quarto, qualiter per intellectualem revelationem æternorum, spiritus noster ad æterna introducatur.

Quinto, qualiter per superintellectualem revelationem æternorum, spiritus noster æternitati uniatur.

Sexto, qualiter superintellectualis revelatio æternorum a nobis acquiratur.

Septimo, qualiter ad iter occultæ revelationis æternorum, spiritus noster a Domino invitetur (*a*).

DISTINCTIO I.

Qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis sequatur.

Primo igitur videndum est, qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis sequatur. De hoc potest assignari ratio talis. Cum, secundum Augustinum, libro tertio decimo *Confessionum* [1], « charitas sive amor sit pondus inclinans amantem ad amatum » et appropinquare faciat (*b*) amato, quantum potest, ut etiam transformet amantem in amatum secundum Dionysium : quanto ergo propinquius est amans amato, tanto verius, subtilius et perfectius sibi revelatur amatum. Unde Hugo, super septimo *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit : « Constat, ut qui ardentius diligunt, profundius conspiciant, et subtilius discernant : et quia magis profunde prospiciunt, procul dubio evidentius cognoscunt. » Ergo rectissime, quanto æterna magis amantur, tanto perfectius cognoscuntur. Et sic verificatur verbum Richardi dicentis, libro quarto *de Contemplatione* : « Ex magnitudine dilectionis pendet modus divinæ revelationis. » Ideo rationabiliter illud iter sequitur præcedens iter, ex quo pendet modus divinæ revelationis.

DISTINCTIO II.

Qualiter revelatio æternorum occulta dicatur, et qualiter distinguatur.

Secundo videndum est qualiter revelatio æternorum dicatur occulta, et qualiter distinguatur. De primo notandum, quod revelatio divinorum dicitur occulta, quia non nisi in occulto percipitur. Sive enim revelatio, prout est occultorum manifestatio, per exteriores figuras fiat, sive per sacras Scripturas, sive per illuminationes inspiratas, sive per collocutiones exterius expressas, semper fit in occulto, ut ostendit Hugo, libro quarto *de Arca Noe*, ubi dicit [2], quod in revelationibus necessaria est secreta habitatio, et mentis collectio et unio ; unde dicit sic : « Scrutemur Scripturas, et inveniemus vix aut nunquam Deum fuisse locutum in multitudine; sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, montibus et vallibus, se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Jacob, et Moyse, Samuele, David, et omnibus prophetis. » Et sequitur : « Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? et quid quod cum paucis loquitur, nisi ut nos colligat sive uniat? » Et dicit ibidem sic : « Similis ratio est quare Deus obscure loquitur in Scripturis, ut veritas malis abscondatur, et bonis reveletur. » Simile dicit Deus in Evangelio [3], ne margaritæ pedibus porcorum conculcentur. Simile dicit Dionysius in *Mystica Theologia* [4], loquens ad Timotheum.

Ex his patere potest secundum, scilicet quomodo revelationes distinguantur. Non enim omnes æqualiter a sensibilibus abstrahuntur, nec æqualiter in intellectu excitantur, nec æqualiter superintellectualiter sursum extenduntur : ideo necesse fuit, ut quibusdam fierent revelationes sensibiliter, quibusdam intellectualiter, et quibusdam superintellectualiter : quas revelationes legimus Moysi factas, quando exiverat ex Ægypto temporali ad interiora deserti, ut illas nunciaret filiis Israel, de Ægypto exire desiderantibus, ut testabatur clamor eorum ad Dominum, ut pergerent iter trium dierum in solitudine : quæ possunt intelligi tres revelationes. Revelationes divinæ multipliciter fiant.

Prima revelatio sensibilis, et simpliciter viventibus, fit de Ægypto hujus mundi exire desiderantibus. Unde quibusdam patribus fiebant sensibiles revelationes, ut exemplificat Dionysius [5], sicut pastoribus, et quibusdam aliis. Hæc revelatio ad intrandum ad æterna allicit.

Secunda revelatio est intellectualis, quæ fit

[1] Aug., *Conf.*, lib. XIII, c. IX. — [2] Hug., *de Arc. Noe.*, lib. IV, in princ. — [3] *Matth.*, VII, 6. — [4] Dion., *de Myst. Theod.*, c. 1. — [5] Id., *de Cœl. Hier.*, c. IV.

(*a*) *Cæt. edit.* invitatur. — (*b*) *Item* facit.

intellectualiter viventibus, ut (*a*) filiis Israel de Ægypto hujus mundi exeuntibus, jam intellectualiter ambulantibus. Et hæc revelatio ad æterna introducit, ut quarto capite patebit.

Tertia revelatio est superintellectualis, et hæc tantum fit unitis mentibus, et egressis de Ægypto, et in interioribus deserti existentibus, ut Moysi. Et hæc revelatio æternitati unit, ut patebit infra, capite quinto. Istas revelationes mens percipit, quæ in intimis et imis stare consuevit, ait Richardus. Et sic patet secundum, scilicet qualiter revelatio distinguatur.

DISTINCTIO III.

Qualiter per sensibilem revelationem spiritus noster ad accessum æternorum alliciatur.

De revelatione sensibili.

Tertio videndum est de qualibet istarum revelationum. Et primo de sensibili, qualiter spiritus noster per eam ad accessum (*b*) æternorum alliciatur. De qua notandum est, quod hæc revelatio fit plebi simpliciter viventi, de Ægypto temporali jam exire desideranti ad terram promissæ æternitatis. Et hæc revelatio, ut dicit Richardus, scilicet sensibilis, fit dupliciter. Fit enim quandoque per signa sensibilia, ut quando res videtur corporalibus sensibus extra, absque significatione mystica, ut Pharaonis (*c*) et hujusmodi, qui nullum sensum spiritualem vel mysticum intellexerunt. Et sic non fuit revelatio facta illis, quia ultra sensum nihil manifestatum fuit. Est et alia revelatio sensibilis, sive visio corporalis, quæ fit sensibus exterioribus, ut quando res videntur in quibus latet significatio mystica, qualis facta fuit patribus veteris legis et novæ, ut dictum est, et patet per Dionysium [2]; qui mysteria noverunt, ut Abraham, Isaac et Jacob, etc. Necessitas hujus revelationis fuit, ut dicit Dionysius in epistola ad Titum, « ut homo, qui constat ex duabus naturis, anima scilicet rationali, quæ simplex est in essentia, et corpore composito, juxta utriusque naturæ proprietatem illuminetur divinis cognitionibus, ut et mens ejus puras, et simplices, et intimas signorum sensibilium intelligentias segregate ab ipsis signis conspiciat, et sensualitas ejusdem per naturæ proprietatem coaptetur mentali cognitioni, et sic ad divina extendatur. » Hæc ille. Et secundum Augustinum, *de Vera Religione* [3], sic [4] *invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna ejus virtus et divinitas.* Et hæc est a temporalibus ad æterna regressio, et ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio (*d*), quia jam sensualitas ordinate cooperatur cognitioni mentali. Hæc revelatio sensibilis facta fuit Moysi, cum de rubo ardenti Dominus sibi sensibiliter apparuit in subjecta creatura, et dixit filiis Israel, dicens [5] : *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob : hoc nomen mihi est in æternum.* In hac revelatione sensibili ostendit Dominus ignem divinitatis uniendum cum rubo humanitatis, in qua Verbum paternum ostendit suam sensibilem denominationem, in qua conjungit æterna cum temporalibus, spiritualia corporalibus, patriam exulibus, cum dicit : *Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob. Ego,* inquit, *sum,* quia esse meum æternum et immutabile est. Quod etiam ostendit Dominus, dicens [6] : *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Et dicit Hieronymus ad Marcellam: « Deus, qui exordium naturæ non habet, vere nomen essentiæ tenuit [7] : *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob. Deus* autem [8] sum *vivorum, non mortuorum. Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob.* Ergo Abraham, Isaac et Jacob vivunt : sed non vivunt in temporali mutabilitate, non exilii hujus calamitate, sed æterna hereditate, quia [9] : *Nomen hoc mihi in æternum est. Dices* (*e*) *ergo filiis Israel : Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob,* eos alliciendo ut ex Ægypto temporali, corruptibili et peregrina egrediantur, ad terram hereditatis patribus promissam et datam, terram, inquam, æternæ stabilitatis et veritatis, terram æternæ beatitudinis et hereditatis. » Nam, ut dicit Augustinus [10] : « Natus est nobis Christus in temporis mobilitate, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. » Veniat igitur modo non corporaliter, sed mentaliter memoria æterna cogitando, quia, sicut Augustinus dicit [11] : « Cum æterna cogitamus, non sumus in hoc mundo, quem jam transcendimus. » Veniat etiam intellectui æterna contemplando, quia, sicut (*e*) Gregorius, duodevigesimo *Mora-*

[1] Richard., ubi sup. — [2] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. IV. — [3] Aug., *de Ver. Relig.*, c. XXIX, n. 52. — [4] *Rom.*, I, 20. — [5] *Exod.*, III, 15. — [6] *Joan.*, VIII, 58. — [7] *Exod.*, III, 6. — [8] *Matth.*, XXII, 32. — [9] *Exod.*, III, 15. — [10] Aug., *de Nativ. Dom.*, serm. IX, in princ. — [11] Id., *de Trinit.*, lib. IV, c. XVII.

(*a*) *Cæt. edit.* in. — (*b*) *Item* excessum. — (*c*) *Forte legend.* Pharaoni. — (*d*) *Cæt. edit. hic. add.* Hæc ille. — (*e*) *Item* Dicens. — (*f*) *Cæt. edit. non habent* sicut.

Digitized by Google

lium, dicit : « In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem. » Veniat etiam voluntati æterna amando, quia, sicut dicit Gregorius, primo *Moralium* : « Unusquisque electorum adhuc in mundo positus corpore, mente amante, etiam extra mundum surgit. » Et quinto decimo [1], dicit : « Superiora amare jam sursum est ire, cumque magno desiderio ad cœlestia inhiant, miro modo hoc ipsum, quod accipere quærunt, jam degustant. » Sic igitur patet qualiter sensibilis revelatio æternorum ad æterna alliciat (*a*).

DISTINCTIO IV.

Qualiter per intellectualem revelationem æternorum spiritus noster ad æterna introducatur.

De revelatione intellectuali.

Quarto videndum est, qualiter, per intellectualem revelationem æternorum, spiritus noster ad æterna introducatur, quæ fit intellectualiter viventibus, ut filiis Israel de Ægypto hujus mundi mentaliter jam egredientibus, et ad æterna tendentibus. Et hæc revelatio non fit oculis carnis, sed mentis, ut dicit Richardus [2]. Et fit dupliciter : quia quandoque fit, quando per Spiritum sanctum animus illuminatus, formalibus rerum visibilium similitudinibus præmonstratis, sive præsentatis, ad invisibilium cognitionem ducitur : qualiter Joannes vidit in Apocalypsi, et Ezechiel propheta, sicut dicit Glossa super primum prologum Apocalypsis, et in fine alterius prologi, dicens, quod Joannes imagines mente vidit, et tamen veritatem in eis intellexit. Hæc revelatio ad æterna ducit, quia per eam intellectus in invisibilium et æternorum cognitionem exsurgit et perducitur, ut dicit Richardus.

Secundo modo fit hæc revelatio æternorum, sive visio intellectualis, ut dicit Richardus [3], quando spiritus humanus per internam inspirationem suaviter tactus, nullis mediantibus rebus visibilibus, ad cœlestium cogitationem erigitur, sicut vidit propheta David, qui vidit in spiritu. Et Hugo, super septimum *Angelicæ Hierarchiæ*, idem dicit. Et Haymo, *super Apocalypsum*, concordat, ubi dicit : « Intellectualis visio sive revelatio fit quandoque non per corporales res nec per similes, sed ipsa veritas immediate manifestatur videntibus, quod proprie electorum est. » Unde Salvator dixit Petro [4] : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, per interiorem inspirationem. Ait Psalmista [5] : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Hæc occulta revelatio æternorum videtur innui per hoc quod dictum est Moysi, quando in interioribus deserti dictum est sibi [6] : *Dices filiis Israel : Qui est, misit me.* Hic apparet quod hæc revelatio fit intellectualiter viventibus, quia filiis Israel ; et in interioribus mentis, quia interiora deserti ingredientibus. Unde Vercellensis dicit sic [7] : « Populo Israelitico mandatur nomen intellectuale, scilicet *Qui est*, sive *Ens*, quod est emanatio primæ existentiæ a causa causalissima. » Et Damascenus dicit [8], quod « *Qui est* principalius est nomen omnibus nominibus Dei, quæ de Deo dicuntur. Totum enim in seipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et interminatum. » His concordat Augustinus, libro quinto *de Trinitate*, cap. II. Et quia illud verbum *Est* significat præsens nunc æternitatis, eo quod ambit omnes differentias temporis, prout de Deo dicitur ; ideo mentem sive intellectum a temporalibus ad æterna, a sensibilibus ad intelligibilia ducit et pertrahit, usque ad nunc æternitatis, quod varietates temporis nescit, ut tales dicant illud Pauli [9] : *Nostra conversatio in cœlis est.*

Sed sciendum est, quod ista revelatio intellectualis æternorum non fit nisi intelligentibus, et interiora ingredientibus, ubi omne velum removetur ab eis. Nam revelatio dicitur quasi *veli remotio* ab oculis intellectualibus : quam remotionem petivit David dicens [10] : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* De hoc velamine dicit Apostolus [11] : *Usque in hodiernum diem velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quod* (*b*) *in Christo evacuatur. Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* Velamen ergo a Christo evacuatur, ut nobis Pater manifestetur. Unde ait ipse [12] : *Neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Christum autem Spiritus sanctus clarificat, non in se, sed in nobis, ut ipse dicit [13] : *Cum venerit Paracletus, ille me clarificabit, et docebit vos omnia* : quia amor divinus omne

Revelatio unde dicatur.

[1] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XXVII. — [2] Richard., *in Apoc.*, c. I. — [3] Ibid. — [4] *Matth.*, XVI, 17. — [5] *Psal.* LXXXIV, 9. — [6] *Exod.*, III, 14. — [7] Vercell., *Prol. sup. Cant.* — [8] Damasc., *de Fid. Orth.*, lib. I, c. XII. — [9] *Philip.*, III, 20. — [10] *Psal.* CXVIII, 18. — [11] II *Cor.*, III, 14, 18. — [12] *Matth.*, XI, 27. — [13] *Joan.*, XVI, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* allicit. — (*b*) Vulg. *quoniam.*

Digitized by Google

velum removet, omnem veritatem docet. Unde Apostolus dicit [1]: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum, quia omnia perscrutatur, etiam profunda Dei.* Et Joannes [2]: *Unctio docebit vos omnia* (a), *scilicet Spiritus sanctus.*

DISTINCTIO V.

Qualiter per superintellectualem revelationem æternorum spiritus noster æternitati uniatur.

Quinto videndum est, qualiter per superintellectualem revelationem æternorum spiritus noster æternitati uniatur.

Sed hic primo occurrit dubium, quod in revelatione ista superintellectuali videtur includi oppositum in adjecto, quia, ut ait Papias: « Revelatio est manifestatio eorum, quæ fuerunt abscondita » : sed abscondita revelantur, cum intelliguntur; quæ autem intelliguntur, non sunt superintellectualia : ergo nulla revelatio dicitur superintellectualis.

Habitus supernaturales nobis infunduntur.

Sed ad horum cognitionem habendam, est notandum, quod secundum sanctos Augustinum, Gregorium, Dionysium, et alios, homini a Deo donantur diversi habitus supernaturales ad suum finem, qui est supernaturalis, comprehendendum, vel consequendum. Donantur enim intellectui habitus supernaturales ad suum finem cognoscendum, ut fides, et scientia divinorum, etc. Donantur etiam voluntati supernaturales habitus ad Deum diligendum, ut charitas, sive amor gratuitus, etc. Sed habitus charitatis excellit omnes habitus intellectus, ut fidem, et spem, et scientiam, etc., ut expresse ostendit Apostolus in epistola prima ad Corinthios, ubi primo enumeratis aliquibus actibus et habitibus intellectus et voluntatis [3]: *major autem horum*, infert, *est charitas.* Et ostendit ibidem, quod nullus habitus, vel actus intellectus, est meritorius sine habitu voluntatis, qui est charitas; et quod habitus intellectus aliqualiter evacuabuntur, propter imperfectionem eorum, in patria. Habitus autem voluntatis, propter suam perfectionem, permanebunt in patria : sed perfectiores eliciunt actus, ut patet : et ideo actus dilectionis hic præfertur actui cognitionis, tanquam perfectior. Unde in *Matthæo* dicitur [4], quod dilectio est *primum et maximum mandatum.* Item actui dilectionis convenit unire et transformare, ut dicit Dionysius [5], *de Divinis Nominibus*, ut visum est supra : hoc autem nullus attribuit intellectui proprie. Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit et præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est, saltem in hac vita, quia in patria *videbimus Deum sicuti est*, ut dicit [6] Joannes. Nec obstat quod dicit Augustinus : « Incognita nequaquam possunt amari : » quia est notitia aliqua non intellectualis, sed affectualis seu experimentalis, ut statim patebit. Unde Gregorius, exponens illud Joannis [7]: *Vos dixi amicos meos*, etc., dicit [8]: quia « cum affectus discipulorum imprimuntur divino amori, fit in eis prælibatio quædam, et per consequens quædam notitia experimentalis: quia amor notitia quædam est. » Ergo patet, quod non est oppositum in adjecto, cum illa notitia sit alia ab intellectuali, ut dictum est. Cum prædictis concordat Hugo commentator Dionysii, dicens sic [9]: « Intelligas quanta est vis veri amoris et dilectionis, si tamen intelligi potest : quoniam dilectio supereminet scientiæ, et major est intelligentia; plus enim diligitur, quam intelligitur. Intrat dilectio et appropinquat, ubi scientia foris stat. » Et reddit rationem : « Quia amor, inquit, præsumens et confidens amato, suo acumine penetrat omnia, impetum sequens ardentis desiderii sui, nec dissimulari valens, donec ad amatum perveniat, et eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, et esse cum ipso, et esse tam prope, ut, si fieri possit, hoc idem ipsum sit quod ipse. » Ecce expresse dicit, quod verus amor Dei unit Deo immediatius quam intellectio, et quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis est superior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellensis *super Cantica*, dicens, quod « affectus et intellectus simul coambulant, usque ad novissimum defectum intellectus, ubi habet suæ cognitionis et sui luminis consummationem. » Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria, superintellectuales extensiones et immissiones, fervidos fulgores, et fulgidos fervores: ad quorum omnium sublimes excessus et excedentes sublimitates in-

Dilectio intratubi scientia foris stat.

[1] I *Cor.*, II, 20. — [2] I *Joan.*, II, 27. — [3] I *Cor.*, XIII, 13. — [4] *Matth.*, XXII, 38. — [5] Dion. Areop., *de Div. Nom.*, c. IV. — [6] I *Joan.*, III, 2. — [7] *Joan.*, XV, 15. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, ante med. — [9] Hug., in sept. cap. *Angel. Hier.*, circa med.

(a) Vulg. *docet vos de omnibus.*

Digitized by Google

telligentia trahi non potest, sed solum principalis affectus Deo unibilis. Et hoc idem post dicit : « Tanta est virtus veri amoris et pulchri, quod non solum facit homines et angelos excedere propriam naturam, ut in Deum ascendant, sed etiam Deum quasi naturam propriam egredi, ut ad creaturas quasi infra naturam suam procedendo condescendat. » Et « hoc, ut dicit Dionysius, audendum est dicere pro veritate, cum tamen sit ingressibilis a se : licet ipse suam immensitatem nostræ capacitati contemperet, eo immutato. » Hæc revelatio superintellectualis æternorum fuit facta Moysi in interioribus deserti constituto, quærenti a Domino, quod sibi nomen esset. Respondit Dominus in subjecta creatura dicens [1] : *Ego sum qui sum,* ut dicit Vercellensis. *Ego sum* esse in se reflexum, vel entitas, quale nomen non concipitur nisi ab apice principalis affectionis quæ æternitati unitur, quasi dicat : Me nemo potest cognoscere, nisi per meipsum. Unde [2] *nomen quod quæris, est mirabile,* [3] *quod nemo scit, nisi qui accipit* : nisi, scilicet, qui acceperit per revelationem vel experientiam, ut Augustinus ait, vel, sicut dicit Haymo, « qui ad hoc prædestinatus est, ut experimento cognoscat. » Ex quo patet, quod revelatio hæc non fit nisi mentibus seraphicis, in interioribus deserti existentibus, id est in caligine occulti silentii, in qua revelate et vere apparet Deus superintellectualiter, ut dicit Linconiensis.

DISTINCTIO VI.

Qualiter superintellectualis revelatio æternorum a nobis acquiratur.

Sexto, cum revelatio æternorum ista sit superintellectualis, et ideo nec cogitari nec dici possit, ut supra patuit ; ideo oportet videre, qualiter sit attingenda et obtinenda.

Circa quod notandum est, quod Dionysius, *De Mystica Theologia,* volens Timotheo ostendere accessum ad istam revelationem superintellectualem æternorum, docet eum derelinquere omnes revelationes sensibiles et omnes revelationes intellectuales, tam naturales, quam supernaturales, et omnia sensibila et intelligibilia, donec ingrediatur caliginem occulti silentii, in qua revelate et vere apparet Dominus superintellectualiter. Ubi Dionysius, capite primo, dicit secundum translationem Abbatis : « Tu autem, Timothee, ad hoc quod capax fias mysticarum contemplationum sive revelationum, incorporare sic radio divino, derelinque sensus, et sensibilia exercitia et intellectuales operationes et omnia intelligibilia, et forti conatu hic comprime te, et si est tibi possibile, consurge ignote, et superintellectualiter ad unionem Dei, quæ est super omnem cognitionem. » Istud verbum, *Consurge ignote,* exponens Linconiensis Commentator, dicit sic : « Surge et restitue te incognite, ut possibile est, ad unionem Dei, id est, ejus qui super omnem cognitionem est ; quæ quidem restitutio vel resurrectio fit per ipsius solius forte desiderium, et amorem superfervidum, quæ nulla ratiocinativa investigatione potest esse cognita. » Et infra dicit : « Cessans enim in ista caligine ab operatione cognitionis, sed æstuans desiderio (*a*) solius Dei perfecte ab ipso incogniti, ipsi soli unitur, et cognoscens videt in ista caligine super intellectum : quia ad hoc cognoscendum non posset intellectus humanus et inoculatus attingere, non quod intellectus dicatur *inoculatus* a privatione potentiæ visivæ, sed a privatione omnis actus visivi, dum otiatur in illa caligine. » Sequitur : « Et hi sunt gradus ascensionis in spiritualem caliginem, signati per ea quæ sunt historice facta Moysi. Et is est modus habendi se in caligine illa, donec divinus radius vere incircumvelate appareat, et se revelet dicto modo. » Hæc Linconiensis.

Gradus igitur ascensionis istius sunt : primo, derelinquere omnia sensibilia ; secundo, omnia intelligibilia ; tertio, ingredi caliginem, ubi [4] apparet Deus. Cum his concordat quasi per omnia Vercellensis Commentator, per eamdem historiam Moysi ostendens gradus ascendendi caliginem mysticam, in qua se Deus incircumvelate revelat. Unde dicit, quod Moyses primo visus est se purgare a multitudine sensibilium, et deinde a non puris separari, et post omnem mundationem audit sonum buccinæ, et tonitrua videt, et fulgura micantia, et radios multos emittentia, et post separatus a multitudine populari cum Aaron, et Nadab, et Abiu, et septuaginta senioribus in Israel [5] tanquam rationabilibus, ascendit, et tunc fuerunt sibi revelata intelligibilia, scilicet æternæ architypiæ, sive rationes exemplares omnium creaturarum,

[1] *Exod.*, III, 14. — [2] *Judic.*, XIII, 18. — [3] *Apoc.*, II, 17. — [4] *Exod.*, XIX, 9. — [5] *Exod.*, XXIV, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* desiderium.

Digitized by Google

quæ in Deo sunt, quarum intellectuali inspectione Deum cognoscimus, quibus nihil divinius oculis intellectualibus intuemur. » Hæc ille.

Tertio dicit : « Sed adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyses post prædicta separatur ab his, qui prædicta secum viderant, et subtrahitur illis visis, et intrat in caliginem ignorantiæ, et unitur incomprehensibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ omnium clarissima est, et in se claudit et celat secretissime omnes cognitiones comprehensivas. Exemplum hujus plane videtur in luce stellari, quomodo absconditur in luce solari in meridie. » Sequitur : « Et omnis unitus Deo per eum, qui est super omnia, constituitur in excellentia quam nec ratio investigat, neque intellectus speculatur, et quasi ab omnibus talibus, et quasi a seipso segregatur, et per unitionem dilectionis, quæ est effectiva veræ cognitionis, unitur Deo intellectualiter, tamen ignoto, et tamen cognitione multo meliori, quam sit cognitio in eo quod intellectualis est : quia in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit, super intellectum et mentem Deum cognoscit. » Hæc ille.

Ex prædictis patere potest, quod revelatio superintellectualis non fit per intelligibilem cognitionem, sed per ardentissimam, imo superfervidam dilectionem, et experimentalem notitiam. Ex his etiam apparet, sicut dicit Linconiensis, quod hæc revelatio quæ fit incircumvelate et vere, absque symbolis et imaginibus, secundum sui nudam apparitionem, solum fit his, qui transcendunt immunda omnia, id est terrena omnia quæ amore contacta (*a*) maculant amantem mentem, et etiam pura quæ non maculant mentem contingentem, et quia ascendunt super ascensionem omnium sanctarum extremitatum, hoc est, ascendunt super omnes actus omnis virtutis apprehensivæ agentis, quantum possibile est intense, et derelinquunt omnia divina lumina illustrantia, et introeunt in caliginem, hoc est actualem ignorantiam omnium, ubi vere est, ut eloquia aiunt [1], *qui est super omnia :* solum enim ibi invenitur et tenetur : qualis ibi invenitur, non est effabilis. » Hæc ille. Cui talis revelatio facta fuerit, dicat illud Matthæi [2] : *Confiteor tibi, Pater, Domine,* etc.

[1] *Ephes.*, IV, 6. — [2] *Matth.*, XI, 25. — [3] *Cant.*, II, 10. — [4] *Joan.*, XV, 15. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII. — [6] *Psal.* LXXXIII, 6. — [7] *Cant.*, V, 12.

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad iter occultæ revelationis æternorum spiritus noster a Deo invitetur (*b*).

Septimo videndum est, qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter occultæ revelationis ad intrinsecum secretum Domini, ab ipso invitetur (*b*) dicente [3] : *Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni.* Et hujus invitationis subjungit allectivum, dicens : Quia jam ambulantibus revelata est veritas, quia jam *vox turturis audita est in terra nostra,* id est, vox paterni verbi revelantis omnem veritatem in terra humanitatis nostræ. Dicit ergo : *O amica mea,* propter secretorum revelationem. Unde Salvator dicit in Joanne [4] : *Vox dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre, nota feci vobis* : « notitia experimentali, » dicit Gregorius [5] in homilia. *Surge* ad revelationum perfectionem, a sensibili ad intellectualem, ab intelligibili ad superintellectualem, ut disponas, secundum Psalmistam [6], *ascensiones in corde tuo in valle lacrymarum. O columba mea,* propter revelationum exercitationem. Et sequitur : *Oculi tui sicut columbarum super rivos aquarum,* id est, ut dicit Vercellensis, « innitentes aquis sapientiæ, quæ derivantur a fonte sapientiæ, in quibus mentes columbinæ, tanquam in puro speculo, contemplantur revelationes, mentem simplificantes et purificantes. » *Propera,* propter revelationum plenissimam effusionem. Unde in Canticis [7], *columbæ*, quæ *resident* in mentis suspendio, quietate *juxta fluenta plenissima.* « Propter quod, ut dicit Vercellensis, quantum mortalibus conceditur, ad plenissimas sapientiæ essentialis copias acceditur, quarum plenitudo nulla effusione diminuitur. » Hæc Vercellensis. *O formosa mea,* propter revelationum radiosam illuminationem. Unde dicit in Isaia [8] : *Implebit Dominus splendoribus animam tuam, et eris quasi hortus irriguus cujus non deficiunt aquæ.* Exemplum de Moyse, cujus facies ex consortio Domini splendida facta est, ut videri non posset oculis corporalibus. *Veni,* propter divinarum revelationum certam directionem. Psalmista [9] : *Specie tua et pulchritudine tua,* etc.; quia *vox jam turturis audita est in terra nostra,* gemitu amoroso cantans [10] : *Ego sum via, veritas et vita :* Ego sum *via,* per quam tutissime ibis ; ego sum *veritas,* ad quam certissime ibis, quia jam finis ænigma-

[8] *Isa.*, LVIII, 11. — [9] *Psal.* XLIV, 5. — [10] *Joan.*, XIV, 6. — (*a*) *Cæt. edit.* contracta. — (*b*) Item *invitatur.*

Digitized by Google

tis est; ego sum *vita*, in qua æternaliter permanes. *Qui* enim [1] *invenerit me, inveniet vitam.* Ergo *veni*, quia mens, quasi avis turturea, *invenit sibi nidum* [2] continuæ mansionis, ab æterno turture præparatum, *ubi reponat* (*a*) *pullos suos*, id est, omnes castos et amorosos conceptus castæ mentis, a casto et amoroso turture, id est, Verbo paterno auditos conceptus et gemitus. Unde Glossa dicit : « Turtur est Christus amator castitatis, » cujus vox audita est in terra nostra, id est, in humanitate, in qua Verbum paternum denuntiat nobis amœnissimum advenisse tempus veris, id est, tempus gratiæ, et in quo nobis revelavit omnia quæ audivit a Patre : « Dum, sicut dicit Gregorius, affectus nostri imprimuntur divino amori, cui nihil occultatur. » Unde Vercellensis exponit illud verbum, dicens sic : « Turtur est : solivagus et significat mentis virtutem unitivam et superintellectualem, quæ nidificat in amœnissimis locis virentibus, et assiduis contemplativis mentibus, et pullos, ut turtur, fovet nocte in superlucenti caligine occulti silentii. In quod nos perducat benedictus Deus. Amen.

DE SEXTO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM EXPERIMENTALIS PRÆGUSTATIO (*b*).

Sextum iter æternitatis, per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum et æternale manerium Domini Jesu, est æternorum experimentalis prægustatio et notitia. Nisi enim esset in nobis æternorum quædam spiritualis prægustatio, non diceret Psalmista [3] : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, etc. Ad majorem hujus itineris notitiam, septem per ordinem sunt notanda.

Primo igitur videndum est, quid hæc experientia dicatur, et quare præcedentia itinera sequatur.

Secundo, quarum potentiarum ista experimentalis notitia dicatur.

Tertio, qualiter spirituales sensus potentiarum ab experimentali notitia impediantur.

Quarto, qualiter interiores sensus spirituales reparentur vel reformentur (*c*).

Quinto, qualiter per gustum interiorem spiritualem æterna prægustentur (*d*).

Sexto, qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur.

Septimo, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter experientiæ ad intrinsecum Domini invitetur (*e*).

DISTINCTIO I.

Quid dicatur experimentalis prægustatio æternorum, et qualiter alia itinera sequatur.

Primo igitur videndum est, quid hæc experientia dicatur, et qualiter alia itinera sequatur. De quo notandum est, sicut dicit Papias, quod experientia idem est quod notitia. Unde experientia videtur esse objecti cujuslibet potentiæ præsentialis actus et notitia. Actus enim vitales attingunt sua objecta active, vel passive, vel utroque modo, secundum quosdam : alias potentia non fieret in actu. Unde si omnes homines dicunt mihi hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem de illo, etiam quantumcumque probent per rationes; sed opinionem, vel fidem, vel scientiam possem habere. Sed si gustus meus attingit gustabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter est de gustu interiori, et aliis sensibus spiritualibus. Unde si ego lego vel audio ab aliquo, quod dulcis sit Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc, nisi gustus spiritualis attingatur a dulcedine divina, ut dicat cum Sponsa [4] : *Fructus ejus est dulcis gutturi meo :* ubi loquitur de gustu spirituali et experimentali, ut patet in Glossa. Et ista notitia experimentalis perfectissimorum est. Unde dicit Bernardus, *super Cantica :* « Quidquid de occultis tuis scimus, o Domine Jesu, aut Scriptura docente, aut te revelante, aut certe, quod perfectissimorum est, gustando didicimus, id est, experientia. » Ex quo patere potest secundum, scilicet, quod istud iter experimentalis notitiæ æternorum rationabiliter sequitur itinera præcedentia. Quid prodest namque multa cognoscere et intelligere, nec illa experiri, nec ad aliquem usum illa habere? Ergo experientiæ notitia quandoque est necessaria. Unde Hugo dicit sic [5] : « Non facit perfectum cognitio virtutis, nisi et habitus virtutis in experientia subsequa-

Experientia quid.

[1] *Prov.*, VIII, 35. — [2] *Psal.* LXXXIII, 4. — [3] *Psal.* XXXIII, 9. — [4] *Cant.*, II, 3. — [5] Hug., in sept. cap. *Angel. Hier.*, lib. VII, post med.

(*a*) Ita in Canon. Miss. Dom. in Quadrag.; Vulg. *ponat.* — (*b*) Cæt. edit. non habent *quod est æternorum experimentalis prægustatio.* — (*c*) *Cæt. edit.* reparantur vel reformantur. — (*d*) *Item* prægustantur. — (*e*) *Item* invitatur.

Digitized by Google

tur. Magistra enim est intelligendi experientia, et illa optime judicii veritatem cognovit, quia jam non audiendo solum, sed gustando et faciendo didicit. » Sequitur : « In experientia namque et habitu virtutis, cognitio perficitur veritatis : quia in sola intelligendi illuminatione inchoatur. » Hæc ille. Ad hanc experientiam hortatur Petrus, dicens [1] : *Si tamen gustastis quoniam* (*a*) *dulcis est Dominus.* Rationabiliter itaque iter experimentalis notitiæ æternorum sequitur præcedentia itinera tanquam illa perficiens.

DISTINCTIO II.

Quarum potentiarum ista experimentalis notitia dicatur.

Secundo videndum est, quarum potentiarum et quorum sensuum experimentalis notitia esse dicatur. Circa quod notandum est, quod in libro *de Spiritu et Anima*, dicitur sic [2] : « Duo quidem in homine sunt sensus, unus interior, et alius exterior, et uterque bonum suum habet in quo reficitur. Sensus exterior reficitur in contemplatione humanitatis, sensus interior in contemplatione divinitatis. Propterea enim Deus factus est homo, ut totum hominem beatificaret, et tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio esset in illo, cum a sensu carnis videretur per carnem, et a sensu mentis per divinitatis contemplationem. » Sequitur : « Hoc erat totum bonum hominis, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua in suo factore inveniret. » Et infra dicit : « Cum homo constet ex carne et anima, et in carne sint quinque sensus, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus, quos tamen non movet absque animæ societate : ita anima similiter habet quinque sensus suo modo, quia [3] spirituales res non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. » Et sequitur : « Unde divina vox in Deuteronomio ait [4] : *Videte quod ego sum Deus :* ecce spiritualis visus. Et in Apocalypsi [5] : *Qui habet aures audiat, quid dicat Spiritus Ecclesiis :* ecce spiritualis auditus. Et in Psalmo [6] : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus :* ecce spiritualis gustus. Et Apostolus [7] : *Bonus odor Christi sumus :* ecce spiritualis olfactus. Et in Evangelio, fide mulierem se tetigisse magis, quam corpore, ostendit dicens [8] : *Quis me tetigit ?* ecce spiritualis tactus. » Et sequitur : « Sic modo cum omni cautela servandum est, quid ad corporis sensus, et quid ad animæ dignitatem pertineat. » Hæc ille. Ex his plane patet, quod sicut experientia corporalium fit sensibus corporalibus, ita experientia spiritualium fit in mente spiritualibus sensibus.

DISTINCTIO III.

Qualiter spirituales sensus potentiarum ab experimentali notitia impediantur.

Tertio videndum est, qualiter sensus nostri interiores spirituales ab illa experimentali notitia impediantur (*b*). De quo notandum, quod sensus spirituales dupliciter impediuntur ab experimentali notitia. Unum impedimentum est ex natura corrupta, aliud est ex nostra negligentia. De primo impedimento Bernardus dicit sic [9] : « Saporem interiorem perdidimus ab ipso pene exordio generis nostri. Unde ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit non sapere bonum, ac sapor noxius subintrat, et insipientia mulieris, id est sensualitatis, saporem boni excludit, quia serpentis malitia, et astutia, mulieris insipientiam (*c*) circumvenit. » Hæc ille. Iste morsus serpentinus fecit sensus interiores languescere et tabescere. Ex tunc enim visus interior spiritualis tenebrescit, auditus surdescit, olfactus tabescit, gustus amarescit, et tactus crassescit, ut clamet Propheta [10] : *Oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient,* etc. Tales manent in tenebris exterioribus carnis. De impedimento secundo dicitur in libro *de Spiritu et Anima,* sic [11] : « Hoc bonum magnum (quod habuit ex duplici sensu, scilicet interiori et exteriori bene ordinato), malum magnum secutum est : quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant; et pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens in illis, non attendens (*d*) boni sui interioris absentiam, eo quod consolationes suas quærit in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo foris utitur, interior sensus quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate

[1] I *Petr.*, II, 3. — [2] *De Spir. et Anim.*, c. IX. — [3] Ibid., c. XLIX. — [4] *Deut.*, XXXII, 39. — [5] *Apoc.*, II, 29. — [6] *Psal.* XXXIII, 9. — [7] II *Cor.*, II, 15. — [8] *Luc.*, VIII, 46. — [9] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, circa med. — [10] *Psal.* CXIII, 6. — [11] *De Spir. et Anim.*, c. IX.

(*a*) Cæt. edit. *Si enim g., quam.* — (*b*) *Item* impediuntur. — (*c*) *Item* insipientia. — (*d*) *Cæt. edit. add.* homo.

Digitized by Google

bonorum exteriorum capitur. Nam qui in carne vivit, in carne sentit, et dolores carnis fugit, quantum potest; vulnera autem animæ prorsus ignorat : unde non (*a*) medicinam quærit. » Sequitur : « Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet sensus ille, quo intus sentit seipsum (scilicet scientia experimentali), et tunc sciet dolores suos, et sentire incipiet vulnera sua interiora tanto gravius, quanto propinquius. Magis enim nocet malum quod magis intimum, et magis prodest bonum, et delectat, quod magis intimum est. » Hæc ille. De hoc vide hic proximo membro [1] plenius, qualiter utrumque impedimentum tollitur, scilicet experimentalis notitiæ. Item in tertio itinere [2] aliqua invenies de eodem.

DISTINCTIO IV.

Qualiter interiores sensus spirituales reparentur vel reformentur (*b*).

Quarto videndum est, qualiter sensus interiores spirituales reformentur vel reparentur (*b*). Circa quod sciendum est, quod contra primum impedimentum, scilicet corruptionem naturæ, necesse est ut a Jesu, qui est clavis David, sensus nostri aperiantur, antequam æterna experiantur. Unde Bernardus dicit [3] : « Dominus post suam resurrectionem loquens discipulis, ait Evangelista Lucas [4], *aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Cum enim, inquit Bernardus, Scripturarum interiorem sensum, et virtutem miraculorum, et sacramentorum Dei, cœperimus non solum intelligere, sed etiam quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare et tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, et experientiæ disciplina intelligentis et scientis bonitatem Dei et virtutem, quam potenti bonitate, cum efficaci virtute, in filiis gratiæ opus ipsius gratiæ operatur : tunc demum sapientia, quod suum est, exequitur; tunc, quos dignos judicat, unctione sua docet de omnibus; tunc apposito bonitatis Dei sigillo, omnia pectora (*c*) nostra unctione illa, et emollit (*d*), et imprimit, et conformat (*e*) : et si quæ dura, si quæ rigida invenit, conculcat (*f*) et infringit, donec lætitia Dei salutaris accepta, et sapientiæ spiritu principali confirmata, anima læta et sancta decantet ad Deum [5] : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* » Et idem super Cantica, dicens [6] : « Sapientia assidua vincit malitiam, id est, concupiscentia in mentibus ad quas intraverit, saporem mali, quem illa invexit, sapore meliore exterminans. Intrans enim sapientia, dum sensum carnis infirmat, intellectum purificat, cordis palatum sanat et reparat; sanato palato, jam sapit bonum, sapit et ipsam sapientiam (*g*), qua in bonis nihil est melius. » Hæc ille. Contra impedimentum secundum, scilicet nostram negligentiam, necesse est ut sensus exteriores sopiantur, et a sua vagatione restringantur, quia tunc interiores sensus excitantur, et exercitantur. Unde trigesimo libro *Moralium* Gregorius dicit [7] : « Si exterior evagatio sensus clauditur, interior sensus aperitur. » Cujus rationem reddit Hugo, *de Arca Noe*, ubi dicit [8] : « Mentes quas curæ carnales exagitant, non comprehendunt sapidam sapientiam; sed qui minoratur actu, ipse invenit eam : quia dum animus ab exterioribus ad interiora abstrahitur, ad seipsum colligitur, et robustior ad contemplanda cœlestia elevatur, et cum a delectatione exteriori abstrahitur, necesse est ut aliquid spiritualis gaudii prægustare incipiat, ne si omnino a delectatione manserit alienus, quasi semen aridum sine humore ad gramen sapientiæ non convalescat. » Sequitur : « Fit ergo, divina gratia inspirante, ut mens sic abstracta, et terrenis desideriis exuta, statim quadam insolita lætitia perfundatur, ut eo amplius amarum esse agnoscat quod deseruit, quo magis dulce sentit quod invenit. » Sequitur : « Illas mentes internæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullus concupiscentiæ carnalis affectus religavit. » Hæc ille.

DISTINCTIO V.

Qualiter per gustum interiorem spiritualem æterna prægustentur.

Quinto videndum est, qualiter per interiorem gustum spiritualem æterna prægustentur (*h*). Circa quod sciendum, quod nisi gustus spiritualis esset in nobis, Psalmista non dixisset [9] :

[1] Scilicet dist. IV, proxime seq. — [2] Scilicet dist. V et seq., pag. 432 et seqq. — [3] Bern., *de Amor.*, c. X, circa fin. — [4] *Luc.*, XXIV, 45. — [5] *Psal.* IV, 7. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXVI, circa med. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. IX, post med. — [8] Hug., *de Arc. Noe*, lib. III, c. I et II. — [9] *Psal.* XXXIII, 9.

(*a*) *In append. Oper. Aug., tom. VI,* nec. — (*b*) *Cæt. edit.* reparantur vel reformantur. — (*c*) *Al.* peccata. — (*d*) *Al.* emollita. — (*e*) *Al.* confortat. — (*f*) *Al.* inculcat. — (*g*) *Cæt. edit.* ipsa sapientia. — (*h*) *Item* prægustantur.

Digitized by Google

Gustate, etc.; et Dominus non diceret [1] : *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem* (a) *in æternum*. De gustuæ ternorum spirituali dicit Bernardus [2] :« Mens est quædam vis animæ, qua inhæremus Deo, et fruimur. Fruitio autem hæc in sapore quodam est divino. Quare sapientia a *sapore* dicitur, sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum nemo potest digne exprimere, nec etiam qui meretur gustare ; sed potest dicere : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* » Hæc Bernardus. Dicit etiam Gregorius [3] : « Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minime gustastis. » Ex quo ergo gustum illum nemo potest exprimere, sed solum per experientiam noscitur, ideo oportet viam quærere, qualiter spiritus noster ad istam gustus experientiam possit pertingere.

De quo notandum est, quod Jesus, qui est sapientia Patris sapida, quia in eo est sapor omnis suavitatis et delectamenti, primum exivit ut dicit Hugo [4], per creaturam mundi, et manifestavit se in operibus suis, et cœpit videri visibiliter, invisibilis, per effectum suum visibilem. Et ille exitus sapientiæ causabat in sensibus nostris exterioribus quamdam notitiam æternorum scientialem, quia secundum Apostolum [5] : *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et gloria, et divinitas.* Et licet illud lumen sapientiæ aliquem causet saporem in sensibus, ut patet per Psalmistam [6] : *Delectasti me, Domine, in factura tua*, etc., tamen illa delectatio fit semper ex gustu sapientiali, oleo gratiæ condito ; nec illa notitia est experimentalis, sed discursiva, vel naturalis.

Secundo, ut dicit Hugo ibidem, exivit sapientia Patris incarnata, et facta est lumen in testa, ut nos illuminaret, et ad Patrem revocaret. Et ille exitus sapientiæ, sive manifestatio, causabat in sensibus nostris interioribus quamdam notitiam æternorum credibilem, supernaturalem : et ideo nobilior est præcedente, quia supernaturalia dona perficiunt animam, ut dicit Dionysius. Sed nec illa notitia est experimentalis, quia experientia repugnat fidei, ut patet per Gregorium [7]. Tamen, ex notitia fidei firma, multiplex notitia, et consolatio habetur, ut patet per Dionysium, qui dicit sic [8] : « Fides divina est stabilis collatio credentium, collocans illos in veritate, confirmans simplicem veritatem intransmutabili identitate in ipsis credentibus. » Et credentem in veritate, teste Scriptura [9], nihil movebit a lætitia, quæ est secundum veram fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis et intransmutabilis identitatis. Qui enim veritati unitus est, ex ipsa unione bene novit, quando bene sentit, quamvis multi corripiant eum, tanquam mentis excessum passum.

Tertio, ut dicit Hugo [10], « sapientia incarnata, quæ se per invisibilia manifestat, voluit ostendere, quomodo ipsa animorum cibus et refectio est. Et ideo carnem assumptam nobis in edulium proposuit in sacramento, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. » Hæc ille. Egressa est ergo sapientia Patris, et quasi jam panificata, ut dicat [11] : *Ego sum panis vitæ*, et [12] : *Pater dat vobis panem de cœlo verum, qui de cœlo descendit.* Igitur Jesus in sacramento est verus cibus, et vere gustabilis, ut per gustum corporis ejus perveniatur ad gustum divinitatis ejus, quia ipse est via, secundum humanitatem, ad ejus divinitatem, ut supra dictum est. Summe autem necessarium est, ad hoc ut ad gustum intimæ divinitatis pertingatur per corpus ejus in sacramento, quod sensus corporalis aliquo sensibili signo foveatur et determinetur, et ut intellectus lumine supernaturali fidei confortetur, et ut voluntas charitate inflammetur, et sic per spiritualem manducationem corporis Christi, ad gustum absconditæ divinitatis pertingatur. Sed ecce hic Jesus dicit [13] : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet. Ego sum ostium* sensui corporali, per signa sensibilia monstratum. *Ego sum ostium* intellectui, per fidem perfectam reseratum. *Ego sum ostium* voluntati, per charitatem fervidam apertum, gustatum, et habitatum. *Ego*, inquam, *sum ostium* sensui, per signa sensibilia monstratum in sacramento, per sensibiles species sacramentales panis et vini, quæ significant perfectam refectionem. Signa enim sensibilia, secundum Augustinum [14], sunt, quæ « præter speciem, quam ingerunt sensibus,

In sacramento altaris, qualis gustus percipitur.

[1] *Joan.*, VIII, 52. — [2] Bern., *de Amor. Dei*, c. X, paulo post princ. — [3] Greg., hom. XXXVI, paulo post princ. — [4] Hug., in prim. cap. *Angel. Hier.*, lib. II, ante med. — [5] *Rom.*, I, 20. — [6] *Psal.* XCI, 5. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXVI, statim post princ. — [8] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII, circa fin. — [9] *Rom.*, VIII, 35. — [10] Hug., ubi sup. prox., longe post med. — [11] *Joan.*, VI, 35. — [12] Ibid., 32. — [13] Ibid., X, 9. — [14] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, n. 1.

(a) Cæt. edit. *Qui manducat hunc panem, vivet.*

Digitized by Google

aliquid aliud faciunt in cognitionem (*a*) venire. » Unde Hugo, ubi supra [1], dicit : « Ne humana infirmitas contactum carnis in assumptione abhorreret, ideo consueti edulii speciebus carnem velavit, ut sensus foveretur, dum consueta percipit; ut etiam intellectus, credendo, et affectus, diligendo, determinate dirigeretur ad cibum hunc, quem Pater signavit sensibilibus signis. » Hinc Chrysostomus, super illud [2] : *Hoc facite in meam commemorationem*, dicit : « Hoc fecit Christus sensibilibus signis, ut nos duceret ad majus amicitiæ fœdus, suam charitatem declarans erga nos; præstitit se non solum videri desiderantibus, sed etiam palpari, comedi, et amplecti, et totum affectum explere. » Hæc ille.

Item inquit secundo : *Ego sum ostium* intellectui, per fidem perfectam reseratum. Unde Chrysostomus, in tractatu *de Symbolo*, dicit : « Fides est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. » Unde dicit Isaias [3] : *Nisi credideritis, non intelligetis* : ergo per fidem intratur ad veritatis cognitionem. Unde Augustinus, *super Joannem* (*b*), dicit [4] : « Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. Intelligere enim est merces fidei. Fides mundet te, ut intelligere repleat te. » Hæc ille. Intellectus enim humanus sine radio fidei, circa divina est quasi cæcus. Unde impossibile est, quod intellectus attingat corpus Christi, ut existit sub speciebus sacramentalibus, nisi lumine supernaturali certissimæ fidei illuminetur et dirigatur; alias non videbit rivulos fluminis torrentis butyri et mellis, ut dicit Job [5]. Quod exponens Gregorius, quintodecimo *Moralium*, dicit [6] : « Butyrum nascitur ex carne, et significat Christi humanitatem; mel vero descendit ex aere, et significat Christi divinitatem. » Ex his duobus descenderunt septem rivuli contemplationis humanitatis, et septem divinitatis, quos solum fideles in tanta plenitudine quandoque recipiunt, ut videant quod dicere non valent. Attingit enim fides inaccessa, ait Bernardus [7], quia intellectus per fidem illuminatus et confortatus attingit hanc veritatem indubitanter, quod Christus vere est in sacramento, et divinitas vere est in Christo.

Item tertio inquit : *Ego* vere *sum ostium* voluntati, per charitatem fervidam apertum, gustatum et inhabitatum : quia [8] *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Hæc autem manducatio fit spiritualiter. Manducare autem spiritualiter, est attingere ad rem hujus sacramenti. Res autem hujus est duplex : una contenta et signata, et est Christus integer, qui continetur sub speciebus panis et vini; alia est res signata et non contenta, et hæc est corpus Christi mysticum. Ille ergo manducat spiritualiter, qui Christo conjungitur per fidem et charitatem. Fides pertinet ad cognitionem; charitas, ad refectionem : ideo etiam unitur corpori Christi mystico, id est, Ecclesiæ. Ex ista enim manducatione oritur attingentia spiritualis; alias Christo non incorporaremur, dum carnem ejus gustamus. De ista incorporatione Augustinus *super Joannem* dicit [9] : « O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! Qui vult vivere, accedat, credat, incorporetur, et vivificetur. » Et Hugo dicit [10], quod ista manducatio dicitur unifica, quia unos secum efficit omnes, quibus se manducandam præbet. Dicat ergo manducans illud Canticorum [11] : *Comedi favum cum melle meo.* « Favus, sicut dicit Origenes, est cera virginea, cellulis distincta, melle repleta (*c*). » Quid ergo est aliud : *Comedi favum cum melle meo*, nisi manducare corpus virgineæ carnis dulcissima divinitate repletum? Et sic per gustum humanitatis pervenitur ad gustum divinitatis, et ideo ad prælibamen æternitatis.

Res sacramenti dupl.ex.

DISTINCTIO VI.

Qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur.

Sexto notandum est, qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur. De quo sciendum est, quod Bernardus dicit [12] : « Sicut corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ conjungitur, vita mediante; sic anima habet suos quinque sensus, quibus Deo, sive æternis conjungitur, mediante charitate. Quare Apostolus dicit [13] : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut pro-*

[1] Hug., ubi sup. prox. — [2] I *Cor.*, XI, 24. — [3] *Isa.*, VII, 9, juxta LXX. — [4] Aug., *in Joan.*, tract. XXIX, n. 6. — [5] *Job*, XX, 17. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. X. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. LXXVI, circa med. — [8] *Joan.*, VI, 57. — [9] Aug., *in Joan.*, tract. XXV, n. 15. — [10] Hug., in sept. cap. *Angel. Hier.*, lib. VII, longe post med. — [11] *Cant.*, V, 1. — [12] Bern., *de amor. Dei*, c. VI, circa fin. — [13] *Rom.*, XII, 2.

(*a*) *Al.* cogitationem. — (*b*) Cæt. edit. *Joanne.* — (*c*) *Item* repletus.

Digitized by Google

betis, id est, experimento sciatis, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta.* » Sequitur : « Per sensus corporis veterascimus, et huic sæculo conformamur. Per sensus vero mentis, renovamur in agnitione Dei sive æternorum. » Et infra dicit : « Sicut omnes sensus corporales, scilicet visus, auditus, odoratus et tactus, sine sensu gustus infirmantur, et hebetantur in operationibus suis; sic ante adventum Jesu mediatoris, omnes sensus nostri spirituales languebant, propter absentiam gustus spiritualis vel sapientiæ, quæ nondum fuit incarnata, nec quasi gustata, a cujus gustu quanto diutius abstinemus, tanto sensus interiores magis deficiunt, et infirmantur in actibus suis circa æterna. » Unde Gregorius, quartodecimo *Moralium*, exponens illud Job [1] : *Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas ejus*, sic dicit [2] : « Ex rationali anima habet homo, ut in perpetuum vivat; et tamen hominis iniqui robur attenuatur fame, quia anima ejus nulla interni cibi refectione pascitur. Et inedia invadit costas ejus, quando spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt. Et tunc cogitationes suas nec tegere, nec tueri possunt, quia fames interna sensus mentis extenuat, et ideo se foris extendunt ad temporalia, spretis æternis, quæ eis non sapiunt. » « Adveniente autem gustu sapientiæ, ait Bernardus, ubi supra [3], tunc sequitur quædam dulcedo saporis, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari, quæ suscepit, cuncta discernit et dijudicat, seque et omnes sensus vegetat, et confirmat. » Nam hic panis spiritualis est, de quo dicitur [4] : *Paratum panem dedisti eis de cœlo sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantiam enim tuam et* (a) *dulcedinem tuam quam in filios habebas, ostendisti* (b), *et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod unusquisque volebat, convertebatur.* Ac si diceret : O Pater, *substantiam tuam*, id est, Filium tuum, cui totam substantiam tuam communicas, et *dulcedinem tuam*, id est, Spiritum sanctum, quem æternaliter spiras, nobis *ostendis*, et communicas in sacramento charitatis : ergo et *omnem saporem suavitatis.* Et ideo iste panis sapientialis nobis in sacramento charitatis exhibitus maximæ attingentiæ est. Attingit enim omnes sensus interiores in tantum, ut in omnibus, manducantibus eum, maneat, et ipsi in eo, ut non moriantur in æternum, sed in æternitate vivant et maneant, ut dicit [5] Salvator.

Divinissima igitur Eucharistia in se habens delectamentum omnem sensum interiorem attingens, sensum visus spiritualis excitat ad experiendum æternorum contemplationem, sensum auditus spiritualis excitat ad experiendum æternorum auditionem, sensum olfactus excitat ad æternorum olfactionem, sensum tactus spiritualis excitat ad experiendum æternorum tentionem, sensum gustus spiritualis excitat ad experiendum æternorum prælibationem. Nisi istis sensibus interioribus æterna aliqualiter in hac vita experirentur, Gregorius, quinto libro *Moralium*, non diceret sic [6] : « Æternitas per inhiantem mentem sine specie cernitur, sine sono auditur, sine motu suscipitur, sine loco retinetur, sine corpore tangitur; et cum mens phantasmata imaginationum corporalium abjicit, jam aliquatenus æternam divinitatem conspicit : quam si necdum quid sit apprehendit, agnovit tamen certe quid non sit. »

De sensibus interioribus.

Videamus ergo de singulis sensibus interioribus. Primo igitur Jesus, panis vitæ, in sacramento manducatur, cum vere in se habeat delectamentum omnis suavitatis omnium sensuum spiritualium. Et cum ipse sit [7] *candor lucis æternæ, et speculum sine macula;* attingens sensum visus interioris hominis, jam aliqualiter exercitatum, ipsum excitat ad æternorum recipiendam contemplationem vel inspectionem. Unde Gregorius, vigesimo quarto *Moralium*, exponens illud Job [8] : *Videbit faciem ejus in jubilo*, dicit sic [9] : « Plerique, contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quam spolientur carne, hilarescunt, dum in jubilo faciem Dei conspiciunt : quod fit, cum aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit. Ibi lumen vivens videt, quia jam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis (c) inhæret, eique inhærendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconversibilem speciem, dum recipit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem

[1] *Job*, XVIII, 12. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XIV, c. VI, post med. — [3] Bern., ubi sup. prox., c. X. — [4] *Sap.*, XVI, 20, 21. — [5] *Joan.*, VI, 57, 59. — [6] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXVI, non longe a princ. — [7] *Sap.*, VII, 16. — [8] *Job*, XXXIII, 26. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. VII, post med. — (a) Vulg. *substantia enim tua.* — (b) Item *ostendebat.* — (c) *Suppl.* mens.

Digitized by Google

per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur. » Hæc Gregorius. Hujus sensus experientiam habuit, qui dixit [1] : *Dilectus meus candidus et rubicundus*, etc. « Experimentaliter loquebatur, » ait Vercellensis.

Secundo Jesus, panis sacramentalis, cum sit verbum Patris (verbum autem est notitia declarativa cum amore, ut ait Augustinus, libro nono *de Trinitate* [2]), attingens aures spirituales in sacramento, excitat eas ad experiendum allocutionem de æternis, quia, quantum in se est, semper notificat æterna, et illuminat (*a*) omnem hominem. Anima autem nisi haberet aures spirituales habiles ad audiendum æterna, Jesus non dixisset [3] : *Qui habet aures audiendi, audiat.* « Dominus autem, ut dicit Gregorius [4], non quærit aures corporis, sed mentis. » Et in Apocalypsi dicit idem [5] : *Qui habet aures*, etc. ; ubi dicit Richardus : « Ille habet aures audiendi, qui habet sensum intelligendi, et affectum diligendi ea quæ promittuntur. » Et idem dicit Haymo : « Auris carnis tantum ad audiendum consistit; auris vero cordis auditu simul et intellectu viget. » Has aures Verbum Patris multipliciter alloquitur, ut supra dictum est in itinere meditationis [6]. Et Augustinus, *super Genesim ad litteram*, dicit : « Sapientia Filius Dei non cessat loqui occulta inspiratione ad intellectualem creaturam. » Sed Gregorius, tertio decimo *Moralium*, dicit : « Unde exterior auditus aperitur, inde interior obsurdescit. » Hujus allocutionis experientiam habuit, qui dixit [7] : *Vox dilecti mei*; ubi dicit Glossa : « Gaudeo consolatoriam ejus vocem audiens, dum ejus faciem nondum video, tamen sublevato ad cœlum animo, aliquam suavitatem prægusto futuræ beatitudinis, et hoc in præsenti sæculo. » Hæc Glossa.

Tertio Jesus, panis sacramentalis, excitat olfactum ad æternorum odorem sentiendum. Cum, sicut dicit Dionysius [8], existit fontana copiosa susceptionum divinarum suavitatum, refundens de sua plenitudine divinissimas fragrantias; ideo olfactum interiorem spiritualem excitat et aperit, ad experiendum (*b*) æternorum odorem, ut Joannes Evangelista, tanquam expertus, diceret : Odor tuus, Domine, excitavit in nobis concupiscentias æternas. Sed hic nota quid sit olfactus spiritualis in anima, et in angelis. De hoc dicit Linconiensis Commentator super Angelicam Hierarchiam sic : « De olfactiva virtute discretiva odorum, quæ intus suscipiendo agit, dicit Dionysius, signare susceptivum bene redolentis, hoc est, bene contemplantis gratiæ divinæ. Et Dionysius, quarto *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, dicit sic : « Si sensibilium aromatum susceptio moderata, vim olfactivam nostram sanam delectabiliter refovet, pariter et intellectuatem sensum nostrum spiritualis suavitatis discretivum, ab appetitu inordinato purgatum, susceptio divini boni odoris sancta delectatione nos replebit. » Hujus odoris experientiam habuit, qui dixit [9] : *In odorem unguentorum tuorum curremus* post te; ubi dicit Bernardus sic [10] : « Etsi Dominus suavis odoris sit universis, maxime tamen domesticis; et quanto quis sibi familiarius vitæ merito ac mentis puritate appropiat, tanto eum arbitror recentiorem aromatum et unctionis suavioris sentire fragrantiam. Porro in hujusmodi non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit. » Hæc ille. *Deo* igitur *gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*, ut dicit [11] Apostolus.

Quarto Jesus panis sacramentalis, cum sit summæ attingentiæ, quia ipse se dat in cibum, et manet in cibato, et cibatus in eo, ut dicitur in Joanne [12], et hoc in maxima charitate, ubi fit verissima attingentia animæ et Dei spiritualis. Sed notandum, quod Hugo, in libro primo [13] *de Arca Noe*, dicit sic : « Ad Deum attingere, est semper per desiderium eum quærere, et per cognitionem invenire, et per gustum tangere. » Ex quo patet, quod attingentia ista habet quosdam gradus, per quos Deus acceditur, et invenitur, et attingitur, non accessu locali, nec tactu corporali : sed similitudine spirituali acceditur ad Deum, et dissimilitudine a Deo receditur, ut dicit Augustinus in libro sexto *de Trinitate*.

Primus igitur gradus est, quo Deus attingitur, cum per desiderium quæritur : quamvis enim Deus, ut desideratur, secundum aliquid ut præsens non habeatur, tamen necesse est, ut etiam secundum aliquid præsens habeatur; alias non

[1] *Cant.*, v, 10. — [2] Aug., *de Trinit.*, lib. IX, c. IX et X. — [3] *Matth.*, XI, 15; *Luc.*, VIII, 8. — [4] Greg., *in Ezech.*, hom. XIV, ante med. — [5] *Apoc.*, II, 7, etc.; III, 6, etc. — [6] Scilicet secundo itinere, sup., p. 410-412. — [7] *Cant.*, II, 8. — [8] Dion., *Eccles. Hier.*, c. IV. — [9] *Cant.*, I, 3. — [10] Bern., *in Cant.*, hom. XXII, non longe a princ. — [11] II *Cor.*, II, 14. — [12] *Joan.*, VI, 57. — [13] Hug., *de Arc. Noe.*, lib. IV, c. IV, circa med.

(*a*) *Cæt. edit.* illuminabit.— (*b*) *Item* experiendorum.

Digitized by Google

desideraretur. Dicit enim Gregorius in homilia: « Profecto, qui Deum desiderat, jam habet quem amat; et tamen habitus amplius quæritur, quia sine fine est quærendus, qui sine fine est diligendus, ut ait Augustinus [1] exponens illud Psalmi [2] : *Quærite faciem ejus semper.*

Secundus gradus, quo Deus attingitur, est cum per cognitionem invenitur. Cognitio enim est actus vitalis: actus autem vitales attingunt sua objecta, ut dictum est supra; alias dilectus non dixisset dilectæ [3] : *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum:* « Intelligentia tua penetrante, » ait Vercellensis. Sed attingentia manet imperfecta, nisi id, quod præsens est cognitioni, fiat præsens voluntati amantis; quia Augustinus dicit [4], quod quidam Deum cognoscunt, qui tamen Deum propter hoc non habent, quia si eum ut Deum cognoverunt, non tamen ut Deum glorificaverunt, ut ait Apostolus.

Tertius gradus, quo Deus attingitur, est cum Deus per amorem tenetur, et amplexatur, et spiritualiter manducatur. Hi autem actus et gradus sunt principaliter ipsius affectus et voluntatis. Unde Augustinus dicit [5] quod voluntas habet unum proprium actum, qui est actus tenendi, sive amplexandi, et quasi possidendi : quos actus non potest habere intellectus. Nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis, sicut sanitas sani non est medici cognoscentis, sed sani eam habentis. Unde et actum gustandi non habet intellectus, sed voluntas : quia gustus est in charitate, sicut dicit Richardus : sed charitas, vel dilectio, est actus voluntatis. Nam, sicut dicit Richardus [6] : « Sicut Deus per memoriam auditur, et per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur et attingitur. » Hunc tactum spiritualem experta fuit, quæ dixit [7] : *Læva ejus sub capite meo.* « Lævæ nomine intelliguntur splendores intellectus speculativi, qui ad gustum viatoris pertinent; dextræ nomine, quæ patriam signat, intelligitur superintellectualis unitio ad Deum, quæ speculum nescit, et quasi ad præmium inclinat tanquam arrha, et pignus nec auferetur. Quare dixit sponsa [8] : *Tenui eum, nec dimittam illum*, post tam excessivos amplexus, et ineffabiles. » Hæc Vercellensis.

Quinto Jesus est panis supersubstantialis, sicut patet [9] in Matthæo : ideo gratissima et sufficientissima refectio angelorum [10] et hominum, ut dicitur in psalmo. Ideo attingens gustum interioris mentis, aperit eum ad æternorum dulcedinem gustandam. Unde Vercellensis super Cantica dicit : « Nihil est quod ita gratam mentibus præstet refectionem, sicut panis supersubstantialis. Hæc enim refectio non fit per speculum, sed per divinæ dulcedinis experientiam, juxta quod gustus et tactus non exercentur per speculum, sicut visus. Et in hac Dei participatione fundatur portio Mariæ [11], *quæ non auferetur ab ea.* Sed hæc est principalis ruinæ antiquæ reparatio, quando in primo Adam spoliati fuimus, et vulnerati in naturalibus. » Hæc ille. Quamvis autem iste panis habeat omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, et sanet omnes infirmitates nostras secundum Psalmistam, non tamen omnibus sapit æqualiter. Dicit namque Bernardus [12] : « Deus non uniformiter sapit omnibus. » Oportet namque pro variis animæ desideriis divinæ præsentiæ gustum variare, et infusum saporem divinæ dulcedinis diversa appetentis animæ aliter atque aliter oblectare palatum. Multum enim differenter sapit iste panis vitæ æternæ reprobis, et electis. Unde Gregorius, undecimo *Moralium* [13], exponens illud Job [14] : *Auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem*, dicit sic : « Job in his verbis aliquid de reprobis, et aliquid de electis innuere videtur, quia verba sapientiæ, quæ reprobi audiunt tantum, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. Aliud namque est cibum nominatim audire solummodo, aliud vero est gustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, ut degustent : quia hoc quod audiunt, ipsis per amorem medullitus sapit; reprobi vero, qualiter sapiat, ignorant. Aliud enim est aliquid scire de Deo, et aliud, quod cognoscitur, faucibus intelligentiæ gustare. Illa enim dicta in sapientiæ radice solidata sunt, quæ per vivendi usum et actuum experimentum convalescunt. » Hæc Gregorius. Sed, ut supra dictum est, oportet volentem gustare hunc panem supersubstantialem, habere sensus excitatos. Hos sensus interiores videtur beatus Au-

[1] Aug., *in Psal.* CIV, *Enarr.*, n. 3. — [2] *Psal.* CIV. 4. — [3] *Cant.*, IV, 9. — [4] Aug., *ad Dard.*, epist. CVII, al. CLXXXVII, n. 21 et 29. — [5] Id., *de Trinit.*, lib. IX, c. VIII, n. 13. — [6] Richard., *de Contempl.*, lib. IX, c. XV. — [7] *Cant.*, II, 6. — [8] *Cant.*, III, 4. — [9] *Matth.*, VI, 11. — [10] *Psal.* LXXVII, 15. — [11] *Luc.*, X, 42. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. III, post med. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. IV, ante med. — [14] *Job*, XII, 11.

Digitized by Google

gustinus habuisse, qui decimo libro *Confessionum* ait sic [1] : « Quid amo, cum Deum meum amo? certe non exteriora, sed quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ lumen quod non capit locus, et ubi sonat verbum quod non rapit tempus, ubi olet odor quem non spargit ventus, et ubi sapit cibus quem non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit (*a*) satietas. Hæc amo, cum Deum meum amo. » Hæc Augustinus. Ex his patet, qualiter sensus interiores nostri æterna experiantur. Unde et Richardus dicit [2] : « Non debet nobis sufficere illa æternorum notitia, quæ est per fidem solum, nisi et apprehendamus illam, quæ est per intelligentiam, si necdum sufficimus ad illam, quæ est per experientiam. » Hæc ille.

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus noster, ad veniendum per iter experientiæ ad intrinsecum Domini, invitetur (*b*).

Septimo videndum est, qualiter spiritus noster ad veniendum, per iter experimentalis prægustationis æternorum, ad intrinsecum Domini Jesu, invitetur ab ipso dicente [3] : *Surge, propera, amica mea, columba mea, et veni.* Et hujus invitationis subjungit allectivum, dicens : Quia [4] *ficus protulit grossos suos*, id est, quia jam est desiderati viatici optata suavitas. Tunc namque est itinerandi securitas, quando itinerans suaviter reficitur, et itinerantis virtus augmentatur, donec cum Propheta [5] ad montem Dei Oreb perveniatur. Dicit igitur : O *amica mea*, propter experimentalem mei manducationem, nonne [6] *comedisti favum meum cum melle meo*, id est dulcedinem divinitatis cum corpore et sanguine meæ humanitatis? Hoc enim proprium est amicis meis, ut comedant, et bibant, et inebrientur carissimi, ut corpus meum comedant, et sanguinem meum bibant, et experientia intima, mea divinitate inebrientur. Hoc enim proprium electorum est, dicit Haymo super Apocalypsim. *Surge* ad meam experimentalem cohabitationem [7], *ut ubi sum ego, et tu sis*, quia ex hac manducatione mei, tu [8] *manes in me, et ego maneo in te*, tanquam mihi jam incorporata. *Ego* quidem [9] *in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis* Ideo *surge, o columba mea*, propter experientiæ tuæ simplicem fruitionem, et singularem. Solum enim quæris experiendo frui præsentia mea. Unde dixisti [10] : *Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum.* Quod exponens Gregorius duodevigesimo *Moralium*, dicit sic [11] : « Quia de (*c*) temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum, et tamen memoria Dei solum delectatus sum. » Si igitur tantum delectatur in sola memoria Dei, dicat cum Bernardo [12] :

Super mel et omnia
Ejus dulcis præsentia.

Propera propter experientiæ tuæ perfectionem, et delectationem. Quanto enim spirituales delicias plus experiris, tanto avidius appetis eas : *propera* igitur venire ad me fontem omnium deliciarum. Nam etiam celeritas in desiderio mora est, ut dicit Seneca. O *formosa mea*, propter experientiæ tuæ radiosam multiplicationem. Experiris enim me, te visitantem [13], *post parietem* stantem, *per cancellos* prospicientem, *in montibus* salientem. Item experiris me, te alloquentem, te odore meo semper attingentem, te reficientem et amplexantem, etc., ut patet in Cantico amoris per totum. Unde Bernardus dicit [14] : « Attendite Sponsæ devotionem, atque solertiam sive experientiam, quod vigili utique oculo, scilicet experientiæ, observat Sponsi adventum, et deinceps omnia ipsius intuetur. Venit enim ille, accelerat, appropiat, id est, respicit, alloquitur; et nihil horum momentorum Sponsæ industriam fugit. » Hæc ille. *Veni* igitur ad experientiæ tuæ consummationem, quia *ficus protulit grossos suos*. In quo ostendit suæ invitationis dulce allectivum. Quid per ficum convenientius intelligi potest producentem fructum dulcedinis, quam Pater æternus, principium omnis dulcoris, qui protulit nobis grossos infinitæ dulcedinis, et refectionis, scilicet Verbum suum, Spiritum sanctum, consubstantiales et coæternos? Verbum suum infinitæ dulcedinis protulit incarnatum, ut nobis esset in redemptionem, et panem supersubstan-

[1] Aug., *Confess.*, lib. X, c. VI, n. 8. — [2] Richard., *de Trinit.*, lib. I, c. III. — [3] *Cant.*, II, 10. — [4] Ibid., 13. — [5] III *Reg.*, XIX, 8. — [6] *Cant.*, V, 1. — [7] *Joan.*, XVII, 24. — [8] Ibid., VI, 57. — [9] *Eccli.*, XXIV, 7. — [10] *Psal.* LXXVI, 6. — [11] Greg., *Moral.*, lib. XVIII, c. XXIV. — [12] Bern., hymn. *de Ascens.* — [13] *Cant.*, II, 9. — [14] Bern., *in Cant.*, serm. LVII, in princ.

(*a*) *Cæt. edit.* divellet. — (*b*) *Item* invitatur. — (*c*) *Item deest* de.

Digitized by Google

tialem, ut esset nobis in refectionem, qui descendit de cœlo nobis præparatus, et habens in se omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, ut per ipsum dulciter reficiamur in via, ne deficiamus, sed ad æternum Patrem reducamur. Ecce dicit Hugo [1] : « Unum ferculum proponitur in mensa Domini ; sed noli contemnere, continet enim in se omne bonum. » Sed hanc refectionem non omnes gustant. Ipsa enim una est singularis, quia cum aliena et extranea delectatione et dulcedine non percipitur. Dicitur domestica, quia amicis et familiaribus tantum præparatur. Dicitur unifica, quia unum secum efficit omnes, quibus se sumendam et percipiendam præbet. » Hæc ille. Ficus etiam paterna protulit nobis Spiritum Sanctum consubstantialem et coæternum, qui est fons infinitæ dulcedinis saliens in vitam æternam. *Spiritus* enim [2] *meus super mel dulcis*, a quo omnis dulcedo emanat. Unde Gregorius, libro quinto *Moralium*, dicit [3], quod « unctio Spiritus Sancti facit contemnere inferiora, et elevat ad superiora, et quod dulcedo ejus hic sentiri potest, non dici. » Hunc grossum infinitæ dulcedinis Pater nobis protulit, dum nobis eum in sensibilibus signis misit; et quotidie invisibiliter electis mittitur, qui itinerantes per septem dona, quasi per septem dies, et per septem refectiones spirituales, nos ad convivium æternorum collium perducit. Unde Gregorius, libro primo *Moralium*, dicit [4], quod « unumquodque donum Spiritus Sancti diem spiritualem facit in mente per suam illuminationem, et in qualibet die convivium facit per suam dulcedinem. Intellectus in die suo convivium facit et præparat, quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illustrat. Sapientia in die suo convivium facit, quia mentem æternorum spe et certitudine reficit. Consilium in die suo convivium exhibet, quia dum præcipitem esse prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo convivium facit, quia dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die suo convivium præparat, quia in ventre mentis ignorantiæ jejunium reparat (*a*). Pietas in die suo convivium exhibet, quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo convivium facit, quia dum premit mentem, ne de præsentibus superbiat, de futuro illam cibo spei confortat. » Hæc ille. Et sic itinerans, ad æternitatem confidenter et velociter incedit. Et hæc dona sancti Spiritus sunt quædam perfectiones animæ, per quas redditur bene mobilis ad æterna consequendum, et exercitata ad experiendum, quia [5] *spiritualis omnia dijudicat* (*b*). Ad cujus æternitatis plenam experientiam nos perducat æterna sapientia, benedictus Deus. Amen.

[1] Hug., in cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VI, ante med. — [2] *Eccli.*, XXIV, 27. — [3] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XIX, paulo post princ. — [4] Ibid., lib. I, c. XVI. — [5] I *Cor.*, II, 15.

DE SEPTIMO ITINERE ÆTERNITATIS,

QUOD EST ÆTERNORUM MERITORIA OPERATIO (*c*).

Septimum iter æternitatis, per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum et æternale manerium Domini Jesu, est æternorum meritoria operatio, sive deiformis, id est, divinæ operationis conformis : nisi enim opera nostra essent iter ad æterna, Dominus non diceret [6] se redditurum *unicuique secundum opera sua. Opera enim illorum sequuntur illos*, sicut dicit [7] Joannes. Ad majorem autem hujus itineris notitiam habendam, septem sunt notanda.

Primo, quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera subsequatur.

Secundo, quare natura rationalis ad hoc facta sit (*d*) quod operetur, et æternum finem per hoc consequatur.

Tertio, quare homo secundum duplicem naturam, corporalem scilicet et spiritualem, operari teneatur.

Quarto, qualiter operatio utriusque naturæ, corporalis scilicet et spiritualis, deiformis efficiatur.

Quinto, qualiter diversi gradus utriusque operationis vel species distinguantur.

Sexto, qualiter spiritus per utramque vitam, scilicet activam et contemplativam, ad æterna ingrediatur.

Septimo, qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis a Domino invitetur.

DISTINCTIO I.

Quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera subsequatur.

Primo notandum est, quod cum aliquis, in spiritualibus exercitatus, fuerit ad æterna di-

— [6] *Matth.*, XVI, 27. — [7] *Apoc.*, XIV, 13. — (*a*) *Al.* separat. — (*b*) Vulg. *judicat*. — (*c*) Cæt. edit. non habent *quod est æternorum meritoria operatio*. — (*d*) *Cæt. edit.* est.

Digitized by Google

rectus per rectam rationem vel intentionem; cum fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem; cum fuerit ad æterna directus per limpidam contemplationem; cum fuerit ad æterna inclinatus per fervidam dilectionem; cum fuerit de æternis instructus per multiplicem revelationem; cum fuerit æterna expertus per dulcem prægustationem, ut de omnibus patuit supra: quid modo restat, nisi æterna ingrediatur per deiformem et meritoriam operationem? Quidnam prædicta omnia valerent, si ea deiformis operatio non consummaret? Non enim perfectum facit cognitio veritatis, nisi subsequatur habitus virtutis in operatione, ait Hugo [1] super septimum *Angelicæ Hierarchiæ*. Et in libro *de Tribus Dictis*, dicit sic: « Quid nobis prodest, si in Deo cognoscimus majestatis celsitudinem, et nullam nobis inde colligimus utilitatem? Si enim de illo intimo divinæ contemplationis secreto revertimur, quid nobiscum afferre poterimus, nisi lumen exemplaris operationis? » etc., ut supra in Prologo, distinctione quinta [2]. Quare iter meritoriæ operationis rationabiliter prædicta sequitur.

DISTINCTIO II.

Quare natura rationalis ad hoc facta sit (a), *quod operetur, et æternum finem per hoc consequatur.*

Secundo sciendum est, quod natura rationalis ad hoc facta est, ut operationes proprias operetur, et per hoc gratia mediante finem suum ultimum consequatur. Propter hunc enim finem conditus est homo, ut opus, propter quod factus est, operetur, et non solum ne a vita æterna sive a suo fine excludatur, sed etiam ne quasi naturali sua perfectione privetur. Quod Linconiensis Commentator super tertium *Angelicæ Hierarchiæ* sic ostendit, dicens: « Facta est rationalis natura non solum propter inhærere Deo per dilectionem Dei, sed etiam propter operari secundum sacras ordinationes bene ad proximum ex dilectione proximi. Et si prædicto modo non operatur, tunc fine, propter quem facta est, caret: cum neutra dilectio sine altera permaneat, ac per hoc cassa et vana est, et idcirco indigna subsistere etiam secundum existentiam naturalem ei divinitus datam propter hujusmodi finem. Sicut enim, secundum Apostolum [3], *qui non laborat, non manducet*, sic omne quod propter opus factum est, si suæ negligentiæ vitio non facit, existentiæ suæ naturalis fulcimento privari habet, ut videlicet plenitudinem integram, et integritatem plenam existentiæ naturalis non retineat. Sic primus angelus, et primus homo, non operantes secundum sacras ordinationes gratiæ propriæ, recedentes voluntarie, et elongantes se a per se ente, et per se esse, deciderunt in corruptionem naturalis existentiæ, non quod ipsa caderent in penitus non esse, sed quod ipsa, ut prætactum est, a propriæ integritatis plenitudine deciderunt, et propter aversionem ab illo, qui solus per se est, et conversionem ad aliud, quod per se non est aut deficienter est, dicatur magis non existere quam existere. » Hæc ille. Et ideo non licet otiari a bono opere. Otium enim sine litteris mors est, ait Seneca [4], et vivi hominis sepultura. Et Bernardus, in sermone ad solitarios: « Nihil pretiosius tempore, quia sicut capillus non peribit de capite, sic nec momentum peribit de tempore, quin oporteat reddere rationem. » Igitur natura talis facta est, ut operetur, et per hoc finem suum consequatur.

DISTINCTIO III.

Quare homo secundum duplicem naturam operari teneatur.

Tertio videndum est quod cum homo constet ex duplici natura, corporali scilicet et spirituali, ideo duplices operationes debet operari, ut secundum utramque naturam ad æterna passibus operationum dirigatur per intentionem rectam in finem ultimum, qui est Deus æternus, ut sic totus homo cum tota familia sua spirituali bene ordinetur, pacificetur, et regnum efficiatur æterno Deo. Nisi enim Deus regnum suum in nobis habere posset, non dixisset [5]: *Regnum Dei intra vos est.* Hoc autem [6] *regnum non est esca vel potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto*: *justitia* justificans judicia cordis sive rationis, *pax* tranquillans imperia facultatis, *gaudium* adimplens desiderium voluntatis. Et Gregorius exponens illud verbum, dicit: « Hæc sunt quasi imago et arrha perennis lætitiæ futuri sæculi. » Istarum operationum tam spiritualium, quam corporalium ordinem et directionem in finem, scilicet Deum, bene

[1] Hug., in cap. sept. *Angel. Hier.*, lib. VII, paulo post med. — [2] Vid. sup., pag. 399, col. 2. — [3] II *Thess.*, III, 10. — [4] Senec., epist. LXXXII, paulo post princ. — [5] *Luc.*, XVII, 21. — [6] *Rom.*, XIV, 17. — (a) *Al.* est.

Digitized by Google

ostendit et docet auctor libri *de Spiritu et Anima*, dicens [1]: « Nobilis est creatura anima. Civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quod ad imaginem et similitudinem Dei facta est. Hæc civitas Hierusalem merito appellata est, quia ad fruendum visione illius pacis summæ, quæ fecit utraque unum, creata est. Mens ejus paradisus est, in qua dum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi Patrisfamilias est anima, propter unitatem morum; sponsa Christi, propter (*a*) dilectionem; templum Spiritus sancti, propter (*a*) sanctificationem. » Sequitur : « Civitas Regis æterni, propter concordiam civium. Et quia nulla est civitas absque populo, disposuit in ea Conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum. Cives hujus civitatis sunt naturales et ingeniti animi vigores, tanquam indigenæ : quorum distincti sunt gradus, alii superiores, alii medii, alii inferiores, ad similitudinem angelicæ hierarchiæ. Superiores sunt quidem intellectuales sensus, medii rationales, infimi animales : quorum hæc differentia est. Animalis, sive sensualis, appetit sensibilia. Rationalis discernit, et discretionis oculo aspernatur ea. Intellectualis pertrahit ea ad divina. » Sequitur : « Intellectuales igitur sensus sunt tanquam animæ consiliarii dicentes ei [2] : *Deum time, et mandata ejus observa : propter* (*b*) *hoc est enim omnis homo.* Rationales sunt milites, qui hostes concupiscentiarum (*c*) impugnant per arma justitiæ. Animales, sive sensuales sensus, sunt tanquam rustici, et artifices mechanici, qui corporalibus rudimentis insistunt, et corpori necessaria ministrant. » Sequitur : « Hanc triplicem vim animæ, scilicet sensualem, rationalem et intellectualem, philosophi partes animæ vocaverunt, non integrales, sed virtuales, quia potentiæ ejus sunt. » Hæc omnia in libro prædicto. Tota igitur ista familia pacificata, et qualibet (*d*) ad suum officium et opus ordinata et directa, et Regi suo plene subjecta, omnes extranei, regnum animæ turbantes, ejiciantur et excludantur. Extranei autem sunt, ut dicit Richardus [3], omnes cogitatus tam vani, quam noxii, qui nulli nostræ utilitati serviunt, et similiter turba inordinatarum affectionum, et sollicitudinum, quas omnes oportet ejicere, ut Regis nostri legibus, et Dilecti nostri amplexibus, quanto liberius, tanto jucundius liceat inhærere, qui [4] *absterget omnem lacrymam ab oculis eorum.* Ex his apparet, quod homo secundum utramque naturam debet operari, cum secundum utramque sit beatificabilis.

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XXXVII, inter Oper. Aug., append. tom. VI. — [2] *Eccle.*, XII, 13. — [3] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XXXV, non longe a principio. — [4] *Apoc.*, XXI, 4. — [5] Dion., *Eccles. Hier.*, c. VII. — [6] *Matth.*, V, 48. — [7] *Joan.*, VIII, 39. — [8] Dion., *Eccl. Hier.*, c. V. — [9] I *Cor.*, III, 9. — (*a*) *Al.* per. — (*b*) Vulg. non habet *propter*. — (*c*) *Leg.*, id est, concupiscentias. — (*d*) *Cæt. edit.* quælibet.

DISTINCTIO IV.

Qualiter operatio utriusque naturæ, corporalis scilicet et spiritualis, deiformis efficiatur.

Quarto videndum est, cum Dionysius dicat [6] quod ex Scriptura edocemur, quod jam in hac vita deiformem vitam inchoamus, quam in cœlo consummabimus, qualiter utraque nostra operatio, scilicet spiritualis et corporalis, deiformis, id est, divinæ operationi conformis efficiatur. Nisi enim aliqualiter possemus nos Deo Patri nostro conformiter operari tanquam filii, Dominus non dixisset [7] : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Sicut enim imaginem Dei Patris nostri habemus in mente vel tenemus, ita etiam, ut Dei filii simus, debemus similitudinem tenere in operatione. Nam ejus filii sumus, cujus opera facimus, dicit [8] Dominus. Unde Dionysius dicit [9] : « Uniuscujusque hierarchiæ, id est, bene ordinatæ personæ perfectio est ad Dei imitationem secundum propriam operationem reductam esse, et fieri cooperatricem, quod efficacius omnibus divinam ingignit conformitatem, et facit repræsentare divinam operationem in seipso, secundum quod possibile est, » juxta illud Pauli [9] : *Dei enim adjutores sumus.* Notandum igitur, quod Dionysius, quinto *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, dicit : « Ne illuminationes divinarum operationum confusæ et indistinctæ videantur, tam angelici, quam ecclesiastici gradus sunt divisi in primas, medias, et ultimas sanctas operationes, et ordines, secundum hierarchicas discretiones, id est ordinatas distinctiones. Et capite decimo *Angelicæ Hierarchiæ* dicit, quod unaquæque mens bene ordinata, tam angelica, quam humana, habet in se primas, medias, ultimas, sive infimas ordinationes, et virtutes, et sursum actiones, secundum quas unusquisque angelus et homo hierarchicus, id est, bene ordinatus, percipit secundum propriam capacitatem, Dei purgationem,

Digitized by Google

illuminationem, et perfectionem, quæ sunt deiformes operationes, nos Deo conformantes. Oportet igitur volentes deiformes operationes operari esse hierarchicos, id est, bene ordinatos ad similitudinem angelicæ hierarchiæ, ut videlicet secundum supremas operationes simus bene ordinati ad Deum; secundum medias, ad nosmetipsos; secundum ultimas sive infimas, simus bene ordinati quantum ad exteriora. Et sic erimus totaliter ordinati, et operationes nostræ deiformes, et Deo acceptæ erunt, quia per eas purgamur, illuminamur et perficimur. Et ex tunc erimus idonei ad purgandum, illuminandum et perficiendum alios dispositive, quia sumus coadjutores Dei, qui solus hoc facit effective. De hoc vide supra, itinere tertio, distinctione quarta.

Primo igitur, ut tanquam bene ordinati deiformiter operemur quoad Deum, ad similitudinem supremæ angelicæ hierarchiæ, in qua, sicut dicit Bernardus, libro quinto *de Consideratione* [1], Deus in Seraphim amat ut charitas, in Cherubim noscit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas : oportet etiam ut nos, quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, ut summam veritatem cognoscamus, et ut summam æquitatem in nobis teneamus : et sic erimus bene ordinati quoad Deum per deiformes operationes, quia, sicut dicit Linconiensis *super Angelicam Hierarchiam :* « Intellectus humanus in suo supremo gradu ad intus habet ut ferveat amore cum Seraphim, luceat scientia cum Cherubim, spiritualis factus judicet omnia cum Thronis. »

Secundo, ut tanquam bene ordinati circa nosmetipsos, deiformes operationes operemur ad similitudinem mediæ angelicæ hierarchiæ, in qua, sicut dicit Bernardus ubi supra, Deus dominatur ut majestas, operatur ut virtus, tuetur ut salus : oportet ut etiam nos omne impediens participationem divinæ dominationis superemus, ut opera omnium virtutum secundum gratiam nobis datam studiose agamus, ut omnibus inordinatis motibus et impulsionibus potenter resistamus; et illa, ut possumus, inferioribus communicemus : et sic erimus bene ordinati in nobis per deiformes operationes, quia, sicut dicit Linconiensis (ubi supra), « in media hierarchia nostra oportet, quod dominemur cum Dominationibus, ut fortes simus cum Virtutibus, ut ordinati simus cum Potestatibus. »

[1] Bern., *de Consider.*, lib. V, c. I, in fin. —

Tertio, tanquam bene ordinati ad exteriora, operemur deiformes operationes ad similitudinem infimæ angelicæ hierarchiæ, in qua Deus, sicut dicit Bernardus (ubi supra), regit ut principium, revelat ut lux, et assistit ut pietas; oportet ut omnia exemplariter ad primum principium revocemus, ut lumen veritatis verbis et factis aliis ostendamus, ut opera pietatis omnibus devote exhibeamus : et sic erimus ordinati quoad exteriora per deiformes operationes, quia, sicut dicit Linconiensis (ubi supra), « in ultima nostra hierarchia oportet, ut principemur cum Principibus, scilicet media ad primum principium reducendo; ut revelemus veritatem cum Archangelis, et pie assistamus indigenti cum Angelis. » Ut igitur dicit Dionysius, « Divinitas cœlestis animos prius naturaliter mundat, postea illuminat, et illuminatos perficit ad operationes perfectionis Deo conformes. » Hæc ille.

DISTINCTIO V.

Qualiter diversi gradus utriusque operationis, vel species, distinguantur.

Quinto videndum est qualiter, in utrisque operationibus, diversi gradus vel species distinguantur. Sed quia de operationibus spiritualibus, prout respiciunt vitam contemplativam, supra dictum est in tertio itinere, dist. quarta *de Gradibus contemplationis*, ideo modo dicendum est de gradibus operationum, prout respiciunt vitam activam. Et primo dicendum est de gradibus operationum virtualium, prout ordinantur ad proximum; secundo, ut ordinantur in proprium subjectum; et tertio, prout ordinantur ad Deum.

Gradus operationum virtualium, prout modo loquor de virtutibus, consistunt in quatuor virtutibus cardinalibus, quarum quælibet habet plures gradus, ut ostendit Macrobius, libro primo [2] de quatuor virtutibus, ubi recitat dicta Platonis, qui distinguit quatuor genera virtutum, quarum quædam dicuntur politicæ, quædam purgatoriæ, quædam purgati animi, quædam exemplares. Primæ ordinant hominem quoad proximum; secundæ, quoad subjectum proprium; tertiæ, quoad Deum; quartæ perficiunt alias. Politicæ sunt, quibus boni viri reipublicæ consulunt, urbem tuentur, parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt, cives suos bene gubernant. Purgatoriæ virtutes

Quatuor genera virtutum.

[2] Macrob., *in somn. Scip.*, c. VIII.

Digitized by Google

sunt, in quantum ab his animum ad divina trahunt. Purgati animi virtutes sunt, in quantum animum innixum divinis expeditum tenent. Exemplares sive heroicæ sunt, quæ in solo Deo sunt, non ut in nobis, sed incomparabiliter excellentiori modo, a quibus omnes virtutes in nos influunt, operantur et consistunt.

Virtutum cardinalium diffinitiones et gradus.

Notandum est igitur, quod Macrobius ibidem quamlibet istarum virtutum distinguit et diffinit : per quas diffinitiones patent earum gradus sive species, et proprietates.

Prudentia.

Primo igitur diffiniens prudentiam primam virtutum cardinalium, ut est virtus politica, dicit : « Prudentia est ad rationis normam universa dirigere. » Secundo, ut est virtus purgatoria, diffinit eam sic : « Prudentia est mundum istum, et omnia quæ in eo sunt, divinorum comparatione despicere. » Tertio, ut est virtus purgati animi, diffinit eam sic : « Prudentia est, divina non quasi in electione aliis præferre, sed quasi nihil aliud sit intueri, quod perfectorum est. Exemplaris autem prudentia, ut est in Deo, est ipsa mens divina, vel divinæ mentis regula, qua disponit universa in cœlo, et in terra. » Hæc ille. Ex his apparere potest, quod primus gradus prudentiæ, ut est virtus politica, facit hominem in omnibus rationabiliter operari, et cum omnibus honeste conversari. Secundus gradus prudentiæ, ut est virtus purgatoria, mentem altius erigit, quia dum mundana despicit, æterna sive cœlestia prudenter appetit. Tertius gradus prudentiæ, ut est virtus purgati animi, mentem plenius perficit, dum eam in æterna figit, quia sola æterna appetit. Exemplaris autem prudentia, quæ in solo Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit et consummat, quia [1] *omnis prudentia* (*a*) vera *a Deo est*, ut patet.

Fortitudo.

Secundo, Macrobius secundam virtutem cardinalem, scilicet fortitudinem, diffinit, et primo, ut est virtus politica, dicens : « Fortitudo est, quæ habet mentem super metum erigere, et nihil nisi turpia formidare. » Secundo, ut est virtus purgatoria, diffinit eam sic : « Fortitudo est animam non terreri corporis cruciatu, ductu philosophiæ præcedente. » Tertio, ut est virtus purgati animi, est passiones non tantum vincere, sed omnino penitus ignorare. Exemplaris fortitudo, quæ in Deo est, est quod semper idem est, nec unquam mutatur. Ex his patere potest, quod primus gradus fortitudinis, ut est virtus politica, hominem facit omnem timorem pro utilitate reipublicæ postponere, et turpia formidare. Secundus gradus fortitudinis, ut est virtus purgatoria, mentem magis confortat, ut nulla pœna temporalis eam terreat : quia ad sola æterna fortiter anhelat. Tertius gradus fortitudinis, ut est virtus purgati animi, mentem in æternis figit : quia cum omnia contraria vicerit, repugnare omnino et confidenter contemnit. Exemplaris autem fortitudo, quæ in Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit et consummat. Ipsa enim [2] *attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviter disponens omnia.*

Temperantia.

Tertio, Macrobius virtutem cardinalem tertiam, scilicet temperantiam, diffiniens primo, ut est virtus politica, dicit sic : « Temperantia est virtus, quæ in nullo moderationis metam excedit. » Secundo, ut est virtus purgatoria, diffinit sic : « Temperantia est omnia relinquere, nisi quantum natura requirit. » Tertio, temperantia, ut est virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non reprimere, sed oblivisci. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo est, sic est, quod in se perpetua intentione conversa est. Ex his apparet, quod primus gradus temperantiæ, ut est virtus politica, hominem ab ex cessu et defectu custodit, quia ei medium virtutis in omni operatione ostendit. Secundus gradus temperantiæ, ut est virtus purgatoria, mentem ad æterna perfecte dirigit, quia omnem superfluitatem rerum gravantium firmiter excludit. Tertius gradus temperantiæ, ut est virtus purgati animi, mentem æternis infigit, quia concupiscentiam omnis inordinati concupiscibilis penitus extinguit. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo est, prædictos gradus temperantiæ inchoat, deducit et perficit, quia omni creaturæ [3] numerum, pondus et mensuram tribuit.

Justitia.

Quarto, Macrobius virtutem quartam cardinalem, scilicet justitiam, ut est virtus politica, diffinit, dicens : « Justitia est mundum istum despicere, et dare unicuique quod suum est, » scilicet sibi ipsi, et proximo, et Deo. Secundo, justitia, ut est virtus purgatoria, est ad veram propositi viam consentire. Tertio justitia, ut est virtus purgati animi, est cum divina mente perpetuo fœdere sociari. Exemplaris justitia, ut in Deo est, est quod perenni lege a superna sui operis continuatione non flectitur. » Hæc ille. Ex his patet, quod primus gradus justitiæ, ut

[1] *Eccli.*, I, 1. — [2] *Sap.*, VIII, 1. — [3] Ibid., XI, 21.

(*a*) Vulg. *sapientia.*

Digitized by Google

est virtus politica, hominem ab omni iniquitate custodit, et cum omnibus pacifice conversari docet. Secundus gradus justitiæ, ut est virtus purgativa, mentem ad æterna directe trahit, quia justo ordini rectæ rationis perfecte consentit. Tertius gradus justitiæ, ut est virtus purgati animi, mentem in æternis figit, quia illam cum Deo perpetuo sociat fœdere. Exemplaris autem justitia, ut in Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit et perficit, quæ omnem creaturam perpetua, et inflexibili lege juste regit. Ex his aliqualiter patet, quomodo gradus operationum virtualium differenter sunt in activis, et contemplativis, et qualiter per virtutes, ut sunt virtutes politicæ, homo ordinatur in operationibus suis quoad proximum; per virtutes, ut sunt purgatoriæ, ordinatur quantum ad seipsum; ut sunt virtutes purgati animi, quantum ad Deum. Alias virtutes exemplares, quæ in Deo sunt solum, perficiunt secundum magis et minus, prout operantes in fide et charitate opera lucis, eas perfectius, vel minus perfecte participant, vel imitantur.

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus per utramque vitam, scilicet activam et contemplativam, ad æterna ingrediatur.

Sexto videndum est, qualiter per utrasque operationes, scilicet interiores et exteriores hominis, sive vitæ activæ, sive contemplativæ, spiritus humanus ad intrinsecum et æternale manerium Jesu ingrediatur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Prosper in libro *de Vita Contemplativa*, licet vita activa, et contemplativa, itineribus disparibus incedant, ad eamdem patriam tamen tendunt. « Activa vita, ait Prosper [1], habet sollicitum cursum; contemplativa vero habet gaudium sempiternum, quod non auferetur ab ea in æternum. Item in contemplativa vita regnum percipitur; in activa, regnum acquiritur. Hæc, scilicet activa, facit te plurimum bonorum copia operum pulsare januam; illa, scilicet contemplativa, vocat consummandos in patriam. In hac, scilicet activa, contemnitur mundus; in illa videtur Deus. » Hæc ille. Cum his concordat Augustinus in sermone de dedicatione templi, dicens sic [2] : « Sicut malis operibus, quasi quibusdam vectibus et seris, vitæ nobis janua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. » Igitur non solum bonis operibus hominis interioris, sed etiam bonis operibus hominis exterioris pervenitur ad æterna, quia Deus reddit unicuique secundum opera sua, juxta illud [3]: *Opera enim illorum sequuntur illos.* « Qui bona opera facit, quid aliud, quam ad æterna quasi quibusdam passibus tendit? Et qui æternam vitam quærimus, quid aliud, quam quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? » ait Gregorius, vigesimo secundo *Moralium* [4], « quia quamvis in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas. »

Et notandum, quod sicut per opera interioris hominis, ut per contemplationem, quandoque fit quædam prælibatio æternæ vitæ; ita et per opera exterioris hominis fit in eo aliquando similitudo aliqua vel imago æternæ vitæ, sicut dicit Bernardus in libro *de Amore Dei*, ubi dicit sic [5] : « Sicut in sanctitate vitæ, et hominis interioris contemplatione, et fruitione divinitatis, jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, et imitari; sic etiam de corporum suorum glorificatione, quam plene ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta illa gratia, qua (a) habitantes in unum seipsis in Deo, et Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis se sentiunt vicisse omnes contradictiones, ut universa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miseriis et infirmitatibus contabescunt, ex hoc ipso in interiori homine fortius convalescunt. *Quando* enim *infirmor, tunc* fortior *sum* et *potens*, ait [6] Apostolus. » Sequitur : « Sensus ipsi novam percipiunt quamdam; et prope spiritualem gratiam, oculi simplices, et aures obtemperantes, et aliquando in fervore orationis tanta odoris ignota quædam fragrantia inspirat, tanta gustus etsi non gustando suavitas, tanta per mutuum tactum spiritualis charitatis incentivum fit, ut videantur sibi intra seipsos spiritualis gratiæ cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam et totius corporis compositione, vitæ, et morum, et actuum decore, mutuæ etiam servitutis in illis devotis exhibitionibus et piis susceptionibus, cujusdam

[1] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. I, c. XII — [2] Serm. de tempore CCLII, al. CCXXIX, n. 1, inter Oper. S. Aug. append., tom. V. — [3] *Apoc.*, XIV, 13. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XXII, paulo post princ. — [5] Bern., *de Nat. et dignit. amor. Div.*, c. XX, post med. — [6] II *Cor.*, XII, 10.

(a) *Cæt. edit.* quam.

Digitized by Google

gratiæ beneplacito sibi conveniunt invicem, et convivunt, ut vere sit cor unum et anima una. Nimirum corporum suorum gloriam jam hic inchoant vel incipiunt, et puritate conscientiæ, et intimæ conversationis gratia, perfecte habituri eam in futura et perenni vita, pronuntiant (*a*). » Hæc Bernardus. Et Origenes, super septimum *Canticorum*, dicit : « Concordia hic inchoatur, quæ in futura gloria inter electos cœlestis patriæ semper datur. Hæc enim bonos confortat, in pugna superat, consolatione inebriat, Deo associat, amorem augmentat. Hæc inchoat, quod in cœlo consummatur. » Hæc ille. Potest ergo humanus spiritus dicere : « Ingrediar in locum tabernaculi tui. »

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis a Domino spiritus humanus invitetur (*b*).

Septimo videndum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter deiformis actionis, sive meritoriæ operationis, ad intrinsecum et æternum manerium Domini Jesu, ab ipso amorose invitetur (*b*) dicente [1] : *Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, et veni.*

Dicit igitur : O *amica mea*, propter operationis meæ hierarchicam imitationem. *Amica* (inquit) *mea*, quia manus tuæ stillant myrrham. Quod exponens Vercellensis dicit sic, quod per manus stillantes myrrham signantur operationes hierarchicæ ordinatæ. Nam sicut Deus stillat dona gratiarum et perfectionem operationum primæ angelicæ hierarchiæ, et illa instillat mediæ, et media ultimæ, ut patet per totam angelicam hierarchiam ; ita anima in suo supremo a Deo recipiens perfectionem suarum operationum circa superiora. Et ut illa stillat in mediam perfectionem suarum operationum circa superiora, respectu interiorum ; sic et illa stillat in ultimam mentis hierarchiam perfectionem suarum operationum respectu exteriorum. Et hæc est stillatio gratuitæ myrrhæ, quæ operationes præservat a putredine vanæ laudis, et fœtore humani favoris. *Surge* propter operationis tuæ ostensionem rectam, ut Pater cœlestis honorificetur, et proximus ædificetur, quia *opera tua sunt plena coram Deo meo*, ut dicitur [2] in Apocalypsi. « Opera sunt plena coram Deo, ut Haymo ait, quando virtutes datæ vitiis non commaculantur, et exterius humana gloria non quæritur. » *Plenitudo* enim [3] *legis est dilectio*, ait Apostolus. O *columba mea* propter operum tuorum fecundam parturitionem.. Quasi enim columba, quæ est avis fecunda, aquas steriles mundi fugiens, et ad meum intrinsecum et æternum manerium quasi ad arcem salutis confugiens, portans ramum olivæ virentibus foliis, id est, amorosam voluntatem plenam operibus bonis, ibi ut columba fecunda in foraminibus petræ nidificans, æterna secura parturis opera lucis. Unde Bernardus, *super Cantica*, exponens illud verbum, dicit sic : « O *amica mea*, si quietem desideras, si securitatem affectas, si fecunditatem amas, assume pennas sicut columba, et volans nidifica in vulneribus Jesu Christi. Nusquam quies gratior, nusquam securitas tutior, nusquam fecunditas uberior ; ubi hauries, quod pullis ministres. » *Propera* propter operationis tuæ spiritualem refectionem. Dicit enim Origenes, *super Cantica* : « De natura boni operis est, quod ipsius multiplicatione multiplicetur etiam dilectio et delectatio, et quasi quoddam condimentum cibi spiritualis est hilaritas bene operativa. Nam bonum operatum facit dulcedinem in gustu, et gaudium in corde. » Et Gregorius, vigesimo primo *Moralium*, dicit [4] : « Comedere animæ est bonis operibus satiari. » Ergo *propera*, o *formosa mea*, propter operum tuorum deiformem ordinationem. Deiformis autem ordinatio, ut dicit Linconiensis super tertium *Angelicæ Hierarchiæ*, est renovatio spiritus rationalis, et confortatio ipsius, prout possibile est, secundum tria, scilicet amorem, scientiam, et operationem ad Deum : ad quod deiforme attingit nostra possibilis assimilatio ad ipsum, ut amor referatur ad Spiritum, scientia ad Filium, operatio ad Patrem. » Sequitur : « Est enim in nobis primo amor boni in genere, deinde scientia bonorum in specie, de quibus procedit in operationem singularium bonorum scitorum, et amatorum. » Et quasi concludit dicens, quod « rationalis creatura debet, ut possibile est, secundum amorem, scientiam et operationem Deo assimilari, et ad ejus imitationem reduci deiformiter. » Et *veni* propter operationis tuæ plenam remunerationem [5] : *Merces enim mea mecum est dare unicuique secundum opera sua.*

[1] *Cant.*, II, 10. — [2] *Apoc.*, III, 2. — [3] *Rom.*, XIII, 10. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. VIII, paulo post princ. — [5] *Apoc.*, XXII, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* pronuntiat. — (*b*) *Item* invitatur.

Digitized by Google

Veni ergo [1] ad me *de Libano, Sponsa mea, veni, coronaberis.* Hoc verbum exponens Vercellensis dicit, quod omnes tres hierarchiæ Sponsæ, candore lucis æternæ perfusæ, sunt quasi montes elevati, et ideo in Libanum conversæ sunt, qui interpretatur *candidatio.* Quare ter dicitur : *Veni.*

Primo igitur dicitur : *Veni, Sponsa mea*, de infima hierarchia tua, quæ perfusa est lumine virtutum politicarum, per quas charitate jam formatas, operaris ordinate circa omnia exteriora, exemplo et doctrina alios ad me reducendo.

Secundo : *Veni* de media tua hierarchia, quæ perfusa est lumine virtutum, quæ dicuntur purgatoriæ, per quas operaris ordinate circa omnia tua interiora, habitus virtutum et donorum deiformiter exercendo, et proficiendo, ut dictum est.

Tertio : *Veni* de suprema tua hierarchia, quæ perfusa est lumine virtutum, quæ dicuntur purgati animi, per quas operaris ordinate circa superiora, Deum sinceriter contemplando, et fortiter amando, et sursum tendendo ut coroneris.

Pro operibus enim infimæ hierarchiæ, *coronaberis* corona gaudiosa. Unde Sapiens dicit [2]: *Circa te corona fratrum* (*a*) *quasi plantatio cedrorum in monte Libano*, quia de omnibus per exemplum et doctrinam tuam conversis gaudebis.

Secundo, pro operibus mediæ hierarchiæ, *coronaberis* corona speciosa. Unde in Apocalypsi dicitur [3] : *In capite ejus corona duodecim stellarum.* Per duodenarium signatur universitas perfectionis alicujus, ut patet per Augustinum in libro *de Civitate Dei* [4].

Tertio, pro operibus supremæ hierarchiæ, *coronaberis* corona gloriosa interminabilis æternitatis. Unde in *Proverbiis* [5] : *Corona tribuetur ei in generatione et generationem*, id est, sempiternum. Corona nec habet principium neque finem in figura, et significat æternitatem, quæ nec fine nec principio clauditur.

Veni igitur, *Sponsa mea*, quia mihi et tibi omnia communia sunt. Unde Bernardus, sermone septimo super *Cantica*, dicit [6] : « Non sunt inventa æque dulcia verba, quibus Verbi animæque dulces ad invicem exprimunt (*b*) affectus, quemadmodum *Sponsus*, et *Sponsa*, quibus quippe omnia communia sunt, nihil proprium, nil a se divisum habentibus. Una utriusque hæreditas, una domus, una mensa, unus torus, una caro, et secundum Apostolum [7], Deus et anima *unus spiritus.*

Ultimo Dominus subjungit hujus sanctæ imitationis dulce allectivum, dicens : *Veni*, quia *vineæ florentes odorem dederunt*, qui odor istius itineris medium facit odoriferum, et fugat et expellit venenata. Quid autem per vineas florentes, et odorem spargentes, convenientius intelligitur, quam fecundæ mentis potentiæ, et capacitates odoriferæ illius sapidæ partis, quæ est vera vitis, quam Pater cœlestis agricola in mentibus humanis tanquam in horto vinearum sacris inspirationibus plantat, sacramentis vegetat, et bonis operibus maturat, prout gradatim ipsam vineam excolit, ut fructificet? Unde Hugo, libro secundo *de Arca Noe*, dicit : « Hoc est vere lignum vitæ, Verbum Patris, sapientia Dei, quæ in cordibus sanctorum tanquam in Paradiso invisibiliter primo per timorem seminatur, post per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionen oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet et extendit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam maturescit, per mortem carpitur, per contemplationem cibat. » Hæc ille. Cum igitur, ut dicit Dionysius, quarto *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, Jesus qui est vera sapientia Patris, sit fontana copiosa susceptionum divinarum suavitatum, et refundat de plenitudine sua divinissimas fragrantias, sive odores, ad deiformes intelligentias, in quibus mentes suaviter delectatæ, et sanctis et odoriferis susceptionibus adimpletæ, utuntur intelligibili alimento, penetrante ad intimos suos intellectuales sinus secundum suam divinam participationem bene olentium distributionum, planum est, quod hi, quos sapida sapientia inhabitat, sacris susceptionibus quasi vineæ florentes, fecundantur habitibus virtutum, et fructibus bonorum operum perficiuntur, et sic tot suaves odores aliis dant, quot exempla odoriferorum operum evaporant. Unde Paulus dicit [8] : *Deo autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Bonus autem odor Christi sumus, in iis* (*c*), *qui salvi fiunt*, qui bono odore re-

[1] *Cant.*, IV, 8. — [2] *Eccli.*, L, 13. — [3] *Apoc.*, XII, 1. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XX, c. V. — [5] *Prov.*, XXVII, 24. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. VII, non longe a princ. — [7] I *Cor.*, VI, 17. — [8] II *Cor.*, II, 14, 15.

(*a*) Cæt. edit. *fructuum.* — (*b*) *Forte legend.* exprimantur. — (*c*) Cæt. edit. *his.*

Digitized by Google

creantur, *et his qui pereunt*, qui bonum odorem abominantur, sicut bufones bonum odorem vineæ florentis. De hoc odore require supra, itinere sexto [1].

Vineæ igitur florentes dicuntur fœcundæ mentis potentiæ, et capacitates odoriferæ, quas cœlestis agricola inhabitans et excolens, facit eas floridas et odoriferas : floridas, per verbum veritatis; odoriferas, per scriptum charitatis. Dionysius dicit [2], quod Filius et Spiritus sanctus, quasi quædam pullulationes a Patre originem habent, et quasi quidam flores et supersubstantialia lumina, ab ipso lumine vel Patre luminum existunt. Unde Agricola cœlestis dicit [3] : *Veni, auster, perfla hortum meum, ut fluant aromata illius.* Quod verbum exponens Vercellensis dicit : « Sponsa hic invitatur ad perfectionem hierarchicæ operationis. Auster enim est ventus calidus et purus, et per eum potest intelligi Verbum quantum ad puritatem veritatis, et Spiritus sanctus quantum ad calorem charitatis. » Dicit igitur Agricola cœlestis : *Veni, auster, perfla hortum meum*, id est, supremam hierarchiam, quam speciali zelo tanquam hortum voluptatis, fœcundam operibus veritatis et odoriferis exemplis, ut producat vinum germinans virgines, et virgineas mentes, et aromata illius, et participationes luminum odoriferorum fragrantis mentis fluant hierarchice (*a*), id est, fluant de summa mentis hierarchia in mediam, et de media in infimam, ut sic mens exerceatur ad perfectionem hierarchicæ operationis, scilicet ut fortiter et incessanter extendatur sursum ad Deum, ad hauriendum divinum odoriferum lumen, quod vineam maxime fœcundat et perficit; et secundo haustum lumen odoriferum firmiter in se custodiat, et exerceat; tertio illud lumen odoriferum aliis hominibus sine decremento luminis sui, veris doctrinis, et odoriferis exemplis communicet, ut dicere possit illud Ecclesiastici [4] : *Ego sicut vitis fructificavi odorem suavitatis.*

Tota igitur Trinitas has vineas inhabitat : Pater in memoria, operarios ad laborandum excitans sacris inspirationibus; Filius in intelligentia, operarios ad prudenter laborandum claris veritatibus illuminans; Spiritus sanctus in voluntate, operarios ad laborandum exemplariter fervidis affectionibus inflammans. Unde Origenes dicit sic [5] : « Deliciosus intuitus memoriæ per Patrem confortatæ, intelligentiæ per Filium illuminatæ, et voluntatis per Spiritum sanctum expeditæ ad operandum : quia Deo existente in vineis Engaddi, tanto ero remotior, quanto sterilitati propinquior. » Et ibidem dicit : « O amica mea, convertere in requiem tuam, id est, in Deum tuum, ut in te tanquam in speculo imaginem suam expressivam repræsentet, in te ineffabiliter delectetur, et familiariter congratuletur, te innovet decorando, te amet inhabitando, te a casu futuro præservet præcavendo, et te lætificet de conversione gratias agendo. » Hæc ille.

Spiritus igitur noster ad veniendum jam a Domino amorose invitatus, et ex hoc ad ambulandum prædicta itinera æternitatis vigorose animatus, et amorose et gratiose a Patre tractus, competenter petit dilectum invitantem horum itinerum esse socium, ducem, ductorem, et conservatorem, quia ipse est [6] *via, veritas, et vita.* Ipse est *via* per quam imus, de qua Isaias dicit [7] : *Hæc est via, ambulate in ea.* Et Augustinus *super Joannem* dicit sic [8] : « Verbum assumendo hominem factum est via. Ambula per hominem, et pervenies ad Deum. » Ipse est veritas per quam perveniemus, quia veritas est finis ænigmatum. Unde Joannes ait [9] : *Videbimus eum sicuti est* [10]. *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ipse est *vita*, in qua permanebimus in æternum. Unde dicitur in Proverbiis [11] : *Qui me invenerit, inveniet vitam*, scilicet æternam.

Dicit igitur spiritus amans confidenter illud verbum Canticorum [12] : *Veni, dilecte mi*, ad sitibundam æternorum intentionem, quantum ad iter primum, scilicet rectæ intentionis; ingrediamur in agrum per devotam æternorum meditationem, quantum ad iter secundum; commoremur in vallibus per limpidam æternorum contemplationem, quantum ad iter tertium; mane surgamus ad veniendum per inebriantem æternorum dilectionem, quantum ad iter quartum; videamus si vinea floruit per pullulantem æternorum revelationem, quantum ad iter quintum; si flores fructum parturiunt per experimentalem æternorum prægustationem, quantum ad iter sextum; si (*b*) floruerunt mala

[1] Scilicet dist. VI, sup., pag. 470. — [2] Dion., *de Div. Nom.*, c. II. — [3] *Cant.*, IV, 16. — [4] *Eccli.*, XXIV. 23. — [5] Orig., *in Cant.*, c. VI. — [6] *Joan.*, XIV, 6. — [7] *Isa.*, XXX, 21. — [8] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LV, al. CXLI, n. 4. — [9] 1 *Joan.*, III, 2. — [10] *Luc.*, X, 22. — [11] *Prov.*, VIII, 35. — [12] *Cant.*, VII, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* hierarchicæ. — (*b*) *Cæt. edit. deest* si.

Digitized by Google

punica per collium æternorum deiformem operationem, quantum ad iter septimum. Sic [1] *ibit homo in domum æternitatis suæ*, in qua, sicut dicit Auctor *de Spiritu et Anima*, erit manifesta visio, plena cognitio, vera dilectio, firma conjunctio, societas individua, similitudo perfecta, vita beata in æternum, et ultra, in perpetuas æternitates. Odor autem et dulcedo prælibatur prædictorum, et gustatur a spiritibus ambulantibus in prædictis itineribus, ex quo velocius currunt. Unde Gregorius, quinto decimo *Moralium*, dicit [2]: « Superiora amare, jam sursum ire est, dumque magno desiderio ad cœlestia homo inhiat, miro modo hoc ipsum, quod accipere quærit, jam degustat. » Ex quo spiritus itinerans maxime consolatur, consolatus currendo calescit, calefactus devotione mollescit, mollificatus amando liquescit, liquefactus fervendo sursum effluit, ut nusquam, nisi in æternitate, sistere et quiescere velit. Unde Origenes dicit sic, quasi admirando [3]: « Divinæ consolationis dulcissimus affectus, ut audio, est liquefactio. Liquescit enim mens, cum devotione mollescit, ut sponsus in ea suaviter cubet, et nihil ei duri obsistat. Liquescit, dum devotione calescit, ut dilectus in ea calorem divini amoris inveniat, ut quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquescit, quia dum devotione supereffluit, ut Deus solus (*a*) plenum dominium in ea obtineat, tunc omnes motus, omnes nisus, omnes impetus ejus æternitate feliciter terminat. » Hæc ille. Ad quam domum æternitatis nos perducat, conducat et inducat, qui est trinus et unus Deus in æternum benedictus. Amen.

[1] *Eccle.*, XII, 5.— [2] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XXVII, in fin. — [3] Orig., *in Cant.*, c. II.— (*a*) *Cæt. edit.* solum.

Digitized by Google

BIBLIA PAUPERUM [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Tractatus iste extra tomos Opusculorum S. Bonaventuræ editus vagabatur : cujus unum tantum exemplar reperiri potuit; vetus illud quidem, ut ex typorum forma apparuit, quod in principio sic est inscriptum : « Incipit præclarum opus, quod Biblia pauperum appellatur, perutile omnibus prædicatoribus. » In fine vero hæc sunt verba : « Expliciunt exempla sacræ Scripturæ ordinata secundum alphabetum, ut possint, quæ sunt necessaria in materiis sermonum et prædicationum facilius a prædicatoribus inveniri, editum a sancto viro Bonaventura Ordinis Minorum. » Constat igitur ex præfati exemplaris initio et fine inscriptio operis, et ejus Auctor. Et si conjecturæ aliquid tribuendum est, videtur Trithemius in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inter opera S. Bonaventuræ etiam hoc connumerare, dum illi adscribit compendium quoddam Scripturarum : nam in hoc tractatu Auctor nihil aliud agere videtur, quam loca quædam communia constituere, quibus applicat summatim Scripturæ sacræ auctoritates ad commoditatem prædicatorum, ut ex præfatione Auctoris facile constat, in qua perspicere licet hujus Opusculi argumentum. Et sicut Auctor in libro *Pharetræ*, auctoritates sanctorum Patrum ad loca communia redegit; ita in hoc Opusculo sacræ Scripturæ exempla. Quare postulare videbatur ordo, ut tractatus iste cum *Pharetra* collocaretur; sed quia in gratiam Religiosorum sui Ordinis illud videtur Auctor composuisse, ut titulus ipse præ se fert, ideo in hac parte [2] editum fuit, quia ea Opuscula continet, quæ ad Religiosos præcipue sui Ordinis spectant.

PRÆFATIO

Tanta pollet excellentia prædicationis officium, quod Salvator noster Dominus Jesus Christus non confunditur asserere se fuisse missum ad id salubrius exercendum. Prædicator igitur assumpto tantæ dignitatis opere, totis studiis laborare conetur, ut illud sicut oportet et expedit, exequatur. Quod (*a*) profecto fieri poterit, si honorem Dei et utilitatem proximi directe intendat ibi quærere, non modicum temporale, vel per inanem gloriam subtilia magis, quam utilia, curiosius exquirendo, ac sermonibus imperitis sententias involvendo, sciolus appa-

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, pag. 468; edit. Ven., an. 1745, tom. IX, pag. 244. — [2] Ita Editores Romani; nos vero opusculum, de quo agitur, in postliminio theologicorum, et in limine hagiographorum, tanquam medium inter utraque, collocandum censuimus.

(*a*) *Cæt. edit.* Quia.

Digitized by Google

rere. Manifestum est autem antiquorum exempla gestorum valde ædificatoria esse, quando fuerint decenter inducta, et inter sacra verba congruenter inserta; siquidem et castum timorem incutiunt, et sanctum alliciunt ad amorem, dum id quod homini factum fuisse narratur, homo sibimet posse fieri similiter arbitratur, sive speciali gratia actum fuerit cum quibusdam, sive cum aliis suadibili doctrina, sive etiam terribili disciplina. Intellectum insuper hominis faciliter instruunt, et cognitionem generant planiorem, quia cum facta præcedentium (*a*) memorativa describuntur, quasi quædam sensibiles species in auditoris imaginativa pinguntur, quæ sine difficultate ad intellectum postea transfunduntur. Apprehensis quoque mirabilibus præcedentium factis, quanto auditorem (*b*) contingit fortiori admiratione percuti, tanto ejus memoria certum est tenacius insigniri. Sicque minus cito poterit, quod avide auditum et valide impressum fuerit, de ipsa vi memorativa deleri. Quia vero, ut ait beatus Augustinus, sacra Scriptura supra omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subjecit, in omni solida et indubitabilis veritas continetur. Ideoque exempla quæ hauriuntur in illa, eo majoris sunt ponderis et valoris, quo sublimiori auctoritate et certiori veritate nituntur. Unde prædicator verba Scripturæ sacræ enucleatius exponendo, et testimoniis in æternum fundatis utendo, potest morose sermonem tutius dilatare, quam si verba cujuscumque alterius historiæ pertractaret. Plurimas igitur utilitates de exemplorum in sacra Scriptura contentorum narratione veridica provenientes perpendens, ad honorem Dei et aliqualem proximorum ædificationem exempla in variis locis sacræ Scripturæ dispersa, faciliter breviterque, secundum quod tenuitas paupertatis meæ valebat excipere, laboravi. Nullus autem ita me præsumptuosum existimet, ut putem hic cuncta ipsius Scripturæ exempla notabilia coarctasse : scio enim quod tanta est christianarum litterarum profunditas, ut non possit paucis voluminibus comprehendi. Quare, si dicat lector, quod ad hanc, vel ad illam materiam, tale vel tale exemplum hic omissum potuisset adduci : vel etiam quod tale, vel tale hic propositum, ad alia plura congruentius debuisset aptari; nolo verbis contendere, nec ei contradicere in hac parte. Hoc solum mihi sufficiat, quod de bonis et notabilibus exemplis aliqua utilia sunt hic sub brevi facilitate descripta. Rursus etiam, quia nonnunquam unum valet induci ad diversas virtutum aut vitiorum materias, non miretur aliquis, vel turbetur, si interdum sub diversis titulis idem factum vel exemplum invenerit collocatum, verbi gratia, quando narratur quod Joseph procaci mulieri ipsum sollicitanti acquiescere recusavit, quanquam factum fuerit unum, potest tamen inde sumi exemplum pro castitate inventum, et pro fidelitate servorum; item, contra nimiam credulitatem dominorum, et contra fallacias mulierum; item de occultis judiciis et providentia Dei, qui ex hujusmodi occasione ipsum Joseph inopinabiliter sublimavit. Porro, quia brevitati studui, sensum plerumque posui, non ipsa verba, prout in textu omnino jacebant. Ut autem exempla possint citius proposito prædicatoris occurrere, titulos subsequentis Opusculi in ipso libri capite prænotavi.

A

De Abstinentia et sobrietate, cap. LXXXVII.
De Acceptione munerum, cap. LXXVI.
De Acedia vel negligentia, cap. CXVII.
Quod acquiescendum est bonis consiliis, c. LVI.
De Adoratione et cultu Dei, cap. XXI.
De Adulatione, cap. LXIX.
De Æquitate et justitia, cap. LIX.
De Affectu carnali, cap. XCIV.
De Agendis gratiis pro beneficiis Dei, cap. LXIII.
De Amicitia, cap. XLVI.
De Ambitione prælationis, cap. CIII.
De Angelis bonis, cap. XXXI.
De Angelis malis, cap. LII.
De Animæ immortalitate, cap. XXXIII.
De Apparitionibus factis antiquis patribus, cap. XXX.
De Aspectu incauto, cap. XCII.
De Astutia et calliditate, cap. LIV.
Quod Deus Attendit plus ad operantem, quam ad opus, cap. XII.
De Audiendo verbum Dei, cap. XXIX.
De Avaritia, cap. LXXIII.
De Aviditate mulierum, cap. CXXVII.

B

De Bello temporali, cap. LXXXII.
De Benedictione quam Deus dat homini, cap. V.

(*a*) *Cæt. edit.* præcedentia.— (*b*) *Item* adjutorem.

Digitized by Google

De Benedictione qua homo benedicit Deum, cap. VII.
De Benedictione qua homo homini benedicit, cap. VIII.
Quod pro Beneficiis Dei, ipsi gratiæ sunt agendæ, cap. LXIII.
Quod in Beneficiis humanis homo debet esse gratus, cap. LXIV.
De Benignitate Dei ad servos suos, cap. III.
De Blasphemia contra Deum, cap. XXIII.
De Bonis latentibus inter malos, cap. CXIII.
De Bonorum oppressione, cap. CX.
De Bonis principibus et prælatis, cap. CI.
De Bonorum societate, cap. CXIX.

C

De Calliditate et astutia, cap. LIV.
De Carnali affectu, cap. XLIV.
De Castitate, cap. XC.
De Compassione habenda ad proximum, cap. XLIV.
De Concordia et pace, cap. XCVIII.
De Confessione peccati, cap. CVI.
De Confidentia et magnanimitate, cap. LXXVIII.
De Consensu communi et unitate, cap. XLIX.
De Consiliis bonis, cap. LVI.
De Consiliis malis et persuasionibus, cap. XXVIII.
De Consolatione divina, cap. IV.
De Constantia et perseverantia, cap. LXXX.
De Contemplatione, et mentis illustratione, cap. XXXVI.
De Convitiis et derisione, cap. LXX.
De Correctione fraterna, cap. XLIII.
De Credulitate falsa et suspicione, cap. LVII.
De Cultu Dei, et adoratione, cap. XXI.
De Curiositate humana, cap. CXXII.

D

De Detractoribus et maledicis, cap. LXXI.
De Dilectione Dei, cap. XL.
De Dilectione proximi, cap. XLI.
De Discordia, lite, vel rixa, cap. L.
De Discretione et prudentia, cap. LII.
De Duritia et obstinatione malorum, cap. CVII.

E

De Ebrietate et gula, cap. LXXXVIII.
De Electionibus, cap. C.
De Eruditione filiorum, cap. LV.
De Exhortatione bona et prædicatione, cap. XXVII.

F

De Fallaciis mulierum, cap. CXXVIII.
De Falsa credulitate et suspicione, cap. LVII.
De Fide habenda ad Deum, cap. XXXIV.
De Fidelitate servanda homini, cap. XXXV.
De Fide magna mulierum, cap. CXXIII.
De Filiorum eruditione, cap. LV.
De Fletu, sive lacrymis, cap. XVII.
De Fortitudine et strenuitate, cap. LXXVII.
De Fortitudine mulierum, cap. CXXVI.
De Fortitudine ad malum, cap. LXXXIV.
De Fraterna correctione, cap. XLIII.
De Furore, vel ira Dei, cap. II.

G

De Gratiis agendis pro beneficiis Dei, cap. LXIII.
De Gratitudine pro beneficiis humanis, cap. LXIV.

H

De Homicidiis, cap. LXXXV.
De Honore parentum, cap. LXII.
De Hospitalitate libenter exhibenda, cap. XLV.
Do Humilitate, cap. XCVII.
De Hypocrisi et simulatione, cap. LXXV.

I

De Idololatria, cap. XXII.
De Illustratione mentis et contemplatione, cap. XXXVI.
De Immortalitate rationalis animæ, cap. XXXIII.
De Impatientia et murmure, cap. LXXXI.
De Incontinentia et luxuria, cap. XCI.
De Ingratitudine, cap. LXV.
De Inimicitia, et odio, cap. XLVII.
De Intentione recta in opere habenda, cap. CXVI.
De Invidia, cap. XLII.
De Ira vel furore Dei, cap. XI.
De Ira hominis per zelum, cap. XCV.
De Ira hominis per vitium, cap. XCI.

J

De Jactantia, cap. XCIX.
De Judiciis Dei occultis, cap. II.
De Judiciis hominum, cap. LX.
De Juramento, cap. XVIII.
De Justitia et æquitate, cap. LIX.

L

De Lacrymis sive fletu, cap. XVII.
De bonis Latentibus inter malos, cap. CXIII.

Digitized by Google

De Liberalitate, misericordia, et largitate, cap. LXXII.
De Lite, discordia, vel rixa, cap. L.
De Loquacitate, et silentio, cap. XCIII.
De Longanimitate et spe, cap. XXXVII.
De Luxuria, et incontinentia, cap. XCI.

M

De Magnanimitate et confidentia, cap. LXXVIII.
De Maledictione qua Deus maledicit, cap. VI.
De Maledictione qua homo homini maledicit, cap. IX.
De Maledicis et detractoribus, cap. LXXI.
De Malorum multitudine, cap. CXII.
De Mansuetudine et patientia, cap. LXXIX.
De Matrimonio, cap. LXXXIX.
De Mentis illustratione, cap. XXXVI.
De Mendacio, cap. LXVII.
De Miraculis divina providentia factis, cap. I.
De Misericordia, liberalitate et largitate, cap. LXXII.
De Mobilitate populi, cap. CXIV.
De Morte in generali, cap. CXXXI.
De Morte horrenda malorum, cap. CXXXIII.
De Morte pretiosa justorum, cap. CXXXIV.
De Mundana prosperitate, cap. CXXI.
De Munerum acceptione, cap. LXXVI.
De Murmure et impatientia, cap. LXXXI.
De Mulierum fide, cap. CXXIII.
De Mulierum sapientia, cap. CXXIV.
De Mulierum fortitudine, cap. CXXVI.
De Mulierum aviditate, cap. CXXVII.
De Mulierum fallaciis, cap. CXXVIII.
De Mulierum stultiloquio, cap. CXXIX.
De Mulierum ornatu superfluo, cap. CXXX.

N

De Nequitia tyrannorum, cap. CIX.

O

De Obedientia, cap. XXV.
De Observatione præceptorum Dei, cap. XXIV.
De Observatione Sabbati, cap. XIX.
De Occultis Dei judiciis, cap. II.
De Odio et inimicitia, cap. XLVII.
Quod veritas Odium parit, cap. LXVI.
De Operatione bona, cap. CXV.
De recta intentione habenda in Opere, cap. CXVI.
Quod Deus plus attendit ad Operantem, quam ad opus, cap. XII.
De fortitudine ad Operandum malum, cap. LXXXIV.
De Oppressione bonorum per malos, cap. C.
De Oratione, cap. XVI.
De Ornatu superfluo mulierum, cap. CXXX.

P

De Pace et concordia, cap. XLVIII.
De Patientia et mansuetudine, cap. LXXIX.
De Paupertate, cap. LXXIV.
De Peccatis et pœnis peccatorum, cap. CV.
De Permissione sanctorum virorum, cap. LVIII.
De Perseverantia et constantia in propositis, cap. LXXX.
De Persuasionibus et consiliis malis, cap. XXVIII.
De Perversitate quorumdam, cap. CVIII.
De Pietate mulierum, cap. CXXV.
De Pœnitentia, cap. LXI.
De Populi mobilitate, cap. CXIV.
De Potentia Dei in miraculis, cap. I.
De Præceptis Dei et ipsorum observatione, cap. XXIV.
De Pretiosa morte justorum, cap. CXXXIV.
De Prælatis bonis, cap. CI.
De Prælatis malis, cap. CII.
De Prælatis ambitiosis, cap. CIII.
Quod Deus probat homines, sive tentat, cap. XIII.
De Proditione, cap. LXVIII.
De Prosperitate mundana, cap. CXXI.
De Providentia Dei, et occultis ejus judiciis, c. II.
De Prudentia et discretione, cap. LIII.
De Pueris bonæ indolis, cap. CXVIII.
De Pusillanimitate, cap. LXXXIII.

Q

De Quorumdam perversitate, cap. CXVIII.

R

De Recta intentione habenda in opere, cap. CXVI.
De Reverentia templo exhibenda, cap. XX.
De Rixa, discordia, vel lite, cap. L.

S

De Sabbati observatione, cap. XIX.
Quod Sancti viri permittunt aliqua fieri, licet invite, cap. LVIII.
De Sapientia mulierum, cap. CXXIV.
De Scriptura sacra, cap. XXVI.
De Sepulturis, cap. CXXXII.
De Servanda fidelitate, cap. XXXV.
De Severitate Dei erga delinquentes, cap. X.
De Silentio et loquacitate, cap. XCIII.
De Simulatione et hypocrisi, cap. LXXV.

Digitized by Google

De Sobrietate et abstinentia, cap. LXXXVII.
De Societate bonorum, cap. CXIX.
De Societate malorum, cap. CXX.
De Spe et longanimitate, cap. XXXVII.
De Spiritibus malis, cap. XXXII.
De Stragibus hominum diversis, cap. LXXXVI.
De Strenuitate et fortitudine, cap. LXXVII.
De Stultiloquio mulierum, cap. CXXIX.
De Superbia, cap. XCVIII.
De Superfluo ornatu mulierum, cap. CXXX.
De Suspicione et falsa credulitate, cap. LVII.

T

Quod Deus Tentat homines, et probat, cap. XIII.
Quod homo non debet Tentare Deum, cap. XIV.
De Tentatione diaboli, cap. CIV.
De Timore Dei, cap. XXXVIII.
De Timore quo mali timent bonos, cap. XXXIX.
De Tribulationibus, cap. CXI.
De Tyrannorum nequitia, cap. CIX.

U

De Unitate et communi consensu, cap. XLIX.

V

De Verbi Dei prædicatione, cap. XXVII.
Quod Veritas odium parit, cap. LXVI.
De Voto, cap. XV.

Z

De Zelo bono contra peccatores, cap. LI.
De Zelo indiscreto, cap. LII.

CAPUT PRIMUM.

De miraculis divina potentia factis.

Creatio rerum fuit ita mirabilis, quod ejus notitia non nisi per revelationem venire potuit ad hominem. Nam secundum beatum Gregorium, *super Ezechielem*, Homil. I, « De præteritis prophetavit Moyses dicens : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » *Genesis*, I; non quia prædixit futura, sed quia prodidit occulta. »

Tempore diluvii salvavit Dominus Noe cum uxore, et tribus filiis suis, et uxoribus eorum. Item dicitur : « De cunctis animalibus masculum et fœminam fecit servari per arcam. » *Genes.*, VII.

Præsumptionem hominum turrim usque ad cœlum ædificare volentium repressit Dominus confundendo linguas eorum. *Genes.*, XI.

Mirabiliter natus est Isaac. *Genes.*, XXI.

Item mirabiliter liberatus, quando debuit immolari, et apparuit aries inter vepres, *Gen.*, XXII.

Multa miracula fecit Dominus per Moysen, quando voluit filios Israel educere de Ægypto, *Exod.*, VII, VIII, IX et X.

Grande miraculum fuit, quod nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo eunte de Ægypto ad terram promissionis, *Exod.*, XIII.

Per lignum Moysi ostensum dulcoratæ sunt aquæ prius amaræ, *Exod.*, XV.

Misit Dominus murmuranti populo coturnices, et postea pluit illis manna ad manducandum, *Exod.*, XVI.

Item aquam de petra in abundantia ad bibendum, *Exod.*, XVII.

Memorandum et terribile miraculum fuit in divisione et exsiccatione Maris Rubri, quando transierunt filii Israel sicco pede, Ægyptii vero fuerunt in mediis fluctibus involuti, *Exod.*, XIV.

Murmurantibus et desiderio carnium flagrantibus in deserto filiis Israel misit Deus carnes in abundantia, *Numer.*, XI. Hinc haberi potest, quod miracula non sunt semper certa divinæ dilectionis insignia.

Occasione seditionis Chore, et complicum suorum, multa miracula contigerunt, *Numer.*, XVI et XVII.

Percussi filii Israel a serpentibus ignitis, et aspicientes serpentem æneum curabantur, *Num.*, XII.

Veniens Balaam ad maledicendum populo Dei, redargutus fuit ab asina cui sedebat, *Num.*, XXII.

Adduxit Dominus filios Israel per desertum quadraginta annis, et non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta vetustate consumpta, *Deuteron.*, XXIX.

Ingressis filiis Israel fluvium Jordanis stabant aquæ, et instar montium intumescebant; aliæ inferiores in Mare Mortuum descenderunt. *Josue*, III.

Post septem circuitus filiorum Israel muri Jerico corruerunt, *Josue*, VI.

Obedivit Deus voci Josue dicentis : « Sol, contra Gabaon ne movearis. » *Josue*, X.

Immisit Dominus gladium in omnibus castris

Digitized by Google

Madian, et mutua se cæde truncabant, et sic per paucos multi debellati fuerunt, *Judic.*, VII.

Per arcam Domini a Philisthæis captam multa fuerunt facta miracula, *I Reg.*, IV et V.

Jonathas et armiger ejus percusserunt tot de Philisthæis, quod « factum est miraculum, et conturbata sunt castra, » *I Reg.*, XIV.

Magnum fuit miraculum, quod David juvenis inexpertus et inermis prævaluit adversus Philisthæum armatum, fortem et expertum, *I Reg.*, XVII.

Cum extenderet Hieroboam brachium ut faceret capi virum Dei, aruit manus ejus, et altare scissum fuit, *II Reg.*, XIII.

Elias legitur fecisse miracula impetrando fieri siccitatem, ita quod non pluit super terram annos tres et menses sex, sicut habetur, *Jac.*, V. Item corvi detulerunt ei panem et carnes bis in die; consequenter suscitavit filium mulieris matrisfamilias, *III Regum*, XVII. Postea ignem holocaustum mirabiliter consumentem a Domino precibus impetravit; deinde post orationem ejus, facta est pluvia grandis, *III Regum*, XVIII. Post hæc Angelus Domini panem et aquam ei ostendit; item in monte Horeb apparuit ei Dominus, *III Reg.*, XIX. Præterea duos quinquagenarios ad preces ejus ignis descendens de cœlo consumpsit, *IV Reg.*, I. Tandem divisit pallio tangens aquas Jordanis, et in curru igneo receptus est in cœlum, *IV Reg.*, II.

Elisæus legitur fecisse miracula aquas Jordanis dividendo, *IV Regum*, II. Idem mulieri viduæ debitis obligatæ oleum augmentavit, IV *Regum*, IV. Idem mulierem Sunamitidem filium habere fecit, et deinde eum mortuum suscitavit, IV *Regum*, IV. Item apposita farina in olla, prius amara olera dulcoravit; item panes multiplicavit filiis prophetarum, IV *Regum*, XIV. Item sanavit a lepra Naaman Syrum, IV *Regum*, V. Item fecit super aquas natare ferrum, IV *Regum*, VI. Item absens tanquam præsens multa cognovit, IV *Regum*, V et VI. Item currus igneos angelorum a puero suo videri fecit, IV *Regum*, VI. Item exercitum regis Syriæ cæcitate percussit, IV *Regum*, VI. Item multotiens (*a*) futura prædixit, IV *Regum*, VII, VIII, IX et XIII. Item cadaver hominis mortui tangens ipsius ossa defuncti surrexit, IV *Regum*, XIII.

Mirabile fuit valde quando ad petitionem Ezechiæ Sol retrocessit per decem lineas in horologio Achaz, IV *Regum*, XX.

Obsidente rege Sennacherib civitatem Lachis, percussi sunt una nocte de exercitu ipsius centum octoginta quinque millia tempore Ezechiæ, IV *Regum*, XIX.

Congregati sunt contra Josaphat filii Ammon et Moab, et de monte Seir; cum canerent autem laudes Deo Levitæ in exercitu Josaphat existentes, adversarii in semetipsos versi mutuis se occidere vulneribus, II *Paralip.*, XX.

Tobias quatuor annis fuit cæcus, et deinde juxta consilium Angeli ad linitionem (*b*) de felle piscis lumen recepit, *Tob.*, XI.

Memorandum fuit miraculum de tribus sociis Danielis a fornace ignis ardentis tam magnifice liberatis, *Danielis* III; et etiam de Daniele, qui cum leonibus septem diebus remansit illæsus, *Dan.*, XIV. Alia vero vice fuerat die uno, *Dan.*, VI.

Occasione Jonæ mare fuit commotum; quo projecto, piscis eum deglutivit, et per triduum ibi vixit, et postea sanus exivit, *Jon.*, I et II.

Expertus est Heliodorus divinam virtutem, quando voluit spoliare templum, et fuit a duobus juvenibus gravissime vulneratus, II *Machab.*, III.

Adversus Galatas in Babylonia (*c*), sex millia hominum peremerunt centum viginti millia hominum propter auxilium eis datum de cælo, II *Machab.*, VIII, 20.

Angelus Domini apparuit Zachariæ, nunians ei ex parte Dei, quod Elisabeth uxor ejus, licet sterilis et anus, pareret ei filium; qui incredulus ad verbum Angeli mutus effectus est, usque ad circumcisionem pueri, et tunc loquela restituta est ei, *Luc.*, I.

Miraculum (*d*) dulce et pium valde factum fuit, quando ad salutationem beatæ Mariæ, quæ noviter conceperat Salvatorem, beatus Joannes in utero matris existens exultavit, et sancta Elisabeth hæc cognovit, et exclamavit, dicens: « Benedicta tu inter mulieres, » etc., *Luc.*, I.

Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam dicentes: « Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, » etc., *Matth.*, II.

Vocatus ad nuptias Dominus Jesus cum discipulis suis, aquam in vinum convertit, *Joann.* II.

Non fuit parvum Domini miraculum, quando illi de Nazareth repleti ira duxerunt eum in supercilium montis, ut præcipitarent eum; ipse

(*a*) *Lege* multoties, *et sic deinceps.* — (*b*) *Cæl. edit.* liniationem. — (*c*) *Item* Babyloniam. — (*d*) *Item* Mirum.

Digitized by Google

autem transiens per medium illorum ibat, *Luc.*, IV.

« Circuibat Jesus, » etc.; obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos et paralyticos, et curavit eos. » *Matth.*, IV. Simile habetur, *Luc.*, IV : « Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, » etc. Item, *Luc.*, VI : « Virtus de illo exibat, et sanabat omnes. »

Quantum ad miracula, quæ Salvator noster cum hominibus conversatus operari dignatus est, ex evangelica colligitur historia, quia ipse tres mortuos suscitavit, videlicet filiam Archisynagogi in domo patris, *Matth.*, IX; *Marc.*, V; *Luc.*, VIII. Item filium viduæ delatum extra portas civitatis Naim, *Luc.*, III. Tertius fuit Lazarus frater Mariæ et Marthæ, qui jam quadriduanus erat, et in sepulcro fœtebat, *Joann.*, XI.

Item leprosos undecim invenitur mundasse. De uno, *Matth.*, VIII; *Marc.*, I; *Luc.*, V. De aliis autem decem, qui dixerunt « simul : « Jesu præceptor, miserere nostri, » *Luc.*, XVII.

Præterea, sex cæcos legitur illuminasse. De duobus simul, *Matth.*, IX. De duobus aliis, *Matth.*, XX : « Duo cæci sedentes secus viam, audientes, quia Jesus transiret. » De uno alio, *Marc.*, VIII : « Veniunt Bethsaidam (*a*), et adducunt ei cæcum, et rogabant illum, ut eum tangeret, etc. » De alio autem cæco nato, *Joann.*, IX.

Dæmoniacos autem septem specialiter liberavit. De duobus, *Matth.*, VIII; de quorum uno qui erat famosus, et nomen sibi esse *legionem* dicebat, tangitur, *Luc.*, VIII. De uno alio, qui erat mutus, *Matth.*, IX. De alio, qui erat cæcus et mutus, *Matth.*, XII; et *Luc.*, XI, de eodem. De quodam vero lunatico, qui non poterat liberari, nisi in oratione et jejunio, habetur, *Matth.*, IX.

Item de quodam spiritu immundo ab homine in synagoga Judæorum ejecto tangitur, *Marc.*, I, *Luc.*, IV. Item de filia mulieris Cananææ, ad instantiam matris sanata, *Matth.*, XV; *Marc.*, VII. Item secundum litteram narratur, *Luc.*, VIII : « Ejecit septem dæmonia » de Maria Magdalena; et hoc ipsum dicitur, *Marc.*, XVI.

Item, cum socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperavit Jesus febri, et continuo surgens ministrabat ei, *Matth.*, VIII; *Marc.*, I; *Luc.*, IV.

(*a*) Cæt. edit. *Bethsaida*. — (*b*) *Cæt. edit.* imputavit. — (*c*) Cæt. edit. deest *Matth.*, XXVI.

Item paralyticum ante eum per tegulas tecti demissum sanavit, *Matth.*, IX; *Marc.*, IV; *Luc.*, V.

Item hydropicum, dum sabbato comederet in domo Pharisæi, curavit, *Luc.*, XIV.

Item homini manum aridam habenti extendere eam fecit, *Matth.*, XII; *Marc.*, III.

Item hominem languidum per triginta octo annos in momento sanavit, *Joann.*, V. Item incurvatam mulierem, nec sursum respicere valentem, erexerat, *Luc.*, XIII.

Item sanavit servum Centurionis, qui jacebat paralyticus, et male torquebatur, *Matth.*, VIII.

Item surdum fecit audire, et mutum loqui, *Marc.*, IX.

Item filium reguli de Capharnaum incipientem mori ad vitam reduxit, *Joann.*, IV.

Item fluxum sanguinis in muliere hæmorrhoissa cessare fecit tactu fimbriæ vestimenti ejus, *Matth.*, IX; *Marc.*, V.

Item, tempestate valida in mari, ipso dormiente, commota, imperavit mari, et statim « venti et mare obediunt ei, » *Matth.*, VIII; *Marc.*, IV; *Luc.*, VIII.

Item ambulavit, discipulis admirantibus, supra mare, et Petrum ambulare fecit, et incipientem mergi manu extenta salvavit, *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

Item pulchrum miraculum ostendit tribus apostolis in sua transfiguratione, *Matth.*, XVII; *Marc.*, IX; *Luc.*, IX.

Item de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, et sublati fuerunt duodecim cophini fragmentorum, *Matt.*, XIV; *Marc.*, VI; *Luc.*, IX; *Joann.*, VI.

Item quatuor millia hominum refecit alia vice de septem panibus et paucis pisciculis, et superfuerunt septem sportæ fragmentis plenæ, *Matth.*, XV; *Marc.*, VIII.

Item ficum habentem folia sine fructu maledixit, et continuo aruit, *Matth.*, XXI; *Marc.*, VIII.

Item auriculam per Petrum servo principis sacerdotum amputatam benigne restituit, et Petrum super hæc increpavit (*b*), *Luc.*, XXII; *Matth.*, XXVI (*c*).

Cum autem ipse Salvator pro salute mundi penderet in cruce, « a sexta hora diei usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt super universam terram, » Luna existente decima quinta, et in parte cœli opposita Soli, ita quod Sol per ipsam Lunam nullatenus naturaliter poterat eclipsari; « et velum templi scissum est, et terra mota

Digitized by Google

est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt. » *Matth.*, XXVII.

Resurgente vero ipso Domino Jesu Christo, « terræ motus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti; præ timore autem (*a*) ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. » *Matth.*, XXVIII.

Deinde apparuit discipulis suis, januis clausis, *Joann.*, XX; et ad mare Tiberiadis, ubi ad præceptum ejus mittentes rete in mare, « impletum est magnis piscibus centum quinquaginta tribus, et cum tanti essent, non est scissum rete. » *Joan.*, XXI.

Tandem quadragesimo die post resurrectionem suam apparens discipulis, et eos increpans et instruens, videntibus et admirantibus « elevatus est in cœlum, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. » *Luc.*, XXIV; *Act.*, I.

Prædicta miracula in speciali tanguntur; alia vero plurima fuisse facta in generali leguntur, sicut apparet in diversis locis, in *Mattheo*, *Marco*, et *Luca*. Unde, *Joann.*, XX : « Multa quidem et alia fecit Jesus, » etc.

Miro modo magnum fuit miraculum de effusione Spiritus sancti super discipulos in die Pentecostes; unde ita fuerunt roborati, consolati et illustrati, *Act.*, II.

Videns Petrus hominem claudum juxta Speciosam portam templi dixit : « In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, alleviavit eum : et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. » *Act.*, III.

« Princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodia sua publica. » Angelus autem Domini per noctem eduxit eos, et carcerem reclusit, etc. *Act.*, V.

Grande miraculum et terribile factum fuit, quando ad vocem increpatoriam Petri, Ananias cecidit et expiravit; et simile accidit de Saphira uxore ejus, *Act.*, V.

In plateis ponebant infirmos in lectulis et grabatis, ut veniente Petro saltem umbra ejus obumbraret quemquam illorum. Concurrebat autem multitudo vicinarum civitatum afferentes ægros, et dæmoniacos, et curabant omnes. *Act.*, V.

Prædicante Philippo in Samaria, multi qui habebant spiritus immundos, clamantes exibant; multi etiam paralytici et claudi curati sunt. *Act.*, VIII.

Æneam paralyticum ab annis octo in grabato jacentem Petrus sanavit, dicendo : « Ænea, salvet te Dominus Jesus Christus; surge et sterne tibi. » *Act.*, IX.

« Ejectis omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, et conversus ad corpus Thabitæ mortuum, dixit; Thabita, surge. At illa apperuit oculos, et viso Petro resedit; dansque illi manum erexit eam. » *Act.*, IX.

Mirabile et admirabile factum fuit, quod Saulus dum iret Damascum ad capiendum Christi discipulos, cœlesti lumine circumfusus (*b*) in terram prostratus est, et exterius excæcatus, sed interius illustratus. *Act.*, IX.

Petrum incarceratum, catenis duabus vinctum, et sexdecim militibus custoditum, Angelus Domini solutum eduxit, et porta ferrea ultro aperta est eis. *Act.*, IX.

Elymam magum, pseudo-prophetam Judæum, Paulus privavit lumine oculorum, eo quod ipse proconsulem Paulum a fide avertebat, et Apostolis verbum Dei prædicantibus resistebat, *Act.*, XIII.

In civitate Lystræ erat vir quidam claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat : quem intuens Paulus dixit voce magna : « Surge super pedes tuos rectus »; et exilivit et ambulavit. *Act.*, XIV.

Quædam puella habens spiritum pythonem magnum quæstum præstabat dominis suis divinando; hæc sequebatur Paulum et Lucam, et clamans et dicens : « Isti homines servi excelsi Dei sunt. » Dolens autem Paulus dixit spiritui : « Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea, » et exivit eadem hora. *Act.*, XVI.

Cum essent Paulus et Silas in carcere laudantes Deum, subito terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, et statim aperta sunt omnia ostia, et universorum vincula soluta sunt. *Act.*, XVI.

Virtutes non modicas faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, vel semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. *Act.*, XIX.

Quidam Judæi tentaverunt invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini nostri Jesu Christi, dicentes : « Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. » Respondens

(*a*) Cæt. edit. *etiam*. — (*b*) *Item* circumfultus.

Digitized by Google

autem spiritus nequam dixit eis : « Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis? » Et insiliens homo in quo erat dæmonium dominatus est amborum, et invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. *Act.*, XIX.

Una sabbati Paulus disputans protraxit sermonem usque ad mediam noctem; sedens autem adolescens quidam super fenestram cum mergeretur somno gravi, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus; ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum; adduxerunt autem puerum vivum, et consolati sunt non minime. *Act.*, XX.

Tempore hiemali cum evasissent Paulus et socii ejus de fracta navi, et calefacerent se ad ignem, vipera a calore procedens invasit manum Pauli : quam ille excutiens in ignem, nihil mali passus est, cum tamen crederetur ab hominibus illius regionis illico moriturus. *Act.*, XXVIII.

Patrem Publii febribus et dysenteria laborantem, Paulus facta oratione et manuum impositione sanavit : quo facto omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur. *Act.*, XX.

CAPUT II.

De providentia Dei et occultis ejus judiciis.

Sciebat Dominus hominem peccaturum, et tamen ipsum peccabilem fecit, cum impeccabilem facere potuisset : sed sciebat quantum bonum occasione illius culpæ elici debuisset. *Gen.*, I, de creatione hominis.

Unde fratres Joseph ipsum extinguere crediderunt, inde dispositione Domini ipsum super ipsos exaltaverunt. *Gen.*, XXXVII et seqq.

Laban mercedem Jacob frequenter mutavit, ut ei lucrum subtraheret; qui tamen de facultatibus ejus divina voluntate ditatus est. *Gen.*, XXX.

Mirante Joseph, et causam ignorante, Jacob, in benedictione filiorum ejus, super Ephraim posuit manum dexteram, et super Manassem sinistram. *Gen.*, XLVIII.

Postquam Moyses percusserat Ægyptium, et offenderat corripiendo quemdam Hebræum, fugit a facie Pharaonis, et exulavit in terra Madian multis annis; ita quod videbatur, ut de cætero non auderet comparere in terra Ægypti : et tamen ibi pascendo oves soceri sui, habuit majores occasiones vacandi Deo, et vidit visionem illam grandem, ac missus fuit a Deo ad filios Israel et ad Pharaonem. *Exod.*, II et III.

Sciebat Dominus Pharaonem non obediturum mandatis suis; et tamen ipsum per Moysem faciebat requiri. *Exod.*, V et VI.

Antequam educeret Dominus filios Israel de Ægypto, longo tempore et multotiens affligi eos et flagellari permisit. *Exod.*, I et V.

Magi et malefici Pharaonis, Deo permittente, fecerunt signa in Ægypto, sicut Moyses, quoad plura. *Exod.*, VII.

Permittit Dominus reprobos indurari, et electos affligi, ut aliqua miracula operetur, et inde cognoscatur amplius et laudetur. *Exod.*, IX : « Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. »

Totiens promisit Dominus filiis Israel terram illam lacte et melle manantem, et tamen duo tantum de illis, qui viginti annos habebant, scilicet Caleb et Josue, ad illam pervenerunt; reliqui vero non, sed parvuli eorum tantum. *Num.*, XIV.

Moyses, qui totiens populum peccantem reconciliavit Deo, peccavit semel ad aquas contradictionis, *Num.*, XX; et non obtinuit pro se ipso, ut intraret terram promissionis.

Hoc ipso, quod filii Israel propter peccata sua manserunt quadraginta annis in deserto, amplius magnificatus est Deus, qui eos tandiu pavit, et eorum vestimenta a consumptione servavit, ac tandem eos in terram promissionis mirabiliter introduxit. *Josue*, II.

De gentibus, quæ habitabant in terra promissionis, dicitur, *Josue*, XI : « Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, et perirent. »

Postquam Gedeon tam mirabilem victoriam de inimicis habuerat, et dominari populo recusaverat, fecit ephod : quod factum est ei, et domui ejus in ruinam, *Judic.*, VIII.

Iratus Dominus filiis Israel propter eorum peccata, dixit eis : « Non addam, ut eos liberem. Ite et invocate deos, quos elegistis. » Dixeruntque ad Dominum : « Peccavimus, » etc., et sequitur : « Qui doluit super miseriis eorum. » *Judic.*, X.

Samson, Angelo annuntiante, de sterili matre conceptus, postea pluries fuit per mulieres deceptus, et ad ultimam ruinam domus oppressus. *Judic.*, XVI.

Filii Israel contra filios Benjamin de consilio et voluntate Domini prœliantes, bis debellati

Digitized by Google

fuerunt; sed illos postea penitus deleverunt. *Judic.*, XX.

Permisit Dominus arcam capi ab incircumcisis, ubi multa miracula fecit; et cum reduceretur, Bethsamitæ cum gaudio receperunt illam. Quia vero viderunt eam, percussit Dominus ex eis septuaginta magnos viros, et quinquaginta millia plebeios. I *Reg.*, IV et V.

Saule melior non erat in populo, quando fuit a Domino signanter electus; et tamen cito post peccavit, et fuit a Deo projectus. I *Reg.*, XV.

David erat minimus inter fratres, et quasi nullius reputationis inter eos : unde quando vocati fuerunt filii Isai, iste neglectus, vel contemptus fuit : tamen per illum Dominus totum populum gubernavit, et totam illius progeniem sublimavit. I *Reg.*, XVI, et deinceps.

Satis est mirabile quomodo Samuel sanctus propheta a muliere pythonissa legitur suscitatus, I *Reg.*, XXVIII. Augustinus, in lib. *de Doctrina Christiana*, dicit quod fuit imago Samuelis, non ipse propheta, vel ejus anima, et apparuit ejus imago arte dæmonum sacrilega.

Nota quam expresse locutus est Dominus ad Nathan de bonitate David, et filii ejus, qui ædificaturus erat templum, II *Reg.*, VII; et tamen ambo in peccata postea tam turpiter corruerunt.

Mirabile videtur quod, pro adulterio et homicidio David, unus tantum parvulus mortuus est, II *Reg.*, XII.

Moriturus David ordinationem fecit satis mirabilem; sed quia Scriptura ita commendat eum, supponendum est, licet occulta, non tamen injusta ratione fuisse factum, III *Reg.*, II.

Salomoni dedit Dominus tantam prosperitatem et pacem, quod non erat satan neque occursus malus; item sapientiam, et gloriam præ cunctis regibus : et tamen permisit eum Dominus taliter infatuari, depravari, et multiplices adversarios suscitari, III *Reg.*, XI.

Præcepto Domini per Ahiam prophetam præfectus est Hieroboam super decem tribus, qui populum ad idololatriam malitiose induxit, III *Reg.*, XI.

Occidit leo virum Dei, qui prædixit Jeroboam destructionem altaris sui; et de carnibus ipsius mortui non comedit, III *Reg.*, XIII.

Cum esset Achab sceleratissimus, et audiret pœnam sibi pro criminibus infligendam; cœpit exterius humiliari, et Dominus pœnam infligere prorogavit, III *Reg.*, XXI.

Terribile fuit, quod duos principes quinquagenarios cum quinquaginta suis fecit Elias igne descendente desuper subito devorari, IV *Reg.*, I.

Jehu rex Israel maximo zelo persecutus est cultores Baal, ita quod Dominus ipsius opera commendavit; et tamen ab idololatria vitulorum Jeroboam non recessit, IV *Reg.*, X.

Manasses rex in Hierusalem terribilia scelera perpetravit; postea catenis vinctus, et in Babylonem ductus, pœnitentiam agens oravit Deum, et exauditus fuit, II *Paral.*, XXXIII.

Josias rex Juda cum sanctissimam vitam duxisset, tandem perrexit, ut dimicaret contra Nechao regem Ægypti dicentem ei : « Desine adversum Deum facere qui mecum est, ne interficiat te. » Non acquievit Josias sermonibus Nechao ex ore Dei, et male successit ei, II *Paral.*, XXXV.

Civitatem sanctam electam specialiter et dilectam, peculiarem populum, quem de Ægypto mirabiliter eduxerat, per desertum deduxerat, in terram promissionis introduxerat, permisit Deus per Chaldæos, et Assyrios devastari, et miserabiliter captivari, et videbatur quod Dominus illos penitus non curaret : dicitur autem, *Tob.*, XIII : « Confitemini Domino, filii Israel, quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ (*a*) ignorant eum, (*b*) ut enarretis miracula ejus, et faciatis scire, quia non est alius Deus omnipotens (*c*) præter eum. »

Tobias post tam pia misericordiæ opera, quibus sollicitus intendebat, excæcatus est; cujus causam non intelligentes amici ejus, scandalizati insultabant ei, *Tobiæ*, II.

Satis mirabile potuit reputari, quare tot regna permisit Deus ab Holoferne nequissimo homine subjugari, *Judit.*, II et III.

Item de Aman, qui fuit superbissimus et crudelissimus, et tamen fuit post regem super cunctos principes exaltatus, *Esther*, III.

Mirabantur et scandalizabantur amici Job super eum, quando videbant tam gravibus flagellis afflictum. *Job*, II, et deinceps.

Divina justitia punit interdum malos homines per pejores, sicut filios Israel et Juda per Nabuchodonosor et Chaldæos : unde, *Isa.*, X : « Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est, » etc. « Ipse autem non sic arbitrabatur, » etc.

Non solum super populum fidelem et bonum instituit Dominus principem, vel prælatum; ve-

(*a*) Cæt. edit. *qui*. — (*b*) *Item* Deum. — (*c*) *Item* optimus.

Digitized by Google

rum etiam super omnes : « Non est potestas nisi a Deo, » *Rom.*, XIII. Unde de Cyro prophetavit Isaias, et vocat eum Dominus « Christum » suum, de quo tamen dicit : « Assimilavi te, et non cognovisti me, » etc. *Isa.*, XLV.

Præcepit Dominus Jonæ, ut prædicaret : « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur; » et tamen sciebat Dominus Ninivitas pœnitentiam acturos, et non aliter puniendos, *Jonæ*, III.

Permisit Dominus, ut Antiochus profanaret illud venerabile templum, et succenderet civitatem sanctam, et faceret ibi innumeras cædes hominum innocentium, etc. I *Mach.*, I.

Tempore Antiochi Epiphanis, qui Hierusalem destruxit, templum profanavit, multos Judæos torsit crudeliter et occidit, poterat videri multis quod confusio magna erat et deordinatio in regimine universi. Verumtamen ex illis malis elicuit Deus malorum punitionem, quorumdam vero correptionem; multorum etiam tunc interfectorum virtutes et merita fuerunt multipliciter augmentata. II *Machab.*, VI, 12 : « Obsecro autem eos qui hunc librum, » etc.

Judas Machabæus, Jonathas, et Simon fratres ejus fuerunt viri quoad Deum et homines fidelissimi et strenuissimi, et tamen satis miserabiliter mortui. Nam Judas in bello contra Bacchidem et Alchimum cecidit, II *Machab.*, IX. Jonatham vero cum duobus filiis Tryphon occidit, I *Machab.*, XIII; Simonem autem, et duos filios ejus, Ptolomæus filius Abobi inebriatos proditorie jugulavit, II *Machab.*, XV.

Mirum fuisse videtur quod Eleazarus vir ætate provectus, et illi septem fratres, tam crudelia sustinuerunt pro divina lege tormenta, nec tamen ibi Deus aliquam vindictam in tyrannos ostendit, II *Machab.*, VI et VII.

Voluit Dominus puer existens in Ægyptum deferri a facie Herodis, et permisit loco sui Innocentes occidi, *Matth.*, II. Sed in hoc ipsis infantibus melius providit; nunquam enim tantum bonum Innocentibus pervenisset, si Herodes eos honorare curasset, quantum provenit eis ex eo quod eos occidi mandavit, *Matthæi*, II.

Audita fide Centurionis, miratus est Dominus, et sequentibus se dixit : « Multi venient ab Oriente, et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. » *Matth.*, IX.

Quidam scriba obtulit se ad sequendum Dominum, et non fuit admissus; alium vero invitavit ad sequendum, qui non voluntarius videbatur. Unde dixit : « Dimitte me sepelire patrem meum. » *Luc.*, IX, et *Matth.*, VIII.

Fecit Dominus virtutem in Corozaim et Bethsaida, ubi parum profuit; et non fecit in Tyro et Sidone, ubi si fecisset, multum profuisset, *Matth.*, XI.

Permisit Deus Joannem Baptistam, exemplum totius sanctitatis, ab Herode vilissimo adultero decollari, *Matth.*, XI, et *Marc.*, VI. Stuporem autem auget, quia hoc factum fuit ad instantiam meretricis; nec aliqua vindicta legitur in Evangelio subsecuta, neque in Herodiade, neque in puella, neque in ipso Herode tetrarcha.

In dominica passione per sceleratissimam hominum iniquitatem, Deus circa redemptionem humani generis suam benignissimam voluntatem ostendit. Unde dixit Petrus, *Act.*, III : « Deus qui prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic, » etc.

Petrus apostolorum princeps, et caput Ecclesiæ, Dominum, ipso permittente, ter negavit. Thomas, qui tam confidenter dixerat : « Eamus et nos, et moriamur cum eo, » *Joan.*, XI, de resurrectione dominica dubitavit. Ex quibus secutum (*a*) est, quod Petrus fuit mitior erga peccatores, et fuerunt in fide solidati fideles, vel in fide aliqualiter cespicientes. Item habetur ex hoc, quod nullus debet de sua firmitate præsumere, et quod sive aliquis ceciderit a fide, sive dubitaverit in fide, non debet de divina misericordia et de consequenti venia desperare.

Item ex hoc quod Judas apostolus et dispensator Domini in enorme peccatum cecidit, nec surrexit, reprehenditur omnis præsumptuosa securitas, quod nullus pro statu quem habeat, vel pro actu quem faciat, debet alte sapere, sed timere.

Quando Apostoli duces fidelis populi fuerunt in carcere, et cum diligentia custoditi, *Act.*, V, poterat videri aliquibus infirmis, quod Deus tempore novellæ fidei non debebat talia permisisse : sed ex hoc ipso fideles fuerunt mirabiliter consolati, et adversarii fidei confutati. Simile accidit de solo Petro, *Act.*, XII, quando fuit ab Herode captus et carceratus, et per Angelum miraculose eductus.

Magna fuit iniquitas Stephanum lapidare; et tamen inde multa bona supernæ providitate

(*a*) *Cæt. edit.* secutus.

Digitized by Google

clementiæ provenerunt : nam ipse fuit in cœlo gloriosius coronatus, in terra abundantius honoratus ; oratio etiam sua, quam ibi fecit, nobis acquisivit Paulum, et omnibus posteris reliquit miræ patientiæ et charitatis exemplum. *Act.*, VII.

Lapidato Stephano, facta est magna persecutio in ecclesia quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter apostolos, ita quod videbatur ad multum Christiana Religio vergere detrimentum. Sed dispersi discipuli evangelizabant verbum Dei, ita quod hoc ipso Ecclesia fuit amplius dilatata. *Act.*, VIII.

Prædicantibus Paulo et Barnaba Judæis, et illis repellentibus verbum Dei, assumpserunt ipsi occasionem gentibus prædicandi. Unde dixerunt, *Act.*, XIII : « Nobis oportebat primum loqui verbum Dei, etc. Ecce convertimur ad gentes. » Audientes autem gentes gavisæ sunt.

Facta est dissensio inter Paulum et Barnabam, propter Joannem Marcum, quem Paulus nolebat recipere, eo quod discessisset ab eis ; Barnabas autem volebat eum secum assumere, ita quod ab invicem discesserunt : ex quo videbatur scandalum debere sequi. Sed disponente Deo magnus secutus est fructus, quia pluribus prædicatum est verbum Dei. *Act.*, XV.

Grandia facinora committebant illi, qui egregium doctorem Paulum incarcerabant, et a prædicatione ipsum cessare cogebant. Poterat etiam multis videri, quod hoc magnum inconveniens erat, et quod Dominus hoc permittere non debebat. Et tamen notandum est valde quod ex tantis impedimentis et damnis divina providentia multas virtutes effecit ; nam inde meritum Pauli crevit ; sic etiam majora virtutum exempla reliquit, et melius docuit per opera, quam prius fecisset per verba. Præterea in carcere positus scripsit absentibus et remotis. Nec tantum profuit Ecclesiæ prædicando, quantum profuit epistolas transmittendo. Unde si in una civitate vel provincia fuisset ab hominibus honoratus et libenter auditus, non habuisset occasiones ad diversos populos remeandi, nec tot gentibus Evangelium seminandi. Quando igitur persequebantur eum Judæi, vel quicumque alii, de civitate in civitatem, verbum Dei pluribus prædicabat : quando in carcere tenebatur, epistolas faciebat. Item quando resistebant ei Judæi, ad gentes se convertebat, *Act.*, XIII : « Quoniam repellitis verbum Dei, » dicebat Judæis, « ecce convertimur ad gentes. » Item, *Act.*, XVIII, dixit Judæis : « Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego ex hoc ad gentes vadam. » Rursus etiam, quia (*a*) miseria Felicem et Festum judices habuit cupidos et iniquos, compulsus est Cæsarem appellare, sicque Romam venit, quam sua doctrina vel prædicatione salubriter illustravit, et sua passione feliciter decoravit.

CAPUT III.

De benignitate Dei ad servos suos.

Abraham loquens cum Domino, et petens ut parceret Sodomitis, mira fiducia utebatur, et visus fuisset apud homines importunus. Sed Dominus ei semper benigne respondit, et quod petebat concessit. *Gen.*, XVIII.

Fugienti Jacob iram fratris sui Dominus clementer apparuit ; item redeuntem ad patrem suum ab insecutione soceri liberavit, *Gen.*, XXX et XXXI.

Magna fiducia usus est Jacob orando Deum, dicens : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, » etc., *Gen.*, XXXII.

Ait Dominus ad Moysen : « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit ; dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, » *Exod.*, XXXII ; quasi diceret : Tu me tenes, nec possum hos peccatores conterere, nisi dimittas me.

Loquebatur Dominus per Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Præterea ipsum ab æmulis, et detractionibus defendebat. *Num.*, XII, XXIII, XVI ; *Exod.*, XXXIII.

Obedivit Deus voci Josue dicentis : « Sol, contra Gabaon non movearis, » etc. *Josue*, X.

Balach vocavit Balaam, ut malediceret filios Israel ; sed Dominus e contrario per illum benedixit eis, sicut refert Josue, XXIV. Et de hoc quærebatur Balach, *Num.*, XXIII.

Gedeon bis a Domino petiit signum in vellere, utrum deberet victoriam de hostibus obtinere, *Jud.*, VI. Mirum fuisse videtur de hoc, quod Deus (*b*) non fuit indignatus.

In abjectione seu contemptu servorum Dei, ipse Dominus reputat se contemptum, ut patet in Samuele. I *Reg.*, VIII, 7 : « Non te abjecerunt, sed me, » dixit Dominus Samueli.

Nota quam pie locutus est Dominus ad Nathan de David et domo ejus in futurum, II *Reg.*, VII.

(*a*) *Forsan supplendum* in sua. — (*b*) *Cat. edit.* diis.

Digitized by Google

Quamvis posteri David multipliciter et graviter peccaverunt, tamen opera ejus bona frequenter memorantur, et propter illa multoties pepercit Dominus peccatis illorum, III *Reg.*, III et IV.

Ex præcepto Domini corvi deferebant panem et carnes Eliæ, III *Reg.*, XVII. Et postea Angelus Domini panem et aquam ei obtulit, III *Reg.*, XIX.

Ezechias rex Juda dixit: « Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum, et non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. » II *Paralip.*, XXX.

Misit Dominus angelum suum, qui Tobiam juniorem duxit et reduxit, dæmonium ab ejus uxore compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, seniorem Tobiam a cæcitate curavit, et totam domum ejus bonis omnibus replevit. *Tob.*, V, et deinceps.

Videbatur Dominus quasi timere offensam Hieremiæ, cum vellet populum propter peccata sua omnino delere: dicebat enim, *Hierem.*, VII: « Projiciam vos a facie mea. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. »

Planum est, quod Deus est cum servis suis in tribulatione. Unde Nabuchodonosor cum Azaria et sociis ejus similem Filio Dei vidit in fornace ardenti, *Dan.*, III.

Exaudivit Dominus vocem Susannæ, et quia per impudicos senes presbyteros injuste fuerat condemnata, per continentem puerum fuit justo judicio liberata, *Dan.*, XIII.

Cum Daniel esset in Babylone in lacu leonum, misit ei Dominus de longinquo xenium; nam de Judæa misit ei prandium per Habacuc prophetam, *Dan.*, XIV.

Præparavit Dominus piscem magnum, ut deglutiret Jonam, *Jonæ*, II; qui tamen propter inobedientiam videbatur juste meruisse pœnam.

Machabæus, et qui cum eo erant, pugnantes contra Timotheum habuerunt de cœlo manifestum auxilium; apparuerunt ei viri quinque in equis, etc. Postea vero euntes ad prælium contra Lysiam, apparuit præcedens eos eques in veste candida armis aureis hastam vibrans, II *Machab.*, XI.

Mira benignitas erat in Domino Salvatore, qui circuibat sanans omnem languorem et omnem infirmitatem; quod nisi fecisset, multi infirmi accedere ad eum non potuissent. *Matth.*, IV et IX; *Luc.*, VIII.

Leproso dicenti: « Domine, si vis, potes me mundare; » pie respondit Dominus, et benigne fecit. Sequitur enim: « Extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. » *Matth.*, VIII. Sacerdotes autem hujusmodi homines habebant horrori.

Statim post vocationem Matthæi, discubuit Dominus in domo ejus, *Matth.*, IX; *Luc.*, V.

A muliere fluxum sanguinis patiente, quæ secundum legem immunda erat, clemens et pius Jesus permisit se tangi; et illam quæ duodecim annis omnia in medicos erogaverat, in momento sanavit. *Marc.*, V; *Matth.*, IX.

Cum secessisset Dominus in desertum, vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. Vespere autem facto, dixerunt ei discipuli: « Dimitte turbas. » Jesus autem tanquam liberalissimus dixit eis: « Date illis vos manducare, » etc. *Matth.*, XIV.

Petrus incipiens mergi clamavit, dicens: « Domine, salvum me fac; » et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum. *Matth.*, XIV.

Mariam Magdalenam pie defendit Dominus Jesus contra Pharisæum mala de illa cogitantem, *Luc.*, VII; item contra sororem propriam de illa conquerentem, *Luc.*, X; item contra discipulos, propter infusionem unguenti, in eam frementes, *Marc.*, XIV.

Ineffabilis pietas Dei multum ostenditur in exemplo de filio prodigo, ubi dicitur, quod « cum longe adhuc esset filius, vidit eum pater suus, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. » Item volebat ille dicere, et petere, quod fieret sicut unus de mercenariis, et pater quasi interrupit verba ejus, et recepit eum in filium, etc., *Luc.*, XV.

De facile Dominus recipit illos quos mundus ejecit. Unde cæcus ille natus a Domino receptus est, *Joan.*, IX.

Mira fuit Christi benignitas, quando ad domum publicani Zachæi, qui eum videre cupiebat, seipsum invitavit, et ejusdem domui benedixit, *Luc.*, XIX.

Cum protulisset Dominus indistincte: « Unus ex vobis me tradet; » innuit Petrus Joanni: « Quis est de quo dicit? » Itaque cum recubuisset Joannes supra pectus Domini, dicit ei: « Domine, quis est? » Ecce magna benignitas et familiaritas Salvatoris. *Joan.*, XIII.

Promisit Salvator discipulis suis de suo recessu contristatis, quod Pater alium Paraclitum

Digitized by Google

daret eis, *Joan.*, XIV. Quod optime completum est in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus eos totaliter roboravit, consolatus est, illustravit, vel docuit, *Act.*, II.

Venientibus ad capiendum Dominum ministris pontificis, dixit eis : « Si me quæritis, sinite hos abire. » Sciebat enim quod non erant parati ad martyrium sustinendum : idcirco infirmitati eorum condescendens, voluit quod parceretur eis, *Joan.*, XVIII.

Petiit latro, ut Dominus meminisset ejus, cum venisset in regnum ejus. Dominus autem plus concessit, quam ille peteret, dicens : « Hodie mecum eris in paradiso. » *Luc.*, XXIII.

Magna fuit Christi pietas, quæ nec Petrum, qui eum ter negaverat, repulit, sed benigne respexit, *Luc.*, XXII; nec Thomam in dubitatione reliquit, sed se palpandum ei manifeste exhibuit, *Joan.*, XX. Item Paulum in actu persecutionis existentem excæcavit, et convertit, *Act.*, IX.

Dum lapidaretur beatus Stephanus, vidit Dominum Jesum in cœlis stantem, tanquam paratum ad ipsum fortiter adjuvandum, *Act.*, VII.

Beato Joanni in insula Pathmo (*a*) exulanti multam benignitatem Dominus ostendit, ei (*b*) mittendo angelum suum, qui eum multiplici revelatione consolatus est, *Apoc.*, I, et deinceps per totum.

CAPUT IV.

De consolatione divina.

Postquam Abraham exivit de terra sua ad mandatum Domini, ipse Dominus consolatus est eum diversis apparitionibus et revelationibus, *Gen.* XII, XV, XVII et XVIII.

Fugienti Jacob a facie fratris sui, et super lapidem dormienti, apparuit Dominus, et ei magnam consolationem infudit, *Gen.*, XXVIII.

Apparuit Dominus Moysi exulanti, et oves pascenti : quod non accidit ei, quandiu nutriebatur in domo Pharaonis. *Exod.*, III.

Filiis Israel in deserto pluit manna de cœlo, *Exod.*, XVII. Item carnes et aquam pluries Dominus miraculose dedit.

Moyses in monte existens cum Domino quadraginta diebus et quadraginta noctibus non manducavit, neque bibit; reficiebatur enim divino colloquio. *Exod.*, XXXIV.

Dixit Dominus ad Josue, *Josue*, I : « Non dimittam nec derelinquam te; confortare, et esto robustus, » etc.

Præcepit Dominus, ut corvi portarent bis in die panem et carnes Eliæ, III *Reg.*, XVII. Iterum post hoc apparuit Dominus ei, cum fugeret Jezabel, cujus prophetas fecerat occidi, III *Reg.*, XIX.

Efficaciter consolatus est Dominus Ezechiam per prophetam et per Angelum, qui occidit centum octoginta quinque millia de exercitu regis Assyriorum, IV *Reg.*, XIX.

Exauditæ sunt eodem tempore orationes Tobiæ et Sarræ; et missus est Angelus Domini, qui curaret ambos : Sarram videlicet a dæmonio viros illius interficiente, et Tobiam seniorem a cæcitate et paupertate. *Tob.*, III.

Populum Israel existentem in angustia et timore pro exercitu Holofernis, dignatus est Dominus per manum unius feminæ mirabiliter consolari. *Judith*, X, et deinceps.

Convertit Dominus luctum Judæorum in gaudium, quando ipsi, procurante Esther, suos hostes, qui ad jugulationem eorum se paraverant, occiderunt, *Esther*, IX.

Notabile est, quod quando populus Israel fuit in maxima afflictione, scilicet tempore captivitatis Babylonicæ, plures habuit prophetas, quam tempore Salomonis, quando fuit in magna prosperitate. Nam Hieremias fuit in Judæa; Ezechiel et Daniel, in Chaldæa.

Angelus Domini ascendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, *Dan.*, III. Per quod apparet quod omni loco, omni tempore parata est divina pietas hominem confortare.

Danielem bis positum in lacu leonum, consolatus est Dominus, primo mittendo angelum, qui leonum ora conclusit, *Dan.*, VI; secundo per Habacuc prophetam, quando de Judæa in Chaldæam cum cibo per Angelum transportavit, *Dan.*, XIV.

Susannam calumniose damnatam eripuit Deus ex insperato per Danielem puerum, *Dan.*, XIII.

Machabæus, et qui cum eo erant, videntes adjutorem a Deo sibi missum et ducem, benedixerunt misericordem Deum, et convaluerunt animis, II *Mach.*, XI.

Bene implevit Dominus promissionem suam Apostolis factam, qua dixerat eis alium paraclitum se missurum, quando misit eis Spiritum sanctum in die Pentecostes, qui eos tam

(*a*) *Cæt. edit.* Patmos, et sic deinceps. — (*b*) *Item* et.

Digitized by Google

copiose docuit, consolatus est, et roboravit. *Act.*, II.

Felix Paulus etiam in hac vita, qui secure dicebat, II *Cor.*, I, 5 : « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra; » et VII, 4 : « Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra. »

Ecclesia habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur. *Act.*, IX.

Petro in carcere Herodis vincto, et cum diligentia custodito, misit Angelum suum, qui de manu Herodis et Judæorum liberavit eum. *Act.*, XII.

Paulo et Sila ejus socio laudantibus Deum in carcere in media nocte, subito terræ motus factus est magnus, et aperta sunt omnia, et universorum vincula sunt soluta. *Act.*, XVI.

Dixit Dominus nocte per visionem Paulo, cum prædicaret Corinthiis : « Noli timere, sed loquere, et ne taceas; propter quod ego tecum sum, et nemo apponetur, ut noceat te. » *Act.*, XVIII.

Cum esset Paulus in custodia Claudii Lysiæ tribuni detentus, nocte assistens ei Dominus ait : « Constans esto, Paule, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic oportet te Romæ testificari. » *Act.*, XXIII.

Cum beatus Joannes Apostolus esset in Pathmo insula relegatus, divina revelatione fuit multipliciter consolatus. *Apocal.*, I, et deinceps.

CAPUT V.

De benedictione, quam Deus dat.

Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; masculum et feminam creavit eos, benedixitque eis, et ait : « Crescite, et multiplicamini, » etc. *Gen.*, I.

Benedixit Deus Noe et filiis ejus, et dixit ad illos : « Crescite et multiplicamini, et replete terram, » etc. *Gen.*, IX.

Dixit Dominus ad Abraham : « Egredere de terra tua, etc., benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, » etc. *Gen.*, XII.

« Super Ismael exaudivi te, » dixit Dominus ad Abraham : « Ecce benedicam ei et augebo, et multiplicabo eum valde. » *Gen.*, XVII.

Dominus benedixit Isaac, et locupletatus est, et ibat proficiens, etc., *Gen.*, XXVIII.

Loquens Jacob socero et avunculo suo Laban, ait : « Inconveniens (*a*) habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. » *Gen.*, XXX, 30.

Jacob in oratione luctans cum Angelo, ait : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. » Sequitur : « Benedixit ei in eodem loco. » *Gen.*, XXXII.

Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in hædis, quam in agnis, cunctam substantiam ejus. *Gen.*, XXXIX.

Habitavit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, benedixitque Dominus Obededom et omnem domum ejus. II *Reg.*, VI.

« Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra. » *Job*, I; et de eodem, XLII : « Dominus benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus. »

Ascensurus in cœlum Salvator eduxit discipulos suos in Bethaniam, « et elevatis manibus suis, benedixit eis, » etc. *Luc.*, XXIV.

Desideranda est illa benedictio, quam dabit Dominus electis in die judicii, quando dicturus est : « Venite, benedicti Patris mei, » etc., *Matth.*, XXV.

CAPUT VI.

De maledictione qua Deus maledicit.

Serpens primo legitur a Deo maledictus fuisse. Unde dicit : « Maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ; super pectus tuum gradieris, » etc. *Gen.*, III.

Ad pœnam hominis dictum est, *Gen.*, III : « Maledicta terra in opere tuo, » etc.

Post iniquam fratris occisionem, et superbam responsionem, dixit Dominus ad Caim : « Maledictus eris super terram, » etc. *Gen.*, IV.

Lamentans Hieremias excidium civitatis Hierusalem, dixit, *Thren.*, II : « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, » etc.

Daniel in oratione sua dicebat : « Stillavit super nos maledictio et detestatio, » etc., *Dan.*, IX. Et nota quod maledictio *stillare* dicitur super peccatores, sed super justos benedictio *inundare*. *Ezech.*, XXXIX : « Benedictio illius quasi fluvius inundavit. »

Sacerdotibus malis loquens Dominus per Malachiam prophetam, dixit : « Maledicam benedictionibus vestris, » etc. *Malach.*, II.

Ficus habens folia sine fructu, maledicta fuit a Domino, et continuo aruit. *Matth.*, XXI, et *Marc.* XI.

Nimis erit terribilis illa maledictio contra reprobos proferenda in die judicii, *Matth.*, XXV : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

(*a*) Vulg. *Modicum.*

Digitized by Google

CAPUT VII.

De benedictione qua homo benedicit Deum.

Melchisedech rex Salem occurrens Abraham revertenti a cæde quatuor regum, ait : « Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. » *Gen.*, XIV.

Obtenta victoria de Sisara, Debbora et Barac cecinerunt dicentes : « Qui sponte obtulistis dé Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. » *Judic.*, V.

Post victoriam, quam dedit Dominus David de Goliath Philistæo, II *Reg.*, XXII, dicitur fecisse Psalmum : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, » etc.

Cum audivisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, et ait : « Benedictus Dominus, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. » II *Reg.*, V.

Ædificato templo, dixit Salomon coram universo populo : « Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit, » etc. III *Reg.*, VIII, 15.

« Fecit David principes ad confitendum Domino Asaph et fratres ejus : » sequitur : « Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno, et usque in æternum, » etc. I *Paral.*, XVI.

David rex lætatus est gaudio magno, et benedixit Domino coram universa multitudine. I *Paral.*, XXIX.

Videns Esdras animum Arthaxersis regis bonum esse erga Judæos, dixit : « Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Hierusalem. » I *Esdr.*, VII.

Completo muro civitatis Hierusalem sub Esdra et Nehemia, dixerunt Levitæ : « Surgite, et benedicite Deo nostro ab æterno et usque in æternum, et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude. » *Nehem.*, IX.

Cum aperuisset Esdras librum legis, stetit omnis populus, et benedixit Esdras Domino Deo voce magna, et respondit omnis populus : « Amen, Amen. » *Nehem.*, VIII.

Sarra filia Raguelis, cum compleret orationem, dixit : « Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, » etc. *Tob.*, III.

Filium suum instruens Tobias, dixit inter cætera : « Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, » etc. *Tob.*, IV.

Raguel et uxor ejus, videntes quod Tobiam juniorem non læserat dæmonium, dixerunt : « Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia non contigit nobis quemadmodum putabamus. » *Tob.*, VIII.

Sollicite monuit Tobiam et filium ejus Raphael angelus, ut benedicerent Deum cœli, et narrarent omnia mirabilia ejus. *Tob.*, XII.

Recuperato visu, et auditis sermonibus Raphaelis, aperiens Tobias os suum benedixit Deum, et dixit : « Magnus es, Domine, in æternum. » *Tob.*, XIII.

Ozias princeps populi Israel, videns Judith cum capite Holofernis, dixit : « Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram; qui te direxit, » etc. *Judith*, XIII.

Danieli nocte per visionem mysterium revelatum est, et benedixit Deo cœli, et ait : « Sit nomen Domini benedictum a sæculo, quia sapientia et fortitudo ejus sunt, » etc. *Dan.*, II.

Ananias et socii ejus missi in caminum ignis, ambulabant in medio flammæ, laudantes et benedicentes Domino. *Dan.*, III. Et rex Nabuchodonosor postea, viso tanto miraculo, ait : « Benedictus Deus Sydrach, Mysach, » etc.

Obtenta de hostibus victoria, et ædificato altari sub Juda Machabæo, filii Israel adoraverunt et benedixerunt in cœlum eum qui prosperavit eos. I *Mach.*, IV.

Propter Heliodorum volentem spoliare templum, qui divina virtute terribiliter flagellatur, benedixerunt omnes Dominum, quia magnificabat locum suum. II *Mach.*, III.

Machabæus, et qui cum eo erant, videntes auxilium a Deo sibi missum, benedixerunt simul misericordem (*a*) Dominum, et convaluerunt animis, etc. II *Mach.*, XI.

Nato Joanne Baptista, apertum est os Zachariæ, et prophetavit, dicens : « Benedictus Dominus Deus Israel, » etc. *Luc.*, I.

Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, Simeon accepit eum, et benedixit Deum, dicens : « Nunc dimittis, » etc. *Luc.*, II.

Post ascensionem Domini erant in templo discipuli laudantes et benedicentes Deum. *Luc.*, XXIV.

Tribulationes patiens apostolus Paulus dicebat : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi. » II *Cor.*, I. Similiter Petrus : « Benedictus Deus, » etc. I *Pet.*, I.

(*a*) *Cæt. edit.* misericorditer.

Digitized by Google

Benedicere Deum est quasi opus vel officium paradisi. *Apoc.*, v : « Omnes audivi dicentes : Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, » etc.

CAPUT VIII.

De benedictione, qua homo benedicit homini.

Melchisedech rex Salem occurrit Abraham revertenti a cæde quatuor regum, et ait : « Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram. » *Gen.*, XIV.

Benedixit Isaac Jacob, dicens : « Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et (*a*) vini, et serviant tibi populi, » etc. *Gen.*, XXVII. Cum Esau ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum : « In pinguedine terræ, et rore cœli, desuper erit benedictio tua ; vives in gladio, et fratri tuo servies. » *Gen.*, XXVII.

Introduxit Joseph patrem suum Jacob ad Pharaonem : qui benedicens illi, et interrogatus ab illo, « Quot sunt dies annorum vitæ tuæ, » etc. *Gen.*, XLVII.

Benedixit Jacob filio suo Joseph, et ait : « Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei, benedicat pueris istis. » Loquebatur de Manasse, et Ephraim, quos Joseph pater eorum rogaverat per patrem benedici. *Gen.*, XLVIII. Postmodum etiam benedixit Jacob singulis filiis suis, benedictionibus propriis. *Gen.*, XLIX.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : « Sic (*b*) benedicetis filiis Israel : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, » etc. *Num.*, VI.

Extendens Aaron manum ad populum, benedixit eis. *Levit.*, IX.

Dixit Balaam filius Beor : « Ad benedicendum adductus sum ; benedictionem prohibere non valeo. » *Num.*, XXIII.

« Non pernoctabit apud te pignus pauperis ; sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi. » *Deut.*, XXIV.

Moyses homo Dei benedixit filiis Israel ante mortem suam, et ait : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, » etc. *Deut.*, XXXIII.

Vocavit Josue Rubenitas et Gaditas, et dimidiam tribum Manasse, dixitque ad eos : « Fecistis omnia quæ vobis præcepit Moyses, etc. Benedixitque eis Josue, et dimisit eos. » *Josue*, XXII.

In cantico pro victoria habita de Sisara, dicitur, *Judicum*, V : « Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cynei, et benedicatur in tabernaculo suo, » etc.

Noemi videns Ruth, nurum suam a Boos fuisse honoratam, dixit : « Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. » *Ruth*, II.

Commendans Boos Ruth, quæ ad Deum Israel confugerat, ait : « Benedicta es a Domino, quia priorem misericordiam posteriore superasti. » *Ruth*, III.

Heli benedixit Helcanæ, et uxori ejus, dixitque eis : « Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino. » I *Reg.*, II.

Nuntiaverunt Ziphæi Sauli, quod David latitaret apud eos, dixitque Saul : « Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. » I *Reg.*, XXIII.

Nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul, dixitque ad eos : « Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, et sepelistis eum. » II *Reg.*, II.

Convertit rex Salomon faciem suam, et benedixit omni Ecclesiæ Israel. Omnis autem Ecclesia Israel stabat. III *Reg.*, VIII.

Cum complesset offerens pacifica et holocausta, benedixit populo in nomine Domini, et divisit (*c*) universis per singulos tortam panis, etc. I *Paral.*, XVI.

Apprehendens Raguel dexteram filiæ suæ, tradidit Tobiæ, dicens : « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. » *Tob.*, VII.

Raguel osculatus est Tobiam, et plorans super collum ejus dixit : « Benedictio tibi sit, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. » *Tob.*, VII.

Gabelus ingressus domum Raguelis invenit Tobiam, et flevit dicens : « Benedicat te Dominus Deus Israel, quia filius es viri optimi et justi, et timentis Deum, et eleemosynas facientis. » *Tob.*, IX.

Ozias princeps populi, dixit ad Judith : « Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. » *Judith*, XIII.

Item postea omnes benedixerunt illam una voce, dicentes : « Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, » etc., *Judith*, XIV.

(*a*) *Cæt. edit. deest* et. — (*b*) *Cæt. edit. deest* Sic. — (*c*) *Al.* diviais.

Digitized by Google

Factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exclamavit, et dixit : « Benedicta inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. » *Luc.*, I.

CAPUT IX.

De maledictione qua homo maledicit.

Primus inter homines Noe legitur maledixisse Canaan nepoti suo, pro eo quod Cham pater ejus nuditatem ipsius Noe cæteris fratribus nuntiavit, et magis eam tegere debuisset. *Gen.*, IX.

Inter verba benedictionis, quam dedit Isaac Jacob filio suo, dixit : « Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. » *Gen.*, XXVII.

De Simeon et Levi dixit Jacob pater eorum : « Maledictus furor eorum, quia pertinax ; et indignatio eorum, quia dura. » *Gen.*, XLIX.

« Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ, morte moriatur. » *Levit.*, XX,

Balac misit nuntios ad Balaam, ut veniret, et malediceret populo Israel : audierat enim quod maledictus erat, in quem maledicta congessisset. *Num.*, XXII.

Multas maledictiones ponit Moyses in eos, qui transgrederentur tradita illis divina mandata, *Deut.*, XXVII.

Diruta civitate Jericho imprecatus est Josue, dicens : « Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et ædificaverit Jericho. » *Jos.*, IX.

Sichimitæ inter epulas, et pocula maledicebant Abimelech, *Judic.*, IX.

Goliath Philistæus maledixit David in diis suis, I *Regum*, XVII.

Saul volens persequi Philistæos, adjuravit populum dicens : « Maledictus qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. » I *Reg.*, XIV.

Semei procedebat egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et dicebat : « Egredere, vir sanguinum, et vir Belial » II *Reg.*, XVI.

Elisæus maledixit pueris illudentibus ei, et dicentibus : « Ascende, calve ; » et lacerati sunt quadraginta pueri a duobus ursis. IV *Reg.*, II.

Cum Judas Machabæus obsideret quoddam præsidium, illi qui intus erant, supra modum maledicebant, et sermones nefandos jactabant, II *Mach.*, X.

Pharisæi maledicebant cæco nato per Dominum Jesum illuminato, et dixerunt, *Joan.*, XI « Tu discipulus ejus sis, cujus maledictio sit super nos, et super filios nostros. »

Arguebant Judæi Paulum, dicentes : « Summum sacerdotem Dei maledicis. » Sed ille excusavit se, et dixit : « Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. » *Act.*, XXIV.

CAPUT X.

De severitate Dei erga delinquentes.

Graviter punivit Deus peccatum priorum parentum, quod ipsi credebant veniale, nec ita dure puniendum fore, *Gen.*, III.

Originali mundo Deus non pepercit, II *Petr.*, II ; sed ipsum pene totum diluvii inundatione delevit, *Gen.*, VII.

Quinque civitates, propter peccatum contra naturam, fœtenti conflagratione consumptæ fuerunt per angelos a Deo missos, *Gen.*, XIX.

Ægyptii persequentes filios Israel, submersi sunt, jubente Deo, quasi plumbum in aquis vehementibus, *Exod.*, XIV et XV.

Quia populus Amalec voluit impedire filios Israel euntes in terram promissionis, dixit Dominus ad Moysem : « Delebo omnem memoriam Amalec de sub cœlo. » *Exod.*, XVII.

Propter vitulum, quem (*a*) adoravit populus, ceciderunt una die viginti quatuor millia hominum, *Exod.*, XXVII.

Egressus est ignis a Domino, et devoravit Nadab et Abiu filios Aaron, qui scilicet, arreptis thuribulis, ignem alienum et incensum desuper posuerunt, et coram Domino obtulerunt, *Levit.*, X.

Jussit Dominus blasphemum extra castra educi, et ab universo populo lapidari, *Levit.*, XXIV.

Carnibus, quas miserat Dominus, in dentibus filiorum Israel adhuc (*b*) existentibus, percussit Dominus populum plaga magna nimis, *Num.*, XI.

Percussit Dominus Mariam lepra, quia locuta est contra Moysen, *Num.*, XII.

De sexcentis millibus virorum, qui numerati sunt, *Num.*, I, nullus intravit terram promissionis, propter peccata eorum, præter Caleb et Josue, sicut minatus est Deus, *Num.*, XIV.

Ligna colligens in sabbato, fuit præcepto Domini lapidatus, *Num.*, XV.

Terribili morte occidit Dominus Core, et complices ejus, *Num.*, XVI.

Hæsitantem ad aquam contradictionis Moysen

(*a*) *Cæt. edit.* quod. — (*b*) *Item* ad hoc.

Digitized by Google

Dominus dure punivit, *Num.*, XX, cum tamen usque tunc tam sancte et fideliter se gesisset, tam ad Deum, quam ad populum.

Misit Dominus serpentes ignitos in populum, quia tæduerat eos itineris et làboris, et dixerant : « Quare eduxisti nos ? » etc., *Num.*, XXI.

Achor cum tota supellectili sua periit, quia tulerat de anathemate Jericho, *Josue*, VII.

Pro peccato in uxorem Levitæ commisso, tota tribus Benjamin, exceptis sexcentis hominibus, fuit Domino jubente deleta, *Judic.*, XX.

Heli peccantes filios corripuit (*a*), sed lente ; propter quod ipse in eis et cum eis punitus est, I *Reg.*, II et IV. Quid ergo de illis, qui filios suos non corripiunt, sed incitant ad malum verbis et exemplis ?

Quia Saul obtulerat holocausta contra mandata Samuelis, reprobatus est, I *Reg.*, XIII.

Item, quia Agag regem Amalec et gregem ovium reservavit, I *Reg.*, XIV.

Propter peccatum Saul puniti sunt illi de domo sua, et post mortem ejus ; et propter eos facta est fames in terra, II *Reg.*, XI.

Adducente David arcam Dei super plaustrum, Osa tenuit eam ne caderet, quia bos lasciviens inclinaverat eam ; et percussit eum Dominus super temeritate, qui mortuus est ibi, II *Reg.*, VI.

Septuaginta duo millia hominum mortua sunt propter elationem David, quando fecit populum numerari, III *Reg.*, XXIV.

Vir Dei, qui venit de Juda, et nuntiavit Hieroboam succensionem ossium sacerdotum ejus, occisus fuit a leone, eo quod contra imperium Domini comedit panem in domo cujusdam mali prophetæ, III *Reg.*, XIII.

Quadraginta duo pueri fuerunt a duobus ursis lacerati, pro eo quod illuserant Elisæo dicentes : « Ascende calve, » IV *Reg.*, II.

Si tam graviter punitum fuit peccatum Giezi, qui accepit munera a Naaman satis voluntarie data, quid erit de illis, qui accipiunt multa fraudulenter exacta, vel violenter extorta ? IV *Reg.*, V.

Ozias rex Juda cepit thuribulum, et more sacerdotum voluit adolere incensum, statimque orta est lepra in fronte ejus, II *Paralip.*, XXVI.

Quia Ezechias ostendit thesaurum suum nuntiis regis Babylonis, amisit eum, cum tamen illi de terra longinqua venissent, et videbatur quod lætanter recipi debuissent, IV *Reg.*, XX.

Populum peculiarem et dilectum tradidit Deus in manibus Nabuchodonosor, qui totam gentem crudeliter captivavit, sanctam civitatem combussit, et templum destruxit, IV *Reg.*, XXV.

« Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, » etc., sequitur : « Erit pro suavi odore fœtor, » etc. « Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. » *Isa.*, III.

Reges Babylonis filios Israel crudeliter tractaverunt ; postea etiam ipsi cum inclyta civitate sua fuerunt destructi, sicut minatur Dominus, *Isa.*, XIII, XIV ; et *Hierem.*, L et LI.

De pœna per Chaldæos Judæis illata, dicit Dominus per Hieremiam : « Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli, » etc. *Hier*, XXX.

Heliodorus fuit graviter flagellatus, eo quod viduarum et pupillarum deposita voluit asportare. II *Machab.*, III.

Antiochus rex fuit ea grandi plaga percussus, ut de corpore impii vermes scaturirent ; odore etiam illius ac fœtore exercitus gravaretur. II *Machab.*, IX.

Servum nequam, qui nolnit dimittere conservo suo centum denarios, dominus iratus tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. *Matth.*, XVIII.

Inutilem servum, qui traditum sibi non studuit multiplicare talentum, præcipit dominus illo, quod habuerat, spoliari, et in tenebras exteriores ejici. *Matth.*, XXV.

Fraus illa quam commisit Ananias, conscia Saphira uxore sua, gravi fuit ultione punita. *Act.*, V.

Herodes vestitus veste regali ; sedebat pro tribunali ; populus autem acclamabat : « Dei voces, et non hominis. » Confestim ergo percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus expiravit. *Act.*, XII.

CAPUT XI.

De ira Dei, vel furore.

Attende, quod secundum Augustinum[1], lib. XV, *de Civitate Dei*, « ira Dei non perturbatio animi ejus est, sed judicium quo irrogatur pœna peccato : cogitatio vero ejus, et recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio : neque enim, sicut homines, ita Deum cujus-

(*a*) *Cæt. edit.* corripit.

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XV, c. XXV.

Digitized by Google

quam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia. Sed si non utatur Scriptura talibus verbis, non se quodam modo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut et perterreat superbientes, et excitet negligentes, et exerceat quærentes, et alat intelligentes; quod non faceret, si non se prius inclinaret, et quodam modo descenderet ad jacentes.»

Quia Moyses ducatum populi recipere, Domino jubente, multotiens recusavit, iratus est Dominus in Moysen.» *Exod.*, IV.

Iratus est Dominus in Ægyptios, qui detinuerunt et afflixerunt populum suum, et tandem voluerunt persequi recedentes. *Exod.*, XV: «Misisti iram tuam,» etc.

Moyses orabat Deum, dicens: « Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum,» etc.? Videlicet propter vitulum conflatilem, obtulerat enim holocausta. *Exod.*, XXXII.

« Flagrabat populus desiderio carnium sedens et flens,» etc., *Num.*, VI. Sequitur paulo post: « Iratus est furor Domini valde.»

Occasione (*a*) seditionis Core, et complicum ejus, dixerunt Moyses et Aaron ad Dominum: « Fortissime Deus spirituum, num uno peccante contra omnes ira tua desæviet?» Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen, et Aaron, dicens: « Vos interfecistis populum Domini.» Sequitur: « Egressa est ira a Domino, et plaga desæviit.» *Num.*, XVI.

Fornicatus est populus cum filiabus Moab; sequitur: « Iratus Dominus, dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, et suspende eos.» *Num.*, XXV.

Propter hæsitationem Moysi ad aquas contradictionis, iratus est Dominus contra Moysen, sicut ipse dicit, *Deuter.*, I: « Mihi iratus Dominus propter vos, dixit: Non ingredieris illuc,» scilicet in terram promissionis.

« Cavete,» dixit Moyses, *Deuter.*, XI, « ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, et adoretis eos, et iratus Dominus claudat cœlum.»

Item dicitur, *Jos.*, VII: « Filii Israel prævaricati sunt de mandatis Domini, et usurpaverunt de anathemate;» sequitur: « Iratusque est contra filios Israel.»

Commovit furor Domini David in eis dicentem ad Joab: « Vade, et numera Israel et Judam.» II *Reg.*, XXIV.

Iratus est Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam; et mortuus est ibi coram Domino. I *Paralip.*, XIII.

Per idololatriam et auguria, et alia diversa peccata, irritaverunt Deum filii Israel. Iratusque est Dominus vehementer Israel, et abstulit eos Dominus a conspectu suo. III *Reg.*, XIV.

Propheta (*b*) Jehu dixit Josaphat regi Juda, qui iverat ad prælium cum Achab rege Israel: « Impio præbes auxilium, et iis qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te.» II *Paralip.*, XIX.

Josaphat rex Juda constituit judices, et præcepit eis, dicens: « Sic agetis in timore Domini,» etc. « Ostendite fratribus vestris, ut non peccent in Deum, ne veniat ira super vos.» II *Paralip.*, XIX.

Joas rex Juda, et principes ejus, servierunt lucis et sculptilibus; et facta est ira Domini contra Judæam propter hoc peccatum. II *Paralip.*, XXIV.

Amasias rex Juda, divino fretus auxilio, Idumæos superavit in bello; et attulit deos eorum, et adoravit eos; propter quod iratus est Dominus contra eum. II *Paralip.*, XXV.

Ezechias rex Juda non juxta beneficia quæ acceperat a Domino, retribuit, quia elevatum est cor ejus; et facta est ira contra eum, et contra Judæam ac Hierusalem. II *Paralip.*, XXXII.

« Magnus furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierunt patres nostri verba Domini.» Ita dixit Josias rex Juda, auditis verbis quæ subscripta erant in libro legis. II *Paral.*, XXXIV.

« Comederunt et saturati sunt, et impinguati, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam.» *Nehem.*, IX.

« Omnia secundum legem Dei fiant Deo altissimo, ne forte exurgat ira in regno regis, et filii, et filiorum regis.» Ita princeps Artaxerses gentilis, III *Esdr.*,[1] VIII. Quid ergo debent facere Christiani?

Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem: « Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum,» etc. *Job.*, XLII.

De Babylone dicitur, *Hierem.*, L: « Ecce novissima erit in gentibus, et deserta, invia et arens. Ab ira Domini non habitabitur, sed redi-

(*a*) *Cæt. edit.* Octavo modo. — (*b*) *Item* Propter.

[1] Liber iste rejectus est inter apocryphos.

Digitized by Google

getur tota in solitudinem, » hoc est, pro eo quod iratus est contra eam Dominus, propter peccata ejus punietur.

« Machabæus Judas, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur. Ira enim Domini in misericordiam conversa est. » II *Mach.*, VIII.

In parabola de servo nequam, qui noluit misereri conservo suo, dicitur, *Matth.*, XVIII : « Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, » etc.

Observantibus Judæis Dominum, si sabbatis curaret, « circumspiciens eos » Salvator « cum ira, contristatus est super cæcitatem cordis eorum. » *Marc.*, III.

Contra illos autem, qui se excusaverunt ne irent ad cœnam, dicitur, *Luc.*, XIV : « Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi cito, » etc.

« Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » *Joan.*, III.

Multum timenda est ira, quæ ostendetur in die judicii, de qua, *Apoc.*, VI : « Reges terræ, et principes, etc., dicent montibus, et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis in throno, et ab ira Agni. »

CAPUT XII.

Quod Deus plus attendit ad operantem, quam ad opus.

« Caim obtulit de fructibus munera Domino, Abel quoque obtulit de gregibus suis; » sequitur : « Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Caim vero, et ad munera ejus non respexit. » *Gen.*, X.

Promisso filio de Sara nascituro, risit Abraham, *Gen.*, XVII. Risit etiam Sara, *Genes.*, XVIII. Risus autem Saræ fuit a Domino reprehensus, et non risus Abrahæ.

Cum facerent mirabilia quædam coram Pharaone Moyses et Aaron, legitur quod fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis, *Exod.*, XVII.

Talia thuribula habuerunt Core, et illi de globo suo, sicut Aaron, et forte de æque bono vel meliori metallo; verumtamen Deus non æqualiter acceptavit incensionem eorum. *Num.*, XVI.

Elevantes oculos Bethsamitæ viderunt arcam Domini, et gravisi sunt, et obtulerunt Domino holocaustum; quamvis autem bonum opus facere viderentur, percussit eos Dominus gravi plaga, eo quod viderunt arcam, quam videre non debebant. I *Reg.*, VI.

Saul quando fuit inter prophetas, expoliavit se, et prophetare cœpit; sed parum ei profuit. I *Reg.*, XIX.

Oza extendens manum, tenuit arcam ne caderet de plaustro; qui statim percussus a Domino mortuus est. II *Reg.*, VI.

Licet offerre incensum Domino sit bonum opus, non tamen competit omni homini. Unde Ozias, rex Juda, percussus est lepra a Domino, eo quod ipse voluit incensum super altare thymiamatis adolere, II *Paralip.*, XXVI.

Reprobat Dominus per Isaiam oblationes quas sibi offerri instituit, et hoc propter offerentium pravitates : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, » etc. Causa vero subditur : « Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. » *Isa.*, I.

Prætulit Dominus oblationem viduæ, quæ posuit duo æra in gazophylacium, muneribus divitum, *Luc.*, XXI.

Herodes cupiebat videre Jesum, et viso eo gavisus est valde; sed nullum fructum consecutus est inde, quia curiositas, vel vanitas erat in causa, non pietas, vel charitas. *Luc.*, XXIII.

CAPUT XIII.

Quod Deus interdum tentat homines, sive probat.

« Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Tolle filium tuum, » etc., *Gen.*, XXII.

« Dixit Dominus ad Moysen : Ecce ego pluam vobis panes de cœlo : egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eos utrum ambulent (*a*) in lege mea, aut (*b*) non. » *Exod.*, XVI.

Loquente Domino cum Moyse, « cunctus populus audiebat (*c*) voces, et lampades, et sonitum buccinæ montemque fumantem, et perterriti ac pavore concussi, dixerunt Moysi : Loquere tu nobis, etc. Et ait Moyses : Nolite timere; ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. » *Exod.*, XX.

Non delevit Deus gentes penitus de terra promissionis, ut in illis experiretur Israel, utrum custodirent ejus mandata, *Judic.*, II.

(*a*) Vulg. *eum utrum ambulet.* — (*b*) Item *an.* — (*c*) Item *videbat.*

Digitized by Google

« Dereliquit Dominus Ezechiam, ut tentaretur, et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus, » quando venerunt nuntii regis Babylonis ad eum, II *Paralip.*, II, XXXII.

Postquam Tobias fuerat excæcatus, *Tob.*, II, dicitur ibi : « Hanc autem tentationem ideo permisit evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus. »

Dixit Judith loquens de filiis Israel, quos illo tempore Holofernes destruere cogitabat : « Memores esse debent quomodo tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si vere colerent Deum. » *Judith.*, VIII.

Propter gravissimas passiones, quas passus est sanctus Job, dicebat ipse de seipso : « Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. » *Job*, XXIII.

Petebat David a Domino, dicens : « Proba me, Domine, et tenta me, » etc., *Psal.*, XXV.

Ambulans Dominus Jesus super aquas jussit Petrum venire ad se ; « videns vero ventum validum timuit, » etc., *Matth.*, XIV.

Dixit Dominus ad Philippum : « Unde ememus panes, ut manducent ii (*a*) ? Hoc autem dicebat tentans eum, » *Joan.*, VI.

CAPUT XIV.

Quod homo non debet tentare Deum.

Abraham ingrediens Ægyptum prudenter tacuit Saram esse uxorem suam, ne si hoc dixisset, seipsum et illam discrimini commisisset, *Genes.*, XII. Simile fecit, *Gen.*, XX; et Isaac similiter, *Gen.*, XXVI. Nisi autem sic fecisset, Deum quodammodo tentasset, secundum quod dicit Augustinus.

Multotiens tentaverunt filii Israel Dominum in deserto, ut dicitur, *Num.*, XIV.

Superati in bello filii Israel a Philistæis, dixerunt : « Quare percussit nos Deus coram Philistæis ? » Et tunc duxerunt arcam Domini ad prælium, quæ capta fuit, et illi magna plaga percussi. I *Reg.*, IV.

Sciebat David se esse inunctum in regem, et quod deberet regere post Saulem, juxta id quod promiserat ei Samuel : non tamen committebat se discrimini, sed faciebat ad sui custodiam, quod debebat. I *Reg.*, XXII, et deinceps.

Cum immanis piscis invasisset Tobiam, non expectavit quod Angelus eum liberaret, qui tam velociter hoc facere potuisset; sed apprehendit branchiam ejus, et traxit eum in siccum. *Tob.*, VI.

Osias statuit cum populo, ut transactis quinque diebus, nisi veniret adjutorium, traderent se Holopherni. Dixit autem Judith presbyteris civitatis : « Et qui estis vos, qui tentatis Dominum ? Non est iste sermo qui misericordiam provocet, » etc., *Judith*, VIII.

Tentatus Dominus a diabolo, ut ipse de pinnaculo templi se præcipitaret, respondit : « Non tentabis Dominum tuum, » potestatem habens aliter descendere. *Matth.*, IV, et *Luc.*, IV.

Pharisæi volentes Jesum capere in sermone, fecerunt ab eo quæri, utrum liceret tributa dari Cæsari, an non. « Cognita autem nequitia eorum, Jesus ait : Quid me tentatis, hypocritæ ? » etc., *Matth.*, XXII.

Cum ejecisset dæmonium Dominus, et loqueretur mutus, « quidam tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo, » *Luc.*, XI.

Dure increpando, dixit Petrus Saphiræ uxori Ananiæ : « Quid convenit vobis tentare Spiritum Domini ? » *Act.*, V.

De re quam potuit per humanam industriam Paulus facere, nolebat miracula expetere. Unde apud Damascum, cum insidiarentur ei Judæi, fecit per murum in sporta se dimitti, » *Act.*, IX.

Item, cum loris vellet tribunus eum facere torqueri, dixit se esse civem Romanum, *Act.*, XXII.

Rursus dixit se esse Pharisæum, ut poneret dissensionem inter Judæos, *Act.*, XXIII. Item, cum haberet iniquum judicem, Cæsarem appellavit, *Act.*, XXV.

CAPUT XV.

De Voto.

Jacob vadens ad domum Laban avunculi sui, post ostensam sibi a Domino visionem, votum vovit dicens : « Si Dominus fuerit mecum, » etc., *Gen.*, XX.

Rex Arad pugnavit contra Israel, et victor existens tulit ex eo prædam : at Israel voto se obligavit Domino, et postea vicit eum, *Num.*, XXI.

Pugnaturus Jephte contra filios Amon (*b*), dixit : « Si tradideris filios Amon in manus meas, » etc., *Judic.*, XI,

Oravit Deum Anna flens largiter, et votum vovit, dicens : « Domine exercituum, si dede-

(*a*) Vulg. *hi*. — (*b*) Vulg. *Ammon*, et sic deinceps.

Digitized by Google

ris mihi sexum virilem, dabo eum Domino. » I *Reg.*, I.

Absalon volens rebellare suo patri David, dixit : « Votum vovit servus tuus, cum esset in Jessur (*a*), dicens : Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino. » II *Reg.*, XV.

Asa rex Juda ea, quæ voverat pater suus, obtulit in domum Domini, argentum et aurum, vasorumque diversam supellectilem. II *Paralip.*, XV.

Lætatus est populus, cum vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino ; sed et David rex lætatus est. I *Paralip.*, XXIX.

Filii Israel de Juda obtulerunt decimas quas voverant Domino. II *Paralip.*, XXXI.

Rex Artaxerses præcepit Esdræ, et populo, ut offerret munera Domino Deo Israel, quæ voverant ipse et amici in (*b*) Hierusalem. III *Esdr.*, VIII.

Omnis populus post victoriam venit in Hierusalem adorare Dominum, et obtulerunt holocausta et vota, et promissiones suas. *Judith*, XVI.

Viri qui erant in navi, ubi fuit Jonas propheta, « timuerunt timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota. » *Jon.*, I.

Heliodorus volens ærarium spoliare, et deposita de templo auferre, fuit virtute divina graviter flagellatus ; deinde sanatus per orationem Oniæ, « hostia Deo oblata, et votis magnis promissis, » repedavit ad regem. II *Mach.*, III.

Postquam percussus fuit a Deo Antiochus gravissima et insanabili plaga, pollicitus est Judæis et templo Hierosolymorum mirabilia se facturum. II *Mach.*, IX.

Beato Virgo Maria virginitatem vovisse videtur, per hoc quod ait : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » *Luc.*, I.

Crudele votum et impium fecerunt Judæi illi, qui dixerunt principi sacerdotum : « Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. » *Act.*, XXIII.

CAPUT XVI.

De Oratione.

Humiliter et discrete, instanter et pie oravit Abraham Dominum, ut parceret Sodomitis. *Gen.*, XIV.

Pro rebus quas etiam sine prece faceret Dominus, debemus interdum orare ipsum. Unde Isaac deprecatus est Dominum pro uxore sua sterili, quam parituram fore disposuerat Dominus, *Gen.*, XXX.

Pensandum est valde quam gratus et humilis (*c*), et importunus in oratione fuit Jacob dicens : « Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, » etc., *Gen.*, XXXII.

Præterea quomodo ipse se ab uxoribus et tota familia sequestravit, et solus de nocte remansit, ibidem.

Oravit multoties Moyses Dominum, ut amoveret plagas de Ægypto ; et exaudiebatur, licet illi essent mali. *Exod.*, VIII et IX.

Oratio mentalis clamat in aures Domini, sicut patet, *Exod.*, XIV, quando dixit Dominus Moysi nihil loquenti : « Quid clamas ad me? »

In bello quod habuerunt filii Israel contra Amalec, plus fecit Moyses orando, quam Josue pugnando. *Exod.*, XVII.

Post adorationem vituli videbatur velle Dominus populum deserere ; sed Moyses per orationis instantiam obtinuit ei veniam. *Exod.*, XXXII. Et nota ibi de modo orandi : « Aut dimitte eis hanc noxam, inquit, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti. »

Per orationem Moysi absorptus est ignis, qui devorabat castra murmurantium et dolentium pro labore. *Num.*, XI.

Petiit populus carnes in deserto, et Dominus iratus concessit eis. Per quod liquet, quod non semper exauditio orationis signum est divinæ dilectionis. *Num.*, XI.

Curata est Maria a lepra per orationem Moysi. *Num.*, XII.

Afflictus populus ab ignitis serpentibus, dixit ad Moysen : « Ora pro nobis, » etc. Oravit Moyses pro populo, etc. *Num.*, XXI.

Cum esset Anna amaro animo, oravit Dominum, flens largiter, et votum vovit. « Loquebatur autem in corde suo, et vox penitus non audiebatur. » I *Reg.*, I.

Pugnaturi filii Israel contra Philisthæos, dixerunt Samueli : « Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos. » I *Reg.*, VII.

Non placuit Domino, quod filii Israel petierunt super se regem ; et tamen dixit Samueli : « Audi vocem eorum, » etc. I *Reg.*, VIII.

Dixit Samuel ad populum : « Absit a me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis. » I *Reg.*, XII.

David dixit se invenisse cor suum, ut oraret Dominum. II *Reg.*, VII.

Deprecatus est David Dominum pro populo,

(*a*) Vulg. *Gessur.* — (*b*) *Cæt. edit. deest* in. — (*c*) *Cæt. edit.* humiliter.

Digitized by Google

et jejunavit, et ingressus seorsum jacuit super terram, II *Reg.*, XII. Bonus quidem fuit modus orandi; sed tunc David non fuit dignus exaudiri.

Orans Elias pro pluvia, dixit puero suo, ut prospiceret contra mare, unde sperabat nubem consurgere pluviosam; sed usque ad septimam vicem nihil penitus apparebat: in quo diuturnitas orationis, et instantia commendatur. III *Reg.*, XVIII.

Josaphat rex Juda timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum; audierat enim quod maxima multitudo gentium venerat contra eum. II *Paralip.*, XX.

Bono usus est consilio Ezechias, auditis nuntiis regis Assyriorum, quando misit ad Isaiam prophetam, dicens: « Fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. » Et ipsemet, ad orandum Dominum, se convertit, et nota quam prudenter oravit. IV *Reg.*, XIX.

Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, ut attentius orare posset, et oravit Dominum, dicens: « Obsecro, Domine, » etc. Flevit itaque Ezechias fletu magno, etc. IV *Reg.*, XX.

Miro modo fuit devota, humilis et efficax oratio Manasse regis Juda, sicut patet intuenti in fine secundi libri *Paralipomenon*.

« Jejunavimus, et rogavimus Dominum pro recto itinere et securo; et evenit nobis prospere. » I *Esdr.*, VIII.

Patet quod in omni loco licet orare: Nehemias enim oravit, dum daret regi bibere; et oravit Deum cœli, cum debuit ad interrogata respondere, *Nehem.*, II. Oraverat etiam valde devote, et humiliter in primo capite præcedenti.

Tobias, auditis duris sermonibus uxoris, cœpit orare cum lacrymis. *Tob.*, III.

Sarra filia Raguelis, audita ab ancilla gravi contumelia, perrexit in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab illo improperio liberaret eam. *Tob.*, III.

Raphael angelus monuit Tobiam juniorem, ne dæmon haberet potestatem in eum, ut cum accepisset Sarram uxorem, ingressus cubiculum per tres noctes contineret se ab ea, et nihil aliud faceret, nisi quod orationibus utrique vacarent. *Tob.*, VI.

Audientes filii Israel potentiam Holofernis, clamaverunt ad Dominum. Eliachim vero summus sacerdos commemorabat eis, quomodo Moyses confidentem in virtute sua Amalec, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit. *Judith*, IV.

Multum confidebat Judith in orationibus aliorum: unde proponens ire ad Holofernem, dixit presbyteris: « Orate, ut firmum faciat consilium meum Deus. » Et post pauca: « Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. » *Judith*, VIII. Similiter, quando debuit amputare caput Holofernis, oravit cum lacrymis ante lectum. *Judith*, XIII.

Esther locutura ad regem Assuerum, dixit Mardochæo: « Congrega omnes Judæos quos in Susis repericris, et orate pro me. » *Esther*, IV. Quam devote et humiliter oraverit, habetur postea, cap. XIV.

De oratione Mardochæi, quomodo deprecatus est Dominum pro se et pro populo, *Esther*, XIII. Magnæ reputationis apud Deum fuit oratio Hieremiæ, quando dicebat ei Dominus, *Hiere.*, XI: « Noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem; » quasi dicat: Nolo te orare sine effectu sequente; nam dicitur postea: « Non enim exaudiam te. »

Azarias stans in medio fornacis, oravit sic: « Benedictus est Deus patrum nostrorum, et laudabilis, » etc. *Dan.*, III.

Non dimisit Daniel propter iniquum regis Darii edictum, quin oraret ter in die Deum suum genibus flexis, sicut antea facere consueverat, *Dan.*, VI. Ecce quam pretiosum, et utile orare Deum reputabat.

Intelligens Daniel tempus captivitatis esse completum, instantius oravit pro populo in captivitate detento. Et nota ibi quam humiliter et quam frequenter oravit. *Dan.*, IX.

Videns Susanna omne humanum sibi deesse consilium, recurrit ad orationis suffragium, et oratio sua fuit exaudita, *Dan.*, XIII.

Oravit Jonas ad Dominum de utero piscis, et ait: « Clamavi, » etc., *Jon.*, II.

Congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, et ut orarent et peterent misericordiam et miserationes, I *Machab.*, II. Item, IV, Judas commissurus prælium contra Gorgiam dixit: « Benedictus est Salvator Israel, » etc. Item, VII, videns Judas exercitum Nicanoris, oravit, et dixit: « Qui missi erant a rege Sennacherib, » etc.

In duobus autem præcipuis bellis, non legitur Judas orasse: primo, contra regem Antiochum Eupatorem, et tunc non vicit, sed divertit, I *Machab.*, VI; secundo, contra Bacchidem

Digitized by Google

et Alchimum, et tunc in bello cecidit, I *Mach.*, IX.

Videns Jonathas, quod omnes, exceptis paucis, dereliquerant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, et oravit, et postea victoriam obtinuit, I *Mach.*, XI.

« Nos Judæi, in tribulatione et impetu qui supervenit nobis, oravimus, et exauditi sumus. » Et post pauca: « Orationem faciebant sacerdotes, » etc. II *Machab.*, I.

Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, et invocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, ut iis qui deposuerant ea, salva custodirentur. Universæ etiam mulieres protensis manibus in cœlum deprecabantur. II *Machab.*, III.

Judas Machabæus, et qui cum eo erant, simul deprecabantur Dominum, ut eriperet eos ab impio Nicanore; etsi non propter eos, sed propter testimonium, quod erat ad patres eorum, et propter invocationem sancti et magnifici nominis ejus super impios. II *Machab.*, VIII.

« Orabat scelestus Antiochus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. » II *Machab.*, IX.

Nicanor, et qui cum eo erant, cum tubis et canticis admovebant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo per orationes, congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed cordibus Dominum orantes, et prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. II *Machab.*, XV.

Brevem et humilem modum orandi habuit ille leprosus: genu flexo oravit Dominum Jesum, dicens: « Domine, si vis, potes me mundare. » *Matth.*, VIII; *Marc.*, I; *Luc.*, V. Similem modum orandi, scilicet per modum insinuationis, habuit Centurio, cum dixit: « Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur, » *Matth.*, VIII. Item Martha et Maria pro Lazaro jam sepulto, *Joan.*, XI: « Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, » etc.

Etiam de eo quod Dominus facere proposuit, vult per nos ipse quandoque rogari. *Matth.*, IX: « Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. » Statimque sequitur: « Convocatis, » etc.

« Dimissa turba, ascendit Dominus in montem solus orare, » *Matth.*, XIV. In quo docemur, quod cum orare volumus, turbam debemus fugere, ne turbemur.

Dominus et Salvator noster in Evangelio nos orare docuit verbo, *Matth.*, VI: « Sic ergo orabitis : Pater noster, » etc. Item animavit promisso, *Luc.*, XI: « Petite, et accipietis; quærite, et invenietis, » etc.; *Joan.*, XIV: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Petite, et accipietis, » etc. Item informavit exemplo : ipse enim, qui poterat imperare, voluit orare, *Matth.*, XIV; et *Marc.*, I; *Luc.*, IX. Specialiter autem instante persecutione passionis suæ oravit, et orare monuit, *Matth.*, XXVII; *Marc.*, XIV; *Luc.*, XXII : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. »

Quando Maria Magdalena veniam obtinuit a Domino dicente : « Remittuntur tibi peccata tua, » nihil vocaliter orasse legitur, sed flevisse, *Luc.*, VII : per quod apparet efficacia mentalis desiderii, etiam sine oratione vocali.

Ad instantiam orationis Dominus nos inducit exemplo amici ad amicum media nocte euntis, *Luc.*, XI; item exemplo viduæ, quæ ab ipso judice cum importunitate multa judicari petebat, *Luc.*, XVIII.

Ad humiliter orandum, et jactantiam contemnendam, inducit Dominus exemplum de superbo Pharisæo, et humili Publicano, *Luc.*, XVIII.

Post ascensionem Domini in cœlum « reversi sunt discipuli in Hierusalem, et erant omnes perseverantes in oratione unanimiter cum mulieribus, et Maria matre Jesu. » *Act.*, I.

Apostoli volentes unum de discipulis eligere in apostolum loco Judæ, « statuerunt duos, Joseph et Matthiam, et orantes dixerunt : Tu Domine, qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris. » *Act.*, I.

Omnes fideles in primitiva Ecclesia « perseverantes erant in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus, » *Act.*, II. Item, III, « Petrus et Joannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam, ut orarent. »

Cum orassent discipuli unanimiter alta voce, « motus est locus, in quo erant congregati, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. » *Act.*, IV.

« Lapidabant Judæi Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, accipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamabat voce magna : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » *Act.*, VII.

Petrus et Joannes oraverunt pro illis de Samaria, ut acciperent Spiritum sanctum, *Act.*,

Digitized by Google

VIII. « Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant, » etc.

Saulus ad terram prostratus, et salubriter excæcatus, postea surrexit: et in Damascum veniens orare cœpit, et fuit tribus diebus non manducans nec bibens. *Act.*, IX.

Cornelius Centurio erat vir religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Dominum semper, et per hoc disposuit se ad fidem. *Act.*, X. Unde sequitur: « Orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. »

Ascendit Petrus in superiora domus, ut oraret circa horam sextam, ut scilicet posset devotius orare a familia inferius existente remotus. *Act.*, X.

Petrus servabatur in carcere Herodis; « oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. » *Act.*, XII.

Cum dixisset Spiritus sanctus : « Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, » sequitur : « Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. » Et sequitur, quod fecerunt mirabilem fructum. *Act.*, XIII, et deinceps.

Eunte Paulo ad orationem, obviavit ei puella, quæ spiritum pythonem habebat; quem Paulus expulit, præcipiens ei in nomine Jesu Christi. *Act.*, XVI.

Recedens Paulus a fratribus de Asia, post pulchros sermones et pia verba, « positis genibus cum omnibus illis oravit; magnus autem fletus factus est omnium (*a*). » *Act.*, XX.

Orans autem in templo Paulus factus est in stuporem mentis, et vidit Dominum Jesum dicentem sibi : « Festina, et exi cito de Hierusalem, » etc. *Act.*, XXII.

Patre Publii febribus et dysenteria laborante, cum orasset Paulus, et imposuisset ei manus, sanavit eum. *Act.*, XXVIII.

Apostolus Paulus, qui orandum esse sine intermissione monebat, I *Thess.*, V, hoc ipsum sollicite faciebat, *Rom.*, I: « Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. »

Adeo grande et arduum opus est orare, quod ipse Paulus apostolus ad id agendum idonee dicebat se sufficientem non esse, *Rom.*, VIII : « Nam quid oremus sicut oportet, nescimus. » Propter quod ipse orationes aliorum frequenter et humiliter postulabat, I *Thess.*, V : « Fratres, orate pro nobis. »

Petebat autem Paulus orationes fieri, et pro malis amovendis, et pro bonis obtinendis. De primo, *Rom.*, XV : « Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus ad Dominum, ut liberer ab infidelibus, » etc. Quod autem aliorum orationibus crederet se juvari, dicit, II *Cor.*, I : « De tantis periculis eripuit nos Deus; in quem speramus, quoniam adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis. » Quantum ad secundum, scilicet ad bona, quæ obtinere per aliorum orationes optabat, dicitur, *Coloss.*, IV : « Orantes pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. » Item, II *Thessal.*, III : « Fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur. »

Orabat Paulus pro aliis, ut eos videre, et in eis fructificare posset, *Rom.*, I : « Memoriam vestri semper facio in orationibus meis, obsecrans, si quo modo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. » Item, II *Tim.*, I : « Sine intermissione habeo tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre. »

Item, ut Deus eos ad viam salutis vocaret, II *Thessal.*, I : « Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocare vocatione sua sancta Deus vester, et impleat, » etc.

Item, ut ipsi semper de bono in melius proficerent, *Philipp.*, I : « Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet. »

Item, ut plenitudinem divinæ cognitionis haberent, *Coloss.*, I : « Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus. »

Apostolus Jacobus orationem dicit valere pro obtinenda corporali salute, *Jac.*, V : « Oratio fidei salvabit infirmum. »

Item pro æterna, quæ est salus simpliciter, et una, *Jac.*, V : « Orate pro invicem, ut salvemini. »

CAPUT XVII.

De lacrymis, sive fletu.

Flevit Agar longe ab Ismaele sedens, nec voluit videre puerum morientem. *Gen.*, XXI.

Ejulatu magno flevit Esau, ut benedictionem patris haberet. *Gen.*, XXVII.

Venit Abraham, ut « plangeret et fleret » Saram uxorem suan defunctam. *Gen.*, XXIII.

(*a*) *Cæt. edit.* omnibus.

Digitized by Google

« Elevata voce flevit » Jacob, postquam recognoverat Rachel consobrinam suam. *Genes.*, XXIX.

« Stringens » Esau « collum » Jacob, « et osculans » eum, « flevit. » *Gen.*, XXXII.

« Scissis vestibus » Jacob « indutus est cilicio, lugens filium suum Joseph multo tempore. » *Gen.*, XXXVII.

« Commota » fuerunt « viscera ejus super fratre suo » Benjamin, et eruperunt « lacrymæ, et introiens cubiculum flevit. » *Gen.*, XLIII. « Elevavit vocem Joseph cum fletu, et dixit fratribus suis : Ego sum Joseph. » *Gen.*, XLV. Flevit etiam idem Joseph super patre suo mortuo, *Gen.*, L; et tandem flevit, fratribus eum rogantibus, ut oblivisceretur peccati commissi, *ibid.*

« Vulgus (*a*) promiscuum, quod ascenderat ex Ægypto, flagravit desiderio carnium, sedens et flens, et ait : Quis dabit nobis carnes ad vescendum? » *Num.*, XI. « Vociferans omnis turba flevit, et murmurati sunt dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto! » *Num.*, XIV.

« Omnis multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus. » *Num.*, XX.

« Filii Israel » mortuum Moysen « fleverunt triginta diebus. » *Deuter.*, XXXIV.

« Angelus Domini venit ad locum flentium, » et improperavit filiis Israel beneficia quæ a Deo receperant, et peccata quæ commiserant; et « elevaverunt vocem, et fleverunt. » *Judic.*, II.

Pugnantes filii Israel contra filios Benjamin, fleverunt coram Domino. *Judic.*, XXIII. Et postmodum obtenta victoria, fleverunt pro destructione fratrum suorum. *Ibid.* XXI.

Recedente Noemi, nurus suæ flere cœperunt. *Ruth.*, I.

« Oravit » Anna Deum, « flens largiter. I *Reg.*, I.

Audita obsidione Jabes Galaad, levaverunt vocem filii Israel, et fleverunt. I *Reg.*, XI.

« Lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem. » I *Reg.*, XV.

David et Jonathas, « osculantes se, fleverunt pariter. » I *Reg.*, XX.

Saul audiens vocem David, qui pepercerat ei, elevata voce *flevit*. I *Reg.*, XXIV.

Vidit David civitatem Siceleg esse succensam, et homines adductos inde captivos, et « planxerunt » ipse et populus, qui erat cum eo, « donec deficerent in eis lacrymæ. » I *Reg.*, XXX.

Planxit David super Saul et Jonathan, et alios interfectos. II *Reg.*, I.

David et omnis populus fleverunt super Abner, quem occiderat Joab. II *Reg.*, III.

Noluit David flere pro filio parvo mortuo, et tamen fleverat pro infirmo. II *Reg.*, XII.

Quamvis Absalon se exhibuerat pessimum erga patrem, tamen David flevit eum miserabiliter mortuum. II *Reg.*, XVIII.

Eliseus videns Azaelem (*b*) coram se, cœpit flere propter mala, quæ facturus erat filiis Israel, cum ille esset futurus rex Syriæ. IV *Reg.*, VIII.

« Flevit Ezechias fletu magno, » orans Dominum propter mortem, quam sibi de proximo imminere putabat. IV *Reg.*, XX.

Cum audisset Josias rex Juda comminationes scriptas in libro Legis Domini propter peccata, « scidit vestimenta sua, » et flevit, et multum Deo placuit. IV *Reg.*, XXII.

Quando reædificabatur templum ab iis qui redierant de Babylone, non poterat quisquam agnoscere clamores lætantium, et vocem fletus populi. I *Esd.*, III.

Orante Esdra, et flente propter commixtionem gentilis populi cum Judæis, « collectus est ad eum cœtus grandis virorum ac mulierum, et flevit populus multo fletu. I *Esd.*, X.

Cum audisset Nehemias miserabilem statum civitatis Hierusalem, flevit diebus multis, et jejunabat et orabat ante faciem Dei cœli. *Nehem.*, I.

Legente Esdra « distincte et aperte ad intelligendum » verba legis, « flebat omnis populus, cum audiret verba legis. » *Nehem.*, VIII.

Tobias manducavit panem cum luctu et timore, quia scilicet corpus jugulati proximi in domo habebat, quod nocte sepelire volebat. *Tob.*, II.

Idem postea, auditis sermonibus uxoris, « ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis. » *Tob.*, III.

Sarra filia Raguelis, audita ab ancilla gravi contumelia, « oravit Dominum cum lacrymis, ut ab illo improperio liberaret eam. » *Tob.*, IV.

Cum recessisset a parentibus suis Tobias junior, « cœpit flere mater ejus, et dicere : baculum senectutis nostræ tulisti, » etc. *Tob.*, V.

Moram faciente Tobia, « flebat mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat : Heu me, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum? » etc. *Tob.*, X.

Raguel cognoscens Tobiam juniorem, cum

(*a*) *Cæt. edit. deest* Vulgus. — (*b*) *Vulg.* Hazaelem, *et sic deinceps.*

Digitized by Google

lacrymis osculatus est eum, et ploravit super collum ejus.» *Tob.*, VII.

Veniens Gabelus ad domum Raguelis, et videns Tobiam juniorem discumbentem, « flevit, et benedixit Deum. » *Tob.*, IX.

Exurgens cæcus Tobias occurrit filio redeunti, et « suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, et cœperunt flere præ gaudio. » *Tob.*, XI.

Cum exposuisset Achior omnia, quæ dixerat Holopherni, omnis populus « communi lamentatione et fletu unanimes preces Domino effuderunt, » *Judith*, VI. « Factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia, et per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes : Peccavimus cum patribus nostris, » etc. *Judith*, VII. Item, XIII : « Stetit Judith ante lectum Holophernis, orans cum lacrymis, » ut Deus id quod cogitaverat, perficere dignaretur.

« Cum audisset Mardochæus » iniquam sententiam contra Judæos prolatam, « scidit vestimenta sua, et indutus est sacco spargens cinerem capiti, » et cum ejulatu clamans animi sui amaritudinem ostendebat. «In omnibus quoque provinciis, ad quas crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus. » *Esther*, IV.

Postquam Aman vidit Mardochæum tam magnifice honoratum, « festinavit ire in domum suam lugens, et operto capite. » *Esther*, VI.

Sanctus Job flebat pro miseriis propriis, *Job*, XXX : « Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. » Cujus fletus vehementia apparet per hoc, quod dixerit, XVI : « Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt. » Item flebat pro miseriis alienis, *Job*, XXX : « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi, et post mœrens incedebam, » etc.

Rex et propheta David habebat de lacrymis suis lavacrum, *Psal.* VI : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, » etc. Item cibum, *Psal.* XLI : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, » etc. Item potum, *Psal.* LXXIX : « Potum dabis nobis in lacrymis in mensura. » Idem, CI : « Potum meum cum fletu miscebam. » Versus :

Huic (*a*) lacrymæ, lavacrum, panis, potusque fuerunt.

Plorabat etiam David, vitam suam recolendo, *Psal.* LV : « Deus, vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. » Item, cœlestis patriæ recordando, *Psal.* CXXXVI : « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, » etc. Interdum orando, *Psal:* XXXVIII : « Exaudi, Deus, orationem meam et deprecationem meam ; auribus percipe lacrymas meas. » Idem, VI : « Exaudivit Dominus vocem fletus mei, » etc. Idem, Deum adorando, *Psal.* XCIV : « Venite adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos. »

Videns Isaias destructionem populi sui dicebat : « Recedite a me, amare flebo : nolite incumbere ut consolemini me. » *Isa.*, XXII.

Dixit Hieremias : « Audite, et auribus percipite, nolite elevari, etc. Quod si hoc non audieritis, in absoondito plorabit anima mea. » *Hierem.*, XIII. Copiosi autem fletus in ipso signa erant multæ lacrymæ, *Hierem.*, IX : « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis fontem lacrymarum ? » etc. Fons raro, vel nunquam siccatur. Item multi gemitus, *Thren.*, I : « Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquam, » etc. Sequitur : « Multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens. » Item clamosi singultus, *Thren.*, III : « Divisiones aquarum deduxit oculus meus, » etc. Sequitur : « Ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus. » Item oculorum defectus, *Thren.*, II : « Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, » etc.

« Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, » etc. *Dan.*, X.

Flebant amici Susannæ, cum viderent presbyteros adversus eam testimonium prolaturos, et ipsa etiam « flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus, » etc. *Dan.*, XIII.

Antiochus fecit in Hierusalem cædem magnam hominum, « et factus est planctus magnus in Israel. Omnis maritus assumpsit lamentum, et quæ sedebant in toro maritali lugebant. » I *Machab.*, I.

Planxit omnis Israel « planctu magno » pro morte Mathathiæ, I *Machab.*, II.

« Fleverunt » omnes de Israel Judam Machabæum fletu magno, et lugebant ipsi dies multos, dicentes : « Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat Israel ? » I *Machab.*, IX.

Interfectis a Tryphone Jonatha et duobus liberis ejus cum mille viris, quos retinuerat sibi, « luxit Israel luctu magno, » I *Mach.*, XII et XIII.

(*a*) *Cæt. edit.* Hujus.

Digitized by Google

« Contristatus est animo Antiochus propter mortem Oniæ, et flexus ad misericordiam lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam, » II *Mach.*, IV.

Occisis bimis pueris per Herodem, « impletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus, » etc. *Matth.*, II.

Pater pueri lunatici « exclamans cum lacrymis aiebat : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. » *Marc.*, IX.

Maria Magdalena legitur flevisse pro peccatis suis ad pedes Domini, *Luc.*, VII ; secundo pro morte fratris, *Joan.*, XI ; tertio pro passione Domini Jesu Christi, *Joan.*, XXI.

Salvator noster invenitur tribus vicibus lacrymas effudisse : 1. super Lazarum, quem ad hanc mortalem vitam revocabat, *Joan.*, XI ; 2. super civitatem Hierusalem, quam pro peccato ruituram sciebat, *Luc.*, XIX ; et 3. in cruce, quando seipsum pro peccatis mundi hostiam offerebat, *Heb.*, V : « Preces cum clamore valido et lacrymis offerens, » etc.

Petrus, post negationem trinam Domini, « egressus foras flevit amare. » Sed nota quod Lucas præmisit, dicens : « Respexit Dominus Petrum, » *Luc.*, XXII.

Euntem Dominum ad crucem, « sequebatur turba multa populi et mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum, » *Luc.*, XXIII.

Paulus Apostolus cum lacrymis Domino serviebat ; ait enim, *Act.*, XX, cum valediceret fratribus de Asia : « Vos scitis qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate et multis lacrymis. »

Item, cum lacrymis proximos admonebat, et ipsos ad lacrymas provocabat, *Act.*, XX : « Per triennium nocte et die non cessavi cum multis lacrymis monens unumquemque vestrum, » etc. Sequitur : « Magnus autem factus est fletus omnium, etc.

Item cum lacrymis epistolas suas scribebat, II *Cor.*, II : « Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas. » Item, *Philipp.*, III : « Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, » etc.

Item cum lacrymis orabat, *Act.*, XX : « Positis genibus suis cum omnibus illis, quibus loquebatur, oravit ; magnus autem factus fletus est omnium. » *Rom.*, VII : « Spiritus postulat pro nobis (*a*), » id est, postulare nos facit, « gemitibus inenarrabilibus : » tales autem gemitus non solent esse sine fletu.

« Cum advenisset » Petrus in Joppem, « circumsteterunt eum omnes viduæ flentes, et ostendentes tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas, » *Act.*, IX.

CAPUT XVIII.

De Juramento.

Dixit Abimelech ad Abraham : « Dominus tecum est in universis, quæ agis : jura ergo mihi ne noceas mihi, » etc. « Dixitque Abraham : Ego jurabo, » etc., *Genes.*, XXI.

Jacob et Laban inierunt fœdus, et « juravit Jacob per timorem patris sui Isaac, » *Gen.*, XXXI.

« Moyses juravit quod habitaret cum Jethro, et accepit Sephoram filiam ejus uxorem, » *Exod.*, II.

Pepigit Jonathas fœdus cum domo David, et juraverunt ambo, I *Reg.*, XX.

Audiens David duritiam Nabal, ait : « Hoc faciat Deus inimicis David, et hoc addat, si reliquero de omnibus quæ ad eum pertinent usque mane, mingentem ad parietem, I *Reg.*, XXV.

Flente (*b*) David pro morte Absalon filii sui, dixit Joab : « Surge et procede, et alloquens satisfac servis tuis. Juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac. » II *Reg.*, XIX.

David « juravit » Bethsabeæ matri Salomonis, quod Salomon regnaret post eum, III *Reg.*, I.

Rex Salomon, audita petitione matris pro Adonia, juravit per Dominum, dicens : « Hoc faciat mihi Deus, et hoc addat, quod contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. » III *Reg.*, II.

Dixit Elias Thesbites ad Achab regem Israel : « Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis iis ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. » III *Reg.*, XVII.

Benadad rex Syriæ indignatus ad responsionem Achab, ait : « Hoc faciant mihi dii, et hoc addant, si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. » III *Reg.*, XX.

« Dixit Elias ad Eliseum : Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. » IV *Reg.*, II.

(*a*) *Cæt. edit.* vobis. — (*b*) *Item* Flentem.

Digitized by Google

« Nabuchodonosor juravit per thronum suum, quod defenderet se, » *Judith*, I.

Rex Antiochus filius Antiochi misit ad Judæos pacem facere, « et juravit illis rex et princeps. » Sequitur : « Et rupit citius juramentum. » I *Machab.*, VI.

Herodes Tetrarcha juravit filiæ Herodiadis : « Quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. » *Marc.*, VI.

Petrus dicentibus sibi : « Et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit ; » cœpit detestari, et jurare, quia non novisset hominem. *Matt.*, XXVI.

Apostolus Paulus multotiens legitur jurasse in Epistolis suis. I *Cor.*, XV : « Quotidie morior per vestram gloriam fratres. » Item, II *Cor.*, XI : « Deus et Pater Domini Jesu Christi scit, quia non mentior. » Item, *Galat.*, I : « Ecce coram Deo, quia non mentior. » *Rom.*, I : « Testis est mihi Deus, cui servio. » Item, I *Cor.*, I : « Testem Deum invoco in animam meam. »

CAPUT XIX.

De Sabbati observatione.

Observatio sabbati originem trahit ex eo, quod dicitur, *Gen.*, II : « Benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso requievit ab omni opere suo, » etc.

Sexta die filii Israel in deserto colligebant manna duplici quantitate, ut die sabbati vacarent ab omni opere. *Exod.*, XVI.

Inter præcepta decalogi solius mandati de sabbati observatione ratio redditur, quia minus de ratione apud carnales homines habere videbatur. *Exod.*, XX.

Præceptum de observatione sabbati frequenter repetitur in lege, ut homo illud diligenter observet, et ut veram requiem adipisci laboret.

Die sabbati offerebantur duo agni ; diebus aliis, unus tantum, nisi in solemnitatibus et calendis, ad designandum, quod in festis abundantius Deum laudare debemus. *Num.*, XXVIII.

Homo deprehensus colligere ligna in sabbato, fuit præcepto Domini lapidatus a toto populo. *Num.*, XV.

Videns Nehemias homines torcularia calcantes, et onera portantes, et venalia in sabbatis, objurgavit eos tanquam diem sabbati profanantes. *Nehem.*, III.

Gentiles ex parte Antiochi constituerunt prælia in diebus sabbatorum adversus quosdam, qui fugerant de Judæa : at illi non miserunt lapidem, nec oppilaverunt loca occulta, dicentes : « Moriamur omnes in simplicitate nostra. » I *Machab.*, II. De quibus est advertere, quod licet erga mandatum Domini devotionem ostenderent ; tamen attendentes postea quod per hoc populus Domini dispergi poterat, cogitaverunt saniori consilio, dicentes : « Omnis homo quicumque venerit ad nos die sabbatorum, pugnemus adversus eum. » Non enim videtur opus servile, pugnare pro vita tuenda, vel pro lege Dei.

Machabæus Judas, et socii sui pugnantes contra Nicanorem et exercitum suum, interfecerunt super novem millia hominum, cæteros autem fugere compulerunt ; sed non perseveraverunt persequentes, eo quod erat ante sabbatum. II *Machab.*, VIII.

Nicanor cogitavit cum omni impetu die sabbati bellum committere ; sed Judæi qui eum per necessitatem sequebantur, dixerunt ei : « Ne ita ferociter ac barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis. » II *Machab.*, XV.

Discipulis Domini vellentibus spicas, et manducantibus, dixerunt Pharisæi : « Ecce faciunt, quod non licet facere sabbatis. » At ille dixit eis : « Non legistis, quid fecerit David, » etc. Sequitur : « Dominus est Filius hominis etiam sabbati. » *Matth.*, XII.

Salvator noster legitur in sabbatis multa fecisse miracula, ut patet per omnia Evangelia. Cujus causa, vel ratio triplex assignari potest : una, ut se Dominum legis ostenderet, *Matth.*, XII : « Dominus est filius hominis etiam sabbati, » *Luc.*, VI. Secunda, ut veram intelligentiam illius præcepti daret, quia non ab omni opere est cessandum, *Matth.*, XII : « Itaque licet sabbatis benefacere. » Tertia, ut plus homines audientes eum, et videntes ædificaret, *Luc.*, XIII.

Cum curasset inclinatam mulierem, archisynagogus indignatus, quia sabbato curaret, dicebat turbæ : « Sex dies sunt, » etc. *Luc.*, XIII.

Mulieres sanctæ paraverunt aromata ad inungendum corpus dominicum, et ita districte servabant sabbatum, ut tali die nollent tam sanctum opus facere, *Luc.*, XXIII : « Et sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum. »

Sabbato requievit Dominus in sepulchro. *Luc.*, XXIII ; *Joann.*, XIX.

Dies sabbati erat apta specialiter, et conveniens ad audiendam legem Dei. *Act.*, XIII : « Voces prophetarum, quæ per omne sabbatum

Digitized by Google

leguntur. » Item, XVI : « Die sabbatorum loquebamur mulieribus, quæ convenerant. »

CAPUT XX.

De reverentia templo exhibenda.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Facies labium æneum ad lavandum, et missa in eo aqua lavabunt Aaron et filii ejus manus suas in eo, et pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii. » *Exod.*, XXX.

Non licebat, nisi paucis, intrare tabernaculum, nec vasa ejus tangere, sicut apparet, *Num.*, IV.

Diligentior et ferventior fuit Salomon in ædificatione templi Dei, quam in ædificatione domus propriæ : nam domum Dei complevit septem annis; domum vero suam tredecim annis. Item citius cœpit ædificare templum, quam domum suam. III *Reg.*, VI et VII.

Magnam solemnitatem fecit Salomon dedicationis templi. III *Reg.*, VIII.

Præcepit Joiada pontifex, ut Athalia educeretur extra templum, et non occideretur in templo Domini. IV *Reg.*, XI.

Magnam curam videbatur habere Dominus de templo, qui præcepit Cyro, ut ædificaret sibi domum in Jerusalem; intelligitur de templo materiali, sicut patet in textu, I *Esdr.*, I. Et hoc ipsum prædixerat Isaias ante, quasi per ducentos annos. *Isa.*, XLV.

Reversi de babylonica captivitate Judæi primo cœperunt ædificare templum, quam muros civitatis Hierusalem, licet vicinos haberent inimicos, de quibus die noctuque timebant. I *Esdr.*, III.

Commendatur Tobias, quoniam in Hierusalem ad templum Domini veniebat, et ibi adorabat Dominum. *Tob.*, I.

Obtenta victoria de inimicis, qui contaminaverant templum, dixit Judas ad fratres ejus, antequam de domibus propriis aliquam facerent mentionem : « Ecce contriti sunt inimici nostri; ascendamus nunc mundare sancta et renovare. » I *Mach.*, IV.

Rex Demetrius statuit, ut quicumque confugerint in templum, quod est Hierosolymis et in omnibus finibus ejus, obnoxii regi, in omni negotio dimittantur. I *Mach.*, X.

Euntibus Judæis ad bellum contra Nicanoris exercitum erat pro uxoribus et filiis, item pro fratribus et cognatis minor sollicitudo, maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. II *Mach.*, XV.

Quadragesimo die voluit Dominus in templum deferri. *Luc.*, II.

Item duodecim annorum factus, disputans in templo fuit inventus. *Luc.*, II.

Postea de templo vendentes et ementes pluries ejecit. *Matt.*, XXI; *Luc.*, XIX; *Joan.*, II.

Item in templo frequenter docuit, et miracula plura fecit. *Matt.*, XXI; *Marc.*, XI; *Luc.*, XX; *Joan.*, VII.

Arguit Dominus Pharisæos, quia dicebant aurum templi sanctius templo. *Matt.*, XXIII.

Recepto Spiritu sancto, Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam; et tunc factum est primum sanationis miraculum, quod factum fuerit post ascensionem Domini. *Act.*, III.

Angelus Domini per noctem aperuit januas carceris, et educens apostolos, dixit : « Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. » *Act.*, V.

Commendatur eunuchus ille reginæ Æthiopum, quia de Æthiopia venit adorare in Hierusalem, *Act.*, VIII; sed vero quod etiam sedens in curru legebat Isaiam prophetam : quod est contra multos, qui euntes ad loca sancta, non legunt vel referunt sacra documenta, sed multiplicant vana verba. *Act.*, VIII.

Quamvis Judæi gravi odio et furore persequerentur Paulum, tamen in templo noluerunt occidere eum; sed traxerunt eum extra templum, ut foris occiderent eum. *Act.*, XXI.

CAPUT XXI.

De adoratione et cultu Dei.

« Factum est, ut offerret Caim de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Caim autem, et ad munera ejus non respexit. » *Gen.*, IV.

Enos filius Seth « cœpit invocare nomen Domini, » *Gen.*, IV. Ædificavit Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocaustum. Odoratus est Dominus odorem suavitatis. » *Gen.*, VIII.

« Apparuit Dominus Abraham in terra Chanaan, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuit ei. » *Gen.*, XII.

Digitized by Google

« Cum elevasset oculos Abraham, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, adoravit in terra, et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, » etc. *Gen.*, XVIII.

Paratus fuit Abraham offerre unicum filium suum Isaac Domino holocaustum; sed Domino aliter providente, arietem loco illius obtulit. *Gen.*, XXII.

Dominus apparuit Isaac in Bersabee, dicens : « Noli timere, quia ego tecum sum, etc. Itaque ædificavit ibi altare, » etc. *Gen.*, XXVI.

« Locutus est Dominus ad Jacob dicens : Surge, et ascende Bethel, et habita ibi; facque altare Domino, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum, » etc. *Gen.*, XXXV.

« Audierunt » filii Israel, « quod visitasset eos Dominus, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt. » *Exod.*, IV.

Postquam locutus est Dominus ad Moysen de religione Phase, et percussione primogenitorum Ægypti, sequitur : « Incurvatus populus adoravit. » *Exod.*, XII.

Jethró dixit Moysi : « Præesto populo in iis, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cærimonias et ritum colendi. » *Exod.*, XVIII.

Moysi dixit Dominus : « Ascende in montem tu, et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta senes Israel, et adorabitis procul. » Et post pauca : « Obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino vitulos. » *Exod.*, XXIV.

Præcipit sibi fieri Dominus tabernaculum cum variis utensilibus, et ministros ac ministeria ordinari ad cultum ipsius, *Exod.*, XXV, et deinceps in multis capitulis.

Primum præceptum Decalogi est : « Non habebis deos alienos; non facies tibi sculptile, etc. Non adorabis ea, neque coles. » *Exod.*, XX; et *Deuter.*, VI : « Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli servies, » etc.

Angelus Domini ad patrem Samsonis ait : « Si vis holocaustum facere, offer illud Domino. » *Judic.*, XIII.

Helcana pater Samuelis « ascendebat de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino Deo exercituum in Silo. » I *Reg.*, I.

« Erat peccatum » filiorum Heli « grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines de sacrificio Domini. » I *Reg.*, II.

« Cum Samuel offerret holocaustum Domino » pro populo, « Philisthæi inierunt prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno super Philisthæos, et exterruit eos, et cæsi sunt a filiis Israel. » I *Reg.*, VII.

Rex David sollicite cultum Dei in cantoribus et sacerdotibus studuit ampliare, sicut apparet, I *Paralip.*, XV, XVI, XXIII, XXIV; et *Ezech.*, XLVII : « In omni opere, » etc.

Abiit Salomon, ut immolaret Domino in Gabaon : mille hostias in holocaustum obtulit ibi. « Apparuit autem ei Dominus per somnium, » etc. III *Reg.*, III.

Salomon, ædificato templo, « stetit ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, et expandens manus suas in cœlum, » utrumque genu flexit, et adoravit. III *Reg.*, VIII.

Reversi filii de Israel (*a*) captivitate Babylonis, « legerunt in volumine legis Dei sui, quater in die, et quater in nocte confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. » *Nehem.*, IX.

« Cum irent omnes » filii Israel « ad vitulos aureos, » Tobias « fugiebat consortia eorum, et pergebat in Hierusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel. » *Tob.*, I.

Cum audivisset Job nuntiorum verba dicentium sibi perditionem rerum suarum, « surrexit, et corruens in terram, adoravit, et dixit : Nudus egressus sum ex utero matris meæ, » etc. *Job*, I.

Quamvis esset prohibitum, quod nullus aliquid peteret ab aliquo deo, vel homine, usque ad triginta dies, nisi a solo Dario; tamen Daniel « tribus temporibus in die flectebat genua sua » in cœnaculo suo, « et adorabat, confitebaturque coram Domino Deo suo. » *Dan.*, VI.

Magi « intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, » etc. *Matth.*, II. Ecce miræ humilitatis devotio; quid ergo debent facere Christiani Domino jam regnanti, si sic fecerunt Gentiles Domino vagienti ?

« Cum descendisset Jesus de monte, ecce leprosus veniens, genu flexo » adoravit « dicens : Domine, si vis, potes me mundare. » *Matth.*, VIII; *Marc.*, I.

Cæcus natus, a Domino Jesu illuminatus, « procidens adoravit eum. » *Joan.*, IX.

Videntes Dominum discipuli post resurrectionem suam, « adoraverunt; quidam autem dubitaverunt. » *Matth.*, XXVIII.

Sacerdotes et populi de civitate Lystræ, reputantes deos Paulum et Barnabam, volebant sacrificare eis, quod illi prohibuerunt omnino. *Act.*, XIV.

(*a*) *Cæt. edit. add.* de.

Digitized by Google

Postquam audisset et vidisset beatus Joannes mirabiles Dei revelationes, cecidit, ut adoraret ante pedes angeli, qui ei hoc ostendebat; et dixit ei : « Vide ne feceris; Deum adora, » etc. *Apoc.*, XXII.

CAPUT XXII.

De idololatria.

« Videns populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron dixit : Fac nobis deos, qui nos præcedant. » *Exod.*, XXXII.

« Fornicatus est populus » filiorum Israel « cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt deos earum. » *Num.*, XXV.

Mortuo Josue filio Nave, filii Israel « fecerunt malum in conspectu Domini, et serviebant Baalim » et Astaroth, « et dimiserunt Dominum Deum patrum suorum. » *Judic.*, II.

« Fornicatus est omnis Israel » in Ephod, quod fecerat Gedeon. *Judic.*, VIII.

Item de Salomone dicitur : « Depravatum est cor ejus per mulieres, ita ut sequeretur deos alienos, nec erat perfectum cor ejus, » etc. III *Reg.*, XI.

« Excogitato consilio, » Jeroboam « fecit duos vitulos aureos, et dixit : Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. » III *Reg.*, XII, 28.

« Ædificaverunt » viri de Juda « aras, et statuas et lucos, super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam. » III *Reg.*, XIV, 23.

« Non suffecit » Achab regi Israel, « ut ambularet in peccatis Jeroboam; sed insuper servivit Baal, et adoravit eum. » III *Reg.*, XVI, 31.

Achaz rex Juda « ambulavit in via regum Israel : insuper et filium suum consecravit, transferens per ignem. » IV *Reg.*, XVI, 3.

Translatis filiis Israel in Assyrios, collocatæ sunt diversæ gentes in civitatibus Samariæ, et unaquæque fecit deum suum; et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem Gentilium. IV *Reg.*, XVII.

Confusus et vituperatus Sennacherib rex Assyriorum, « reversus est » in Niniven ab impugnatione Ezechiæ regis Judæ; « cumque adoraret in templo Nesroch, filii ejus percusserunt eum gladio, et fugerunt. » IV *Reg.*, XIX, 36, 37.

Manasses rex Juda « erexit omnes aras Baal, et adorabat omnem militiam cœli, et coluit eam, » etc. IV *Reg.*, XXI.

Holophernes indignatus contra Achior, qui commendaverat potentiam Dei Hebræorum, dixit, quod ostenderet ei, quod non esset Deus, nisi Nabuchodonosor. *Judith*, V.

« Nabuchodonosor fecit statuam auream, » et præcepit, ut omnes populi, tribus et linguæ, cadentes adorarent eam. *Dan.*, III.

Darius rex Persarum proposuit edictum, quod nullus infra triginta dies peteret aliquid a quocumque deo, vel homine, nisi ab ipso rege Dario. *Dan.*, VI.

Erat idolum in Babylone, quod rex quotidie adorabat; quod cum Daniel subvertisset, Babylonii adoraverunt draconem. *Dan.*, XIV.

Antiochus « jussit ædificare aras et templa et idola, et immolari carnes suillas, et relinquere filios suos incircumcisos. » I *Mach.*, I, 50, 51.

Sacerdotes et populus de civitate Lystræ, reputantes deos Paulum et Barnabam, voluerunt sacrificare eis; quod illi prohibuerunt omnino. *Act.*, XIV.

Cum Paulus maneret Athenis, « incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem, » *Act.*, XVII, 16.

CAPUT XXIII.

De blasphemia contra Deum.

Filius mulieris Israelitidis præcepto Domini lapidatus fuit in deserto pro eo, quod nomen Domini blasphemavit, *Levit.*, XXIV.

Dixit Heli filiis suis : « Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Dominus. Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo? » I *Reg.*, II.

Nathan propheta multum exaggerabat peccatum David, ex eo quod blasphemare fecerat inimicos nomen Domini, II *Reg.*, XII.

Vir Dei dixit ad regem Israel : « Quia dixerunt Syri; Deus montium est, et non est Deus vallium; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua. » III *Reg.*, XX.

Videtur quod majus peccatum nesciverit excogitare nequissima Jezabel adversus Naboth, quam blasphemiam, quam fecit illi imponi, III *Reg.*, XXI.

Multum displicuerunt Deo blasphemiæ, quas dixerunt servi Sennacherib regis Assyriorum; unde percussit Dominus centum octoginta millia de exercitu suo, IV *Reg.*, XIX.

Digitized by Google

Non expedit simplices homines circa blasphemiam infidelium disputare : propter hoc prohibuit Ezechias, ne populus Rapsaci blasphemo aliquid responderet. IV *Reg.*, XVIII, *Isa.*, XXXVI.

Holophernes indignatus, eo quod Achior potentiam Dei cœli commendaverat, dixit ad eum : « Quoniam prophetasti, quod gens Israel defendatur a Deo suo ; ut ostendam tibi, quia non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos omnes, quasi hominem unum, » etc., *Judith.*, VI.

Cum argueret Hieremias populum pro eo, quod sacrificabant omnes diis alienis, responderunt : « Sermones Domini non audiemus ; sed sacrificabimus reginæ cœli, sicut fecimus nos et patres nostri, et bene nobis erat, malumqne non vidimus. » *Hierem.*, XL.

Nabuchodonosor rex Babylonis dixit sociis Danielis, qui statuam ejus auream noluerunt adorare : « Quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea? » *Dan.*, III.

Dixerunt quidam iniqui ex Israel in diebus Antiochi : « Ex quo recessimus a Gentibus, invenerunt nos multa mala. » I *Mach.*, I.

Obsidente Juda Machabæo quoddam præsidium, quidam gentiles intus existentes verba blasphema et nefanda jactabant : quo scito, postea concremati fuerunt, II *Mach.*, X.

Dicentibus Judæis Nicanori : « Est Deus potens in cœlo, qui jussit agi septimam diem, » ille infelix ait : « Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma et negotia regis (*a*) impleri. » II *Mach.*, XV.

Cum ejecisset dæmonium Dominus cæcum et mutum, stupentibus turbis, Pharisæi blasphemabant dicentes : « Hic non ejicit dæmones, nisi in Belzebub principe dæmoniorum. » *Matth.*, XII, et *Luc.*, XI.

Pendente Domino in cruce, prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua, etc., *Matth.*, XXVII.

Contradicebant Judæi iis, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes, *Act.*, XIII et XVIII.

CAPUT XXIV.

De præceptis Dei, et observatione ipsorum.

Præceptum leve ad implendum, et breve ad retinendum, dedit Deus primo parenti, dicens : « Ex omni ligno paradisi comede, » etc., *Gen.*, II. Quod tamen male custodivit, et gravem pœnam incurrit, *Gen.*, III.

Mandata Dei, licet interdum videantur esse de re parva, non parva diligentia sunt servanda, quia puniuntur graviter transgressores. *Gen.*, II : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas : in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. »

« Fecit Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus, » *Gen.*, VII.

Recepturi filii Israel mandata a Deo, jussi sunt sanctificari, *Exod.*, XIX : « Vade ad populum, et sanctifica eos, hodie et cras, » etc.

Præcepit Dominus, ut filii Israel ponerent vittas hiacynthinas per angulos palliorum quatuor, ut continuam haberent memoriam cœlestium mandatorum, *Num.*, XV.

Balaam ariolus dixit Balac regi Moab : « Nonne dixi tibi, quod quidquid imperaret mihi Dominus, hoc facerem? » *Num.*, XXIII. Ecce quantam reverentiam habebat malus homo ad imperium Dei.

Specialem monitionem fecit Dominus Josue de meditatione et observatione legis, quando constituit eum super populum, *Josue*, I : « Non recedat volumen legis hujus, » etc.

Non prætermisit Josue de universis mandatis Domini nec unum quidem verbum, etc., *Josue*, XI.

Saul tam signanter electus, propter transgressionem divini præcepti irrevocabiliter est projectus, I *Reg.*, XV.

Rex David instruens Salomonem post se regnaturum, dicebat : « Tunc perficere poteris, si custodieris mandata, quæ præcepit Dominus Moysi. » I *Paral.*, XXII.

Ordinante Joiada pontifice, eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem, II *Paral.*, XXIII.

Cyrus rex Persarum gentilis, monarcha totius mundi, non verecundabatur dicere : « Præcepit mihi Deus cœli ut ædificarem ei domum in Hierusalem. » I *Esdr.*, I.

Conquerendo dicit Dominus, *Hier.*, XXXV : « Prævaluere (*a*) sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum, qui obedierunt præcepto patris sui : ego autem locutus sum ad vos, et non audistis me, » etc.

Melius judicavit Susanna incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, ex-

(*a*) *Cæt. edit.* regum. — (*b*) *Vulg.* Pravaluerunt.

Digitized by Google

ponens periculo vitam et famam, *Dan.*, XIII.

Cum trucidarentur sub Antiocho legis observatores, multi de populo noluerunt infringere legem sanctam, et trucidati sunt, I *Mach.*, I.

Duæ mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quas infantibus ad ubera suspensis cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt, II *Mach.*, VI.

Eleazarus vir ætate provectus diros corporis dolores sustinuit, et tandem occisus fuit, quia carnes porcinas contra legem noluit manducare, nec etiam simulare se ullatenus manducasse, II *Mach.*, VI.

Propter legem Dei septem fratres cum matre sua, gravia tormenta passi sub Antiocho, II *Mach.*, VII.

Parentes Joannis Baptistæ erant incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, *Luc.*, I.

Adolescenti a Salvatore quærenti, quid boni faceret, ut vitam æternam haberet, responsum est ab ipso Domino : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » *Matth.*, XIX.

Ad observandum præcepta Dei nos inducunt aliæ creaturæ, quæ obediunt ei. De bonis angelis non est dubium, quin sint ministri ejus, facientes voluntatem et verbum ejus, I *Paral.*, XXI : « Imperavit Dominus Angelo, qui percutiebat. » Item de malis angelis, *Luc.*, VIII : « Præcipiebat spiritui immundo, ut exiret ab homine; » sequitur : « Et exierunt dæmonia. » Item : « Præcipit Soli, et non oritur, » *Job.*, IX. Item præcepit corvis, ut pascant Eliam, et sic fecerunt, III *Reg.*, XVII.

Et generaliter dicit psalmus CXLVIII : « Præceptum posuit, et non præteribit. Ignis, grando, nix, glacies, » etc.

CAPUT XXV.

De obedientia.

Hominem volens Deus sub obedientia vivere, etiam in statu innocentiæ, statim ut conditus est, ipsum præceptis astrinxit, *Gen.*, II; et eum contra obedientiam venientem severe punivit, *Gen.*, III.

Prompte obedivit Noe Domino in omnibus, quæ ei facienda præcepit tempore instantis diluvii, *Gen.*, VII.

(*a*) *Cæt. edit.* juxta.

Præceptum de circumcisione, quamvis esset grave et insolitum, non distulit Abraham implere usque in crastinum, *Gen.*, XVII.

Idem Abraham præceptum de immolatione filii sine mora exequi voluit, *Gen.*, XXII : « Abraham de nocte consurgens, » etc. Et vide quam mirabilis fuit illa obedientia.

Prompte obedivit Joseph patri ad fratres eum mittenti, quamvis eos primus accusasset, et ideo merito timere deberet, *Gen.*, XXXVII.

Moyses obedivit Domino imponenti ducatum populi; sed attende cum quanta difficultate, quinquies enim se excusavit, *Exod.*, III et IV.

Magnam obedientiam promiserunt filii Israel, dicentes : « Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes. » *Exod.*, XXIV. Sed postea operibus fecere contrarium.

Filii Israel per desertum ambulantes, ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant. *Num.*, IV et IX.

Iidem filii Israel ad terram promissionis contra (*a*) mandatum Domini ascendere conati sunt, et male cessit eis. *Num.*, XIV.

Euntes ad bellum contra mandatum Moysi filii Israel, multi victi fuerunt a paucis, *Num.*, XIV. Quando autem ex obedientia pugnaverunt, pauci vicerunt multos, *Num.*, XXXI.

Quia transgressus est Achan mandatum Josue, populus fuit prælio superatus, et ipse postea a populo lapidatus. *Josue*, VII.

Saul offerens holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus est. Similiter, quia pepercit Agag regi Amalec, et gregibus ovium, et cæteris rebus pretiosis; et tunc dixit ei Samuel : « Melior est obedientia, quam victimæ. I *Reg.*, XV.

David, licet per Samuelem unctus esset in regem, tamen obediebat patri mittenti eum, ut portaret victualia fratribus, quibus fuerat præelectus. I *Reg.*, XVII.

Prædixit Dominus Salomoni, quod si faceret omnia, quæ præceperat ei, poneret thronum regni ejus super Israel in simpiternum. Si autem averteretur, et non custodiret mandata ejus, auferret Israel de superficie terræ. III *Reg.*, IX; II *Paral.*, VII. Et ita impletum est, IV *Reg.*, ultimo.

Vir Dei, qui prædixit Jeroboam destructionem altaris sui, a leone occisus fuit, quia scilicet, contra præceptum Domini, in domo alterius prophetæ comedit. III *Reg.*, XIII.

Obedientia commendatur interdum et in iis, quæ videntur sine ratione mandari : unde per-

Digitized by Google

cussus est a leone ille, qui noluit percutere quemdam de filiis prophetarum. III *Reg.*, XX.

Cum ad mandatum Elisei, Naaman indignatus abiret, dixerunt ei servi sui : « Pater, et si rem grandem dixisset tibi Propheta, facere debueras, » etc. IV *Reg.*, V.

Tobias junior, auditis exhortationibus patris respondit, et dixit : « Omnia quæcumque præcepisti mihi, pater, faciam. » *Tob.*, V.

Quidquid præcipiebat Mardochæus, observabat regina Esther, et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. *Esther*, II.

Commendantur a Domino Rechabitæ, qui noluerunt vinum bibere, pro eo quod præceperat eis pater eorum, dicens : « Non bibetis vinum usque in sempiternum, et domos non ædificabitis, » etc. *Hier.*, XXXV. Et nota difficultatem in illa obedientia.

Jonas insipienter refugiebat obedire Domino præcipienti, ut iret ad prædicandum (*a*) in Ninive; sed fugiendo devenit, quo Dominus jusserat. *Joan.*, I et III.

Mathathias dixit nuntio regis Antiochi : « Etsi omnes obediunt regi Antiocho, ego et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. » I *Mach.*, II.

Dixit unus illorum septem fratrum : « Parati sumus magis mori, quam patrias Dei leges prævaricari. » II *Machab.*, VII.

Descendit puer Jesus cum Maria et Joseph in Hierusalem, « et erat subditus illis. » *Luc.*, II.

Cito et perfecte obedierunt illi apostoli, qui a Domino vocati, « continuo relictis retibus secuti sunt eum, » *Matth.*, IV. Similiter de Matthæo dicitur *Luc.*, V : « Relictis omnibus, surgens secutus est eum. »

De obedientibus verbo, et non facto, seu facto plus quam verbo, proponit Dominus exemplum duorum filiorum, quorum unus dixit se iturum in vineam patris, et operaturum, et non ivit; alius negavit, et ivit. *Matth.*, XXI.

Etiam malis prælatis obediendum esse, præcepit Dominus, *Matth.*, XXIII : « Super cathedram Moysi, » etc. « Omnia quæcumque dixerint vobis servate et facite. »

Salvator noster legi voluit obedire in circumcisione, in oblatione facta in templo, *Luc.*, II, et in esu agni paschalis, *Matth.*, XXVI.

Exemplum obedientiæ proponit nobis Apostolus in Salvatore nostro, dicens : « Factus obediens usque ad mortem, » *Philip.*, II. Ubi et insinuat obedientiæ fructum, subdens : « Propter quod Deus exaltavit illum, » etc.

Comminati sunt principes sacerdotum Petro et Joanni, ne ultra loquerentur in nomine Jesu; qui respondentes eis : « Si justum est vos potius audire, quam Deum, judicate : non enim possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui. » *Act.*, IV.

Deinde cum arguerentur apostoli a principibus sacerdotum, quia non servaverant eorum mandata, responderunt Petrus et apostoli : « Obedire Domino oportet magis, quam hominibus. » *Act.*, V.

Saulus ad terram prostratus, audiens verba Jesu Nazareni, prompte respondit ei : « Domine, quid me vis facere? » *Act.*, IX.

Cornelius dixit beato Petro : « Omnes nos in conspectu tuo sumus, audire parati omnia quæcumque præcepta sunt tibi a Domino. » *Act.*, X.

Paulus, electo sibi Sila in socium, « perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, et præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et seniorum. » *Act.*, XV.

CAPUT XXVI.

De Scriptura sacra.

Magnam reverentiam habere debemus ad Scripturam, quam ipse Deus voluit scribere, vel tradere specialiter, et docere. *Exod.*, XXXII : « Reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas scriptas opere Dei. » Ipse etiam Dominus noster Jesus Christus dicit se missum fuisse ad evangelizandum, et misit discipulos ad hoc ipsum, *Matth.*, X; *Marc.*, I; *Luc.*, IV et X; *Joan.*, IV. Sic igitur potest dici, quod lex vetus fuit data Moysi mediantibus Angelis, ut ait Apostolus, *Galat.*, III. Et beatus Stephanus hoc ipsum testatur, *Act.*, VII : « Accepistis legem in dispositione angelorum. » Reliqua vero pars veteris Testamenti data fuit inspiratione Spiritus sancti, II *Pet.*, I : « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. » Novum autem Testamentum continet verba et facta Domini nostri Jesu Christi in Evangeliis; verba Apostolorum, in Epistolis et in Apocalypsi; item facta ipsorum, in libro *Actorum Apostolorum*. Christus ergo, verus Deus et homo, partem Evangeliorum protulit per

(*a*) *Edit. Ven.* præcipiendum.

Digitized by Google

seipsum; alia vero dixerunt apostoli et evangelistæ instructi per ipsum et Spiritum sanctum. *Act.*, II : « Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. » *Eccles.*, XXXIX : « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit, » quasi dicat : Sapientiam quidem sapienter debet sapiens exquirere, sed specialiter debet scripturis prophetarum intendere.

Jonathas summus sacerdos, et seniores Judæorum, licet essent bellicis rebus intenti, scripserunt Spartiatis : « Nos habentes solatio libros sanctos, qui sunt in manibus nostris, » etc. I *Machab.*, XII.

Salvator noster, tentatus a diabolo, per Scripturam respondit, et ipsum tentatorem triplici auctoritate confudit. *Matth.*, IV; *Luc.*, IV.

Item Scripturam esse completam in adventu suo dixit, *Luc.*, IV : « Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris. »

Item per Scripturam defendit discipulos contra Pharisæos, *Matth.*, XII : « Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, » etc.

Magnam auctoritatem tribuit Dominus Veteri Testamento, quando dixit, *Matth.*, V : « Donec transierit cœlum et terra, iota unum, aut unus apex, » etc. Item, *Joan.*, X : « Non potest solvi Scriptura. »

Non minoris autem, sed majoris auctoritatis est Novum, de quo, *Luc.*, XXI : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. »

Principes sacerdotum, et Scribas, et Pharisæos injuste arguentes Dominum Jesum, ipse multotiens per Scripturas vicit, *Matth.*, XI et XXI.

Arguit Dominus Sadducæos de ignorantia Scripturarum, *Matth.*, XXII : « Erratis nescientes Scripturas, neque intelligentes virtutem Dei. »

Petrus in prima prædicatione sua post missionem Spiritus sancti, auctoritatem Joelis exponens, tria millia hominum convertit ad Christum, *Act.*, II.

Valde commendandus est eunuchus ille, qui veniens de Æthiopia Hierosolymam, legebat in curru existens Isaiam prophetam. Philippus autem præcepto Domini occasionem assumpsit prædicandi evangelium Christi ex auctoritate, quam eum legentem invenit, et credentem illico baptizavit. *Act.*, VIII.

Veniens Paulus Berœam, intrabat synagogam Judæorum; quidam autem « susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent; et crediderunt multi ex eis, et gentilium mulierum honestarum, et viri non pauci. » *Act.*, XVII, 10-12.

Apollo Judæus, « vir eloquens, potens in Scripturis, contulit multum iis qui crediderunt; vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Jesum. » *Act.*, XVIII, 24, 27, 28.

CAPUT XXVII.

De exhortatione bona, et prædicatione verbi Dei.

Caim admonitus exteriori voce Dei, a concepta iniquitate non destitit, *Gen.*, IV. Hinc patet, quod exhortatio sine interiori parum est efficax.

Justus Loth pie admonebat Sodomitas, dicens : « Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum facere. » Cui illi contumaciter responderunt : « Recede illuc, » etc., *Gen.*, XIX, 7, 9. Hinc patet quod « perversi difficile corriguntur, » *Eccle.*, I, 15.

Bene cessit Jacob, quia acquievit consiliis matris suæ, *Gen.*, XXVII, 14.

Audiens Ruben iniqua fratrum verba contra Joseph, dixit : « Non interficiamus eum, nec effundamus sanguinem ejus, » etc. Judas etiam consuluit, quod non occideretur, sed venderetur, et sic saltem minus malum committeretur. *Gen.*, XXXVII, 22, 26, 27.

Soror Moysi bene suasit filiæ Pharaonis, ut mulier Hebræa pro nutriendo parvulo vocaretur, *Exod.*, II, 7, 8.

Ad utilitatem populi, et alleviationem Moysi, bene consuluit Jethro, ut minores judices constitueret in populo, *Exod.*, XVIII, 14 et seq.

Bona exhortatione Abigail, aversus est David a proposito fundendi sanguinem Nabal, I *Reg.*, XXV, 24 et seq.

Bonum consilium dedit Abner Asaeli se insequenti, dicens : « Noli me sequi, ne compellar confodere te in terram. » Quod quia ille audire contempsit, ab eodem occisus est. II *Reg.*, II, 22, 23.

Consilium bonum dederunt Roboam filio Salomonis seniores; ille vero in malum suum acquievit consilio juniorum, III *Reg.*, II, 7 et seq.

Cum Naaman Syrus ad verbum Elisæi abiret indignatus, servi sui suaserunt ei, ut prophetæ facile mandatum impleret : quorum monitis utiliter acquievit. IV *Reg.*, V.

Quandiu vixit Joiada pontifex, qui bene instruebat Joas regem Juda, tamdiu fuit ille bonus;

Digitized by Google

quo mortuo, factus est Joas pessimus, IV *Reg.*, XII; II *Paralip.*, XXIV.

« Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio, et principum ejus, in universum Israel et Juda, prædicantes filiis Israel: Revertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac et Israel, et revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus regis Assyriorum. » II *Paralip.*, XXX, 6.

Ædificantibus Judæis de Babylone reversis templum in Hierusalem, exhortabantur eos, et adjuvabant Aggæus et Zacharias prophetæ, I *Esdr.*, V, 1, 2.

Desiderans Nehemias ædificare muros Hierusalem, dixit optimatibus et magistratibus: « Surgamus, et ædificemus: » et confortatæ sunt manus eorum in bonum. *Nehem.*, II, 18.

Ad exhortationem Nehemiæ, ii qui usuras accipiebant a populo, et acceptas reddere, et ultra non accipere consenserunt, *Nehem.*, V.

Tobias in captivitate positus pergebat ad omnes, qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis, *Tob.*, I. idem bene prædicavit filio suo, *Tob.*, IV et XIV.

Bene cessit Tobiæ, quia Raphael, quem hominem putabat, consiliis acquievit, specialiter in exenteratione piscis, et petendo uxorem, et in modo se habendi cum ea, *Tob.*, VI.

Parentes Sarræ uxoris Tobiæ junioris monuerunt eam honorare socrum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere, *Tob.*, IX.

Judith bonam exhortationem dedit populo, arguens quod indiscrete ordinatum erat, et docens quid faciendum esset, *Judith*, VIII.

Efficaciter persuasit Mardochæus Esther, ut etiam cum periculo suo ingrederetur ad regem precatura pro salute gentis suæ, *Esther*, IV.

Post ostensam Isaiæ mirabilem visionem, dixit ipse propheta: « Væ mihi, quia tacui, » etc.; et postea cum labia sua per calculum de altari sumptum vidisset fuisse mundata, dixit Domino quærenti, quem mitteret ad populum: « Ecce mitte me, » etc. *Isa.*, VI.

Dixit Dominus Isaiæ, L: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. »

Hieremias primo se excusavit a prædicationis officio, postea divinæ voluntati acquievit. *Hiere.*, I.

Abdemelech Æthiops dixit Sedeciæ regi Juda: « Domine mi rex, malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetraverunt contra Hieremiam Prophetam, mittentes eum in lacum. » Et præcepit rex ei: « Leva Hieremiam de lacu, antequam moriatur. » *Hiere.*, XXXVIII, 9, 10.

Factum est verbum Domini ad Jonam dicens: « Surge et vade in Ninive, et prædica in ea prædicationem quam ego loquar ad te, » etc., *Jon.*, I et III, 2.

Bonum consilium dedit Daniel Nabuchodonosor regi Babylonis dicens: « Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime. » *Dan.*, IV, 24.

Moriens Mathathias filios suos efficaciter exhortatus est ad agendum viriliter pro lege Dei. I *Mach.*, II.

Judas Machabæus pugnaturus exhortabatur et animabat populum suum sermonibus bonis, I *Mach.*, III et IV, et II *Mach.*, VIII, et specialiter XV, ubi dicitur quod « singulos armavit non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus. »

Cum primus illorum septem fratrum in sartagine torreretur, « cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus aspiciet veritatem, » etc. Specialiter ipsa mater mirabilis efficaciter exhortabatur filios. II *Mach.*, VII, 5, 6, 20, 21.

Joannes Baptista « multa exhortans evangelizabat populo, » *Luc.*, III, 18. De quibus nonnulla exprimuntur eodem capitulo, et *Matth.*, III, et *Marc.*, I. Cujus exhortatio ita efficax erat, quod non solum « multi baptizabantur confitentes peccata sua; » sed ipse Herodes Tetrarcha « audito eo faciebat multa, et libenter eum audiebat. » *Marc.*, I, 5; VI, 20.

Misit Dominus discipulos dicens: « Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum, » etc. *Matth.*, X, 7. Item *Marc.*, XVI, 15: « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, » etc.

Petrus Apostolus, in die Pentecostes, tam efficaciter prædicavit, quod baptizati sunt circiter tria millia hominum. *Act.*, II.

Item alia vice similiter ad prædicationem ipsius crediderunt tot, quod factus est numerus virorum quinque millia. *Act.*, IV.

In domo Cornelii prædicante Petro, « cecidit Spiritus sanctus super eos, qui audiebant verbum, et jussit eos baptizari. » *Act.*, X, 44.

Ministrantibus, et jejunantibus prophetis et doctoribus qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus

Digitized by Google

sanctus : « Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, » etc. Sequitur : « Ipsi quidem missi a Spiritu sancto prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum. » *Act.*, XIII, 2, 4, 5.

Principes Synagogæ, qui erant Antiochiæ, dixerunt Paulo et Barnabæ : « Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, » etc. *Act.*, XIII, 15, 16.

« Reversi sunt » Paulus et Barnabas « Lystram, et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas » cum sanctis (*a*), « exhortantesque ut permanerent in fide. » *Act.*, IV.

Factum est Iconii, ut Paulus, et Barnabas « introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. » *Act.*, XIV.

« Visio per noctem Paulo ostensa est, ubi (*b*) Macedo quidam erat stans, et deprecans, et dicens : Transiens in Macedoniam adjuva nos; » ubi subditur : « Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Deus evangelizare eis. » *Act.*, XVI, 9, X.

« Multi Corinthiorum, audientes Paulum prædicantem, credebant, et baptizabantur. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas, propter quod ego sum tecum : et nemo apponetur tibi, ut noceat te. » *Act.*, XVIII, 8, 10.

Apollo Judæus, « Alexandrinus genere, erat edoctus viam Domini : et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu. » *Act.*, XVIII, 24, 25.

Apud Ephesum Paulus « intrans synagogam Judæorum, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et suadens de regno Dei. » *Act.*, XIX, 8.

Quadam die cum in crastinum profecturus protraxisset sermonem usque ad mediam noctem, quidam adolescens oppressus somno cecidit de fenestra, et sublatus est mortuus. « Ad quem cum descendisset Paulus, » et suscitasset eum, rursus ascendit et allocutus est eos usque ad lucem, et sic profectus est. *Act.*, XX, 10 et seq.

Cum Paulus vinctus coram Agrippa rege, et Festo præside, redderet rationem, Agrippa dixit ei : « In modico suades mihi Christianum fieri. » *Act.*, XXVI, 28.

(*a*) *Vulg.* discipulorum. — (*b*) *Loco* ubi, *Vulg.* vir. — (*c*) *Vulg.* Ammon.

CAPUT XXVIII.

De consiliis et persuasionibus malis.

Heva de ligno vitæ dedit viro suo, qui comedit, *Gen.*, III. Præsumendum est quod ipsa persuaserat viro, ut comederet.

Domina, cui serviebat Joseph, male ipsum sollicitabat ad peccatum, *Gen.*, XXXIX.

Moram faciente Moyse cum Domino in monte, dixit populus ad Aaron : « Fac nobis deos, qui nos præcedant; » quibus suggestionibus populus male acquievit. *Exod.*, XXXII, 1 et seq.

Balaam docuit Balac, quomodo per mulieres posset filios Israel ad peccatum trahere, et sic contra se Dominum provocare. *Num.*, XXIII.

Filii Amon (*c*) male persuaserunt regi suo, ut dehonestaret nuntios David. II *Reg.*, X.

Jonadab nepos David malum consilium dedit Amnon, ut defloraret sororem suam; de quo postea multa mala evenerunt. II *Reg.*, XIII.

Detestandum et turpe consilium dedit Achitophel Absalom; erat « consilium, » quod ille « dabat in diebus illis, sicut si quis consuleret Deum. » II *Reg.*, XVI, 20, 23.

Averterunt mulieres cor Salomonis, et ita « depravatum est » per eas, « ut sequeretur deos alienos, » et coleret eos. III *Reg.*, II, 4.

Ochozias rex Juda « ingressus est per viam domus Achab, » quæ scilicet erat pessima; « mater enim ejus » Athalia « impulit eum, ut impie ageret. » II *Paralip.*, XXII, 3.

Ædificantibus templum Judæis post reditum Babyloniæ, hostes eorum scripserunt Artaxerxi, et ipse persuasus ab eis prohibuit opus fieri. I *Esdr*, IV.

Amici Aman audientes eum conquerentem de Mardochæo, qui ei genua non flectebat, responderunt : « Jube parari excelsam trabem, et mane dic regi, ut appendatur Mardochæus super eam. » *Esther*, V, 14.

Stultum consilium uxor Job dedit ei; sed ille, tanquam prudens et sanctus homo, tali consilio non acquievit. *Job*, II.

« Sapientes consiliarii » Pharaonis « dederunt consilium insipiens. » *Isa.*, XIX, 11.

Quia Hieremias prophetabat captivandam esse civitatem Hierusalem a Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi Juda : « Rogamus, ut occidatur homo iste; » qui stulte acquiescens, respondit eis : « Ecce ipse in mani-

Digitized by Google

bus vestris est, non enim fas est regem vobis quidquam negare. » *Hier.*, XXXVIII, 4, 5.

Ad malam suggestionem principum et satraparum, Darius rex Persarum constituit decretum, ut quicumque peteret aliquid a quocumque domino, vel homine, nisi ab ipso rege, mitteretur in lacum leonum. *Dan.*, VI.

« In diebus » Antiochi « exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis dicentes : Eamus, et disponamus testamentum cum Gentibus, » etc. I *Mach.*, I, 12.

Tantum suasit Menelaus Andronico, quod ille occidit Oniam summum sacerdotem. II *Mach.*, IV.

Cum adversum Menelaum judicium agitaretur coram Antiocho, Ptolomæus pecunia corruptus per Menelaum persuasit regi, et eum a sententia deduxit ; qui Menelaum absolvit, et justos ejus accusatores morte damnavit. II *Mach.*, IV.

Iniquum consilium dedit Herodias dicens filiæ suæ : « Nihil aliud petas, nisi caput Joannis Baptistæ.» *Matth.*, XIV, et *Mar.*, VI.

Proconsul Paulus « desiderabat audire verbum Dei, » quod Paulus et Barnabas prædicabant ; « resistebat autem illis Elymas Magus, quærens avertere proconsulem a fide. » *Act.*, XIII, 7, 8.

Cum Paulus et Barnabas essent in civitate Lystræ in tanto honore, quod illis tanquam diis homines sacrificare voluerunt; « supervenerunt quidam Judæi, et persuasis turbis lapidantesque Paulum traxerunt extra civitatem, existimantes eum esse mortuum. » *Act.*, XIV, 18.

Occasione cujusdam puellæ a qua Paulus spiritum pythonem ejecit, domini illius dolentes de amisso quæstu, tot et tanta dixerunt magistratibus, quod fecerunt Paulum et Silam virgis cædi, et in carcerem mitti. *Act.*, XVI, 16, 24.

CAPUT XXIX.

De audiendo verbum Dei.

« Aaron locutus fuit omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen, et credidit omnis populus. Audieruntque quod visitasset Dominus populum Israel, et proni adoraverunt. » *Exod.*, IV, 30, 31.

Dixit « Moyses coram Domino : Ecce filii Israel non me audiunt, et quomodo audiet Pharao? » *Exod.*, VI, 12.

Contentus populus dixit Moysi, « una voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. » Et paulo post : « Assumens Moyses volumen fœderis, legit (*a*) audiente populo, qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus. » *Exod.*, XXIV, 3, 7.

Eglon, rex Moab, « sedebat in æstivo cœnaculo, dixitque « ad eum Hahod (*b*) : « Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. » Prius enim dixerat : « Verbum secretum habeo ad te, o Rex. Ille autem non se movit; sed statim cum addidit « verbum Dei, » ille de throno surrexit, quasi reverentiam exhibens verbo Dei. *Judic.* (*c*), XXXIX, 20.

Bene docuit Samuelem Heli, ut diceret Domino loquenti sibi : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » I *Reg.*, III, 9.

Achab rex Israel nolebat audire Michæam prophetam Domini, quia non prophetabat ei bonum, sed malum. Vocatus tamen Michæas dixit ei : « Audi sermonem Domini, » etc. III *Reg.*, XXII, 19.

Esdras attulit librum legis, « et legit in eo aperte de mane usque ad mediam diem, et aures omnis (*d*) populi erant erectæ ad librum. » Et paulo post : « Flebat omnis populus, cum audiret verba legis. » II *Esdr.*, VIII, 3, 9.

« Respondens Job Domino dixit : Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » *Job*, XLII, 1, 5, 6.

Factum est verbum Domini ad Hieremiam : « Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertatur unusquisque a via sua mala : » et pœniteat « me mali quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. » *Hier.*, XXVI, 2-3.

Dixit Dominus Ezechieli : « Vade ad domum Israel et loqueris verba mea ad eos. » Sequitur : « Domus autem Israel nolunt (*e*) audire te, quia nolunt audire me. » *Ezech.*, III, 4, 7.

« Verbum » Jonæ « pervenit ad regem Ninive, et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. » *Jon.*, II, 6.

« Herodes » Tetrarcha « metuebat Joannem Baptistam, et custodiebat eum, et audito eo faciebat multa, et libenter eum audiebat. » *Marc.* (*f*), VI, 20.

« Maria » soror Marthæ « sedens secus pedes

(*a*) *Cæt. edit.* legis. — (*b*) *Vulg.* Aod. — (*c*) Cæt. edit. *Judith.* — (*d*) *Item* Omnes. — (*e*) *Cæt. edit.* noluit. — (*f*) Item *Matth.*

Digitized by Google

Domini audiebat verbum illius, » *Luc.*, x, 39; et audivit tandem Dominum dicentem : « Maria optimam partem elegit, » etc. Ibid., 42.

In fine sermonis in monte dicit Dominus : « Omnis qui audit verba mea, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. » *Matth.*, vii, 24.

« Cum turbæ irruerent in » Dominum Jesum, « ut audirent verbum Dei, sedens de navicula docebat turbas. » Et in fine sermonis, cum dixisset Simoni : « Duc in altum, » etc., Petrus cum sociis, « subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. » *Luc.*, v, 1, 3, 4, 11.

Extollenti vocem mulieri, et dicenti Domino Jesu : « Beatus venter qui te portavit, et ubera, » etc., dixit Dominus : « Quinimo beati qui audiunt verbum Dei. » *Luc.*, xi, 27, 28.

Instante dominica passione, legitur : « Erat docens quotidie in templo. » Et post pauca : « Omnis populus suspensus erat, audiens illum. » *Luc.*, xix, 47, 48.

Duo discipuli Domini euntes in castellum nomine Emmaus, loquentes ad invicem de iis, quæ tempore dominicæ passionis acciderant, meruerunt habere societatem illius, de quo loquebantur. *Luc.*, xxiv.

Facto sermone ad plebem a Petro in die Pentecostes post adventum Spiritus sancti, dicitur, *Act.*, ii : « Iis (*b*) auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres? Et baptizati sunt circiter tria millia » hominum. *Act.*, ii, 37, 41.

Post sanationem claudi, et sermonem Petri (*Act.*, iii), sequitur : « Multi qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. » *Act.*, iv, 4.

« Invocantes (*a*) » duodecim Apostoli « multitudinem discipulorum dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. » *Act.*, vi, 2. Nota tamen quod illæ mensæ erant pauperum viduarum : per quod datur intelligi, quod opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis.

« Non poterant resistere (Judæi) Spiritui qui loquebatur per beatum Stephanum. » *Act.*, vi, 10.

« Philippus descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Jesum. Intendebant autem turbæ illis (*b*) quæ a Philippo dicebantur, audientes unanimiter, » etc. *Act.*, viii, 5-6.

(*a*) *Vulg.* Convocantes.— (*b*) *Vulg.* his.

« Aperiens Philippus os suum evangelizavit » eunucho « Jesum; » et venientes ad quamdam aquam confessus est eunuchus se credere, et ille baptizavit eum. *Act.*, viii, 35 et seq.

De Saulo quem Dominus Jesus excæcaverat corporaliter, et illuminavit spiritualiter, dixerat ipse in visu Ananiæ : « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. » *Act.*, ix, 15. Ipse namque Paulus gentilibus Græcis, regibus Romanis, et filiis Israel, sive Judæis prædicavit.

Noluit Dominus Cornelium instruere per Angelum, sed mandavit ei, accerseret Simonem Petrum, et ille doceret eum, quid eum facere oporteret. *Act.*, x.

« Loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. » *Act.*, x, 44.

« Audientes gentes, » quod Judæi erant repellentes verbum Dei, et quod Paulus et Barnabas volebant prædicare eis, « gavisæ sunt, et crediderunt quotquot præordinati ad vitam æternam. » *Act.*, xiii, 48.

« Factum est Iconii, ut » Paulus et Barnabas ingrederentur synagogas, « et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. » *Act.*, xiv, 1.

« Quædam mulier nomine Lydia purpuraria audivit » Paulum loquentem, « cujus Dominus aperuit cor, » et baptizata est cum domo sua. *Act.*, xvi, 14, 15.

« Cum audissent » Athenienses Paulum loquentem de « resurrectione mortuorum, quidam irridebant : quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. Et sic Paulus exiit de medio eorum. Quidam vero adhærentes ei crediderunt, inter quos Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis. » *Act.*, xvii, 32, 34.

Mansit Paulus Ephesi « per biennium, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini. » *Act.*, xix, 9, 10.

Veniens Paulus Berœam intrabat synagogam Judæorum, et quidam « susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberent; et multi crediderunt ex eis. » *Act.*, xvii, 11, 12.

Postquam rex Agrippa audierat Paulum, dixit ei : « In modico suades mihi Christianum fieri. » *Act.*, xxvi, 28.

Digitized by Google

CAPUT XXX.

De apparitionibus factis Patribus antiquis.

Ante peccatum locutus est Dominus ad Adam, *Gen.*, II; post peccatum, ad Adam et Hevam, et ad serpentem, *Gen.*, III. Cain etiam monuit ante fratricidium, et post dure arguit eum, *Gen.*, IV.

Noe præcepit Dominus, ut faceret arcam, *Gen.*, VI; deinde, ut ingrederetur in eam, *Gen.*, VII. Et post exsiccationem iterum præcepit, ut egrederetur de arca, *Gen.*, VIII. Deinde « benedixit Dominus Noe et filiis ejus, et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, » etc. *Gen.*, IX, 1.

Dixit Dominus ad Abraham : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua. » *Gen.*, XII, 1. Et eodem capitulo (XII, 7) apparuit Dominus Abraham, et dixit ei : « Semini tuo dabo terram hanc; » et postquam divisus est Loth ab eo, *Gen.*, XIII, 14. Postea (XV, 1) « factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, » etc. Deinde (XVII, 1) « apparuit ei Dominus, » et dedit ei præceptum circumcisionis. Item (XVIII, 2) « apparuerunt ei tres viri, » et unum adoravit: et tunc audivit certum tempus nascituri filii.

Devenerunt duo angeli Sodomam, « sedente Loth in foribus civitatis; qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis, » etc. *Gen.*, XIX, 1.

« Venit Deus ad Abimelech per somnium, et ait illi : En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum, » etc. *Gen.*, XX, 3.

Cum dure accepisset Abraham verba Saræ conquerentis de ancilla, et filio ejus, dixit ei Deus : « Non tibi videatur asperum super puero, » etc. *Gen.*, XXI, 12.

« Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Tolle filium tuum, » etc. Et post : « Cum extendisset manum, ut immolaret filium, ecce Angelus Domini, » etc. *Gen.*, XXII, 1, 11.

Apparuit etiam Dominus Isaac, *Gen.*, XXVI, 2; et Jacob multotiens eunti ad Laban, *Gen.*, XXVIII; et redeunti, *Gen.*, XXXI; ubi etiam dixit Laban in somnis (XXXI, 29) : « Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob. » Et post locutus est Dominus Jacob pluries.

Quoties autem apparuerit Moysi, et locutus fuerit ei, nimis esset longum dicere. *Exod.*, III, et deinceps.

Legitur quoque Dominus locutus fuisse Balaam dormienti, *Num.*, XXII; et ibidem sedenti super asinam, quæ vidit Angelum Domini, quem dominus ejus Balaam non videbat.

Pluries etiam locutus est Dominus ad Josue, sicut apparet, *Josue*, I, IV, V, VI, VIII, et XX.

« Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : Quis ascendet ante nos? Dixitque Dominus : Judas ascendet. » *Judic.*, I, 1, 2. Item, II, 1 : « Ascendit Angelus Domini ad locum flentium, et ait : Eduxi vos ex Ægypto, » etc.

Venit Angelus Domini, apparuit Gedeon, et ait : « Dominus tecum, » etc., *Judic.*, VI, 11, 12.

Apparuit Angelus Domini uxori Manue, etc., *Jud.*, XIII, 3. Et apparuit alia vice Manue, et ejus uxori pariter, eodem capitulo.

Filii Israel congregati, ut pugnarent contra filios Benjamin, consuluerunt Dominum : quibus ait Dominus, quod Judas esset dux exercitus, etc. *Jud.*, XX, 18. Licet autem bis fuerint debellati, tamen dixit eis Dominus quod pugnarent.

Vocavit Dominus Samuelem quater; tandem ait Samuel juxta consilium quod dederat ei Heli : « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » I *Reg.*, III, 10. Et sequitur in fine capituli, 21 : « Addidit Dominus, ut appareret in Silo. »

Quando David solebat committere prælium, frequenter consulebat Dominum; qui semper legitur ei respondisse, ut patet, I et II *Reg.*, in multis locis.

Apparuit Dominus Salomoni dicens : « Postula quod vis, » etc. III *Reg.*, III, 5.

Iterum, « cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini et regum, » apparuit ei Dominus, et dixit ad eum : « Exaudivi orationem tuam, » etc. III *Reg.*, IX, 2, 3. Tertio loquutus est ei, increpans eum dure propter scelera ab eo commissa. III *Reg.*, II.

Eliæ fugienti a facie Jezabel apparuit Angelus Domini, qui ei panem et aquam obtulit; deinde Dominus in sibilo auræ tenuis. III *Reg.*, XIX.

Eliseo ab exercitu Syrorum circumdato apparuerunt multi angeli defendentes eum; quos etiam puer ejus vidit ad similitudinem equorum et curruum igneorum. IV *Reg.*, VI.

Longo tempore duravit apparitio Raphaelis Angeli, quem Dominus misit ad curandam Saram et Tobiam. *Tob.*, V, et deinceps.

Multas mirabiles viderunt visiones diversi prophetæ : *Isa.*, VI; *Hier.*, I, de virga vigilante, et olla succensa. Item, XXIV, de duobus calathis ficubus plenis. Præcipue vero Ezechiel, Daniel, Amos, Zacharias, pleni sunt imaginibus visibilibus, quas exprimere longum esset.

Digitized by Google

Volente Heliodoro spoliare templum, et deposita asportare, « apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, » etc. II *Mach.*, III, 25.

« Cum vehemens pugna esset » inter Timotheum et Judam Machabæum, « apparuerunt de cœlo quinque viri, equis et frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes. E quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant. » II *Machab.*, X, 29, 30.

Euntibus ad prælium Judæis contra exercitum magnum Lysiæ, Machabæo duce, « apparuit eques præcedens eos in veste candida, armis aureis hastam vibrans. » II *Mach.*, I, 8.

Cum sacerdotio fungeretur Zacharias pater Joannis Baptistæ, « apparuit illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. » *Luc.*, I, 11.

« Missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam, » etc. *Luc.*, I, 26, 27.

Angelus Domini legitur ter apparuisse Joseph : primo, cum esset adhuc Dominus in matris utero, *Matth.*, I, 20; secundo, cum natus ex utero; tertio cum adhuc esset in Ægypto, *Matth.*, II, 13, 20.

Super Dominum in baptismo « Spiritus sanctus in columbæ specie visus est, paterna vox audita est : Hic est filius meus dilectus. » *Matth.*, III, 16-17, et *Luc.*, XV, 22.

Item in transfiguratione « apparuerunt Moyses et Elias cum Domino loquentes, et vox de cœlo facta est, » etc. *Matth.*, XVII, 3; *Luc.*, IX, 30.

Resurgente Domino nostro Jesu Christo, « multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis venerunt in civitatem sanctam, et apparuerunt multis, » *Matth.*, XXVII, 52, 53.

Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, post hoc duobus discipulis euntibus in villam, novissimo recumbentibus undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem illorum. *Marc.*, XVI.

Post passionem Dominus Jesus Christus « præbuit seipsum vivum discipulis suis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, » etc. « Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, » etc. *Act.*, I, 1, 10.

« Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, » etc. *Act.*, II, 1, 2.

« Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. » *Act.*, VII, 55.

Cum appropinquaret Saulus Damasco, ut caperet Christianos, « subito circumfulsit eum lux de cœlo, et audivit (Dominum Jesum Nazarenum) dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ? » et consequenter apparuit Dominus Ananiæ. *Act.*, IX, 3, 4, 10.

Cornelius Centurio, vir « religiosus et timens Deum, vidit manifeste, quasi hora nona diei, Angelum Domini dicentem sibi : Corneli, mitte viros in Joppen, et accerse Simonem Petrum; hic dicet tibi quid te oporteat facere. » *Act.*, X, 2-5.

Orante Petro et esuriente, « cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam velut linteum in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia, et volatilia cœli, » etc. *Act.*, X, 10-12.

« Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo (carceris, in quo) erat Petrus dormiens vinctus catenis duabus, percussoque latere Petri, » etc. *Act.*, XII, 6 et seq.

« Cum (Paulus et Silas,) transirent (*a*) Mysiam, descenderunt Troadem, et visio per noctem Paulo ostensa est; vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam adjuva nos. » *Act.*, XVI, 8, 9.

« Multi Corinthiorum audientes Paulum, credebant et baptizabantur. Dixit autem nocte per visionem Dominus Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas, propter quod ego tecum sum, et nemo apponetur tibi ut noceat te. » *Act.*, XVIII, 8-10.

Quadam nocte « Dominus assistens Paulo ait ei : Constans esto, Paule : sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, et sic Romæ te oportet testificari. » *Act.*, XXIII, 11.

Consolari volens Paulus socios tempore tempestatis, suasit eis (bono animo esse), dicens : « Astitit mihi hac nocte Angelus Domini, cui deservio, dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere, et ecce donavit Deus tibi omnes qui in navi sunt tecum. » *Act.*, XXVII, 22-24.

Beatus Joannes Apostolus et Evangelista, exilio relegatus in Pathmo (*b*) insula, vidit Chris-

(*a*) *Vulg.* pertransissent. — (*b*) *Cæt. edit.* Pathmos.

Digitized by Google

tum in medio septem candelabrorum, *Apoc.*, I, 9, 13. Et mirabilibus revelationibus totus liber plenus est.

CAPUT XXXI.

De Angelis bonis.

Angeli apparuerunt Abrahæ, et erga eum se familiariter habuerunt, *Gen.*, XVIII.

Apud Loth hospitati fuerunt Angeli, et quasi piam ei violentiam facientes, ipsum de periculo extraxerunt, *Gen.*, XIX.

Angelus Domini vocavit Abraham, et prohibuit ei ne filium immolaret, et magna ei propter obedientiam promisit, *Gen.*, XXII.

Fugiens Jacob Esau fratrem suum, vidit angelos descendentes et ascendentes per scalam, *Gen.*, XXVIII.

Redeunte Jacob a servitio Laban ad Isaac patrem suum, angeli obviaverunt, ad eum scilicet protegendum et consolandum, *Gen.*, XXXI.

Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, quando recedebat populus de Ægypto, stetit inter castra Ægyptiorum, et castra Israel, *Exod.*, XIV.

Nota illud *Exod.*, XXIII, 20 : « Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat te in via, et introducat in locum quem paravi, » etc.

Stetit Angelus Domini in via contra Balaam qui sedebat asinæ, etc., *Num.*, XXII, 24 et seq.

Angelus Domini increpavit filios Israel, qui junxerant amicitias cum habitatoribus terræ Chanaan, memorans beneficia eis collata, *Judic.*, II, 1 et seq.

Apparens Gedeon Angelus Domini confortavit eum, et animavit ad liberationem populi, *Judic.*, VI, 12 et seq.

Uxori Manue sterili apparuit angelus conceptionem filii prædicens, et abstinentiam indicens, *Judic.*, XIII, 3 et seq.

Numerato populo adversus mandatum Domini, « immisit Dominus pestilentiam in Israel. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Hierusalem, ut disperderet eam, » vidit David angelum cædentem populum, et ait : « Ego sum qui peccavi. » II *Reg.*, XXIV, 15-17.

Fugientem Eliam Jezabel, tyrannizantem reginam, Angelus Domini confortavit, et sobrio eum cibo refecit, III *Reg.*, XIX, 5-6.

Angelus Domini revelavit Eliæ, quid responderet nuntiis Ochoziæ, IV *Reg.*, I, 3.

Plures angeli boni erant cum Eliseo ad eum defendendum, quam cum adversariis essent mali homines ad nocendum, IV *Reg.*, VI, 16.

« Venit Angelus Domini, et percussit in una nocte centum octoginta quinque millia hominum de exercitu regis Assyriorum, » IV *Reg.*, XIX, 35.

Raphael angelus, qui fuit dux Tobiæ, ipsum a devoratione piscis eripuit, uxorem ejus a dæmonio liberavit, patri cæco visum restituit, et per eum tam parentes, quam socii fuerunt multiplici consolatione repleti, *Tob.*, V et deinceps.

« Vivit Dominus, ait Judith, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, commorantemque ibi, et inde huc revertentem, » etc. *Judith.*, XIII, 20.

« Volavit ad Isaiam unus de Seraphim, » et mundavit eum calculo quem forcipe tulerat de altari, *Isa.*, VI, 7.

« Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, » etc., *Dan.*, III, 49.

Daniel in lacu leonum existens, dixit Dario regi ad ipsum venienti : « Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, » *Dan.*, VI, 22. Postmodum angelus Habacuc prophetam de Judæa transtulit in Chaldæam ut ferret prandium Danieli, *Dan.*, XIV, 35.

Revelata sunt Danieli multa mysteria et magna per ministerium angelorum, *Dan.*, IX, X, XI, XII.

Judas Machabæus, et qui cum eo erant, rogabant Dominum, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel. Sequitur : « Apparuit præcedens eos eques in veste candida, » etc., II *Mach.*, XI, 8.

Ad annuntiandum conceptionem beati Joannis Baptistæ, apparuit angelus Domini Gabriel Zachariæ, *Luc.*, I, 11.

Item ad annuntiandum conceptionem Salvatoris, « missus est a Deo idem angelus in civitatem Galilææ, » etc. *Luc.*, I, 26.

Rursus etiam, nato Domino, Angelus Domini stetit juxta pastores. Sequitur : « Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum, » etc., *Luc.*, II, 13.

Angelus Domini legitur ter apparuisse Joseph, et ei locutus esse; primo ante nativitatem, *Matth.*, I, 20 : « Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; » secundo post adorationem Magorum, *Matth.*, II, 13 : « Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum; » tertio

Digitized by Google

post mortem Herodis, *Matth.*, II, 20 : « Accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel. »

Post recessum tentatoris legitur, *Matth.*, IV, 11 : « Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. » Item post cœnam in oratione, *Luc.*, XXII, 43 : « Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. » Item in ejus resurrectione, *Matth.*, XXVIII, 2; *Marc.*, XVI, 5; *Luc.*, XXIV, 23; *Joan.*, XX, 12 : « Angelus Domini descendit de cœlo, » etc. Item in ejus ascensione, *Act.*, I, 10 : « Ecce duo viri astiterunt, » etc.

« Princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit : Ite, et loquimini in templo plebi. » *Act.*, V, 17-20.

Angelus Domini dixit ad Philippum : « Surge, et vade contra meridianum. » *Act.*, VIII, 26. Et tunc ivit ille, et invenit eunuchum, et convertit eum ad fidem.

Cornelius Centurio, vir religiosus et timens Deum cum omni domo sua, vidit manifeste, quasi hora nona diei, Angelum Dei dicentem sibi : « Corneli, » etc., *Act.*, X, 1 *et seq.*

Dormiente Petro in Herodis carcere, « Angelus Domini de nocte astitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere ejus excitavit eum, » etc. *Act.*, XII, 7.

Herodes rex, vestitus veste regali, sedebat pro tribunali : populus autem acclamabat : « Voces Dei, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, et consumptus a vermibus expiravit. » *Act.*, XII, 21 et 23.

Gravissimæ tempestatis tempore, Paulus volens socios confortare, dixit : « Astitit mihi hac nocte Angelus Dei dicens : Ne timeas, Paule, » etc., *Act.*, XXVII, 22.

« Significavit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per angelum suum servo suo Joanni, » etc., *Apoc.*, I, 1. Totusque liber ille plenus est angelicis revelationibus.

CAPUT XXXII.

De spiritibus malis.

Spiritus mali dicuntur esse Dei, quia sunt in potestate Dei, et per eum tantum possunt, quidquid possunt. I *Reg.*, XVI, 15 : « Spiritus Dei malus exagitat te, » dictum est Sauli.

Dæmon occidit septem viros Saræ filiæ Raguelis, sed fuit ejectus per boni angeli Raphaelis adventum, *Tob.*, III et VIII.

Super animalia Job, et domum ubi filii ipsius comedebant, et super corpus ipsius Job Satan potuit tantum, quantum divina providentia permittebat, *Job*, I et II.

Spiritus malus fecit hominem sævum et crudelem, *Matth.*, VIII, 28.

Item facit hominem immundum. Nam illi duo dæmoniaci sævi nimis habitabant in monumentis, et dæmones petierunt intrare porcos, non agnos, *Matth.*, VIII, 28-31; *Luc.*, VIII, 29-32.

Item unus illorum, famosior scilicet, vestimento non induebatur, neque in domo habitabat, et vinciebatur catenis, et compedibus custoditus : et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. Ibid.

Item dæmonium facit hominem cæcum et mutum, *Matth.*, XII, et *Luc.*, XI.

Item : « Cum eum apprehenderit, allidit eum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit; et frequenter eum in ignem, et aquam mittit, ut eum perdat. » *Marc.*, IX, 17.

Laudes malignorum spirituum, licet veras, Dominus recusabat, *Marc.*, I, 25. « Obmutesce, et exi ab eo, » *Luc.*, IV, 35. Item, *Luc.*, IV, 41 : « Increpans non sinebat ea loqui, » etc.

Potestatem dæmoniorum parvam esse ex hoc patet, quia nec in porcos potuerunt intrare, nisi petita a Christo licentia, et obtenta, *Matth.*, VIII, 31, 32; *Luc.*, VIII, 31, 32.

Prohibuit Dominus, ne gauderent discipuli, si spiritus maligni subjiciebantur eis. *Luc.*, X, 20.

Puella quædam habens spiritum pythonem clamabat multis diebus post Paulum, et socios ejus; dolens autem Paulus, conversus ad spiritum, ait : « Præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi exire ab ea. » Et exivit eadem hora : non enim curabat Paulus doctrinam veritatis confirmari per spiritum falsitatis. *Act.*, XVI, 16, 18.

Quidam Judæi tentaverunt invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : « Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. » Respondens autem spiritus nequam dixit : « Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis? » Et exiliens homo, in quo erat dæmonium pessimum, dominatus est eorum, et invaluit contra illos, ita ut nudi et vulnerati recederent de domo illa. *Act.*, XIX, 13, 16.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

De immortalitate rationalis animæ.

Per hoc quod dicitur, *Gen.*, XXV, 8, de Abraham : « Congregatus est ad populum suum; » innuitur quod in alio sæculo haberet populum, scilicet homines qui bene vixerant, sicut ipse. Simile habetur de Isaac : « Appositus est populo suo, » *Gen.*, XXXV, 29 ; et de Jacob, *Gen.*, XLIX, 32.

Cum crederet Jacob mortuum esse Joseph : « Descendam, » inquit, « ad filium meum lugens in infernum. » *Gen.*, XXXVII, 35. Unde credebat eum ibi esse secundum spiritum.

Fratres Joseph volentes dicere, quod unus fratrum suorum mortuus esset, dicebant, *Gen.*, XLII, 11 : « Duodecim fratres sumus filii unius viri. » Sumus, inquiunt, non « Fuimus, » quasi esset adhuc ille, qui mortuus putabatur. « Minimus cum patre nostro est, alius non est super, » sed subtus.

Apparens Dominus Moysi in rubo dixit : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. » *Exod.*, III, 15. Per hoc probat Salvator noster, *Matth.*, XXII, 32, resurrectionem mortuorum. « Non est, » inquit, « Deus mortuorum, sed viventium. »

De Core, et complicibus ejus, dicitur, *Num.*, XVI, 33 : « Descenderunt vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. » Per hoc patet quod in inferno vivebant secundum animas.

Si Saul credidisset Samuelem penitus quantum ad animam extinctum fuisse, non petivisset sibi ipsum suscitari, I *Reg.*, XXVIII, 11.

Mirantibus servis David, quod ipse pro mortuo parvulo non ploraret, dixit, II *Reg.*, XII, 23 : « Ego vadam ad eum, ille vero non revertetur ad me. »

Cum suspensus, et tribus lanceis confossus Absalon interisset, David lacrymabiliter planxit eum, II *Reg.*, XVIII, 33. Et, ut ait Augustinus, tertio *de Doctrina Christiana*, « non orbitatem filii doluit, sed quia noverat in quas pœnas tam impie adultera et parricidalis anima raperetur; namque alio prius filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, mortuo lætatus est, » II *Reg.*, XII, 22, 23.

Oravit Elias pro suscitatione filii hospitæ suæ dicens : « Domine Deus meus, revertatur, quæso, anima pueri hujus in viscera ejus. » III *Reg.*, XVII, 21.

Frequenter legitur in libris *Regum* : « Dormivit cum patribus suis; » quod quidem nullatenus de brutis animalibus potest dici. Unde probatur eos vivere post mortem, et postea resurrecturos esse, sicut in dormiente apparet.

Ex verbis quæ dixit Tobias, increpans stultitiam propinquorum, patet manifeste, quod anima vivat post separationem a corpore. « Filii, » inquit, « sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. » *Tob.*, II, 18. Idem in oratione postea dixit : « Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe, in pace recipi spiritum meum. » *Tob.*, III, 6.

« Addidit Dominus omnia quæ fuerant Job duplicia, » *Job*, XLII, 10. Tamen non dedit nisi septem filios, et tres filias, sicut prius, ut ii, qui jam extincti fuerant, vivere demonstrentur, secundum Gregorium, *Moral.* ult.

Valde expresse dicit Salomon in fine *Ecclesiastæ* (*a*) : « Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. »

Ex verbis illis, quæ dicunt damnati in inferno, ostenduntur tam boni, quam mali vivere in futuro sæculo. *Sap.*, V, 14 : « Talia dixerunt in inferno ii, qui peccaverunt, » etc.

De Nabuchodonosor rege Babylonis dicitur secundum litteralem sensum illud, *Isa.*, XIV : « Ex quo dormisti, » in monte scilicet, « non ascendet (*b*) qui succidat nos. » Sequitur : « Detracta est ad inferos superbia tua. » Et plura ponuntur ibi postea, per quæ patet illum non penitus interiisse, sed ad infernum in anima descendisse.

Dum suaderetur Eleazaro, ut simularet se de carnibus sacrificii comedisse, dixit : « Et si in præsenti tempore a suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis neque vivens, neque defunctus effugiam. » II *Mach.*, VI, 26.

Unus illorum septem fratrum dixit : « E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. » Similiter ex verbis matris, et aliorum planum est, quod quantum ad animam non se perire credebant. II *Mach.*, VII, 11 et deinceps.

Razias complexus intestina sua, projecit (*c*) super turbas, invocans Dominatorem vitæ et spiritus, ut hæc illi iterum redderet. II *Mach.*, XIV, 46.

Monens et muniens discipulos quos mittebat Salvator, ait, *Matth.*, X, 28 : « Nolite timere eos,

(*a*) Cæt. edit. *Ecclesiastici.* — (*b*) *Item* ascendit. — (*c*) *Cæt. edit. add.* se.

Digitized by Google

qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. » Et post : « Timete eum qui postquam occiderit, » etc.

Nota quod in eo, quod narrat Dominus, *Luc.*, XVI, de divite et Lazaro, non præmittitur parabola, vel similitudo aliqua : unde videtur fuisse historia manifesta, et sic apparet esse sive malorum, sive bonorum animas immortales, et recipere post separationem a corpore prout in corpore meruerunt.

Exemplo villici iniquitatis, qui fecit amicos de bonis domini sui, idem ostendit Dominus, dicens, *Lucæ*, XVI, 9 : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » Quod nihil esset dictu, si anima post separationem a corpore, seu post mortem corporis nullum haberet receptaculum.

Devotam et rectam fidem habebat de anima beatus Stephanus, qui, cum lapidaretur, dicebat; « Domine Jesu, accipe spiritum meum. » *Act.*, VII, 58.

Ex verbis Doctoris egregii, II *Cor.*, V, 1, animam vivere post separationem a corpore manifes e apparet. « Scimus, » inquit, « quoniam si terrestris domus nostra dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. » Idem, *Philip.*, I, 23 : « Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse. » Idem, *Rom.*, VII, 24 : « Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Et certe talia non diceret, nisi de vita alia certus esset.

CAPUT XXXIV.

De fide quam debet homo habere ad Deum.

« Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » *Gen.*, XV, 6. Nota quod credidit Deo promittenti rem valde difficilem.

Transito Mari Rubro, et exercitu Pharaonis submerso, « timuit populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus. » *Exod.*, XIV, 31.

Usque ad aquas contradictionis fideliter credidit Moyses cunctis verbis Domini, sed ibi aliqualiter hæsitavit, *Num.*, XX.

Dixit Jonathas armigero suo : « Non est difficile salvare, vel in multis, vel in paucis, » I *Reg.*, XIV, 6. Magnæ fidei verbum fuit.

Pugnaturus David contra Goliath Gethæum, dixit, I *Reg.*, XVII, 45 : « Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini, » etc.

Magnæ fidei verbum dixit Asa, II *Paral.*, XIV, 11 : « Domine, non est apud te ulla distantia utrum in paucis auxilieris, aut in pluribus, » etc.

Dixit Josaphat rex Juda exercitui suo ad pugnam congregato : « Credite in Domino Deo nostro, et securi eritis; credite prophetis ejus, et cuncta evenient prospera. » II *Paral.*, XX, 20.

Esdras venturus in Hierusalem per magnam viam et periculosam, noluit petere conductum a rege, sed ad jejunium, et orationem confugit, I *Esdr.*, VIII, 22-23.

Videns Nehemias tot imminere pericula et labores ædificantibus, dixit : « Deus noster pugnabit pro nobis, et nos ipsi faciamus opus. » *Nehem.*, IV, 20.

Maximæ fidei verbum dixerunt socii Danielis regi Nabuchodonosor : « Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis, de manu tua nos liberare; quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod deos tuos non colimus. » *Dan.*, III, 17-18.

Dixit Judas Machabæus sociis timentibus : « Facile est concludi multos in manus paucorum, et non est differentia in conspectu Dei liberare aut in multis, aut in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. » I *Mach.*, III, 18.

Ex abundanti fide mentis procedebant verba illorum septem fratrum, et matris ipsorum, II *Mach.*, VII.

Zachariæ patri beati Joannis Baptistæ dixit Angelus : « Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis, » *Luc.*, I, 20.

Elisabeth repleta Spiritu sancto beatam Virginem a fide specialiter commendavit, *Luc.*, I, 45 : « Beata quæ credidisti. »

Mira fides in illis tribus Magis fuisse probatur, qui in Bethlehem ab Oriente venerunt, et invenientes puerum cum paupercula matre sua, ipsum humiliter et adoraverunt, et mysticas ei munerum species obtulerunt, *Matth.*, II.

Merito commendatur a Domino fides Centurionis, qui dixit : « Domine, non sum dignus ut intres sub, » etc. Sequitur : « Non inveni tantam fidem in Israel. » *Matth.*, VIII, 8-10.

Multum potest valere cuilibet fides propria, si tantum paralytico valuit aliena, de quo *Matth.*, IX, 2, et *Luc.*, V, 20 : « Videns Jesus fidem illorum, dixit : Confide, fili, remittuntur

Digitized by Google

tibi peccata tua; » et statim integraliter sanavit eum.

Mulier fluxum sanguinis patiens dicebat intra se : « Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. » Et sequitur : « Confide, filia, fides tua te salvam fecit. » *Matth.*, IX, 21-22.

« Non fecit Dominus Jesus virtutes multas in patria sua propter incredulitatem illorum, » *Matth.*, XIII, 58.

Quando Petrus ambulans super aquas cœpit mergi, arguit eum Dominus de defectu fidei, dicens : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » *Matth.*, XIV, 31.

Commendatur a Domino mulier Chananæa, cum dixit : « O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut tu vis. » *Matth.*, XV, 28.

Magnæ fidei verbum dixit Petrus Domino interroganti, quid homines dicerent de eo : « Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi. » *Matth.*, XVI, 16.

Mira fuit fides Mariæ Magdalenæ, *Luc.*, VII; idcirco juste a Domino audire meruit : « Fides tua te salvam fecit, » *Luc.*, VII, 50.

Credens jam pater pueri lunatici, humiliter sibi fidem augeri petebat, et cum lacrymis aiebat : « Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. » *Marc.*, IX, 23.

Thomæ Dominus dixit : « Infer digitum tuum huc, » etc., « et noli esse incredulus, sed fidelis. Quia vidisti me, credidisti. Beati, » etc., *Joan.*, XX, 27-29.

Die Pentecostes in prima prædicatione Petri post receptionem Spiritus sancti, circiter tria millia hominum crediderunt, *Act.*, II, 41.

Cum sanatus esset claudus, Petrus allocutus est mirantem et stupentem populum. « Multi autem qui audierunt verbum crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia, » *Act.*, IV, 4.

« Elegerunt Apostoli Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto, » etc., *Act.*, VI, 5.

Cum Samaritani multi credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur. Tunc etiam Simon Magus credidit. *Act.*, VIII.

Eunuchus ait Philippo : « Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens eunuchus, ait : Credo Dei filium esse Jesum Christum. » Et tunc Philippus baptizavit eum. *Act.*, VIII, 36-38.

Saulus et Cornelius modo vario, sed utroque ædificatorio et consolatorio, ad fidem Christi fuerunt adducti, *Act.*, IX et X.

« Quidam Cyprii et Cyrenæi, cum introissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum, » *Act.*, II, 20-21.

Proconsul Paulus videns quod ad verbum Pauli apostoli excœcatus fuit Elymas magus, qui resistebat ei, « credidit admirans super doctrina Domini, » *Act.*, XIII, 12.

Paulo et Barnaba dicentibus Judæis : « Vobis oportebat primum loqui, » etc.; « ecce convertimur ad gentes, » etc., audientes gavisi sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. » *Act.*, XIII, 46-48.

Quidam vir de civitate Lystris, qui « numquam ambulaverat, audivit Paulum loquentem. Paulus autem videns, quia fidem haberet ut salvus fieret, dixit ei : Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. » *Act.*, XIV, 8-9.

« Factum est autem Iconii, ut Paulus et Barnabas simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo, » *Act.*, XIV, 1.

Transeuntibus Paulo et Barnabas per diversas civitates, « Ecclesiæ confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie, » *Act.*, XVI, 4-5.

Custos carceris in quo detinebantur Paulus et Silas, videns terræ motum fieri, et carcerem aperiri, « tremefactus procidit ad pedes eorum dicens : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? » At illi dixerunt : « Crede in Dominum Jesum, et salvus eris. » *Act.*, XVI, 30-31.

Cum Paulus disputasset Athenis contra idololatriam, « quidam viri adhærentes ei crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita, et multi alii, » *Act.*, XVII, 34.

CAPUT XXXV.

De fidelitate homini servanda.

Servus Abrahæ Eliezer fideliter egit nuntium a domino suo sibi commissum, quando ivit pro Rebecca ad domum Bathuelis, *Gen.*, XXIV.

Fideliter servivit Jacob avunculo suo Laban, quando gregem ipsius pascendo die noctuque igne urebatur et gelu, etc., *Gen.*, XXXI.

Joseph erga dominum suum fideliter se habuit, qui uxorem ejus tangere noluit. *Gen.*,

Digitized by Google

XXXIX. Item erga Pharaonem in consilio quod ei dedit, et in ministerio quod ei exhibuit, *Gen.*, XLI.

Rahab meretrix fideliter egit cum exploratoribus quos miserat Josue, *Jos.*, II. Et ipse Josue egit postea fideliter cum eadem, *Josue*, VI.

Quamvis Gabaonitæ fefellissent Josue et filios Israel, tamen juramenta et pacta eis servaverunt, et eos postea contra hostes fideliter adjuverunt, *Josue*, IX et X.

Fideliter indicavit David Jonathas iram patris sui, et ipsum quantum potuit excusavit, et postea confortavit, I *Reg.*, XX.

Occiso patre Abiathar occasione David, dixit ei ipse David : « Ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas : si quis quæsierit animam meam, quæret et animam tuam, mecumque servaberis. » I *Reg.*, XXII, 22-23.

Noluit David percutere dominum suum, licet malum et persequentem eum, cum tamen, si voluisset, bis eum occidere potuisset. I *Regum*, XXIV et XXVI.

Magnum fidelitatis signum fuit, licet indiscrete egerit armiger Saul, quando videns dominum suum esse mortuum, noluit ultra vivere, sed « irruit super gladium suum, et mortuus est cum eo. » Quid ergo debemus facere pro Domino crucifixo ? I *Reg.*, XXXI, 5.

Viri Jabes Galaad fideliter se habuerunt ad Saul dominum suum licet malum, reverenter sepelientes eum. I *Reg.*, XXXI.

Urias Hethæus nolebat esse in deliciis, quandiu Joab dominus suus laborabat in exercitu. II *Reg.*, XI.

Instante captione civitatis Rabbath, quam diu obsederat Joab, misit ad David, ut veniret et illam caperet, ut domino suo, non sibi honor victoriæ deferretur. II *Reg.*, XII.

Cum fugeret David a facie Absalom, dixit illi Ethai : « Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. » II *Reg.*, XV, 21.

Noluerunt viri David, quod ipse exiret cum eis ad prælium dicentes : « Tu unus pro decem millibus putaris (*a*). » In quo apparuit, quod fideliter diligebant eum. II *Reg.*, XVIII, 1. Item, XXI, 17 : « Juraverunt dicentes : Jam non egredieris nobiscum ad prælium, ne extinguas lucernam Israel. »

Separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri ; « viri autem Juda adhæserunt regi suo, » tanquam fideles scilicet, et constantes. II *Reg.*, XX, 2.

Tres viri robustissimi fideliter defenderant David pugnantem contra Philistiim, et attulerunt ei de aqua cisternæ Bethlehem, quam cum desiderio magno petierat. I *Paralip.*, XI.

Valde fideliter egit Joiada pontifex cum Joas filio Joram regis Juda, IV *Reg.*, XI, licet male recognoverit postea. II *Paralip.*, XXIV.

Onias summus pontifex, et alii sacerdotes laboraverunt fideliter viduarum ac pupillorum deposita custodire. II *Machab.*, III.

Commendat Dominus fidelitatem servorum, qui multiplicaverunt talenta sibi tradita. *Matt.*, XXV ; *Luc.*, XIX.

Cum multa fidelitate et discretione procurabat Paulus fieri collectas pro necessitatibus pauperum de Judæa. I *Cor.*, XVI ; II *Cor.*, IX.

Fideles et affectuosas litteras misit Paulus Philemoni pro Onesimo servo ejus fugitivo.

Discretum et fidele consilium dederunt Paulo quidam de Asiæ principibus, rogantes eum « ne se daret in theatrum. » *Act.*, XIX, 31.

CAPUT XXXVI.

De contemplatione, et mentis illustratione.

Postquam exivit Abraham de Ur Chaldæorum, crebro apparuit ei Dominus, et eum diversis revelationibus visitavit. *Gen.*, XII, XIII, XV, XVIII.

« Apparuit Dominus Abrahæ in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui » in ipso « fervore (*b*) diei, » etc. Totum potest exponi de contemplativo. *Gen.*, XVIII, 1.

Habitabat Isaac in terra australi, et « egressus fuerat ad meditandum in agro ; » relicta enim familia in domo, meditationi vacare volebat. *Gen.*, XXIV, 63.

« Factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola ; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. » *Gen.*, XXV, 27.

« Egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram. » etc. *Gen.*, XXVIII, 10-11.

(*a*) *Vulg.* computaris.— (*b*) *Cæt. edit.* posteriore.

Digitized by Google

« Cum mane (*a*) surrexisset » Jacob, « transivit vadum Jaboc. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus, et ecce vir luctabatur cum eo, » etc. *Gen.*, XXXII, 22-24.

« Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian : cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis, » etc. *Exod.*, III, 1-2.

Videns Jethro Moysen occupatum judicando populum expectantem a mane usque ad vesperam, dixit ei : « Stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est. Esto tu populo in his, » etc. *Exod.*, XVIII, 18, 19.

« Descendit Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus, » etc. Ibi revelavit ei Deus præcepta, judicia, et cæremonias, quæ populum docere debebat. *Exod.*, XIX, 20.

« Loquebatur Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum suum. » *Exod.*, XXXIII, 11. Et sequenti capitulo, XXXIV, 28 : « Fuit Moyses cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes ; panem non comedit, et aquam non bibit. »

« Dixit Dominus ad Moysen : « Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram quam daturus sum filiis Israel. » *Num.*, XXVII, 12.

« Samuel dormiebat in templo Domini, et vocavit Dominus Samuelem, » etc. I *Reg.*, III, 3, 4.

« Cum sedisset rex David in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam : Vides quod ego habitem in domo cedrina, » etc. II *Reg.*, VII, 1-2.

Eliæ fugienti a facie Jezabel, ostensum est quod Dominus non erat in spiritu grandi, nec in commotione, nec in igne, sed in sibilo auræ tenuis. III *Reg.*, XIX.

Per similitudines rerum corporalium debet anima ferri in Deum, in quo incomparabiliter melius invenitur quidquid delectabile in creatura videtur. Unde « cum caneret psaltes » coram Eliseo, « facta est super eum manus Domini, » IV *Reg.*, III, 15.

Quando Eliseus attente voluit orare pro mortuo filio Sunamitidis, non fecit hoc coram aliis, sed « clausit ostium, » etc. IV *Reg.*, IV, 33.

(*a*) *Vulg.* mature.

Sara filia Raguelis, audito gravi improperio ab una de ancillis suis, « perrexit in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus et tribus noctibus non manducavit, neque bibit ; sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Dominum. » *Tob.*, III, 10-11.

Videns Judith populum suum in arcto positum, « ingressa est oratorium suum, et induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, et prosternens se clamavit ad Dominum. » *Judith*, IX, 1.

« Esther regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat ; cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui indumenta apta suscepit, et deprecabatur Dominum, dicens : Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam. » *Esth.*, XIV, 1-3.

Post turbationes et tribulationes quas sustinebat David, dicebat : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, volabo, et requiescam ? » et subdit modum acquirendi hujusmodi pennas et requiem : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, » etc. *Psal.* LIV, 7, 8.

Cum esset Ezechiel in medio captivorum, facta est super eum manus Domini, et vidit, quod ventus turbinis veniebat ab Aquilone, etc. *Ezech.*, I.

Audiens Daniel crudelem sententiam contra sapientes Babylonis datam, « ingressus est in domum suam, » et de nocte « per visionem mysterium revelatum est ei. » *Dan.*, II, 17-19.

Dixit angelus Gabriel ad Danielem miro fervore orantem : « Egressus sum, ut docerem te, et intelligeres, quia vir desideriorum es, » etc. *Dan.*, IX, 21, 22.

« Super custodiam meam stabo, » ait Habacuc, « et figam gradum meum super munitione, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » *Habacuc*, II, 1-2.

« Dimissa turba, » ascendit Dominus « in montem solus orare ; vespere autem facto solus erat ibi. » In quo exemplum dedit turbas fugiendi, et solitudinem quærendi. *Matth.*, XIV, 23.

« Ingressus » est Zacharias « templum Domini, ut incensum poneret, et omnis multitudo populi erat orans foris, et tunc apparuit ei Angelus Domini, » *Luc.*, I, 9-11.

« Martha circa ministerium sollicita et turbata erat. Maria autem sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. » Et est notabile valde, quod tam pio et devoto ministerio Marthæ præ-

Digitized by Google

fertur quies et audientia divini verbi Mariæ. *Luc.*, x.

« Videns Jesus Mariam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et lacrymatus est; » quod nequaquam fecerat, quando locuta fuerat ei Martha. *Joan.*, xi, 33.

Miro et ineffabili modo fuerunt discipuli Domini docti, et illustrati in adventu Spiritus sancti. *Act.*, II.

Postquam lux de cœlo Saulum circumfulsit, et ipse cadens in terram excæcatus fuit; deinde per triduum jejunans et orans excellentes revelationes habuit a Christo. *Act.*, IX.

Cum hospitaretur Petrus in domo Simonis Coriarii; ascendit in superiora domus, ut oraret, ad hoc scilicet, ut posset ibi vacare quietius a turba inferius existente remotus; et tunc revelavit ei Dominus in mentis excessu, quod gentiles non erant repellendi a prædicatione Evangelii. *Act.*, X.

Raptus fuit Paulus usque ad tertium cœlum, et audivit « arcana verba, quæ non licet homini loqui; » altissima vero ejus sapientia apparet in epistolis suis, præcipue autem *Rom.*, I, IX, X et XI; item *Ephes.*, I et II; item *Col.*, I, II; item *Hebr.*, I.

Beato Joanni sequestrato a tumultu et consolatione mundi, quando scilicet in insula Pathmo (*a*) exulavit, revelavit Dominus secreta cœlestia. *Apoc.*, I, II, et deinceps per totum.

CAPUT XXXVII.

De spe et longanimitate.

Multis annis expectavit Abraham antequam haberet filium de Sara, quia jam centenarius erat quando natus est Isaac. *Gen.*, XXI.

Item a promissione primo facta Abrahæ usque ad ingressum seminis sui in terram promissionis, fluxerunt anni plusquam quadringenti quadraginta.

Permisit Dominus filios Israel flagellari in Ægypto longo tempore et affligi, et præterea per desertum tentari quadraginta annis, antequam venirent ad terram patribus repromissam, sicut apparet in libro *Exod.* et *Num.* quasi per totum.

Filii Israel contra tribum Benjamin præliantes multi contra paucos bis debellati fuerunt, et tandem prævaluerunt. *Judic.*, XX.

(*a*) *Cæt. edit.* Pathmos.

Dixit David Philisthæo; I *Reg.*, XVII, 45 : « Tu venis ad me cum gladio et hasta, et clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini, » etc. Sperabat enim per Deum victoriam obtinere.

Parentibus Tobiæ irridentibus eum, et dicentibus : « Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? » Tobias increpabat eos dicens : « Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus quam daturus est Deus, iis qui fidem suam nunquam mutant ab eo. » *Tob.*, II, 16, 18.

Afflictus corpore, filiis orbatus, derisus ab amicis, omnibus rebus spoliatus, dicebat tamen sanctus Job : « Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. » *Job*, XIII, 15.

Cum esset Susanna duorum presbyterorum iniquo condemnata testimonio, dicitur tamen de ea quod « erat cor ejus fiduciam habens in Domino. » *Dan.*, XIII, 35.

Unus illorum septem fratrum postulatus a tyranno linguam, cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait : « E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. » II *Mach.*, VII, 11.

Machabæus Judas misit Hierosolymam duodecim mille drachmas argenti, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, « juste et religiose de resurrectione cogitans : nisi enim eos qui ceciderant, » etc. II *Mach.*, XII, 44.

« Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo ipse justus et timoratus exspectabat consolationem Israel. » *Luc.*, II, 25.

Ascensurus in cœlum Salvator præcepit discipulis suis ne discederent ab Jerosolymis, « sed exspectarent promissionem Patris. » *Act.*, I, 4.

Videns Paulus, quod una parse rat Sadducæorum, alia Pharisæorum, exclamavit in concilio : « Viri fratres, ego pharisæus sum, filius Pharisæorum : de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. » *Act.*, XXIII, 6.

Monet Apostolus Timotheum, ut præcipiat divitibus « non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, » etc. I *Tim.*, VI, 17.

Ad longanimitatem et expectandum nos invitat, vel informat, beatus Jacobus dicens : « Exemplum accipite exitus mali, laboris et patientiæ, prophetas, » etc. *Jac.*, V, 10.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

De timore Dei.

Usque ad beatitudinem confirmatam non potest esse securitas : nam et angeli in cœlo empyreo, et primi parentes in terrestri paradiso peccaverunt. *Gen.*, III. De Angelis autem, II *Petr.*, II, 4, dicitur : « Angelis peccantibus non pepercit. »

Loth inter peccatores pessimos bonus fuit, et exiens inde cum filiabus suis in monte peccavit. *Gen.*, XIX.

Defectus timoris divini est causa peccati; ideo dixit Abraham ad Abimelech : « Cogitavi mecum, dicens : Forsitan non est timor in loco isto, et interficient me, » etc. *Gen.*, XX, 11.

« Timuere obstetrices Dominum, et ædificavit illis domum. » *Exod.*, I, 15.

Voluit Dominus multum timorem filiis Israel incutere, et ideo cum tonitruis, et igne, et signis terribilibus legem dedit. *Exod.*, XX.

Non debet homo confidere in probitate parentum; Abraham enim plures habuit malos filios, unum bonum. Samuel habuit duos, ambo fuerunt mali, I *Reg.*, VIII. David etiam multos malos. Salomon habuit unum malum et stultum : et de multis aliis inveniuntur exempla.

Post transitum Maris Rubri, et submersionem exercitus Pharaonis, dicitur, *Exod.*, XIV, 31 : « Timuit populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus. »

Abdias dispensator domus Achab « timebat Dominum » Deum Israel « valde; nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos, et pavit. » III *Reg.*, XVIII.

Homines quos misit rex Assyriorum ad habitandum Samariam, « non timebant Dominum : et immisit eis Dominus leones, qui interficiebant eos. » IV *Reg.*, XVII, 25.

Constituit Josaphat judices in cunctis civitatibus Juda, præcipiens eis inter cætera : « Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum iniquitas, » etc. II *Paral.*, XIX, 7.

Tobias senior filium suum « ab infantia timere Deum docuit. » *Tob.*, I, 10. Idem ad convivium suum Deum timentes faciebat vocari. *Tob.*, II, 2. Sequitur ibidem, I, 21 : « Tobias, plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et sepeliebat ea. »

Tobias junior, et amici sui, « cum timore Domini convivium nuptiarum exercebant. » *Tob.*, IX, 12.

Confitendo in oratione Domino dicebat Sarra filia Raguel : « Virum cum timore tuo, non cum libidine mea consensi recipere. » *Tob.*, III, 18.

« Erat Judith vidua in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum. » *Judith*, VIII, 8.

Inter alia de quibus commendatur Job, est timor Dei, *Job*, I et II; unde et ipse dixit : « semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. » *Job*, XXXI, 23.

De muliere forti dicitur specialiter, *Prov.*, XXXI, 30 : « Mulier timens Deum ipsa laudabitur. »

Cum plagis perimeretur Eleazarus, ait : « Domine, tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter hoc patior. » II *Mac.*, VI, 30.

Commota tempestate magna, nautæ, cum quibus erat Jonas, « miserunt ipsum in mare, et stetit mare a fervore suo, et timuerunt viri timore magno Dominum, et immolaverunt hostias, et voverunt vota. » *Jon.*, I, 15.

Si timendus est aliquis dominus, quia multa bona donare potest, multo magis timendus est Deus, qui summa bona donare potest. *Tob.*, IV, 23 : « Noli timere, fili mi, » etc. Item, quia potest mala inferre; et propter hoc, *Matth.*, X, 28 : « Timete eum, qui potest animam et corpus mittere in gehennam. »

Si graviter punitus est servus ille, qui talentum sibi traditum non multiplicavit, sed ligatum in sudario integrum reportavit, quid fiet de illo, qui omnia dissipavit luxuriose vivendo, et, quantum in ipso fuit, Dominum impugnando? *Matth.*, XXV, de talentis habetur.

Valde graviter punientur illi qui opera iniquitatis et nequitiæ perpetraverunt, ex quo ita confundentur qui opera misericordiæ non fecerunt, *Matth.*, XXV, 42 : « Ite, maledicti, in ignem æternum, » etc.

« Simeon erat homo justus et timoratus, expectans consolationem Israel, » *Luc.*, II, 25.

« Viri timorati curaverunt Stephanum a Judæis lapidatum, et fecerunt planctum magnum super eum, » *Act.*, VIII, 2.

Post conversionem Pauli scriptum est, *Act.*, IX, 31 : « Ecclesia ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur. »

Digitized by Google

Occasione Cornelii Deum timentis, dixit Petrus, *Act.*, x, 35 : « In omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. »

CAPUT XXXIX.

De timore quo mali timent bonos.

Dixit Abimelech ad Abraham : « Deus tecum est in universis quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, » etc., *Gen.*, xxi, 23.

Ægyptii persequentes filios Israel, qui ibant per medium maris, dixerunt : « Fugiamus Israelem; Deus enim pugnat pro eis, » *Exod.*, xiv, 25.

« Videns Saul, quod Deus esset cum David, cœpit eum timere, » I *Reg.*, xviii, 12.

Princeps quinquagenarius, qui tertio venit ad Eliam, reverenter locutus est ei : quod quia non fecerunt duo alii, fuerunt desuper veniente igne consumpti, IV *Reg.*, i.

Factum est, cum completus esset murus Jerusalem, ut timerent universæ gentes in circuitu eorum, *Nehem.*, vi, 16.

« Cecidit timor Judæ ac fratrum ejus, et fortitudo super omnes gentes in circuitu eorum, et pervenit ad regem nomen ejus, » I *Mac.*, iii, 25.

« Audierunt adversarii, quia paratus est Jonathas cum suis in bello, et timuerunt, et formidaverunt in corde suo, » I *Mach.*, xii, 28.

Postquam Lysias debellatus fuit a Juda Machabæo, voluit pacem facere cum eo, et « promisit se consensurum omnibus quæ justa erant, » quasi ad voluntatem Judæ. I *Macab.*, xi, 14.

« Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum, et custodiebat eum, » *Marc.*, vi, 20.

Post terribilem mortem Ananiæ et Saphiræ, « erant omnes discipuli in porticu Salomonis; cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus. » *Act.*, v, 12-13.

Cum Paulus et Silas essent in carcere positi, et pedes eorum ligno stricti, « subito terræ motus factus est magnus; custos » autem carceris « tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes, et ait : Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam ? » *Act.*, xvi, 26, 29, 30.

CAPUT XL.

De dilectione Dei.

Daturus legem Moysi Dominus, dixit ei : « Ego sum Dominus Deus tuus, etc., faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. » *Exod.*, xx, 6.

Principium omnium mandatorum legis est dilectio Dei; nam dixit Moyses post decem mandata populo repetita : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni fortitudine tua, » *Deut.*, vi, 5.

Timorem Dei et amorem volens specialiter imprimere populo Moyses, *Deut.*, x, 12, ait : « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum ? » etc.

Longævus Josue, et persenilis ætatis, vocavit Israelem, et monens eos de multis, dixit inter cætera : « Hoc tamen diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum. » *Jos.*, xxiii, 11.

De rege David dicitur, *Ecclesiastici*, xlvii, 10 : De omni corde suo laudavit Deum, et dilexit Dominum, qui fecit illum. Unde ipsemet dicebat, *Psal.* xvii, 1 : « Diligam te, Domine, fortitudo mea, » etc.

Salomon dilexit Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, III *Reg.*, iii, 3.

Testatur Dominus de illa sancta peccatrice : « Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, » *Luc.*, vii, 47.

Commissurus beato Petro Dominus gregem ovium suarum, quæsivit utrum eum diligeret; et ille confidens de bona conscientia respondebat : « Domine, tu scis, quia amo te. » Nota tamen, quod non dixit : « Diligo te plus iis, » licet sic quæsitum fuisset, in hoc sibi a superbo et temerario verbo cavens. *Joan.*, xxi, 15.

Miro modo diligebat Christum Paulus, qui tam secure dicebat : « Quis nos separabit a charitate Christi ? » *Rom.*, viii, 35, 38; et post : « Certus sum quia neque mors, » etc.

Apostolus Paulus talem tulit sententiam : « Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit, Maran Atha. » I *Cor.*, xvi, 22.

Quia amor est virtus unitiva, magnum amorem ad Christum Paulus habebat, qui ei (*a*) crucifixus erat, *Gal.*, ii.

Et potest nominari de Paulo, quod Christus erat sua sapientia, I *Cor.*, ii, 2 : « Non judicavi me scire aliud inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » Item sua substantia, *Philip.*, iii, 8 : « Omnia detrimenta (*b*) feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. »

(*a*) *Legendum* cum eo. — (*b*) *Vulg.* detrimentum.

Digitized by Google

Item sua justitia, I *Cor.*, I, 30, loquens de Christo : « Factus est, inquit, nobis sapientia et justitia, et sanctificatio et redemptio. »

Item potest dici, quod Christus in eo loquebatur, II *Corinth.*, XIII, 3 : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? »

Item Christus in eo operabatur, *Rom.*, XV, 18 : « Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. » II *Cor.*, II, 10 : « Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. »

Item Christus in eo vivebat, *Gal.*, II, 20 : « Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus. » *Philip.*, I, 21 : « Mihi vivere Christus est. »

Item Christus in eo triumphabat, II *Cor.*, II, 14. « Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu. »

Item potest dici quod ipse erat Christi servus, *Rom.*, I, 1 : « Paulus servus Jesu Christi. »

Item Christi Apostolus, II *Cor.*, I, 1 : « Paulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, » etc.

Item Christi legatus et vicarius, II *Cor.*, V, 20 : « Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. »

Item ipse erat Dei adjutor, I *Cor.*, III, 9 : « Dei sumus adjutores. »

Item pugil, vel certator, II *Timoth.*, IV, 7 : « Bonum certamen certavi. » I *Cor.*, IX, 26 : « Sic pugno, non quasi aerem verberans, » I *Cor.*, XV, 32 : « Si ad bestias pugnavi, » etc. *Ephes.*, VI, 11, etc. (*a*).

Item cursor Domini, I *Cor.*, IX, 26 : « Sic curro, non quasi in incertum. » II *Tim.*, IV, 7 : « Cursum consummavi. »

Item specialis imitator, I *Cor.*, IV, 16. « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. »

Pulchram et salubrem conclusionem facit beatus Joannes, dicens : « Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, » I *Joan.*, IV, 19.

CAPUT XLI.

De dilectione proximi.

Reprehensus est Cain a Domino graviter, et punitus, quia contra fratrem suum inique egit, et se non esse ejus custodem dixit, *Genes.*, IV, 9 : « Numquid custos, » etc.

Nota quam sollicite et diligenter orabat Dominum Abraham, ut parceret Sodomitis; quod erat magnæ dilectionis signum. *Gen.*, XVIII.

Tantam dilectionem erga proximos sibi subditos Moyses habebat, quod ipse, orans Dominum, dicebat, *Exod.*, XXXII, 31 : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, » etc.

Optabat Moyses omnes de populo prophetare, licet honor ejus inde minui videretur, *Num.*, XI, 29.

Noluit Moyses majus dominium, quod ei promittebat Dominus, in tantum proximos suos, quibus præerat, diligebat. *Num.*, XIV.

Filii Israel, post occisionem filiorum Benjamin, magno ululatu cœperunt flere, dicentes : « Quare, Domine, factum est hoc malum? » etc., *Jud.*, XXI, 3. Quod non fecissent, nisi eos intime dilexissent.

« Anima Jonathæ colligata (*b*) est animæ David, et dilexit eum quasi animam suam, » I *Reg.*, XVIII, 1.

Ostendit David se diligere inimicum in planctu Saul, II *Reg.*, I; amicum, in planctu Jonathæ; simpliciter proximum, in planctu Abner, II *Reg.*, III; filium, licet malum et sibi adversarium, in planctu Absalom, II *Regum*, XVIII.

Magnam dilectionem ostendit se habere Nehemias ad filios transmigrationis, in bonis quæ eis fecit. *Nehemiæ*, quasi per totum.

Quia Tobias multis multa charitatis opera exhibebat, multi diligebant eum : unde, cum jussus esset occidi a rege, latuit, et inventus non fuit. *Tob.*, I.

Tantam dilectionem vult Dominum ad proximos nos habere, ut dixerit Petro, non esse dimittendum septies peccatis fratris, sed usque septuagies septies. *Matth.*, XVIII, 22.

Dilectionem ad proximum habuisse laudatur Samaritanus ille, qui appropians semivivo, « misericordia motus est, et ejus vulnera alligavit, infundens oleum et vinum, » etc. *Luc.*, X, 34.

Magnam dilectionem ad proximos habuisse monstratur beatus Stephanus, qui pro lapidatoribus suis devotius, quam pro se, orasse videtur, *Act.*, VII, 58, 59 : nam pro illis genua posuit, et voce magna clamavit; pro se vero simpliciter dixit : « Domine Jesu, accipe spiritum meum. »

Inæstimabiliter Paulus proximos diligebat, erat enim erga eos, ut mater parturiens; nam dicebat, *Galat.*, III, 19 : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. »

(*a*) *Suppl.* Induite vos armaturam, etc. — (*b*) *Vulg.* conglutinata.

Digitized by Google

Item tanquam pater corripiens, I *Cor.*, IV, 15 : « Sive decem millia pædagorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui. » Et paulo post, 21 : « In virga veniam ad vos? » etc. Item, I *Thessal.*, II, 12: « Tanquam pater filios suos deprecantes vos, et consolantes testificati sumus, » etc.

Tanquam nutrix fovens, et blandiens, I *Thessal.*, II, 7: « Facti sumus tanquam nutrix fovens filios suos. » Item, I *Cor.*, III, 2 : « Tanquam parvulis in Christo lac potum vobis dedi. »

Item tanquam magister et doctor erudiens, II *Tim.*, I, 11 : « Positus sum prædicator, et apostolus, et magister gentium; » et I *Timoth.*, II, 7 : « Doctor gentium in fide et veritate. »

Item tanquam frater et socius collaborans et coadjuvans, *Philip.*, IV, 1, 3 : « Fratres mei carissimi et desideratissimi, » etc. « Rogo te, germane compar, » etc. « Adjuva illas, quæ mecum laborant. » Item, *Philip.*, I, 7: « Habeo vos in confirmatione evangelii socios gaudii mei omnes vos esse, » etc. II *Cor.*, I, 23 : « Non dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri. »

Item tanquam legatus reconcilians, II *Corinth.*, V, 20 : « Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. »

Item Apostolus bona annuntians, *Act.*, XX, 20: « Vos scitis qualiter nihil vobis utilium subtraxi, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, » etc. *Act.*, XVII, 23 : « Quod ignorantes colitis, ego annuntio vobis. »

Item architectus ædificans, I *Cor.*, III, 10: « Ut sapiens architectus fundamentum posui. » II *Cor.*, X, 8: « De potestate vestra quam dedit vobis (*a*) Deus in ædificationem. »

Per aliam nihilominus viam potest dici, quod Paulus ostendit se esse proximorum dilectorem ferventissimum, per hoc videlicet, quod ipse multa pro eis dabat, multa pro eis faciebat, et multa pro eis sustinebat. Dabat siquidem ipsis ea quæ habebat; et quæ non habebat, ab habentibus pro indigentibus procurabat. Quod enim sua daret ad utilitatem proximorum, ipse testatur, *Act.*, XX, 34 : « Ad quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ, etc. Sequitur, 35 : « Quoniam beatius est dare magis quam accipere. »

Quamvis autem supererogantis esset, cum ab ipsis accipere posset, tamen hoc faciebat, ut illis, quibus prædicabat, parceret, II *Cor.*, XII, 14 : « Paratus sum venire ad vos, et non ero vobis gravis; non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. »

Secundo, ut pseudo-apostolis gloriandi occasionem auferret, II *Cor.*, XI, 9, 12: « In omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo, » etc., « quod facio, et faciam, ut amputem occasionem eorum qui volunt occasionem, ut in quo gloriamur, tales inveniantur, sicut et nos. »

Tertio, ut exinde majorem mercedem haberet, I *Cor.*, IX, 11 : « Non usi sumus hac potestate, » ut acciperemus scilicet sumptus a vobis. Sequitur, 18 : « Quæ est ergo merces mea? Ut evangelium prædicans, sine sumptu ponam evangelium. »

Rursus etiam ipse procurabat ab ecclesiis de Achaia ad donandum pauperibus de Judæa; ob quam causam collectas fieri faciebat, et fideles ad hoc efficaciter inducebat, I *Cor.*, XVI, 1 : « De collectis autem, » etc. Item, II *Cor.*, IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet. »

Item dabat proximis verba Dei, quibus copiosissime abundabat; imo etiam seipsum eorum utilitatibus dedicabat, I *Thess.*, II, 8: « Volebamus tradere vobis non solum evangelium, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. » Item, II *Corinth.*, XII, 15: « Ego ipse libentissime impendam, et superimpendar pro animabus vestris. »

Mira insuper de corpore suo fecit pro proximis ad fidem et salutem convertendis, prædicando scilicet, disputando, discurrendo a Damasco in Arabiam, in Hierusalem, in Antiochiam. Deinde ivit jussu Spiritus sancti, cum Barnaba, de Antiochia in Cyprum. Inde navigantes in Pamphyliam, et post euntes in Pisidiam, Iconium, Lycaoniam, constituerunt presbyteros per universas ecclesias, et tandem post factum multiplicem fructum, Antiochiam redierunt : de his habetur plenius, *Act.*, XIII, XIV.

Postmodum vero Paulus volens visitare fratres, quibus prædicaverat verbum Dei, assumpto Sila in socium, profectus est in Syriam et Ciliciam. Inde transeuntes Phrygiam, et Galatiæ regionem, venerunt Mysiam, et postea vocatus in Macedoniam navigavit : et tunc Philippis Thessalonicæ, et in multis aliis civitatibus regionis illius multum fructum faciens, conse-

(*a*) *Vulg.* Nostra quam dedit nobis.

Digitized by Google

quenter pervenit Athenas, ubi cum philosophis curiosis salubriter disputavit.

Ex quo transtulit se Corinthum, et ibi multum populum Domino acquisivit. Inde profectus est Ephesum, et ingressus synagogas disputabat cum Judæis : Unde egressus descendit Cæsaream, et de Cæsarea venit Antiochiam, et facto ibi aliquanto tempore, profectus est Galatiæ regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Postea peragratis superioribus partibus, iterum venit Ephesum, et ibidem biennio commoratus disputans et suadens de regno Dei, fecit ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, tam gentiles, quam Judæi.

Inde reversus per Macedoniam, et Troadem, et Miletum, per plures alias civitates et insulas transiens, applicuit Tyro, et de Tyro per Ptolomaidam et Cæsaream iter faciens, deinde Hierusalem cum multa fatigatione pervenit, ubi comprehensus a Judæis, tractus et verberatus, et coram diversis judicibus nequiter accusatus, a manifesto gravamine compulsus est Cæsarem appellasse.

Traditus autem centurioni, post naufragium et innumera pericula, ad urbem Romanam catenis vinctus accessit, ibique prædicationi et doctrinæ insistens, ire etiam in Hispaniam proponebat.

Ecce quomodo amabat illos, pro quibus tot et talia faciebat, II *Cor.*, XII, 19 : « Omnia, carissimi, propter ædificationem vestram. »

Apparent etiam signa dilectionis, cum quis vult sustinere, vel pati gravia pro amicis. *Ecclesiastici*, XXII, 31 : « Amicum salutare non confundar, et si mihi mala evenerint per illum, sustinebo. » Ex jam dictis vero Paulum mira sustinuisse liquet pro utilitatibus proximorum, II *Timoth.*, II, 10 : « Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur. »

Magnam dilectionem ad proximos habuisse Joannem Evangelistam, patet ex verbis suis. Ex abundantia, enim cordis os ejus loquebatur, quando dilectionem vel charitatem toties repetebat, sicut apparet præcipue in prima canonica, primo capitulo.

CAPUT XLII.

De invidia.

« Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, » *Sap.*, II, 24, quia scilicet vidit diabolus hominem in statu felici esse, et ad illum posse ascendere, unde ipse corruerat : ideo tentavit hominem, et vicit. *Gen.*, III.

Invidia motus Cain fratrem suum Abel occidit, quando scilicet vidit ejus munera acceptari a Deo, et non sua. *Gen.*, IV.

De Isaac dicitur : « Benedixit illi Deus, et locupletatus est homo, » etc. « Ob hoc invidentes ei Philistiim, » etc. *Gen.*, XXVI, 13-14. Per quod patet, quod prosperitas hominis causat invidiam in aliis, occasionaliter tamen.

Rachel sterilis sorori fœcundæ invidit, *Gen.*, XXX. Ecce quomodo invidia nec propinquis parcit.

Fratres Joseph invidebant ei, videntes quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, et audientes somnia quæ narrabat. Et nota, ad quantum facinus ex illa invidia proruperunt. *Gen.*, XXXVII.

Cum duo viri prophetarent in castris, Josue, quasi invidens, dixit : « Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille : Quid, » inquit, « æmularis pro me? » *Num.*, XI, 28-29.

Maria et Aaron locuti sunt contra Moysen, dicentes : « Num per solum Moysen locutus est Dominus? » etc. *Num.*, XII, 2. Ex quo patet, quod invidus non parcit beneficis et propinquis : Moyses enim frater eorum erat, et per eum grandem recipiebant honorem.

Percusso Philisthæo, cantabant mulieres : « Saul percussit mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit illi sermo ille. » I *Reg.*, XVIII, 7-8.

Videns Achitophel quod non factum fuerat secundum consilium suum, sed magis secundum consilium Chusai, abiens in domum suam, suspendio interiit. II *Reg.*, XVII, 23.

Ædificantibus templum filiis Juda, post reditum de Babylone, gentes quæ erant in circuitu, doluerunt, et eos multipliciter impedierunt, I *Esdræ*, IV.

Audierunt Sanaballat et Tobias quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel, et contristatus est afflictione magna. *Nehem.*, II, 10.

Daniel superabat omnes principes et satrapas : unde principes et satrapæ quærebant omnes occasiones, ut invenirent Danieli ex latere regis. *Dan.*, VI, 3-4.

Alcimus videns charitatem Judæ et Nicanoris ad invicem, venit ad Demetrium, et dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Judamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. II *Mach.*, XIV.

Digitized by Google

Videntes principes sacerdotum et scribæ mirabilia quæ Dominus faciebat, et pueros clamantes : « Hosanna filio David, » indignati sunt, » etc. *Matth.*, XXI, et *Luc.*, XIX.

Frater filii prodigi audiens festum, quod faciebat pater adolescentiori filio revertenti, indignatus est, et nolebat introire. *Luc.*, XV.

A beato Joanne Baptista longe fuit invidia relegata, ad quem cum venirent discipuli, et dicerent quod Christus baptizabat, et omnes ibant post eum ; respondit : « Amicus sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, » etc. *Joan.*, III, 29.

Quidam Judæi qui viderant Lazarum a Domino suscitari, abierunt ad Pharisæos, et dixerunt quæ fecit Jesus. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi consilium, etc. *Joan.*, XI, 46-47.

Ad tam immane scelus principes sacerdotum ex invidia proruperunt, quod legitur, *Matth.*, XXVII. Sciebat Pilatus, « quod propter invidiam tradidissent eum » summi sacerdotes, scilicet ipsum Dei filium Dominum Jesum Christum.

Petro et Joanne loquentibus ad populum, supervenerunt sacerdotes et magistratus templi Sadducæique dolentes, quod docerent populum. *Act.*, IV, 1-2.

« Princeps (*a*) sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, videntes signa, » quæ per Petrum fiebant, « repleti sunt zelo, et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica, » etc. *Act.*, V, 17-18.

« Audientes verba Stephani Judæi dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum dolentes, quod non poterant resistere sapientiæ, et spiritui qui loquebatur. » *Act.*, VI et VII.

Convenit pene universa civitas audire verbum Dei, quod Paulus et Barnabas prædicabant ; « videntes autem Judæi repleti sunt zelo, » etc. *Act.*, XIII, 45.

Ex Thessalonicæ Judæis et Gentilibus crediderunt multi viri, et mulieres nobiles non paucæ : zelantes autem Judæi, concitaverunt civitatem. *Act.*, XVII, 4-5.

CAPUT XLIII.

De correctione fraterna.

Corripere proximum, et reprehendere, est opus misericordiæ ; unde, postquam juraverat Abraham Abimelech, quod faceret ei misericordiam, continuo sequitur : « Increpavit Abimelech, » etc. *Gen.*, XXI, 25.

Charitative et mansuete compescuit Abraham jurgium, quod erat inter pastores nepotis sui Loth, *Gen.*, XIII.

Dulciter et benigne increpabat Loth Sodomitis, licet illi non acquieverint ei. *Gen.*, XIX.

Ruben et Judas temperaverunt furorem fratrum suorum, ne occiderent Joseph. *Gen.*, XXXVII.

Moyses injuriantem Hebræum charitative corripuit ; sed ille pro malo habuit, et ad injuriosa verba prorupit, *Exod.*, II, 14 : « Numquid occidere me tu vis ? » etc.

Videns Jethro populum expectantem judicari per Moysen, dixit ei : « Stulto labore consumeris, » etc. Et nota quomodo tantus homo gentilis hominis monitionibus acquievit. *Exod.*, XVIII, 18.

Phinees filius Eleazari, et cæteri nuntii, fratres suos, qui ædificaverant altare in scandalum filiorum Israel, discrete arguerunt, et satisfactionem libentissime susceperunt, *Jos.*, XXII.

Miserunt nuntios filii Israel ad filios Benjamin, qui dixerunt : « Cur tantum nefas in vobis repertum est ? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetraverunt, » etc. *Judic.*, XX, 12-13.

Increpando Jonathas patrem suum Saul pro iniqua persecutione David, ejus malitiam in principio aliqualiter temperavit. I *Reg.*, XIX.

Volens Abigail arguere virum suum super duritia, quam ostenderat nuntiis David, noluit ei aliquid dicere statim post prandium, sed expectavit tempus opportunum, scilicet usque in crastinum, cum vinum prius bibitum digessisset. I *Reg.*, XXV.

Abner bene arguebat Asael, quia nimis urgebat persequendo eum ; sed ille audire contempsit, et propter hoc occisus fuit. II *Reg.*, II.

Nota quam discrete arguit Nathan propheta David, cum peccasset adulterium et homicidium committendo, II *Reg.*, XII : non enim cum furore dixit : Pessime fecisti ; sed assumpta similitudine congrua, illaqueavit eum verbis oris sui.

Cum magno zelo arguit Elias populum errantem, dicens : « Si Dominus est Deus, sequimini eum, » etc. III *Reg.*, XVIII, 21.

Reprehendens Achab, regem Israel, vir quidam de filiis prophetarum, proposuit ei simili-

(*a*) Cæt. edit. *Principes.*

Digitized by Google

tudinem, per quam cognovit rex peccatum suum. III *Reg.*, XX.

Cum magna libertate dixit Elisæus ad Joram regem Israel, exercitu circumstante : « Si non erubescerem vultum Josaphat, non attendissem te, vel respexissem. » IV *Reg.*, III, 14.

Sacerdotes restiterunt Oziæ regi Juda volenti adolere incensum, et dixerunt : « Non est tui officii, ut adoleas incensum, » etc. II *Paral.*, XXVI, 18.

Cum magno ardore corripuit Esdras filios transmigrationis, qui duxerant uxores alienigenas contra legem. I *Esdr.*, IX et X.

Audiens Nehemias clamorem populi propter gravamina, quæ patiebantur a divitibus, increpavit optimates et magistratus, etc. *Nehem.*, V. Idem fecit pro eo, quod multi, portando onera, diem sabbati profanabant. *Nehem.*, XIII.

Irridebant Tobiam parentes ejus; at ipse increpabat eos, dicens : « Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, » etc. *Tob.*, II.

Audiens Judith propositum civium suorum, quod post quinque dies volebant tradere Assyriis civitatem, reprehendit eos sermonibus fidelibus et discretis. *Judith*, VIII.

Daniel valde discrete arguit regem Balthasar exemplo patris sui; et nota : patienter rex illum audivit, licet dixisset contra eum, et postea ipsum magnifice honoravit. *Dan.*, V.

Cum miro furore dicebat Joannes Baptista Pharisæis et Sadducæis : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » *Matth.*, III; *Luc.*, III.

Dicebat Joannes Herodi adulteranti cum Herodiade uxore fratris sui : « Non licet tibi habere illam. » *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

Indiscrete, licet pie, voluit Petrus Dominum increpare, cum diceret, quod oportebat eum pati a principibus sacerdotum; sed Dominus dure respondit ei : « Vade post me, satana, » etc. *Matth.*, XVI.

Veram et certam dedit Dominus regulam Petro de correctione fraterna, *Matth.*, XVIII : « Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum, » etc.

Unus de illis latronibus, qui pendebant in cruce, blasphemabat Dominum Jesum; respondens alter increpabat eum, dicens : « Neque tu times Deum, » etc. *Luc.*, XXIII.

Pulchre arguebat, et convincebat Pharisæos ille cæcus natus a Domino illuminatus, dicens : « Mirabile est quod vos nescitis, unde sit homo ille, et aperuit oculos meos : a sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati, » etc. *Joan.*, IX.

Videns Petrus quosdam Judæos admirantes, et discipulos deridentes, discrete et confidenter illos arguit, et instruxit, et ad fidem convertit, *Act.*, II. Simile accidit, *Act.*, III, post sanationem claudi : culpam eorum ille ostendit, et aliqualiter excusans eos, multa dulcia verba dixit, ita quod conversi fuerunt quinque millia hominum.

Durissime increpavit Petrus Ananiam et Saphiram pro eo, quod fraudaverunt de pretio agri, quem vendiderant, et partem ad pedes apostolorum posuerant, *Act.*, V.

Stephanus in concilio Judæorum existens, confidenter increpabat eos, dicens inter cætera : « Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? » etc. *Act.*, VII.

Paulus intuens Elymam Magum, qui nitebatur avertere proconsulem a fide, dixit ei : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas, » etc. *Act.*, XIII.

Simonem Magum, pro dono Dei pecuniam offerentem, Petrus terribiliter increpavit, dicens : « Pecunia tua tecum sit in perditionem, » etc. *Act.*, VIII.

Quid discretius modo, quo Paulus Apostolus arguit Romanos ex Gentilibus et Judæis conversos, qui superba contentione volebant se alterutrum superponere? Ostendit autem utrosque peccasse, et gloriosa Dei misericordia indigere; nam et Gentiles legis naturalis, et Judæi legis Mosaicæ fuerant transgressores, *Rom.*, III : « Causati sumus Judæos et Græcos, » id est, Gentiles, « et circumcisos omnes sub peccato esse, » etc.

Corinthios arguit Apostolus de hoc præcipue, quod Christus in eis dividi videbatur, dicente uno : « Ego sum Pauli; » alio autem : « Ego sum Apollo; « alio vero : « Ego sum Cephæ, » etc., I *Cor.*, I. Item, quia dissimulabant inter se fornicatorem esse, qui tenebat novercam suam, I *Cor.*, V. Item, quia apud infideles judices de sæcularibus negotiis litigabant, I *Cor.*, VI. Item, reprehendit eos de irreverentia circa Eucharistiæ sumptionem, I *Cor.*, XI. Item, de errore circa mortuorum resurrectionem, I *Cor.*, XV. Item, in secunda epistola ad Corinthios, increpat eos Paulus de hoc præcipue, quod illi multa gravia

Digitized by Google

a pseudo-apostolis sustinebant, et ipsum non habebant in tanta reverentia, ut debebant, II *Cor.*, IX : « Sustinetis, » inquit, « si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, » etc. Item, XII : « Ego debui a vobis commendari; nihil enim minus feci ab iis, qui sunt supra modum apostoli. »

Galatas acriter, et fortiter, et ferventer arguit supra hoc, quod post acceptam veritatem Evangelii volebant ad circumcisionem et observantias legales reverti, *Gal.*, III : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit ? » etc.

Audierat Apostolus quosdam de Thessalonicensibus ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes : idcirco corripi tales mandavit, I *Thessal.*, III.

CAPUT XLIV.

De compassione habenda ad proximum.

Audiens Abraham captum esse Loth nepotem suum, celeriter et valenter succurrit ei, *Gen.*, XIV.

Ruben et Judas resistebant cæteris fratribus volentibus occidere Joseph, et quamvis eum non reduxerint ad patrem, tamen minus male actum est ei, *Gen.*, XXXVII.

Gedeon compatiens secum fatigatis, petivit panem pro eis, *Judic.*, VIII.

Licet filii Benjamin filios Israel gravissime offendissent, tamen propter illorum excidium omnes elevata voce ululatu magno fleverunt, *Judic.*, XXI.

Lugebat Samuel Saul, licet eum a Deo sciret projectum, I *Reg.*, XV.

Compatiens David lassis sociis, qui ad bellum ire non potuere, constituit, quod æqua esset pars descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas, I *Regum*, XXX.

Doluit David de occisione Absalon, licet ille multum offendisset eum; sed sciebat eum David in anima esse damnatum, II *Reg.*, XVIII.

David in tantum doluit de percussione populi, quod petiit ab Angelo percuti loco illius, II *Reg.*, XXIV.

Elias benigne accepit verba mulieris viduæ satis dura, et pro filio ejus mortuo, dolori illius compatiens, efficaciter oravit, III *Reg.*, XVII.

Cum Jezabel occideret prophetas Domini, Abdias abscondit centum ex iis, et pavit eos diebus multis, III *Reg.*, XVIII.

Pie compassus fuit Eliseus viduæ debitis obligatæ, et augmentavit ei modicum olei, quod habebat, IV *Reg.*, IV.

Non solum pro præsentibus malis compatiendum est proximis, sed etiam pro futuris : unde Eliseus, videns Asael, qui mala facturus erat filiis Israel, cœpit flere, IV *Reg.*, VIII.

Cum cepissent filii Israel de viris Juda ducenta millia mulierum et puerorum, peperceruntque eis, et vestitos atque refectos ad propria remiserunt, I *Paral.*, XXVIII.

Audiens Nehemias miserabilem statum civitatis Jerusalem, flevit diebus multis, et tandem consilium adhibuit et auxilium opportunum, *Nehem.*, I et II.

Cum regnaret Sennacherib, et filios Israel exosos haberet, Tobias pergebat quotidie per omnem congregationem suam, et consolabatur eos, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, et mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat, *Tob.*, I. Item, II, habetur de eodem.

Magnam compassionem habebat sanctus Job ad proximos, qui dicebat : « Auris audiens beatificabat me, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non erat adjutor. Benedictio perituri veniebat super me, et cor viduæ consolatus sum, » etc. *Job*, XXIX, 11 et seq.

Regina Esther, nuntiata crudeli sententia contra populum suum lata, non aliter assumpsit negotium, quam si fuisset una de populo, licet esset de se secura, tanquam sponsa regis dilecta, *Esth.*, VII.

Audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt ut consolarentur eum, *Job.*, II. Sed tamen non intelligentes causam suæ afflictionis, fuerunt ei postea onerosi.

Non solum justis in afflictione positis compatiendum est, sed etiam peccatoribus et injustis : unde dicebat Isaias, propter destructionem Babylonis : « Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis, » etc. *Isa.*, XXI, 3.

Videns in spiritu idem Isaias calamitatem superventuram populo suo, dicebat : « Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. » *Isa.*, XXII, 4.

Dolens Abdemelech Æthiops, quod Jeremias propheta missus erat in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, procuravit apud regem, scilicet ut extraheret illum. *Jerem.*, XXXVIII.

Digitized by Google

Cum scripsisset Baruch verba comminationis ex ore Jeremiæ, dixit (*a*) : « Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. » *Jerem.*, XLV. Et tamen dicebat populus, quod Baruch incitabat Jeremiam adversus eos, ut traderet eos in manibus Chaldæorum, *Jer.*, XLIII.

Cum revelasset Dominus Ezechieli peccata, quæ populus Israel faciebat, et pœnas quas passurus erat, fuit amaricatus, tristis et gemebundus, *Ezech.*, III et IX.

Rex Darius, sciens Daniel positum in lacu leonum, præ dolore dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram illo, insuper et somnus recessit ab eo. *Dan.*, VI.

Magnum dolorem habuit Onias summus sacerdos, quando vidit templum debere per Heliodorum spoliari, et deposita viduarum ac pupillorum auferri, II *Mach.*, III.

Antiochus rex dictus Nobilis, licet simpliciter esset malus, tamen audiens Oniam summum sacerdotem inique fuisse occisum, flexus ad misericordiam lacrymas fudit, II *Mach.*, IV.

Accedentes discipuli ad Dominum, rogabant eum pro muliere Chananæa, dicentes: « Dimitte eam, quia clamat post nos. » *Matt.*, XV, 23.

Contra nolentes compati proximis, et ex corde dimittere, inducit Dominus parabolam de servo nequam, cui decem millia talenta fuerunt remissa, et ipse noluit dimitttere conservo suo centum denarios, *Matth.*, XVIII.

Ad hoc quod homo libenter compatiatur proximo suo et misereatur ipsius, multum facit, quod specialiter fiet disceptatio de operibus misericordiæ in judicio, *Matt.*, XXV.

Cum vidisset Dominus Jesus flentem viduam, cujus filius defunctus efferebatur, misericordia motus super eam, dixit : « Noli flere, » et tunc mortuum ejus filium suscitavit, *Luc.*, VII.

Misertus est Dominus turbæ indigenti, quæ pedestris secuta eum fuerat in deserto, *Matt.*, XXV ; *Marc.*, VIII.

Samaritanus ille appropians sauciato, misericordia motus alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et curam illius egit, et per alium fecit haberi, *Luc.*, X.

Videns Dominus civitatem Jerusalem, et considerans mala, quæ factura erat postmodum et passura, flevit super illam, dicens : « Si cognovisses et tu, » etc. *Luc.*, XVIII.

(*a*) Cæt. edit. *Dixisti*, ut in Vulgata.

Ut vidit Jesus Mariam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum, et lacrymatus est, *Joan.*, XI.

Etiam pendens in cruce, Salvator habuit curam matris, quam sciebat in anima crucifigi, *Joan.*, XIX : « Mulier, ecce filius tuus, » dixit ipse ostenso Joanne.

Cum venisset Petrus in Joppen, vidit viduas flentes pro morte Tabithæ, quæ faciebat eis tunicas et vestes, et ponens genua sua oravit, et cum vocasset sanctos ac viduas, assignavit eam illis vivam, *Act.*, IX.

Paulus dum esset Athenis, incitabatur spiritus ejus in ipso, eo quod videbat idololatriæ deditam civitatem, *Act.*, XVII, 16.

Barbari non modicam humanitatem præstabant Paulo et sociis ejus. Accensa enim pyra, reficiebant omnes, propter imbrem, qui imminebat, et frigus. Ipsi vero bene indigebant, quia de navi confracta evaserant tempore hyemali, et quosdam oportuerat natare ; alii vero super tabulas fuerant apportati. *Act.*, XXVII et XXVIII.

Cum tanta spiritus anxietate compatiebatur Paulus fratribus, et cognatis suis pereuntibus, quod ipse dicebat., *Rom.*, IX, 2, 3 : « Tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. » Item, *Galat.*, IV, 19 : « Filioli mei, quos iterum parturio, » etc.

CAPUT XLV.

De hospitalitate exhibenda libenter.

Nota de Abraham, quam celeriter, quam lætanter angelos hospitio suscepit, et ipsis ea, quæ videbantur necessaria peregrinis, parari fecit. *Gen.*, XVIII.

Item de Loth attende, quomodo quos putabat homines esse transeuntes, honoravit, obnixe rogavit, et eis necessaria benigne conferens contra incursantes defendit, ut potuit. *Gen.*, XIX.

Prompta ad hospitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit servo Abraham : « Palearum et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum. » Et paulo post dixit eidem Laban : « Præparavi domum, et locum camelis. » *Gen.*, XXIV, 25, 31.

Sine magna prece Jethro recepit peregrinum Moysen hospitandum, *Exod.*, II, 20 et seq. Post-

Digitized by Google

modum autem filia ejus et nepotes sui fuerunt per eum magnifice honorati.

Testatur Moyses, dicens, *Deut.*, x, 18, 19 : « Dominus Deus noster amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum ; et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ, » etc.

In Gabaa Benjamin non invenit Levites, qui eum hospitio reciperet, nisi quemdam senem de opere venientem. *Judic.*, xix, 15 et seq.

Elias suscitavit filium mulieris, apud quam sustentabatur, III, *Reg.*, xvii.

Mulieri Sunamitidi, filium non habenti, apud quam Eliseus transeundo manebat, idem Eliseus filium impetravit, et mortuum suscitavit, IV *Reg.*, iv.

Bonus hospitalarius erat beatus Job, qui dicebat : « Foris non mansit peregrinus ; ostium meum viatori patuit. » *Job*, xxxi, 32.

Ambulans per mundum Dominus Jesus Christus non habebat ubi caput reclinaret ; Martham vero specialem hospitam legitur habuisse. *Luc.*, ix, 58 ; x, 38 ; *Joan.*, xii, 2.

Quando misit Salvator discipulos ad prædicandum, in illis seipsum asserit recipi et audiri, *Matt.*, x, 40 : « Qui recipit vos, me recipit. » *Luc.*, x, 16 : « Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. »

Gaudens accepit Dominum Zachæus in domo sua ; et Dominus Jesus magis gaudentem effecit, quando dixit : « Hodie salus huic domui facta est, » etc. *Luc.*, xix, 9.

Exemplo duorum discipulorum, qui Dominum in specie peregrini coegerunt ad manendum secum, apparet quod peregrini non solum vocandi sunt ad hospitium, sed etiam compellendi. *Luc.*, xxiv.

Apostoli hospitabantur ut plurimum in domibus artificum et hominum mediocrium ; unde legitur de Petro, *Act.*, x, 6 : « Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus domus est juxta mare. » Idem de Paulo, *Act.*, xviii, 3 : « Manebat apud Aquilam et Priscillam, quia erat ejusdem artis, et operabatur. »

Obnixe et instanter deprecata est Lydia purpuraria Paulum, et socios ejus, ut manerent apud eam in domo sua. *Act.*, xvi, 15 : « Et coegit nos, » habetur infra.

Cum evasisset Paulus et socii ejus de fracta navi, Publius princeps insulæ illius ipsos suscipiens benigne exhibuit. Paulus autem patrem ejus, febribus laborantem et dysenteria, oratione et manuum impositione sanavit. *Act.*, xxviii, 7 et seq.

Urbana fiducia utebatur Paulus scribens Philemoni, cum dixit, *Philem.*, 22 : « Simul et para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis. »

Inter cætera ad quæ specialiter Paulus inducit Hebræos, est hospitalitas, *Hebr.*, xiii, 2 : « Hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt et (*a*) quidam, angelis hospitio susceptis. »

Commendat Caium beatus Joannes in tertia epistola sua, dicens, III *Joan.*, 5 : « Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, » etc.

CAPUT XLVI.

De amicitia.

Vocatis multis amicorum turbis ad convivium, Laban fecit nuptias, et dedit filiam suam Liam nepoti suo Jacob. *Gen.*, xxix.

« Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. » *Exod.*, xxxiii, 11.

Ruth adhæsit socrui suæ Nohemi, et dixit ei : « Quocumque perrexeris pergam, et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. » etc. *Ruth*, i, 16.

« Anima Jonathæ colligata (*b*) est animæ David, et dilexit eum Jonathas, quasi animam suam : nam expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David. » I *Reg.*, xviii, 1, 3, 4.

Signum fuit fidelis amicitiæ, licet indiscretæ, quod « armiger Saul, » videns dominum suum esse mortuum, « irruit super gladium suum, et mortuus est cum eo. » I *Reg.*, xxxi, 5.

Misit Abner nuntios ad David, dicentes : « Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel, » etc. II *Reg.*, iii, 12.

Chusai Arachites, amicus David, venit ad Absalom, et dissipavit consilium Achitophel. II *Reg.*, xvii, 5 et seq.

Propheta Jehu dixit Josaphat regi Juda, qui iverat ad prælium cum Achab rege Israel : « Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris, » etc. II *Paralip.*, xix, 2.

Aman superbus convocavit ad se amicos, et

(*a*) *Vulg.* latuerunt. — (*b*) *Item* conglutinata.

Digitized by Google

exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, et filiorum turbam, et quanta eum gloria super omnes principes rex elevasset. *Esth.*, v.

Audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, et consolarentur, *Job*, II, 11 et seq. De ipsis tamen ipse dixit postea, VI, 27 : « Subvertere nitimini amicum vestrum. »

Alcimus, proditor impius, concitavit regem Demetrium adversus Judam Machabæum, pro eo quod dixit ei : « Perdidit Judas, et fratres ejus, omnes amicos tuos. » I *Machab.*, VII, 6.

Rex Alexander epistolàm misit Jonathæ, dicens : « Audivimus de te quod vir potens sis viribus, et aptus es ut sis amicus noster. » I *Machab.*, X, 19.

Accepit Jonathas aurum et argentum, et alia xenia multa, et dedit Demetrio, et invenit gratiam in conspectu ejus, et fecit eum principem amicorum. I *Machab.*, XI, 27.

Vidit Jonathas quia tempus eum juvat, et misit viros Romam statuere et renovare cum Romanis amicitiam. I *Machab.*, XII, 1.

Postquam Alexander percussit Demetrium, misit ad Ptolemæum regem Ægypti legatos, ut statuerent amicitiam ad invicem, et daret ei filiam suam uxorem. I *Machab.*, XII, 10.

Propter veterem amicitiam, quam habebant ad Eleazarum, quidam astantes attulerunt carnes, quibus vesci licite poterat, ut simularet se de sacrificii carnibus manducasse, et sic posset mortem evadere. II *Machab.*, VI, 20.

Lysias videns et intelligens invictos esse Hebræos Dei omnipotentis auxilio innitentes, misit ad eos, promisitque se regem compulsurum amicum fieri. II *Machab.*, XI, 14.

« Laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset » acquirendo amicos de bonis domini sui : concludens per hoc, quod facere debemus amicos, qui possint nos recipere, quando nos in morte deficere oportebit. *Luc.*, XVI, 9.

Ponit Dominus exemplum de illo, qui media nocte vadit ad amicum, ut petat aliquid ab eo. *Luc.*, XI, 5, etc.

In passione Domini, Herodes et Pilatus facti sunt amici. *Luc.*, XXIII, 12.

Commota civitate Epheso et confusa, quidam de Asiæ principibus, qui erant amici Pauli, miserunt ad eum rogantes, « ne se daret in theatrum. » *Act.*, XIX, 31.

CAPUT XLVII.

De inimicitia et odio.

Post peccatum primorum parentum, statim posuit Dominus inimicitias inter serpentem et mulierem, et inter utriusque semen. *Gen.*, III, 15.

Rixati sunt pastores Geraræ adversus pastores Isaac pro puteo quem foderant; idcirco appellavit Isaac puteum « Inimicitias. » *Gen.*, XXVI, 21.

Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: « Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. » *Gen.*, XXVII, 41.

Dixit Jacob Simeoni et Levi : « Turbastis me, et odiosum fecistis me Chananæis et Pherezæis habitatoribus terræ hujus. » *Gen.*, XXXIV, 30.

Videntes fratres Joseph quod a patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. *Gen.*, XXXVII, 4.

Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum. *Exod.*, I, 13.

Dixit Dominus ad Moysen : « Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos : quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor. » *Num.*, XXV, 18.

Adonisedec rex Hierusalem, et quatuor alii reges obsederunt Gabaon, ut expugnarent eam, pro eo quod transfugerant Gabaonitæ ad Josue et ad filios Israel, et inierant fœdus cum eis. *Jos.*, X, 4.

Perrexerunt majores natu de Galaad ad Jephte, dicentes : « Esto princeps noster. » Quibus ille respondit : « Nonne vos estis, qui odistis me, et ejecistis de domo patris mei? Et nunc venistis ad me necessitate compulsi. » *Judic.*, XI, 7.

Fundebat apud Samson lacrymas uxor ejus, et querebatur, dicens : « Odisti me, et non diligis; idcirco problema non vis indicare mihi. » *Judic.*, XIV, 16.

Videns Saul quod populus alte de David sentiebat, et etiam quod in omnibus prudenter et strenue se habebat, factus est inimicus ejus cunctis diebus. I *Reg.*, XVIII, 29.

Duo latrones, qui occiderant Isboseth, dixerunt David : « Ecce caput filii Saul inimici tui. » Sed male stipendiati. II *Reg.*, IV, 8 et seq.

Thou rex Emath, audiens quod David expugnasset Adarezer hostem suum, misit ad eum

Digitized by Google

filium suum, et gratias egit. II *Reg.*, VIII, 10.

Postquam Amnon filius David oppresserat Thamar sororem Absalom, exosam eam habuit magno odio nimis, ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore quo dilexerat eam ante. II *Reg.*, XIII, 15.

Tres adversarios suscitavit Dominus Salomoni, postquam a Deo per peccatum recessit, scilicet (*a*) Idumæum, Razon filium Eliada, et Jeroboam servum suum. III *Reg.*, XI.

Eliam prophetam persecuta est impia Jezabel uxor Achab, propter prophetas Baal, quos ille fecerat occidi. III *Reg.*, XVIII et XIX.

Cum Elias argueret Achab, ait ad Eliam Achab : « Nonne invenisti me inimicum tibi? » dixit : « Inveni, » etc. III *Reg.*, XXI, 20.

Dixit Achab ad Josaphat regem Juda : « Remansit de prophetis Domini Michæas filius Jemla : sed ego odi eum, quia non prophetabat mihi bonum, sed malum. » III *Reg.*, XXII, 8.

Audierunt hostes Judæ et Benjamin quod filii captivitatis ædificaverant templum Domino Deo Israel, et voluerunt ædificare cum eis, etc. I *Esdr.*, IV, 1.

Raguel, et Anna uxor ejus, benedixerunt Dominum, quia fecerat cum eis misericordiam suam, et excluserat ab eis inimicum persequentem eos. *Tob.*, VIII, 18.

Amputato capite Holophernis, dixit Judith, tacentibus universis : « Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se : et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. » Et proferens de pera caput Holophernis, ostendit illis. *Judith*, XIII.

Conquerens Esther de Aman superbissimo, dixit Assuero : « Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman, » etc., *Esth.*, VII, 6.

De Juda Machabæo dicitur, I *Machab.*, III, 6 : « Repulsi sunt inimici præ timore ejus, et operarii iniquitatis conturbati sunt, directa est salus in manu ejus. »

Ptolomæus rex Ægypti voluit dolo opprimere regnum Alexandri, et manifestæ factæ sunt inimicitiæ ejus. I *Mach.*, XI, 12.

Cognovit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, et centum talenta argenti. Jussit tamen dare argentum et pueros, ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel dicentem : « Quia non misit argentum et pueros, propterea periit. » I *Mach.*, XIII, 17.

Herodes et Pilatus in passione Domini facti fuerunt amici, qui prius erant inimici. *Luc.*, XXIII, 12.

CAPUT XLVIII.

De pace et concordia.

Alia animalia in principio fecit Deus duplicia, scilicet masculum et feminam, hominem autem fecit unum, *Gen.*, I, 28. Et ex illo sunt omnes et singuli procreati, ut scilicet unitatem pacis et concordiæ commendaret in homine.

Divitiæ et copia rerum temporalium sunt ut plurimum materia et occasio jurgiorum, sicut apparet de pastoribus Abraham et Loth, *Gen.*, XIII, 7. Item de Isaac, et pastoribus Geraræ, *Gen.*, XXVI, 21.

Gratanter faciunt homines pacem, et ineunt fœdus cum potentibus et magnis hominibus. Hinc est quod Abimelech venit ad Isaac, quando vidit eum prosperari, *Gen.*, XXVI, 8.

Cedendum est furori interdum malorum, sicut fecit Jacob recedens a fratre suo Esau, donec requiesceret furor ejus, *Gen.*, XXVII, 44.

« Videntes fratres Joseph, quod a patre plus cæteris fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. » *Gen.*, XXXVII, 4.

Audientes Gabaonitæ ea quæ fecerat Josue Jericho et Hai, venerunt ad eum, et secundum ipsius beneplacitum pacem fecerunt, *Jos.*, IX.

Phinees, et cæteri legati ad filios Ruben missi, audientes excusationem illorum, placati sunt, et verba eorum libentissime susceperunt. *Jos.*, XXII.

Quamvis Absalom contra patrem nimis nequiter egisset, tamen David magis volebat pacem, quam ejus mortem; nam dixit : « Estne pax puero Absalom? » II *Reg.*, XVIII, 32.

Cum esset David sanctus et placens Deo, noluit tamen Dominus ut ædificaret ei domum; sed filius ejus pacificus isto fuit privilegio honoratus. III *Reg.*, V, 5.

Multum laudandus est Deus, quando dat populo statum pacificum et quietum, sicut fuit tempore Salomonis, III *Reg.*, V, 4 et 5. Dixit Salomon : « Requiem dedit mihi Dominus per circuitum, et non est satan, neque occursus malus. » Sequitur : « Benedictus Dominus, » etc.

Boni homines habent pacem ad invicem; sed mali pugnant contra bonos, et contra malos alios : unde inter Jeroboam et Roboam fuit bellum cunctis diebus. III *Reg.*, XIV.

(*a*) *Suppl.* Adad.

Digitized by Google

Ostensum fuit Eliæ Dominum non esse in grandi vento, neque in commotione, neque in igne, sed in sibilo auræ tenuis, hoc est in pace et quiete. III *Reg.*, XIX.

Benedixit populus omnibus viris, qui se sponte obtulerunt ut habitarent in Hierusalem. *Nehem.*, II.

Misit Jonathas nuntios ad Bacchidem (*a*) componere pacem cum eo, et tamen ipse Bacchides (*a*) fuerat dux exercitus, in quo occubuit Judas Machabæus frater Jonathæ. I *Mach.*, IX.

Rex Demetrius misit ad Jonatham epistolam verbis pacificis, ut magnificaret eum; dixit enim : « Anticipemus pacem facere cum eo, priusquam fiat cum Alexandro adversum nos : recordabitur enim omnium malorum quæ fecimus in eum. » I *Mach.*, X, 4.

Causa pacis, quæ fuit tempore Oniæ summi sacerdotis, pulchre describitur, I *Mach.*, XII, videlicet idoneitas prælati prudentis et pii, et bonitas subditorum.

Postquam debellatus fuit Lysias a Juda Machabæo, libenter fecit pacem cum eo. Intelligens enim invictos esse Hebræos Dei omnipotentis auxilio nitentes, misit ad eos, promisitque eis consensurum se omnibus quæ justa sunt, et regem compulsurum amicum fieri. II *Mach.*, II.

Tantam pacem et concordiam vult Dominus erga proximos nos habere, ut dixerit Petro peccanti fratri non esse remittendum septies, sed usque septuagies septies. *Matth.*, XVIII, 22.

Pacem annuntiaverunt Angeli in nativitate Domini, *Luc.*, II, 14. Item ipse Dominus discipulos inter se pacem habere præcepit, *Marc.*, IX, 49. Item pacem jussit per discipulos nuntiari, *Luc.*, X, 5. Item pacem eis reliquit, *Joan.*, XIV, 27. Item post resurrectionem pacem eis obtulit, *Luc.*, XXIV, 36; *Joan.*, XX, 21, 26.

Qui desiderat servare pacem et quietem mentis, abstinere debet a discursibus etiam interdum valde licitis et honestis : unde *Joan.*, XI, 20 et seq. : « Martha ut audivit, quia Christus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat, » nec inde se movit, donec vocata fuit ab ipso Domino per sororem, licet fortassis non ignoraverit ipsa Maria adventum Domini, quando Martha primo scivit.

Quantum sit pacis bonum, perpendi potest per discretum æstimatorem rerum beatum Paulum, quod illud tam sollicite in omnibus epistolis suis, illis quibus scribebat, optabat, excepta illa *ad Hebræos*, in qua nec nomen suum ex certa causa, nec aliquam salutationem præmittit. Nota tamen, quod cum dicitur : « Pax vobis, » præponit gratiam, dicens : « Gratia vobis et pax : » per quod manifeste datur intelligi, quod sine gratia Dei pax vera nunquam potest haberi. *Isa.*, XLVIII, 22 : « Non est pax impiis, dicit Dominus Deus. »

(*a*) *Cæt. edit.* Bachidem, Bachides, et sic deinceps.

CAPUT XLIX.

De unitate et communi consensu.

Ex uno homine Deus humanum genus instituit, ad commendandum hominibus, quam ei grata sit etiam in pluribus unitas, ut dicit Augustinus, XII *De Civitate Dei*[1]. Et subdit postea[2]: « Factus est homo unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quam hoc genus, tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius contra vitium discordiæ vel cavendum, cum non existeret, vel sanandum, cum extitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. »

Populus filiorum Israel in deserto multum fuit unanimis et voluntarius ad recipiendam legem, *Exod.*, XIX; et etiam auditis a Moyse verbis legis, *Exod.*; XXIV, 3, respondit populus cunctus una voce : « Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. »

Ad faciendum opus tabernaculi et sacras ministrorum vestes, obtulit omnis multitudo filiorum Israel omnia necessaria, mente promptissima atque devota, *Exod.*, XXXV.

Congregati sunt pariter omnes filii Israel, quasi vir unus, in Maspha ad judicandum flagitium in Gabaa Benjamin erga uxorem Levitæ commissum. *Judic.*, XX, 11.

Invasit timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus, ad succurrendum scilicet fratribus suis in Jabes Galaad obsessis. I *Reg.*, II, 7.

Venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, et unxerunt eum in regem super Israel. II *Reg.*, V, 3.

Convenit ad regem Salomonem universus Israel, et tunc fuere arca Domini, et vasa sanc-

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XII, c. XXII. — [2] Ibid., c. XXVII.

Digitized by Google

tuarii, delata in templum solemniter dedicatum. II *Reg.*, VIII.

Congregatus est populus, quasi vir unus, in Hierusalem, ad ædificandum scilicet templum, quod fuerat a rege Babylonis destructum. I *Esdr.*, II, 64.

« Congregatus est omnis populus, quasi vir unus, ad plateam, et dixerunt Esdræ, ut afferret librum legis Moysi, » etc. *Nehem.*, VIII, 1.

« Cum exposuisset Achior universa (quæ dixerat Holopherni), omnis populus communi lamentatione et fletu unanimes preces suas Domino effuderunt. » *Judith*, VI, 14.

Post mortem Judæ congregati sunt omnes amici ejus, et dixerunt Jonathæ : « Ex quo frater tuus defunctus est, » etc. « Nunc itaque te eligimus hodie pro eo esse nobis principem, et ducem ab bellandum bellum nostrum. I *Mach.*, IX, 29 et seq.

Auditis sermonibus Simonis accensus est spiritus populi simul, et voce magna dixerunt : « Tu es dux noster loco Judæ et Jonathæ fratris tui. » I *Mach.*, XIII, 8.

Post ascensionem Domini, « omnes discipuli erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et matre Jesu, » *Act.*, I, 14; et sic invenit eos Spiritus sanctus, *Act.*, II, 1. Omnes qui credebant, erant pariter, recepto Spiritu sancto, et habebant omnia communia, unanimiter perdurantes in templo, et frangentes circa domos panem. *Act.*, II, 44,46.

« Cum audissent » discipuli de sanatione claudi, et responsione Petri et Joannis ad magistratus plebis, « unanimiter levaverunt vocem, et dixerunt : Domine, qui fecisti cœlum et terram, » etc., *Act.*, IV, 24.

Punitis ad vocem Petri terribiliter Anania, et Saphira uxore ejus, « factus est timor magnus in universa Ecclesia, et erant omnes unanimiter in porticu Salomonis, » etc., *Act.*, V, 11, 12.

Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, *Act.*, IV, 32.

CAPUT L.

De discordia, lite vel rixa.

Primam discordiam inter homines movit invidia, inter Cain scilicet et Abel, *Gen.*, IV : quoniam « opera Cain maligna erant, fratris autem justa, » I *Joan.*, III, 12.

Substantia Abraham et Loth erat multa, et non quibant habitare communiter ; unde facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth, *Gen.*, XIII.

Quia quandoque reges Sodomorum servierant duodecim annis Chodorlahomor regi Elamitarum, et decimotertio recesserant ab eo, ideo factum est bellum illud de quatuor regibus adversus quinque, in quo fuit Loth captus, sed per Abraham liberatus, *Gen.*, XIV.

Viri civitatis Sodomæ vallaverunt domum Loth, in qua erant duo angeli in humana specie hospitati, et volebant illos cognoscere, vimque faciebant vehementissime, eo quod Loth hospites fideliter defendebat, etc., *Gen.*, XIX.

Factum est jurgium pastorum Geraræ adversus pastores Isaac ; habebat enim Isaac possessionem ovium et armentorum, et familiæ plurimum, *Gen.*, XXVI.

Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater. Dixitque in corde suo : « Venient dies luctus patris mei, et interficiam Jacob fratrem meum, » *Gen.*, XXVII.

« Tumens (*a*) Jacob dixit ad Laban cum jurgio : Quam ob culpam meam sic exarsisti in me, et scrutatus es omnem supellectilem meam ? » *Gen.*, XXXI, 36.

Occasione Dinæ filiæ Jacob, quam Sichem filius Hemor (*b*) rapuit et oppressit, facta est discordia magna inter filios Jacob, et habitatores terræ illius, *Gen.*, XXXIV.

Moyses quadam die vidit duos Hebræos « rixantes, » dixitque ei, qui faciebat injuriam : « Quare percutis proximum tuum ? » *Exod.*, II, 3.

Cum exiissent filii Israel de terra Ægypti, et transissent mare Rubrum, Amalec venit et pugnavit contra eos in Raphidim, *Exod.*, XVII.

Multoties jurgati sunt filii Israel contra Moysen in deserto, primo pro defectu potus, *Exod.*, XV; deinde pro defectu cibi, *Exod.*, XVI; postea, habito uno cibo, desideraverunt alium : extædiati enim manna comedere, petierunt carnes, *Num.*, XI. Item ad aquas contradictionis convenerunt adversum Moysen, et Aaron filii Israel, et ibi jurgati sunt contra Dominum et Moysen, *Num.*, XXI. Ulterius procedentes, cœpit eos tædere itineris et laboris, et locuti sunt contra Dominum et Moysen, *Num.*, XXI.

(*a*) *Cæt. edit.* Timens. — (*b*) *Item* Emor, et sic deinceps.

Digitized by Google

Inter Abimelech filium Gedeonis, et viros Sichem, qui male fecerant eum principem, fuit magna discordia suscitata, ita quod illi detestari cœperunt eum, et rebellare ei, et ipse expugnavit eos, etc., *Judic.*, IX.

Orta est seditio inter viros Ephraim, et Jephte, eo quod Jephte vadens ad pugnam contra filios Ammon, illos vocare noluit, ut dicebant, *Judic.*, XII.

Pro uxore Levitæ in Gabaa Benjamin turpiter interfecta (*a*), magna fuit pugna inter tribum Benjamin, et alias tribus Israel, ita quod illi de tribu Benjamin exceptis viris sexcentis penitus sunt deleti, *Judic.*, XX.

Occiso a David Philisthæo, iratus est Saul contra David, eo quod communiter laudabatur : « Non rectis oculis ergo Saul aspiciebat David a die illa, » et deinceps, I *Reg.*, XVIII, 9; nec aliquis ex tunc potuit emollire cor Saul, quin persequeretur eum.

Facta est concertatio longa inter domum Saul, et domum David; sed David semper proficiebat, et domus Saul continue decrescebat, II *Reg.*, III, 1.

Nimis inhonesta facta est discordia inter Absalom ambientem regnum, et David patrem suum. Denique Absalom, qui eam movit, suspensus fuit, II *Reg.*, XVIII.

Rege David redeunte in Hierusalem, viri Israel turbati fuerunt, eo quod viri Juda ipsum reduxerant, aliis non vocatis, II *Reg.*, XIX.

Duæ meretrices mulieres litigabant coram rege Salomone occasione unius infantis, quem utraque volebat habere, III *Reg.*, III.

Mortuo rege Salomone, petiit populus, ut a Roboam filio ejus mitius tractarentur : quo durius respondente, recesserunt decem tribus ab eo, et fecerunt Jeroboam regem sibi, et ex tunc multa bella fuerunt inter reges Israel et Juda, III *Reg.*, XII, et deinceps.

Facta est contentio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur esse major; sed Domino non placuisse talem contentionem, patet per ea quæ sequuntur, *Luc.*, XXII.

« Litigabant ad invicem Judæi, dicentes : Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? » *Joan.*, VI, 53.

« Murmur erat multum de Domino Jesu in turba : quidam enim dicebant, quia bonus est; alii vero dicebant : Non, sed seducit turbas, » *Joan.*, VII, 12. Et in eodem capitulo sequitur, 43 : « Dissensio facta est in turba propter eum. »

Baptizato Cornelio cum omni domo sua, audierunt Apostoli, et fratres qui erant ex Judæa, quoniam gentes recepissent verbum Dei. Cum ascendisset autem Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus illum qui erant ex circumcisione fratres, dicentes : « Quare introisti ad viros? » etc., *Act.*, XI.

Paulo et Barnaba in civitate Iconio prædicantibus, et multa miracula facientibus, « divisa est multitudo civitatis; et quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis, » *Act.*, XIV, 4.

« Quidam descendentes de Judæa, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvi fieri. Facta autem seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut consulerentur Apostoli, qui erant Hierosolymis, super hac quæstione, » etc., *Act.*, XV, 1, 2.

Occasione Marci, quem Paulus volebat ad ministerium Evangelii recipere, facta est dissensio inter Paulum et Barnabam, ita ut discederent ab invicem : attamen totum provenit ad profectum Evangelii. *Act.*, XV.

Prædicante Paulo Ephesi, et multa miracula faciente, « facta est turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, parabat (*b*) artificibus non modicum quæstum, » etc. *Act.*, XIX, 23, 24.

Quidam Judæi videntes Paulum in templo, concitaverunt omnem populum, et injecerunt manus ei clamantes : « Viri Israelitæ, adjuvate. » Sequitur : « Commota est civitas tota, et facta est concursio populi. » *Act.*, XXI, 27, 30.

Cum exclamasset Paulus in concilio : « Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi; de spe et resurrectione mortuorum ego judicor; » facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. *Act.*, XXIII, 6, 7.

CAPUT LI.

De zelo bono contra peccatores.

Sæviebant filii Jacob ob stuprum Dinæ sororis suæ per Sichem oppressæ, *Gen.*, XXXIV.

« Audiens Moyses vocem cantantium, et videns vitulum et choros, iratus est valde, et projiciens tabulas, confregit eas, » etc. Nota quam graviter punivit postea populum, pro

(*a*) *Cæt. edit.* interfectæ. — (*b*) *Vulg.* præstabat.

Digitized by Google

quo tam fideliter et instanter oraverat ante Deum. *Exod.*, XXXII.

Multum placuit Deo zelus Phinees filii Eleazari, quando perfodit virum cum muliere Madianitide, licet essent magni et nobiles. *Num.*, XXV.

Præcepit Josue Achan lapidari, et totam ejus supellectilem comburi, quia tulerat de anathemate Jericho. *Jos.*, VII.

Cum audissent filii Israel filios Ruben et Gad ædificasse sibi altare, convenere omnes, et contra eos dimicare voluerunt. *Jos.*, XXII.

Congregati sunt omnes filii Israel, quasi vir unus, ad vendicandum gravissime scelus, quod commiserant viri de Gabaa Benjamin pro uxore Levitæ. *Judic.*, XIX et XX.

Confidenter arguit Elias errantem populum, et sacerdotes Baal fecit occidi. III *Reg.*, XVII.

Reprehensus est Achab, eo quod Benadad regem Syriæ, virum morte dignum, indiscrete vivum dimisit abire. IV *Reg.*, XX.

Quamvis Jehu rex Israel simpliciter fuerit malus, tamen multum commendatur, eo quod semen domus Achab delevit, et prophetas Baal occidens, ædem ipsius Baal destruxit. IV *Reg.*, X.

Spiritus Domini induit Zachariam filium Joiadæ, et stetit in conspectu populi sculptilibus servientis, et dixit illis : « Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? » II *Paral.*, XXIV, 20.

Audiens Esdras sacerdos Judæos cum gentilibus matrimonia copulasse, miro modo doluit, et gemens, et ejulans, signa doloris ostendit. I *Esdr.*, IX.

Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos, et maledixit, et verberavit aliquos, et decalvavit. *Nehem.*, XIII.

Surrexit Mathathias, et dixit : « Væ mihi, ut quid natus sum videre afflictionem populi mei? » etc. Sequitur postea de illius zelo ferventissimo, et mirabili probitate, quando trucidavit hominem super aram idolis (*a*) immolantem. I *Mach.*, II.

Onias summus pontifex restitit viriliter Simoni, qui volebat iniquum aliquid in civitate moliri. II *Mach.*, III, 4.

Miro fervebat zelo Joannes Baptista, quando dicebat : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? » etc., *Matth.*, III; et simile, *Luc.*, III. Item, quando arguebat Herodem, *Matth.*, XIV, et *Marc.*, VI.

Dure increpabat Dominus Scribas et Pharisæos hypocritas, et specialiter, *Matth.*, XXIII. In illo capitulo dixit eis septies : « Væ vobis. »

Sciens Dominus Jesus Pharisæos ipsum nequiter observare, circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitatem cordis eorum, *Marc.*, III. *Joan.*, VIII, 44 : « Vos ex patre diabolo estis, » etc. »

Pluries ejecit de templo Dominus vendentes et ementes : quandoque cum flagello. *Joan.*, II, 15; quandoque cum duro verbo, *Luc.*, XIX, 45, 46 : « Domus mea, domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Grandi zelo succensus est Petrus in Ananiam et Saphiram, quando vidit, quod fraudaverant aliquid de pretio agri. *Act.*, V.

Ex ardenti zelo proveniebat sermo quem dixit Stephanus Judæis, *Act.*, VII : « Dura cervice, et incircumcisi corde (*b*) et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? » etc.

Resistenti Paulo et Barnabæ Barjesu pseudoprophetæ (*c*), dixit Paulus : « O plene dolo et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas, » etc. *Act.*, XIII, 10.

Cum Paulus prædicaret Athenis, « incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem, » etc. *Act.*, XVII, 16.

Specialiter apparet fervens zelus Pauli in epistola *ad Galatas*, ubi illos, legalia observare volentes, arguebat, increpabat, obsecrabat. Idem, *Rom.*, IX; II *Cor.*, XI, et *ad Hebræos*, quasi per totum.

(*a*) *Cæt. edit.* idolum.— (*b*) *Vulg.* incircumcisis cordibus. — (*c*) *Cæt. edit.* Pseudo-Propheta.

CAPUT LII.

De zelo indiscreto.

Videns Josue famulus Moysi duos homines in castris prophetantes, dixit : « Domine mi Moyses, prohibe eos. » At ille dixit : « Quid æmularis pro me? » etc. *Num.*, XI.

Abisai, filius Sarviæ, voluit amputare caput Semei maledicentis David persecutionem Absalom perpetienti; sed non permisit David, ut aliquid mali inferretur illi. II *Reg.*, XVI.

Filii prophetarum coegerunt Eliseum, ut mitteret ad quærendum dominum suum Eliam, ne forte spiritus Domini projecisset eum in unum montium, aut vallium. IV *Reg.*, II.

Digitized by Google

Jonas fugere voluit a facie Domini, quando præcepit ei prædicare Ninivitis; et postmodum doluit, quando vidit quod civitas juxta id, quod prædixerat, non ruebat. *Jon.*, I et IV.

Cum ostendisset Dominus discipulis oportere eum multa pati a principibus sacerdotum, et occidi, Petrus cœpit increpare illum, dicens : « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc, » etc. *Matth.*, XVI.

Multum zelabant Pharisæi pro observatione sabbati, quando videbant Dominum die illa curantem infirmos, *Matth.*, XII; *Marc.*, II; *Luc.*, VI et XIII; *Marc.*, III; *Joan.*, IX. Item, quando videbant ejus discipulos spicas vellentes, et manibus confricantes, *Matth.*, XII; *Marc.*, II; *Luc.*, VI. Scribæ et Pharisæi amplius zelabant pro traditionibus suis, quam pro divinis mandatis, *Matth.*, XV; *Marc.*, VII. Item pro auro templi plus zelabant, quam pro ipso templo, et pro dono altaris, plus quam de ipso altari, *Matth.*, XXIII.

Oblati sunt Domino parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret; discipuli autem increpabant eos. Jesus autem ait : « Sinite parvulos venire ad me, » etc. *Matth.*, XIX; *Marc.*, X.

Cum effudisset Maria pretiosum unguentum super caput Domini, quidam discipuli indigne ferebant, et fremebant in eam, propter perditionem unguenti. *Marc.*, XIV.

Joannes Apostolus prohibuit quemdam ejicientem dæmonia in nomine Domini Jesu, eo quod non sequebatur eum cum aliis discipulis. Et ait ad illum Jesu : « Nolite prohibere; qui enim non est adversus nos, pro nobis est. » *Luc.*, IX.

Audientes Jacobus et Joannes quod Samaritani non receperant nuntios Domini, dixerunt : « Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlis, et consumat illos? » Et conversus Dominus increpavit illos, et dixit : « Nescitis cujus spiritus estis. » *Luc.*, IX.

Arguit Dominus Petrum, qui amputaverat aurem servo principis sacerdotum, eo quod tunc non erat tempus potentiæ ostendendæ, sed patientiæ exhibendæ. *Matth.*, XXVI; *Luc.*, XXII.

Apparet discipulos Joannis Baptistæ zelasse contra Dominum pro magistro, quando dixerunt ei : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » Joannes autem optime respondit eis. *Joan.*, III.

Cum afferrentur de civitatibus diversi infirmi, et a Petro curarentur, exurgens princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, repleti sunt zelo. *Act.*, V.

Æmulator erat paternarum traditionum Saulus supra multos coætaneos suos, quando devastabat Ecclesiam per domos intrans, et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam; unde et accepit litteras a principe sacerdotum ad synagogas, quæ erant in Damasco, ut si quos inveniret ibi, qui invocarent nomen Christi, vinctos perduceret Hierusalem. *Gal.*, I; *Act.*, VIII et IX.

Videntes Judæi quod pene universa civitas convenerat audire verbum Dei, quod Paulus et Barnabas prædicabant, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ dicebantur a Paulo, blasphemantes. *Act.*, XIII.

Venienti Hierosolymam Paulo, dixerunt ei fratres : « Vides quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis. » *Act.*, XXI. Et de talibus dicit ipse Paulus, *Rom.*, X, 2 : « Testimonium quidem perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. »

CAPUT LIII.

De prudentia et discretione.

Abraham veniens in Ægyptum de uxore sua prudenter et caute celavit veritatem, nec tamen asseruit falsitatem, dicens : « Soror mea est. » *Gen.*, XII. Simile accidit ei, quando venit ad Abimelech, *Gen.*, XX.

Prudenter separavit se Abraham a Loth, ne pastores eorum ad invicem litigarent. *Gen.*, XIII.

Discrete dimisit Abraham filiis suis, dum viveret, portiones, ne post mortem suam ad invicem concertarent. *Gen.*, XXV.

Rebecca sagaciter instruxit filium suum Jacob, ut benedictionem patris consequeretur; et fecit eum recedere de partibus illis, donec requiesceret furor fratris. *Gen.*, XXVII.

Artem arte delusit Jacob pulchre, quando volebat ei dare Laban mercedem pro servitio competentem. *Gen.*, XXXI.

Sagaciter egit Jacob, quando debuit obviare irato fratri, quia munera misit ei, res suas divisit, ne uno furoris impetu totum perderet, et res minus dilectas majori exposuit periculo. *Gen.*, XXXII.

Prudenter locutus est Joseph coram Pharaone exponendo somnium, et contra futuram famem dando consilium. *Gen.*, XLI.

Digitized by Google

Joseph fratres suos caute reprehendit, et eis timorem incussit. *Gen.*, XLIV.

Bonum consilium et discretum dedit Jethro Moysi, cum dixit : « Provide viros potentes, et timentes Deum, » etc. *Exod.*, XVIII, 21.

Antequam Moyses invaderet terram promissionis, misit exploratores illuc, ad considerandum conditiones ejus. *Num.*, XIII.

Exploratores quos misit Josue, prudenter latuerunt, donec illi, qui quærebant eos, ad propria redierunt. *Jos.*, II.

Magna sagacitate usus est Josue insidias ponendo juxta civitatem Hai, et fugam postea simulando. *Jos.*, VIII.

Callide cogitantes Gabaonitæ voluerunt decipere Josue; sed ille eos discrete in servitutem redegit. *Jos.*, IX.

Phinees, et alii nuntii ad filios Ruben missi, discrete locuti sunt, et illi eos verbis prudentissime placaverunt. *Jos.*, XXII.

Aod, portans munera Eglon, ipsum astute decepit. *Judic.*, III.

Gedeon percussit castra hostium, qui secum erant, et nihil adversi suspicabantur. *Judic.*, VIII.

Jephte per nuntios prudenter significavit regi filiorum Ammon, quod indicebat ei bella non justa ; sed postea indiscretum fecit votum. *Judic.*, XI.

Caute deprehendit Jephte, qui essent Ephratæi, et qui Galaaditæ, dicendo Scibboleth, illis Sibboleth. *Judic.*, XII.

Filii Israel pugnantes contra illos de Benjamin, fugam arte simulaverunt, et sic eos a civitate ejecerunt, et penitus debellaverunt. *Judic.*, XX.

Dicentibus quibusdam de Saule : « Num salvare nos poterit iste? » et despicientibus eum, ille dissimulabat se audire. I *Reg.*, X.

Magnæ prudentiæ fuit, quando David armatus armis Saulis cœpit tentare, si sic posset incedere. I *Reg.*, XVII.

Egrediebatur David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, et prudenter se gerebat, I *Reg.*, XVIII.

David coram Achis simulavit se fatuum, et quasi furentem, ut posset fugere ab eo. II *Reg.*, XXI.

Abigail prudenter placavit David iratum contra Nabal virum suum, I *Reg.*, XXV.

Arguere volens Nathan Propheta David pro excessu commisso in Uriam, et uxorem ejus, aptam parabolam, de divite qui abstulit ovem pauperi, prudenter assumpsit. II *Reg.*, XII.

Prudenti cautela usus est Joab ad hoc, quod per mulierem sapientem Thecuitem faceret Absalom revocari. II *Reg.*, XIV.

Prudenter ratiocinatus est Chusai, quando dissipavit consilium Achitophel. II *Reg.*, XVII.

Sapiens mulier fecit recedere Joab ab obsidione civitatis. II *Reg.*, XX.

Audiens Bersabee quod Adonias volebat regnare pro patre, sapienter locuta est ad David pro se, et pro filio suo Salomone. III *Reg.*, I.

Discretionem et sapientiam postulavit Salomon : quod multum placuit Domino, et cum sapientia multa alia ei concessit. III *Reg.*, III.

Salomon prudenter judicavit inter duas mulieres de unico filio contendentes. III *Reg.*, II.

Rex Roboam respondit populo dura, bono et discreto consilio seniorum derelicto, quod ei dederant, et locutus est ei, et secundum consilium juvenum imprudenter egit. III *Reg.*, XII.

Reprehensurus Achab regem Israel, vir quidam de filiis prophetarum parabolam de viro commendato et male custodito discrete proposuit, per quem rex Israel ille peccatum suum manifeste cognosceret. IV *Regum*, XX.

Studiose egit Jehu prophetas Baal honorare se fingens, et postea illos occidit, et altare Baal destruxit. IV *Reg.*, X.

Ezechias rex Juda discrete prohibuit, ne populus nuntiis regis Assyriorum dicentibus blasphemias responderet. Non enim expedit populum fidelem contra litigantes infideles disputationes habere. IV *Reg.*, XVIII, et *Isa.*, XXXVI.

Nuntii quos misit Ezechias ad Rabsacem, caute petierunt, ut ille loqueretur syriace, ne populus illum intelligeret et timeret. IV *Reg.*, XVIII.

Joiada Pontifex volens constituere regem in Hierusalem Joas filium Joram, valde caute se habuit et prudenter. II *Paralip.*, XXIII.

Ezechias intelligens regem Assyriorum Hierusalem adventurum, obturavit capita fontium extra urbem, reparavit muros civitatis, bellatores suos optimis sermonibus confortavit, et deinde ad deprecandum Dominum se convertit. II *Paralip.*, XXXII.

Cum magna discretione, diligentia et sollicitudine, Nehemias ædificavit murum in circuitu Hierusalem. *Nehem.*, II, III et IV.

Magnæ sapientiæ verbum, et merito appro-

Digitized by Google

batum fuit illud quod dixit Zorobabel : « Fortiores sunt mulieres, super omnia vincit veritas. » III *Esdr.* [1], I.

Tobias credens se cito moriturum, dedit filio suo magnæ prudentiæ documenta, et inter alia dixit: « Consilium semper a sapiente perquire. » *Tob.*, IV.

Sapientiam magnam ostendit se habere Judith in verbis quæ dixit, *Judith*, VIII. Et postea dicitur, quod servi Holophernis mirabantur ad sapientiam ejus, et dicebat alter ad alterum: « Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum. » *Judith*, XI.

Cum magna prudentia requisivit Mardochæus Esther, ut succurreret populo Judæorum, dicens : « Si enim nunc silueris, per aliam viam liberabuntur Judæi : et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in hoc tempore parareris? » *Esth.*, IV.

Danieli, et sociis suis, dedit Dominus scientiam et disciplinam in omni libro, et sapientia; Danieli autem specialiter intelligentiam visionum et somniorum. *Dan.*, I.

Visiones Nabuchodonosor regis Babylonis Daniel exposuit sapienter. *Dan.*, II. Et postmodum legitur, licet prius acciderit, de duobus senibus presbyteris, quos mira prudentia contra innocentem Susannam falsum dixisse testimonium, deprehendit. *Dan.*, XIII.

Innotuit Judæ Machabæo, quod Nicanor venerat dolo, et quod volebat eum rapere caute : et subtraxit se Judas, et noluit eum amplius videre. I *Machab.*, VII.

Cognovit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, et centum talenta argenti. Jussit tamen dari, ne inimicitiam magnam sumeret ad populum, dicentem : « Quia non misit argentum, et pueros propterea periit. » I *Mach.*, XIII.

Septem illi fratres cum matre sua in verbis, quæ sibi invicem, et tyranno dicebant, miram sapientiam se habuisse demonstrarunt. II *Mach.*, VII.

Constituta fuit dies, in qua Judas secrete cum Nicanore loqueretur. Præcepit autem Judas armatos esse suos in locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur. I *Mach.*, XIV.

Miræ discretionis et prudentiæ Beatam Virginem fuisse apparet in colloquio, quod habuit cum Angelo. *Luc.*, I, 29, 34 : « Cogitabat qualis esset ista salutatio... Quomodo fiet istud? » etc.

Cum remansisset in Hierusalem duodennis puer Jesus, inventus est in medio doctorum, audiens illos, et interrogans. Sequitur, quod « stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. » *Luc.*, II.

« Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, » etc. *Luc.*, XVI.

Pulchre delusit Dominus curiosam interrogationem sacerdotum et seniorum populi Judæorum, ab eo quærentium, in qua potestate illa mirabilia faciebat. Ait eis : « Interrogabo vos et ego, » etc. *Matth.*, XXI.

Cum Paulus Apostolus fuisset cum Sila socio ejus in carcere positus, in crastino miserunt magistratus lictores (*a*), ut dimitteretur. Paulus prudenter dixit eis : « Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt. » *Act.*, XVI, 37.

Commota et confusa civitate Ephesi, Paulus prudenter et humiliter acquievit consilio amicorum, qui rogaverunt eum, ne daret se in theatrum. *Act.*, XIX. Ubi etiam apparuit prudentia illius Scribæ, qui pulchre sedavit populum sic commotum, et remisit ad domum.

Cum jussisset tribunus Paulum cædi flagellis, et torqueri, dixit Paulus astanti sibi Centurioni: « Si hominem Romanum indemnatum licet vobis flagellare? Et discesserunt ab eo, qui eum torturi erant. *Act.*, XXII.

Cum vellet Paulus de Græcia navigare in Syriam, et intelligeret sibi a Judæis paratas esse insidias, caute declinavit, et reversus est per Macedoniam, nec recusavit comitatum quem fecerunt ei fratres diversarum civitatum. *Act.*, XX.

Sciens Paulus, quia una pars esset Pharisæorum, et alia Sadducæorum, exclamavit dicens : « Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. Factus est autem clamor magnus, et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant pro eo, » etc. *Act.*, XXIII, 6, 9.

Postea cum audisset, quod quidam Judæi voverant se nihil gustaturos, donec occiderent Paulum, fecit hoc nuntiari tribuno, qui misit eum cum multis armatis ad Felicem Syriæ præsidem. *Act.*, XXIII, 12 et seq.

Cum Festus præses vellet Paulum in Jerusalem reducere ad instantiam Judæorum, et ibi eum audire, Paulus prudenter, advertens eorum malitias, Cæsarem appellavit. *Act.*, XXVI.

[1] Liber iste est apocryphus.— (*a*) *Cæt. edit.* principes.

Digitized by Google

CAPUT LIV.

De astutia et calliditate mala.

Primum magistrum astutiæ et calliditatis patet fuisse diabolum in serpente, qui cum callidior esset cunctis animantibus, primam mulierem seduxit: non enim voluit aggredi primum hominem, quem sciebat majori discretione dotatum. *Gen.*, III.

Multotiens voluit Laban seducere Jacob nepotem suum, modo in uxore, modo in mercede, *Gen.*, XXIX et XXX; « sed Dominus in fraude circumvenientium illi affuit. » *Sap.*, X, 13.

Cum scrutaretur Laban supellectilem Jacob, et veniret ad tentorium Rachel, illa sollicitudinem quærentis astute delusit. *Gen.*, XXXI.

Sævientes ob stuprum sororis suæ Dinæ filii Jacob, callide suaserunt Sichem et civitatis populum circumcidi; quo facto, irruerunt in eos, et faciliter occiderunt. *Gen.*, XXXIV.

Filii Jacob voluerunt decipere eum, quando tinxerunt tunicam Joseph in sanguine hœdi, mittentes, qui diceret ei: « Hanc invenimus, vide utrum tunica filii tui sit, an non. » *Gen.*, XXXVII, 32.

Diversas excogitavit astutias Pharao rex Ægypti ad hoc, ut filios Israel totaliter extirparet, *Exod.*, I: ad hoc etiam, ut eos in Ægypto retineret, et nullatenus recedere pateretur, *Exod.*, V.

Malefici Pharaonis, quantum ad duo signa prima, fecerunt per incantationes suas, sicut fecerat Moyses. *Exod.*, VI.

Malitiose locuti sunt Core et complices ejus, quando steterunt contra Moysen et Aaron, dicentes: « Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus; cur elevamini super populum Domini? *Num.*, XVI, 3.

Videns Balac rex Moabitarum, quod fortitudine filios Israel non poterat vincere, voluit eos superare maledictione Balaam. *Num.*, XXII.

Gabaonitæ, audientes quæ fecerat Josue Jericho et Hai, callide cogitaverunt, quomodo possent ita facere, quod non totaliter delerentur. *Jos.*, IX.

Caverant Philistiim, ne fabri ferrarii in omni terra Israel invenirentur, ne forte Hebræi facerent gladium, vel lanceam. I *Reg.*, XIII.

Saul invidens proficienti David, dixit de filia sua Michol, quam David habere volebat: « Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum. » Dixit ergo Saul ad David: « In duabus rebus eris gener meus hodie, » etc. I *Reg.*, XVIII, 21.

Per magnam astutiam voluit David celare iniquitatem suam, quando misit pro Uria, ut dormiret cum uxore sua. I *Reg.*, XI.

Nefandam iniquitatem docuit Amnon filium David Joadab filius Sennaa, quando dixit ei, ut languorem simularet, et sic Thamar sororem Absalom, de qua tentabatur, salvus habere posset. II *Reg.*, XIII, 5.

Cum vellet Absalom vindicare injuriam sororis suæ, quam oppresserat Amnon frater ejus, fecit parari grande convivium, et fratrem suum invitavit, et dum comederet, eum occidi fecit. II *Reg.*, XIII, 27.

Ambiens Absalom regnum patris, cœpit malitiose populo adulari, et facta patris vituperans, seipsum bene judicaturum jactabat. II *Reg.*, XV.

Dixit Jeroboam in corde suo: « Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificium in domo Domini in Jerusalem. » Et excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, etc. III *Reg.*, XII.

Achab rex Israel dixit quædam generalia verba nuntiis Benadad regis Syriæ, suos et sua liberaliter offerendo, ex quibus ille astute voluit eum gravare nimis ad specialia descendendo, IV *Reg.*, XX.

Sedechias filius Canaam, propheta Baal, fecit sibi cornua ferrea, quasi esset verus propheta, dicens regi Achab: « Hæc dicit Dominus, iis ventilabis Syriam, donec deleas eam. » Tandem fefellit eum, et fecit eum ire ad bellum. IV *Reg.*, XXII, 11.

Currens Giezi post Naaman, callide coloravit petitionem suam, quando dixit: Dominus meus misit me ad te dicens: « Modo venerunt ad me duo adolescentes de filiis prophetarum, » etc. IV *Reg.*, V, 22.

Scelerata Jezabel crudeli astutia usa est ad hoc, ut vineam Naboth acquireret viro suo. III *Reg.*, XXI.

Athalia, mater Ochoziæ regis Juda, videns mortuum filium, interfecit omne semen regium, et sic regnavit super terram sex annis. IV *Reg.*, XI.

Loquebatur alta voce Rabsaces nuntiis Sennacherib regis Assyriorum, ut audiret eum, et timeret populus, qui erat super murum. IV *Reg.*, XVIII.

Dum Abia rex Juda exercitum suum confortaret et adversarios increparet, Jeroboam rex Israel retro moliebatur insidias, cumque ex

Digitized by Google

adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu. I *Paral.*, XIII.

Varias excogitaverunt astutias vicini filiorum Israel qui redierant de captivitate Babylonis, ad hoc ut impediretur ædificatio templi, et murorum civitatis Jerusalem. I *Esdr.*, III; similiter *Nehe.*, IV et VI.

Superbissimus Aman, videns quod Mardochæus ipsum adorare nolebat, occasione ejus, suasit regi per invidiam, ut totus Judæorum populus deleretur. *Est.*, III, 13.

Quia Satan non poterat coram Deo virtutes sancti Job omnino negare, voluit intentionem ejus callide depravare, dicens, *Job*, I, 9 : « Numquid frustra Job timet Deum? » etc. Nota etiam ibi quomodo uno die totum ei diabolus abstulerit, et simul nuntios venire fecit, ut multiplici dolore per impatientiam frangerentur.

Principes et satrapæ regni Persarum procuraverunt, ut Darius statueret decretum, propter quod cogitaverunt Danielem omnino interficere, ut hac arte ipsum a rege possent avertere. *Dan.*, VI, 8 et seq.

Duo senes presbyteri detestandam adinvenerunt nequitiam, ut possent Susannam decipere, et postea se de ea crudeliter vindicare. *Dan.*, XII.

Plenus malignitate Alcimus accessit ad Demetrium regem, et accusavit Judam Machabæum in multis, I *Mach.*, VII. Deinde, ut narratur, II *Mac.*, XIV : Obtulit regi coronam auream, et alia quædam dona, et ipsa quidem die siluit, et postea tantum dixit et fecit, quod rex summum sacerdotem eum constituit.

Jason misit Menelaum portantem pecunias Antiocho regi; at ille Menelaus commendatus regi in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens (*a*) Jasoni talenta argenti trecenta. II *Mach.*, IV.

« Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempora stellæ, quæ apparuit eis, et mittens eos in Bethlehem dixit : Ite et interrogate diligenter de puero, » etc., *Matth.*, II. Qua vero intentione hoc diceret, apparuit in occisionibus puerorum.

« Pharisæi volentes capere Dominum in sermone, miserunt ad eos discipulos suos cum Herodianis dicentes : Magister, scimus, quia verax es, » etc., *Matth.*, XXII, 16.

Varios circuitus fecerunt Pharisæi, ut possent facere confiteri illum cæcum natum, quod non esset illuminatus a Christo. *Joan.*, IX.

Principes Judæorum custodibus sepulcri dederunt pecuniam copiosam, ut dicerent eum de nocte furto fuisse sublatum, *Matth.*, XXVIII.

Ananias, conscia uxore sua Saphira, fraudavit de pretio agri venditi. *Act.*, V.

Samaritani « attendebant ad Simonem Magum, eo quod magicis artibus suis multo tempore eos dementasset. » *Act.*, VIII, 11.

Videntes Judæi, quod verbum Dei disseminabatur per Paulum et Barnabam, « concitaverunt religiosas mulieres et honestas, et primos civitatis Antiochenæ, et excitaverunt persecutionem in illos, et ejecerunt eos de finibus suis. » *Act.*, XII, 50.

Cum Paulus et Barnabas essent in civitate Lystris, et tantam haberent ibi gratiam, quod homines ipsis tanquam diis sacrificare voluerunt, supervenerunt quidam Judæi, qui taliter persuaserunt turbis, quod Paulus fuit ibi lapidatus, et extra civitatem tractus mortuus esse putabatur. *Act.*, XIV.

Quæstuarii quidam cum puella spiritum pythonem habente volentes conqueri de Paulo, non dixerunt, quod per eum amiserant quæstum suum, sed mentiendo dixerunt : « Hi homines conturbant civitatem nostram, et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. » *Act.*, XVI, 19, 21.

Judæi malitiose cogitaverunt petere a tribuno, ut Paulum perduceret in medium, quasi aliquid certum inquisiturus esset ab eo. Insidiabantur autem ei multi, qui volebant statim interficere eum, et ad hoc etiam se obligaverant per votum. *Act.*, XXIII.

CAPUT LV.

De eruditione filiorum.

Audiens Jacob somnia Joseph, increpabat eum, ne forte contra se fratrum suorum invidiam suscitaret. *Gen.*, XXXVII, 10.

Negligentiam filiorum arguebat Jacob, audiens quod alimenta venderentur in Ægypto. *Gen.*, XLII.

Blasphemus in eremo lapidatus fuit filius mulieris Israelitidis de viro Ægyptio generatus : tales enim filii male frequenter instruuntur. *Levit.*, XXIV.

Præcepit Dominus per Moysen, ut filii Israel

(*a*) *Cæt. edit.* supponens.

Digitized by Google

docerent filios suos ea quæ ipsi viderant (*a*), *Deut.*, IV.

Contumax filius, et protervus, et parentum imperio obedire contemnens, præcipitur a Moyse per populum lapidari, *Deut.*, XXI.

Heli sacerdos male correxit filios suos, I *Reg.*, II; et ideo tam ipse, quam illi a Domino sunt puniti, I *Reg.*, IV.

Adonias filius Aggith male fuit a patre suo David correctus, et idcirco in superbiam elatus regnare voluit, III *Reg.*, I; sed tandem a fratre suo regnante occisus fuit, III *Reg.*, II.

Propinquans ad mortem David, diligenter instruxit Salomonem filium suum, qui regnare debebat post eum, II *Paral.*, XXVIII.

Tobias Senior filium suum ab infantia timere Dominum docuit, et abstinere ab omni peccato, *Tob.*, I.

Deinde cum se cito crederet moriturum, pie et salubriter instruxit eum, *Tob.*, IV; et similiter instante morte sua, *Tob.*, XIV.

Parentes Saræ, uxoris Tobiæ Junioris, dimiserunt ire filiam suam cum viro suo, monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem custodire, *Tob.*, X.

Magnam sollicitudinem gerebat Job de filiis suis, qui cum simul comedissent, offerebat holocaustum pro singulis, ne forte peccassent. *Job*, I.

Parentes Susannæ, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. *Dan.*, II.

Cum appropinquaret morti Mathathias, filios suos salubriter instruxit, et contra impios animavit. I *Mac.*, II.

Supra modum mater mirabilis, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, singulos hortabatur patria voce dicens : « Nescio qualiter in utero meo, » etc. II *Mac.*, VII.

CAPUT LVI.

Quod bonis consiliis non acquiescere periculosum est.

Angeli qui apparuerunt Loth, dederunt ei bonum consilium, ut exiret de Sodomis, et generos suos educens, nequaquam post tergum respiceret, sed in monte salvum se faceret. Qui dixit generis suis, qui accepturi erant filias suas, ut egrederentur; sed visum est eis quasi ludens loqui. Generi ergo Loth nolentes exire de medio pravæ gentis, perierunt cum ipsis Sodomitis; uxor autem ejus, retro respiciens, versa est in statuam salis; ipse etiam Loth, qui juxta consilium Angeli noluit statim in montem ascendere, cum propriis filiabus peccavit. *Gen.*, XIX.

Ruben bene consuluit fratribus suis, ut Joseph redderetur patri, *Gen.*, XXXVII. Qui non acquieverunt ei, et idcirco venit super eos tribulatio, *Gen.*, XLII.

Filiis Israel volentibus ascendere ante tempus ad locum, de quo locutus fuerat Dominus, ait Moyses : « Non enim est Deus vobiscum. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, » etc. *Num.*, XIV, 43.

Post scelus perpetratum in uxore Levitæ convenerunt filii Israel, et miserunt nuntios ad tribum Benjamin, qui dicerent : « Cur tantum nefas in vobis repertum est ? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetraverunt, » etc. Qui noluerunt audire : propter quod omnes postea, exceptis paucis, fuerunt occisi. *Judic.*, XX.

Dixit Abner Asaeli, ut desisteret ab insecutione ipsius : qui hoc audire contempsit; Abner autem ipsum adversa hasta transfodit. II *Reg.*, II.

Roboam filius Salomonis noluit audire consilium senum; sed consilio juvenum acquievit, et ideo magnam populi partem amisit, III *Reg.*, XII.

Bonum et fidele consilium dedit Achior Holopherni, quod ille cum superbia et indignatione contempsit, qui post paululum fuit occisus, et exercitus cum damno et confusione fugatus. *Judith*, V.

Godoliæ, quem rex Babylonis præfecerat terræ Judæorum, nuntiavit fideliter Johanan filius Caree, quod Ismael filius Nathaniæ (*b*) volebat eum occidere; qui respondit ei : « Falsum loqueris de Ismaele. » In mense autem septimo venit Ismael, et occidit Godoliam, postquam comederat cum illo. *Jerem.*, XLI.

« Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, » ait Daniel Nabuchodonosor regi Babylonis : qui non acquievit, et mutatus est in bestiam. *Dan.*, IV.

Videns in Galaad Judas Machabæus relinqui Joseph et Azariam duces populi, præcepit illis dicens : « Nolite bellum committere adversus gentes, donec revertamur. » Illi vero voluerunt sibi facere nomen, et perdiderunt et res, et nomen. I *Mach.*, V.

(*a*) *Cæt. edit.* viderunt. — (*b*) *Item* Mathaniæ.

Digitized by Google

Habebat secum Judas Machabæus octingentos viros; adversarii autem erant viginti duo millia et avertebant eum socii ne pugnarent tunc, sed alias exercitu congregato : qui noluit acquiescere eorum consilio, et in illo bello cecidit, et cæteri fugerunt. I *Mach.*, IX.

Bonum consilium dedit uxor Pilato viro suo; sed ille acquiescere recusavit, magis timens Cæsarem offendere, quam justum sanguinem condemnare. *Matth.*, XXVII, et *Joan.*, IX.

CAPUT LVII.

De suspicione falsa et credulitate.

Cogitavit Abraham, quod forsitan non erat timor Dei in Geraris, et quod homines illius terræ deberent illum occidere propter uxorem suam. *Gen.*, XX. Simile accidit Isaac, *Gen.*, XXVI.

Suspicatus est Laban, quod Jacob furatus esset deos ejus, et ob hanc causam scrutatus est totam supellectilem ipsius. *Gen.*, XXXI.

Videns Jacob vestimenta Joseph sanguine cruentata, putavit eum esse mortuum, et a fera pessima devoratum. *Gen.*, XXXVII.

Præcepit Joseph dispensatori suo, ut introduceret fratres suos domum ad comedendum secum; at illi exterriti crediderunt, quod vellet eos subjicere servituti. *Gen.*, XLI.

Rubenitæ et Gaditæ euntes ad possessiones suas ædificaverunt altare juxta Jordanem : quo audito, filii Israel turbati fuerunt, nescientes quare hoc fecissent illi, et putantes quod vellent se ab eorum lege penitus separare. *Jos.*, XXII.

Cum isset Samson ad domum patris sui, socer ejus putavit, quod odio haberet uxorem suam, et quod repudiaret eam; unde tradidit eam alii viro. *Judic.*, XV.

Heli videns Annam labia movere, et nullum verbum extra proferre, æstimavit eam esse temulentam, I *Reg.*, I.

Quia Saul persequebatur David, imponebat ipsi David, quod et ipse persequeretur eum; unde dicebat, quod filius suus Jonathas suscitaverat servum suum insidiantem sibi, licet esset falsissimum. I *Reg.*, XXII.

Cum esset David cum Achis, rege Geth, quasi custos capitis sui, satrapæ dixerunt ad Achis, ut recederet David, ne forte transfugeret ad Saulem. I *Reg.*, XXIX.

Misit David nuntios ad Hanon regem Ammon, ut consolarentur eum super patris interitu; principes autem illius putaverunt, quod venissent ad explorandum civitatem, non ad consulendum regem. I *Reg.*, X.

Postquam rex Assuerus turbatus fuit contra Aman, et ille jacebat super lectum Hester, ad rogandum eam pro anima sua; imposuit ei rex, quod ipso præsente volebat eam opprimere, *Esth.*, VII.

Dum vellet Jeremias ire ad terram Benjamin, comprehendit eum custos portæ, et imposuit ei, quod fugeret ad Chaldæos. *Jerem.*, XXXVII.

Nuntiante Jeremia voluntatem Domini populo terræ, qui remanserat post destructionem Jerusalem, dixerunt ei : « Mendacium tu loqueris, non te misit Dominus, sed Baruch filius Neeriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manibus Chaldæorum. » *Jerem.*, XLIII, 2.

Tortores qui Eleazarum ducebant ad supplicium, in iram versi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam dictos arbitrabantur. II *Mach.*, VI.

Videntes discipuli Dominum ambulantem super mare, putaverunt phantasma esse, et præ timore clamaverunt. *Marc.*, XIV; *Marc.*, VI; *Joan.*, VI.

Simon Pharisæus, videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem, ait inter se dicens : « Hic si esset propheta, sciret utique, » etc. *Luc.*, VII.

Ad hoc quod nullus male sentiat de alio, multum valet exemplum, quod adducit Salvator de jactante se Pharisæo, et humili Publicano. *Luc.*, XVIII.

Videntes Judæi discipulos Domini post effusionem Spiritus sancti loquentes variis linguis, dicebant quidam eorum, quia musto repleti erant. *Act.*, II.

Omnes discipuli christiani timebant Paulum post conversionem suam, non credentes quod esset discipulus, donec Barnabas duxit eum ad Apostolos, et narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, et quomodo in Damasco fiducialiter egit in nomine Domini Jesu. *Act.*, IX, 26, 27.

Tribunus Lysias videns Paulum a Judæis tam male tractari, quæsivit ab eo : « Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in deserto quatuor millia virorum sicariorum? » *Act.*, XXI, 38.

Ut viderunt barbari viperam pendentem in manu Pauli, ad invicem dicebant : « Utique homicida est homo hic; » et æstimabant eum in

Digitized by Google

tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. *Act.*, XXVIII, 4, 6.

CAPUT LVIII.

Quod sancti viri permittunt fieri aliqua non libenter.

Jacob permisit adduci Benjamin filium suum, tenere dilectum, et hoc propter necessitatem victualium ad instantiam filiorum. *Gen.*, XLIV.

Moyses permisit dari libellum repudii odiosis uxoribus Judæorum, quia scilicet timebat in eis uxoricidium. *Deut.*, XXIV.

Considerato David populo suo, constituit super eum tribunos et centuriones. « Dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum. Et respondit populus : Non exibis, quia tu unus pro decem millibus computaris : melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos rex ait : Quod vobis videtur, hocfaciam. » II *Reg.*, XVIII, 2, 4.

Eliseus permisit quod filii prophetarum quærerent Eliam, ne forte spiritus Domini projecisset eum, cum tamen sciret, quod illi laborabant in vanum. IV *Reg.*, II.

Cognovit Simon, quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, et centum talenta argenti; jussit tamen dari argentum et pueros, ne forte adversum se inimicitias populi concitaret. I *Mach.*, XIX.

CAPUT LIX.

De justitia et æquitate.

Abraham volens separari a Loth nepote suo, dedit ei optionem, ut eligeret partem quam vellet, *Gen.*, XIII : et sic pulchre potest partitio fieri, ut major dividat, et minor eligat.

Testimonio Domini justam rem postulaverunt filiæ Salphaad, quæ in hereditate paterna succedere a Moyse petierunt. *Num.*, XXVII.

Rex Adonibezech, comprehensus a filiis Israel, dixit : « Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus collegerunt sub mensa ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. » *Judic.*, I, 6.

Adducto Agag rege Amalec coram Samuele, ait ei Samuel : « Sicut fecit absque liberis gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua. I *Reg.*, XV, 33.

Dixit David ad Saul, qui eum injuste persequebatur : « Dominus retribuet unicuique secundum justitiam suam et fidem. » I *Reg.*, XXVI, 23.

Constituit David, et quasi pro lege habitum est, ut æqua esset pars descendentis ad prælium, et remanentis ad sarcinas. I *Reg.*, XXX.

David noluit gratis recipere ab Areuna Jebusæo aream, quam habere volebat, sed justo pretio mediante. I *Reg.*, XXIV.

Audiens hœdum balantem, Tobias dixit : « Videte ne furtivus sit, sed reddite eum dominis suis : quia non licet vobis aut edere ex furto, vel aliquid contingere. » *Tob.*, II, 21.

Præcepto regis Assueri superbus et iniquus Aman suspensus est in illo eodem patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo, et hostes Judæorum eodem die ab ipsis Judæis occisi sunt, quo illi Judæos occidere putaverant. *Esth.*, VII et VIII.

Contra Babylonem prophetans Jeremias ait : «Reddite ei secundum opus suum : juxta omnia quæ fecit, facite illi. *Jerem.*, L, 21.

Jubente Dario rege, viri qui accusaverunt Danielem, missi sunt in lacum leonum, et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec acciperent eos leones, *Dan.*, VI, 24. Simile accidit alia vice, de qua *Dan.*, XIV, 41.

Fecit populus duobus presbyteris senibus, qui inique accusaverunt Susannam, sicut male egerant adversus proximam, et interfecerunt eos. *Dan.*, XIII.

In eodem loco in quo Andronicus occiderat injuste Oniam summum sacerdotem, fecit eum purpura exutum vita privari Antiochus. II *Mach.*, IV.

Impius Jason, qui insepultos abjecerat multos, ipse illamentatus et insepultus abjicitur, neque patriam, neque peregrinam habuit sepulturam. II *Mach.*, V.

Antiochus homicida et blasphemus, pessime percussus, ut ipse multos tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita defunctus est. II *Mach.*, IX.

A servo nequam, qui noluit conservo suo centum denarios dimittere, merito repetiit dominus universum debitum, quod liberaliter dimiserat prius illi. *Matth.*, XVIII.

CAPUT LX.

De judiciis hominum rectis, aut pravis.

Causam quam nescit judex, debet diligentissime investigare. *Job*, XXIX, 16.

Digitized by Google

Unde Dominus, quem nihil latere potest, dicitur descendisse, ut videret civitatem, quam ædificabant filii Adam, *Gen.*, XI, 15.

Infra, *Gen.*, XVIII, 21, dicit ipse : « Descendam, et videbo utrum clamorem, » etc.

Injuste præcepit Judas Thamar nurum suam comburi, *Gen.*, XXXVIII.

Dominus Joseph, nimium credulus verbis conjugis, misit eum in carcerem. *Gen.*, XXXIX.

Minora per minores judices, et majora per majores debent diffiniri, juxta id quod consuluit Jethro Moysi in deserto, *Exod.*, XVIII.

De duodecim bobus, et sex plaustris, nullum dedit Moyses filiis Caath, licet essent sibi propinquiores; sed totum dedit aliis Levitis, eo quod isti amplius indigebant, qui graviora portabant. *Num.*, VII, 3, 9.

Consuluit Moyses Dominum occasione filiarum Salphaad. Et respondit Dominus : « Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas, » etc. *Num.*, XXVII, 8.

Voluit Moyses, ut filii Ruben, et cæteri qui petebant terram jam acquisitam, armati præcederent alios ad bellum, donec terra alia esset penitus acquisita. *Num.*, XXXI.

De filiis Samuelis dicitur, I *Reg.*, VIII, 3 : « Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. »

Injuste protulit David sententiam contra Miphiboseth absentem, ad verbum Sibæ ipsi David xenia offerentis, II *Reg.*, VI. Et nota, quod postea cognita veritate, noluit unquam sententiam penitus retractare, II *Reg.*, XIX.

Salomon recte judicavit de duabus mulieribus, quarum quælibet contendebat unius pueri esse mater. III *Reg.*, III.

Constituit Josaphat rex Juda principes terræ, præcipiens eis : « Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit : sit timor Domini vobiscum, » etc. II *Paral.*, XIX, 6, 7.

Ad suggestionem Aman, rex Assuerus injuste dixit de populo : « Age quod placet tibi. » *Esth.*, III, 11.

De judicibus Israel dicebat Isaias : « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo (*a*) non judicant. » *Isa.*, I, 23.

Quia Hieremias a Domino missus prophetabat Hierusalem esse capiendam a Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi : « Rogamus ut occidatur homo hic. Qui respondit eis : Ecce ipse est in manibus vestris, non enim fas est vobis regem quidquam negare. » *Hier.*, XXXVIII, 4, 5.

Nabuchodonosor, rex Babylonis, jussit sapientes Babylonis interfici, pro eo scilicet quod illi somnium, quod viderat, non poterant indicare ei. *Dan.*, II.

Quamvis Darius rex Persarum innocentem sciret esse Danielem, tamen ad instantiam satraparum fecit eum mitti in lacum leonum, *Dan.*, VI, 16. Simile accidit, *Dan.*, XIV, 30.

Discrete examinavit Daniel duos senes, qui contra Susannam iniquum tulerant testimonium. *Dan.*, XIII.

Cum superaretur Menelaus in judicio coram Antiocho, per pecuniam, quam promisit, absolutus fuit, et accusatores ejus iniqua morte damnavit, II *Mach.*, IV.

Conquesti sunt Judæi coram Antiocho rege de iniqua morte Oniæ. Contristatus autem Antiochus, licet alias esset malus, Andronicum purpura exutum in eodem loco, in quo ipsum Oniam occiderat, jussit vita privari. II *Mach.*, IV.

Nimis iniquum protulit Herodes judicium, quando mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, etc. *Matth.*, II, 16.

Ad petitionem unius saltatricis, fecit Herodes tetrarcha Joannem Baptistam in carcere decollari, cum tamen sciret eum virum justum et sanctum. *Marc.*, VI.

Nicodemus dixit Pharisæis : « Numquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, et cognoverit quid faciat? » *Joan.*, VII, 51.

Nequissimum fuit judicium, quo Pilatus dimisit Barabbam homicidam, latronem, seditiosum, et Dominum Jesum voluntati tradidit Judæorum. *Matth.*, XXVII, 26; *Marc.*, XV, 15; *Luc.*, XXIII, 24; *Joan.*, XIX, 16.

Sacerdotibus et magistratibus templi denuntiantibus Petro et Joanni, ne docerent aliquid in nomine Jesu Christi, responderunt apostoli dicentes : « Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate. » *Act.*, IV, 19.

Cum Paulus ejecisset dæmonium a puella pythonissa, accusatus fuit a dominis ejus, quibus illa quæstum divinando parabat : magistratus autem statim fecerunt Paulum et Silam virgis cædi, et in carcerem mitti. *Act.*, XVI.

Judæis accusantibus Paulum, Gallio Proconsul dixit : « Si esset iniquum aliquod, aut facinus pessimum, o Judæi, recte vos sustinerem.

(*a*) *Cæt. edit.* pupillum.

Digitized by Google

Si vero quæstiones sunt de nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis : judex horum nolo esse. » *Act.*, XVIII, 15.

Princeps sacerdotum præcepit percutere os Pauli. Tunc ait Paulus : « Percutiet te Dominus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti? *Act.*, XXIII, 3.

Licet Paulus coram Felice præside se rationabiliter excusasset, voluit tamen Felix gratiam præstare (*a*) Judæis, et Paulum vinctum successori suo Festo reliquit. *Act.*, XXIV, 27.

Dixit Festus præses : « Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque descendendi accipiat ad abluenda crimina. *Act.*, XXV, 16.

Festus volens acquiescere Judæis, qui petierunt ut Paulus Hierusalem mitteretur, dixit Paulo : « Vis Hierosolymam ascendere, et ibi judicari de his apud me? Respondens Paulus : Ad tribunal Cæsaris, etc. Cæsarem appello. Tunc Festus cum concilio locutus, dixit : Cæsarem appellasti? Ad Cæsarem ibis. » *Act.*, XXV, 9, 12.

Auditis rationibus Pauli, Agrippa rex, et Festus præses loquebantur ad invicem, dicentes : « Quia nihil dignum morte fecit homo iste. » Agrippa autem Festo dixit : « Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem. » *Act.*, XXVI, 31, 32.

CAPUT LXI.

De pœnitentia.

Quandiu mansit Maria extra castra, non processerunt filii Israel per desertum. *Num.*, XII. Non enim est bonum ire per desertum hujus vitæ sine amaritudine pœnitentiæ.

Audiens populus filiorum Israel Dominum esse iratum propter murmurationem eorum, luxit nimis, et (*b*) mane voluerunt plus facere, quam Dominus præceperat (*c*) eis. *Num.*, XIV, 40.

Ad vocem Angeli improperantis populo peccatori beneficia Dei, elevarunt omnes vocem suam, et fleverunt. *Judic.*, II, 4.

Dixerunt filii Israel ad Dominum : « Peccavimus, tu redde nobis id quod placet. » Et omnia idola projecerunt. Sequitur : « Qui doluit super miseriis eorum. » *Judic.*, X, 15, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* præparare. — (*b*) *Item add.* in. — (*c*) *Cæt. edit.* præciperet. — (*d*) *Vulg.* manducans. — (*e*) *Cæt. edit.* vestiens.

Cito pœnituit David, quando Nathan ipsum de crimine reprehendit. II *Reg.*, XII.

Achab, rex Israel sceleratissimus, operuit carnem suam cilicio, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite, et minorata est pœna digne illi pro criminibus infligenda. III *Reg.*, XXI.

Manasses rex Juda, vinctus catenis et in Babylonem ductus, egit pœnitentiam valde coram Domino, et reduxit eum Dominus in Hierusalem in regnum suum. II *Paralip.*, XXXIII, 12, 13.

Lamentante Esdra pro peccatis populi, dictum est ei : « Si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, » etc. I *Esd.*, X, 2.

Audita terribili potentia Holophernis, sacerdotes induerunt se ciliciis, et ex toto corde omnes orabant Dominum, ut visitaret populum suum, *Judith*, IV. Et in laudem Judith dicitur, quod habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. *Judith*, VIII.

Quamvis Job esset vir simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo, tamen dicebat : « Ago pœnitentiam in favilla et cinere. » *Job*, XLII, 6.

Instante captivitate Hierusalem, dicebat Isaias : « Vocavit Dominus in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci, » etc. *Isa.*, XXII, 12.

Ninivitæ crediderunt Domino ad prædicationem Jonæ, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt sacco a minore usque ad majorem. *Jon.*, III, 5.

Appropriante exercitu Timothei, Machabæus, et qui cum ipso erant, precabantur Deum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi esset propitius, et inimicis eorum inimicus. II *Mach.*, X.

Joannes Baptista, sanctificatus antequam ex utero matris natus, a sanctis parentibus educatus, fugit in desertum, et ibi tam austeram vitam duxit, quod dicebatur, « neque bibens, neque comedens (*d*), » *Matth.*, XI, 18. Et addit Bernardus : « Plane neque vestitus (*e*), quia pili camelorum non sunt vestis humana. »

Quam libenter recipiat Dominus peccatores ad pœnitentiam, ex his apparet, quia prædicationem suam a pœnitentia legitur incœpisse, *Matth.*, IV, 17. Item ad hoc asseruit se venisse, *Luc.*, V, 32. Item hoc ipsum per opera demon-

Digitized by Google

stravit : exemplum de Maria, de Matthæo, de Zachæo, de Petro. Item per similitudines quas ponebat de ove, quæ periit in deserto ; de drachma, quam mulier perdidit in domo ; de filio, quem pater reputabat mortuum, et postea suscitatus est, *Luc.*, XV, etc.

Maria Magdalena, exemplo pœnitentiæ non jusso (*a*), venit ad Dominum, convivantes non erubuit, a retro secus pedes Domini stetit, inter epulas lacrymas obtulit. *Luc.*, VII, 37-38.

Ut induceret Dominus homines ad faciendum pœnitentiam, ponit exemplum de quibusdam, super quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos ; et subdit : « Si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. » *Luc.*, XIII, 5.

Ad exemplum ovis quæ perierat, vel drachmæ quam mulier perdidit, sed postea inventæ fuerunt, dicit Dominus gaudium magnum in cœlo esse super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.*, XV, 7, 10.

Levem et brevem pœnitentiam injunxit Dominus mulieri in adulterio deprehensæ, dicens : « Vade, et jam amplius noli peccare. « *Joan.*, VIII, 11.

« Videns Judas quod damnatus esset Jesus, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. » *Matth.*, XXVII, 3, 4. Bonum quidem dixit ; sed quia desperavit, veniam non meruit.

Petrus peccavit negando Dominum in atrio principis sacerdotum ; sed quando flere et pœnitere voluit, foras exivit, *Matth.*, XXVI, 75 ; *Marc.*, XIV, 72. Et nota quod, *Luc.*, XXII, 61, additum est : « Conversus Dominus respexit Petrum. »

Quærentibus quibusdam Judæis corde compunctis : « Quid faciemus, viri fratres ? » Ait illis Petrus : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum, » etc. *Act.*, II, 37, 38.

Auditis rationibus Petri, quare iverat ad Cornelium, et eum baptizaverat, tacuerunt fratres, et glorificaverunt Deum dicentes : « Ergo et Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. » *Act.*, XI, 18.

CAPUT LXII.

De honore parentum.

Sem et Japheth benedictionem patris commeruerunt, quia nudato obsequium præbuerant. Cham vero in filio suo maledictus fuit, quia nuditatem derisit. *Gen.*, IX.

Magnæ reputationis erat apud antiquos benedictio patris, ut patet in Jacob et Esau, qui ambo ipsam tam sollicite quæsierunt. *Gen.*, XXXVI.

Licet Esau esset malus homo, reprobatus a Deo, et odio haberet fratrem suum Jacob, nolebat tamen occidere ipsum vivente patre suo Isaac ; unde dicebat : « Venient dies luctus patris mei, » etc., *Gen.*, XXVII, 41, in hoc deferens patri, et timens offensam ejus.

Ad magnam pœnitentiam se obligabat Judas, cum dixit patri de Benjamin : « Nisi reduxero et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. » *Gen.*, XLIII, 9. Et notandum est quod prius, XLII, 37, dixerat Ruben : « Duos filios meos interfice, si non reduxero eum tibi ; » et tamen pater non acquievit illi : acquievit autem Judæ dicenti prædicta verba. Idem Judas postea supplicans Joseph, ut Benjamin ad patrem remitteret, et inter cætera repetiit prædicta verba, quibus se obligaverat patri, et subjunxit : « Non possum redire ad patrem absente puero, ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam. » *Gen.*, XLIV, 34.

Jacob benedicens filios, dixit contra Ruben : « Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, maculasti stratum ejus. » *Gen.*, XLIX, 4.

Præcepit Dominus per Moysen, *Deut.*, XXI, 18 : « Si genuerit homo filium contumacem et protervum, » etc., sequitur : « Lapidibus eum obruet populus civitatis. »

Reddidit Dominus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. *Judic.*, IX, 56.

Non audierunt filii Heli patrem ipsos corripientem, I *Reg.*, II. Ideo divinam ultionem experti sunt, I *Reg.*, IV.

Quia Jonathas gustavit paululum mellis contra inhibitionem patris, morti adjudicatus est a patre ; sed tamen a populo liberatus est. I *Reg.*, XIV.

David a facie Saul fugiens, et in magna necessitate existens, habuit curam parentum suorum, et recommendavit eos diligenter apud regem Moab. I *Reg.*, XV, et deinceps.

Venienti Bersabee matri Salomonis assurrexit rex, adoravitque eam, et positus est thronus matri regis, etc. II *Reg.*, II.

(*a*) *Cæt. edit.* jussit.

Digitized by Google

Duo filii Sennacherib occiderunt eum; sed tamen neuter eorum regnavit post eum. IV *Reg.*, XIX.

Tobias senior instruens filium inter cætera dixit: « Cum acceperit Deus animam meam, corpus sepeli, et honorem habebis matri tuæ. » *Tob.*, IV, 3.

Ejiciens Dominus de templo cum flagellis vendentes et ementes oves et boves, et numularios, dixit: « Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis, » *Joan.*, II, 16, in hoc et alias multotiens honorem patris quærens.

De puero Jesu dicitur: « Descendit cum illis, » scilicet cum Maria et Joseph, « et venit in Nazareth, et erat subditus illis. » *Luc.*, II, 51. Ipse etiam dixit, *Joan.*, VIII, 49 : « Honorifico Patrem meum. » Idem Dominus, pendens in cruce, matrem suam dilecto discipulo commendavit, *Joan.*, XIX, 27. In quo apparuit, quam sollicitudinem gerebat de ipsa, qui in tali articulo existens, de ea taliter cogitabat.

CAPUT LXIII.

De gratiis agendis pro beneficiis Dei.

Sollicite gratias agebat Deo Jacob dicens, *Gen.*, XXXII, 10 : « Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, » etc.

Voluit Dominus, ut liberatio filiorum Israel de Ægypto nunquam excideret de eorum memoria, *Exod.*, XIII, 9 : « Erit quasi signum in manu tua, et quasi monimentum ante oculos tuos, ut lex Domini sit semper in ore tuo. »

Fecerunt Moyses et filii Israel carmen Domino, et dixerunt : « Cantate Domino, » postquam scilicet tam mirabiliter transierunt mare Rubrum, *Exod.*, XV, 1.

Obtenta de inimicis mirabili victoria, venerunt ad Moysen principes exercitus Israel, dicentes, quod nullus fuerat de filiis Israel in bello occisus, et tamen hominum et animalium rapuerunt magnam prædam. *Num.*, XXXI. Et ob hanc causam donaria magna Domino obtulerunt.

Præcepit Dominus, ut post transitum Jordanis miraculosum, ponerentur duodecim durilapides in perpetuum monimentum. *Jos.*, IV, 7.

Post victoriam de Sisara habitam, Barach et Debbora Domino cecinerunt, *Judic.*, V.

Quamvis filii Israel in præliis, ubi vincebant, fortiter dimicarent; tamen dicebatur Dominus percutere inimicos, ut laus Deo attribueretur, *Judic.*, XX, 35.

Audiens David revelationem, quam fecerat Deus Nathan prophetæ de regni sui duratione, gratias egit valde humiliter et devote. II *Reg.*, 7.

Oravit et laudavit Dominum Anna pro filio sibi dato, I *Reg.*, 2.

Multum laudandus est Deus, quando dat populo bonum principem, vel prælatum. III *Reg.*, V, 7 : « Benedictus Deus, qui dedit David filium sapientissimum super hunc populum. »

Cyrus rex Persarum fecit clamari : « Omnia regna terræ dedit mihi Deus cœli, » etc. « Quis est in vobis de universo populo ejus? sit Deus cum ipso, et ascendat Hierusalem. » I *Esdr.*, I, 2-3.

Cum Tobias recuperasset visum, ipse et uxor ejus, et omnes qui sciebant eum, glorificabant Deum. *Tob.*, XI, 16.

Omnis populus, post victoriam de exercitu Holophernis habitam, venit in Hierusalem adorare Dominum, etc. *Judith.*, XVI, 22.

Revelata Danieli visione Nabuchodonosor regis Babylonis, benedixit Deo cœli, et ait : « Sit nomen Domini benedictum, quia sapientia et fortitudo ejus sunt. » *Dan.*, II, 20.

Devote et pulchre exsolverunt laudes Deo illi pueri de fornacis incendio liberati; et non solum illi hac de causa gratias egerunt Deo, sed etiam Nabuchodonosor prædicari fecit mirabilia Dei in toto regno. *Dan.*, III.

Mundato templo et altari erecto sub Juda Machabæo, adoraverunt et benedixerunt in cœlum eum qui prosperavit eos. I *Mach.*, IV.

Judas Machabæus et populus Hierosolymorum scripserunt Aristobolo, dicentes : « De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, » etc. II *Mach.*, I, 11.

Devicto Timotheo per Judam Machabæum, et capto quodam forti præsidio, in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit cum Israel. II *Mach.*, X, 38.

Beata Virgo, audita laude quam dixit Elisabeth, « Benedicta tu, » etc., in vocem laudis prorupit pro beneficiis sibi et toti mundo collatis. *Luc.*, I, 42, 46-55.

Quando volebat Dominus Jesus aliquod grande opus facere, frequenter legitur in cœlum suspexisse, et gratias egisse, sicut patet in panis multiplicatione, *Matth.*, XV, 36; *Joan.*, VI, 11; in Lazari suscitatione, *Joan.*, XI, 41; in Eucharistiæ

(a) *Vulg. Ctemus.*

Digitized by Google

institutione, *Matth.*, XXVI, 27; *Luc.*, XXII, 17.

Nato Joanne Baptista, Zacharias, recuperato loquendi officio, Deum prophetando laudavit, dicens : « Benedictus Dominus Deus Israel, etc. » *Luc.*, I, 68-79.

« Accepit Simeon puerum Jesum in ulnas suas, et benedixit Deum, » etc., *Luc.*, II, 28-32.

Videntes turbæ paralyticum a Deo curatum, glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus, *Matth.*, IX, 8. Item filio viduæ suscitato, acceperunt omnes timorem, « et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus, » etc., *Luc.*, VII, 16.

« Unus illorum » decem leprosorum ad mandatum Domini mundatus « regressus est, et cecidit in faciem suam ad pedes ejus, gratias agens. » *Luc.*, XVII, 15-16.

Postquam cœnavit Dominus cum discipulis suis, subditur : « Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. » *Matth.*, XXVI, 30; *Marc.*, XIV, 26.

Claudus a Petro sanatus, intravit cum apostolis in templum ambulans et exiliens, et laudans Deum. *Act.*, III, 8. Sequitur postea, quarto capitulo, 21 : « Omnes glorificabant (*a*) id quod factum fuerat; » annorum enim erat homo ille plus quam quadraginta.

Gratias agebat Paulus pro beneficiis sibi et aliis a Deo collatis : sibi quidem in sua conversione, I *Tim.*, I, 12-13 : « Gratias ago ei qui me confortavit in Christo; qui prius fui blasphemus et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum. » Item in sua conversatione, II *Cor.*, II, 14 : « Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, » etc. Item pro beneficiis fratribus collatis gratias devote agebat, *Rom.*, I, 8 : « Primum quidem gratias ago pro omnibus vobis, quia fides vestra in universo mundo annuntiatur. » I *Thess.*, III, 9 : « Quam gratiarum actionem possimus (*b*) Deo retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaudemus ? » etc. Gratias agere in omnibus admonebat, *Eph.*, V, 20 : « Gratias agentes semper pro omnibus; » et I *Thessal.*, V, 16 et seq : « Semper gaudete, sine intermissione orate, » etc.

CAPUT LXIV.

De gratitudine pro beneficiis ab homine acceptis.

Cum percussisset Abraham quatuor reges, et omnem substantiam, quam illi rapuerant, reduxisset, rex Sodomorum egressus est in occursum ejus, et omnia obtulit ei, animabus exceptis, *Gen.*, XIV. Ubi notandum est, quod licet Abraham oblata respuerit, tamen bene voluit ut socii sui partem haberent de præda, tanquam eorum suffragio non ingratus.

Videns Laban jocalia, quæ servus Abraham dederat Rebeccæ sorori suæ, venit ad illum et dixit ei : « Ingredere, benedicte Domini; » et eum in hospitio cum multa humanitate recepit. *Gen.*, XXIV, 31.

Postquam Jacob servierat Laban avunculo suo multis annis, dixit ei Laban : « Num quia frater meus es, gratis (*c*) servies mihi? » etc. *Gen.*, XXIX, 15.

Pharao rex Ægypti multum fuit gratus Joseph pro expositione somnii sui, et eum magnifice sublimavit. *Gen.*, XLI.

Raguel sacerdos Madian gratus fuit pro eo, quod Moyses filias ejus defenderat, et ad gregem adaquandum juverat; unde fecit eum vocari ut comederet, et dedit ei filiam suam uxorem. *Exod.*, II.

Valde sollicitus fuit Josue, ne Rahab, quæ (*d*) nuntios ab eo missos absconderat, civitate Jericho ruente, periret. *Jos.*, VI.

Cum liberasset Gedeon Israel ab inimicis, dixerunt omnes ad eum : « Dominare nostri, tu et filius tuus, quia liberasti nos de manibus Madian. » *Judic.*, VIII, 22.

Dixit Noemi, commendans Booz, qui Ruth benigne viderat : « Benedictus sit a Domino, quoniam eamdem gratiam quam præbuerat vivis, servavit et mortuis. » *Ruth*, II, 20.

Quia Cinæus bene se habuerat ad filios Israel, pepercit ei Saul, quando destruxit Amalech, I *Reg.*, XV.

Dixit David ad Abiathar, cujus pater dilexerat ipsum David : « Mane mecum; ne timeas : si quis quæsierit animam tuam, quæret et meam. » I *Reg.*, XXII, 28.

Misit David nuntios ad viros Jabes Galaad, qui sepelierant corpus Saul et filiorum ejus, et gratias egit eis. II *Reg.*, II.

Propter amorem Jonathæ filii Saul, inquisivit David, si erat aliquis superstes de genere ejus, et constituit Miphiboseth filium Jonathæ convivam mensæ suæ. II *Reg.*, IX.

Regina Saba munera attulit Salomoni; ille vero dedit ei omnia quæ petiit, exceptis iis,

(*a*) *Vulg.* clarificabant. — (*b*) *Vulg.* possumus. — (*c*) *Cæt. edit. deest* gratis. — (*d*) *Cæt. edit.* qui.

Digitized by Google

quæ ultro obtulit ei munere regio. III *Reg.*, x.

Elias pie compassus est viduæ apud quam sustentabatur, et efficaciter oravit pro filio illius defuncto, ita quod ipsum a mortuis suscitavit. III *Reg.*, xvii.

Allegavit Abdias beneficium, quod contulerat prophetis Domini, quos absconderat, quando quærebantur ad mortem, ad hoc scilicet, quod Elias ei nuntium periculosum injungere non deberet. III *Reg.*, xviii.

Ascensurus in cœlum Elias bene remuneravit discipulum suum Eliseum. IV *Reg.*, ii.

Mulieri Sunamitidi hospitæ Eliseus (*a*) benigne obtulit, ut loqueretur pro ea regi, si apud illum haberet negotium. Item filium eidem impetravit, et postea mortuum suscitavit. IV *Reg.*, iv.

Naaman Syrus mundatus a lepra ad verbum Elisei, obtulit ei munera dicens : « Obsecro ut accipias benedictionem a servo tuo, » IV *Reg.*, v, 15.

Accusatores Judæorum miserunt epistolam Artaxerxi regi : « Memores salis, quod in palatio comedimus. Et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus, » etc., I *Esdr.*, iv, 14.

Tobias Junior cum multa gratitudine retulit patri suo beneficia a Raphaele percepta. *Tob.*, xii.

Esther regina non fuit ingrata Mardochæo nutritori suo. *Esth.*, iv et v.

Nabuchodonosor rex Babylonis, audita expositione somnii sui per Danielem, in sublime eum extulit, et magna munera dedit illi. Similiter Balthasar honoravit eum pro eo, quod exposuerat ei scripturam, quam in pariete viderat. *Dan.*, ii et v.

Audiens Judas Machabæus, quod Scythopolitæ bene se habuerant ad Judæos in tempore tribulationis eorum, gratias egit eis, etc., II *Mach.*, xii.

Seniores Judæorum dixerunt Domino Jesu de Centurione pro servo infirmo rogante : « Dignus est, ut hoc illi præstes : diligit enim gentem nostram, et synagogam ædificavit nobis. » *Luc.*, vii, 4, 5.

Pie et plene recognoscebat Paulus beneficia sibi collata ; unde, *Gal.*, iv, 15 : « Sicut Angelum Dei recepistis me, et si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. » Item, *Philip.*, iv, 18 : « Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in (*b*) odorem suavitatis, » etc.; Item, II *Tim.*, i, 16 : Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, qui (*c*) sæpe me refrigeravit, et catenam non erubuit, » etc.

Item pro Onesimo servo Philemonis, qui ei ministraverat in carcere, scribit eidem Philemoni efficaces litteras. *Philem.*, per totum.

CAPUT LXV.

De ingratitudine.

Utiliter et fideliter servivit Jacob avunculo suo Laban, et ille multotiens noluit eum valere. *Gen.*, xxx.

Præpositus pincernarum, succedentibus prosperis, oblitus est Joseph interpretis sui. *Gen.*, xl.

Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, dixit ad Aaron : « Fac nobis deos. » *Exod.*, xxxii, 1. Cito videbatur oblitus beneficiorum quæ receperat a vero Deo.

Filiis Israel in deserto vertebatur in tædium cibus optimus, sine labore de cœlo datus, et flebant dicentes : « Quis dabit nobis ad vescendum carnes ? » *Num.*, xi, 4.

Angelus Domini improperavit filiis Israel beneficia a Deo collata, et quomodo illi abeuntes ruperant fœdus et transgressi erant Dei mandata. *Judic.*, ii.

Multa beneficia recepit Saul a David, et tamen ad occidendum eum, modis quibus poterat, laboravit, I *Reg.*, xvii, et post, quasi per totum.

Salvavit David habitatores Ceilæ, et tamen voluerunt eum tradere in manus Saul ipsum persequentis, I *Reg.*, xxiii.

Reddiderunt filii Ammon pro beneficio et honore contumeliam, quando vituperaverunt nuntios David, quos miserat ad consolandum regem eorum super patris interitu. II *Reg.*, x.

Ingrati fuerunt David et Joab Uriæ, quorum primus litteras mortis dedit, et alter crudeliter executus est. II *Reg.*, xi.

Postquam David revocavit Absalom filium suum, et pepercit ei super homicidio, quod commiserat in fratrem suum, surrexit ipse Absalom contra patrem suum, II *Reg.*, xv.

Non fuit David bene memor amicitiæ, quam contraxerat cum Jonatha, quando nimis cito filium suum exheredavit. II *Reg.*, xvi.

(*a*) *Cæt. edit.* Elisei. — (*b*) *Vulg. non habet* in. — (*c*) *Vulg.* quia.

Digitized by Google

Sublimavit Dominus Jeroboam super decem tribus, et statim ille, libidine dominandi elatus, populum avertit a cultu Dei. IV *Reg.*, XII.

Eliseus multa bona fecerat regi Israel, et toti populo ; et tamen propter caristiam, quæ erat in terra, præcepit caput ejus amputari ; sed Deus aliter ordinavit. IV *Reg.*, VI.

Non est recordatus Joas rex Juda misericordiæ, quam fecerat Joiada pontifex secum ; sed interfecit Zachariam filium ejus, arguentem illum, eo quod Dominum reliquisset. II *Paral.*, XXIV.

Amasias rex Juda, divino fretus auxilio, vicerat Idumæos et filios Seir, et tamen auferens deos eorum adoravit illos. Missus autem Propheta ad eum, dixit : « Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua ? » II *Paral.*, XXV, 15.

Ezechias non juxta quod acceperat, retribuit Domino : « Elevatum enim est cor ejus, » etc. II *Paral.*, XXVI, 16.

« Multi bonitate principum et honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, » etc. *Esth.*, XVI, 2, 4.

Conquerendo dicit Dominus de populo Judæorum, *Isa.*, I, 2 : « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ; » et convincit eos bestiis esse minus gratos, subdens, 3 : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit. »

Multa magna beneficia volebat Dominus facere Achaz regi Juda, prout mandavit ei per Isaiam ; quæ tamen ille acceptare contempsit. *Isa.*, VII.

Misit Jonathas fortes viros, qui liberaverunt regem Demetrium de manibus Antiochenorum ; et postea alienavit se Demetrius a Jonatha, et non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, et vexabat eum valde. I *Mach.*, XI.

De decem viris leprosis a Salvatore mundatis, unus tantum regressus est magnificans Deum, et gratias agens. *Luc.*, XVII.

Ingrati fuerunt Paulo domini puellæ pythonissæ, a qua Paulus spiritum malum ejecit ; magis enim doluerunt de quæstu amisso, quam gavisi fuerint de dæmone expulso. *Act.*, XV.

CAPUT LXVI.

Quod veritas odium parit.

Balach rex Moab multum dolebat, quando Balaam bona dicebat de filiis Israel, licet essent vera ; nec eum honoravit, sicut honorasset, si ei placentia verba dixisset. *Num.*, XXIV, 11 : « Decreveram quidem honorare te, » etc.

Joatham filius Gedeonis fugit a facie Abimelech, cum dixisset verum de eo, et de illis qui male eum elegerant. *Judic.*, IX.

Iratus est Saul contra Jonathan filium suum, quia ille excusabat David, qui vere innocens erat erga ipsum Saul. I *Reg.*, XX.

Achab oderat Michæam prophetam, quia ille dicebat ei veritatem, III *Reg.*, XXII, 8 : « Ego, inquit, odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. »

Cum increpasset Hanani propheta regem Asa, quia confisus erat in Benadad rege Syriæ, iratus est Asa, et jussit videntem in nervum mitti. II *Paral.*, XVI.

Ad imperium regis lapidatus est Zacharias filius Joiadæ, qui regem et principes arguebat pro eo, quod Dominum dereliquissent. II *Paralip.*, XXIV.

Cum dixerat Achior magnalia quæ fecerat Deus pro filiis Israel, et magnam esse ejus potentiam ; irati sunt omnes magistratus Holophernis, et cogitabant interficere eum : Holophernes etiam indignatus est vehementer. *Judith*, V et VI.

Clausit Hieremiam prophetam in domum carceris Sedecias rex Juda, dicens : « Quare vaticinaris, » etc. *Hier.*, XXXII, 5.

Cum legisset Baruch verba quæ scripserat ex ore Hieremiæ coram Joachim rege Juda, fecit rex in ignem projici volumen, quia dicebatur ibi veritas de civitate Hierusalem capienda, et præcepit rex Baruch et Hieremiam comprehendi : sed, Deo volente, tunc non fuerunt inventi, *Hierem.*, XXXVI. Postmodum vero, cum iterum prophetaret captionem civitatis, missus fuit in lacum, ubi non erat aqua, sed lutum, et descendit Hieremias in cœnum. *Hier.*, XXXVIII.

Pro eo quod Daniel probavit Bel et draconem non esse Deos, Babylonii convenerunt adversus eum ad regem, et procuraverunt Daniel mitti in lacum leonum. *Dan.*, XIV.

Ex bonis et veris sermonibus Eleazari, hi qui eum trahebant ad supplicium, et paulo ante fuerant mitiores, in iram versi sunt. II *Mach.*, VI.

Quia Joannes Baptista dicebat Herodi : « Non licet tibi habere uxorem fratris tui ; » fecit eum Herodes incarcerari, et postea decollari. *Matth.*, XIV ; *Mar.*, VI.

Cum Dominus increparet de multis hypocri-

Digitized by Google

tas Pharisæos, cœperunt ei graviter insistere et os ejus opprimere, de multis insidiantes ei, et quærentes rapere aliquid ex ore ejus, ut accusarent eum. *Luc.*, XI.

Pharisæi cæco nato, a Domino illuminato, maledixerunt, et extra synagogam ejecerunt, pro eo quod veritatem constantissime fatebatur. *Joan.*, IX.

Principes sacerdotum, audientes verba Apostolorum de doctrina Christi, dissecabantur, et cogitabant interficere illos, et « cæsis denuntiaverunt, ne amplius loquerentur in nomine Jesu : et illi ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » *Act.*, V, 40, 41.

Audientes Judæi verba beati Stephani, « dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum, et ejicientes eum extra civitatem lapidabant. » *Act.*, VII, 54, 57.

Multos et magnos habuit adversarios beatus Paulus, pro verbis veritatis et sobrietatis, quæ ipse hominibus loquebatur. *Act.*, IX, et deinceps. Item, ad *Gal.*, IV, 16 : « Ego inimicus, vobis factus (*a*) sum, vobis verum dicens. »

CAPUT LXVII.

De mendacio.

Primum mendacium fuit a serpente prolatum, quando dixit mulieri : « Nequaquam moriemini. » *Gen.*, III, 4.

Sara, timore perterrita, a risu se mendaciter excusavit. *Gen.*, XVIII.

Etiam fornicatores mendacium dicere dedignantur, sicut Judas, qui dixit : « Mendacii arguere nos non poterit. » *Gen.*, XXXVIII, 23.

Mendacium obstetricum, quod dixerunt Pharaoni, filios Hebræorum jugulare nolentes, habuit remunerationem temporalem, et non æternam, licet fuerit illud mendacium valde officiosum. *Exod.*, I.

Multoties voluit Pharao decipere Moysen per mendacium; sed tandem nihil ei profuit. *Exod.*, IX et X.

Sedens et flens, dixit populus in deserto, *Num.*, XI, 5 : « Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, » etc. Tamen nimis care emebant ea, quæ in Ægypto habebant.

Callide cogitantes Gabaonitæ voluerunt Josue mendaciter decipere ; sed ille bono usus est consilio, eos in servitutem redegit, nec initum fœdus rupit. *Jos.*, IX.

Nunquam mendacium licet dicere; sed veritatem licet et expedit quandoque tacere, sicut fecit Samuel dicens, I *Reg.*, XVI, 2 : « Ad immolandum Domino veni. » Ad aliud enim principaliter venerat ; et nihilominus hoc facere proponebat.

Dixit Saul servos suos conjurasse adversum se, quia non capiebant David, et dixit David servum suum insidiari sibi : et ipse vere insidiabatur ei. I *Reg.*, XXII.

Occiso uno (*b*) filio David, fama pervenit ad ipsum David, dicens : « Percussit Absalom omnes filios regis. » II *Reg.*, XIII, 30. Sic faciunt homines sæpe, nuntiando rumores.

Officiose mentitus est Chusai Absalom, dicens : « Sicut parui patri tuo, sic parebo, » etc. II *Reg.*, XVI, 19.

Vir Dei, qui prædixit Jeroboam destructionem altaris sui, per falsi prophetæ mendacium seductus fuit, et mandatum Domini præterivit. III *Reg.*, XIII.

Duo falsi testes producti contra Naboth fuerunt causa lapidationis ejus. III *Reg.*, XXI.

Spiritus mendax in ore malorum prophetarum decepit Achab, ut iret ad pugnam, et ibidem fuit percussus ad mortem. III *Reg.*, XXII.

Per verba, quæ dixit Judith Holopherni, decepit eum, licet excusetur per intentionem quam habuit. *Judith*, XI et XII.

Pessimum mendacium adinvenit Aman, ut posset confundi Mardochæus, qui illum adorare nolebat. *Esther*, III.

Accesserunt ad Hieremiam principes, et vulgus quod remanserat post destructionem Hierusalem, et dixerunt se facturos quidquid ille præciperet eis, sive bonum, sive malum; sed largam promissionem male tenuerunt. *Hier.*, XLII.

Perniciosum et detestabile mendacium dixerunt duo senes presbyteri adversus Susannam, quam tamen ex constantissima castitate commendare debebant. *Dan.*, XIII.

Antiochus rex misit principem tributorum in civitates Juda, et venit in Hierusalem, et locutus est ad eos verba pacifica in dolo, et crediderunt ei, et præcucurrit super civitatem repente, et percussit eam plaga, etc. I *Mach.*, I.

Cum obsideret Antiochus Eupator civitatem Hierusalem, nec posset capere eam, misit ad eos qui erant intus pacem facere. Et receperunt illam, et juravit illis rex et principes, sed rupit

(*a*) *Cæt. edit. non habent* vobis factus. — (*b*) *Al.* unico.

Digitized by Google

citius juramentum, et mandavit destrui murum, etc. I *Mach.*, VI.

Alcimus, qui volebat fieri summus sacerdos, dixit regi Demetrio : « Perdidit Judas et fratres ejus amicos tuos, » etc. I *Mach.*, VII, 6. Deinde venit Alcimus in terram Juda cum Bacchide, et miserunt nuntios ad Judam et fratres ejus, et locuti sunt verbis pacificis in dolo, et tandem probatum est, quod non erat in eis veritas et judicium. I *Mach.*, VII.

Promisit rex Demetrius Jonathæ, quod redderet ei arcem; sed cum liberatus fuisset per Judæos quos misit ei Jonathas, mentitus est Demetrius omnia quæcumque dixit, et alienavit se a Jonatha, etc. I *Machab.*, XI.

Misit Simon Tryphoni centum talenta argenti, et duos filios Jonathæ pro liberatione ipsius, quia promiserat Tryphon remittere Jonathan, si hoc fieret ei : sed mentitus est ei Tryphon, quia argentum retinuit, et patrem cum filiis interfecit. II *Mach.*, XIII.

Mentiti sunt contra Dominum Jesum Christium Judæi, præcipue Scribæ et Pharisæi, qui magis invidebant ei dicentes esse peccatorem, potatorem, mendacem, et voracem, prohibentem dari tributa Cæsari, gentis subversorem, et turbæ seductorem, dæmoniacum, et blasphemum.

Nequissimum mendacium excogitaverunt Judæi, quando corruperunt custodes dominici sepulcri, ut dicerent, quod discipuli nocte furati erant corpus Domini. *Matth.*, XXVIII.

Ananias, et uxor ejus Saphira, mentiti sunt Petro de pretio agri venditi; quod mendacium fuit per Petrum gravissime vendicatum. *Act.*, V.

Judæi statuerunt duos falsos testes contra beatum Stephanum, dicentes : « Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, et legem. » *Act.*, VI, 13.

Contra beatum Paulum multa adinventa sunt mendacia. Nam illi quæstuarii, qui habebant puellam pythonissam in Philippis, a qua Paulus spiritum pythonem ejecerat, dixerunt magistratibus civitatis : « Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi, et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere. » *Act.*, XVI, 20.

Item apud Athenas dicebant quidam : « Quid vult seminiverbius hic dicere? » Alii vero dicebant : « Novorum dæmoniorum annuntiator esse videtur. » *Act.*, XVII, 18.

Rursus etiam Hierosolymis quidam Judæi injecerunt ei manus clamantes : « Viri Israelitæ, adjuvate. Hic est homo qui adversus populum, et legem, et locum hunc omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. » *Act.*, XXI, 28.

Postea coram Felice præside Tertullus orator Judæorum dixit eum hominem pestiferum, et concitantem seditionem Judæis in universo orbe. *Act.*, XXIV.

Præterea in insula Melitæ, videntes Barbari viperam in manu Pauli pendentem, dicebant ad invicem : « Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio eum vivere non sinit. » *Act.*, XXVIII, 4.

Testatur etiam ipse Paulus de seipso, *Rom.*, III, 8 : « Aiunt quidam nos dicere : Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa est. »

Item, II *Cor.*, X, 10, dicebant quidam Judæi : « Epistolæ graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis, » etc.

CAPUT LXVIII.

De proditione.

Patiente Saule vexationem a dæmone, David coram ipso psallebat, et ille nisus est eum configere parieti cum lancea quam tenebat, I *Reg.*, XVIII et XIX.

Saul promisit se daturum filiam suam David, ut per occasionem posset a Philisthæis occidi, I *Reg.*, XVIII.

Salvavit David habitatores Ceilæ ab exercitu Philisthinorum oppugnantium civitatem, et voluerunt eum tradere Sauli, ipsum ad mortem quærenti, I *Reg.*, XXIII.

Postquam Saul fleverat quasi dolore de persecutione David, et David ei juraverat, persecutus est ipse Saul David ita nequiter et acriter, sicut primo fecerat, I *Reg.*, XXIV, et deinceps.

Urias detulit ad Joab, ex parte David, litteras mortis suæ. II *Reg.*, XI.

Amnon filius David vocaverat sororem suam Thamar, quasi de manu illius cibum sumere deberet, et postea oppressit eam. II *Reg.*, XIII.

Vocavit Absalon ad convivium fratrem suum Amnon, et ibidem occidit eum. II *Reg.*, XIII.

Cum salutasset Joab Amasam, quasi osculari eum vellet, percussit eum in latere, et effudit intestina illius. II *Reg.*, XX.

Zambri, dux mediæ partis equitum, occidit

Digitized by Google

Ela dominum suum, et regnavit post eum septiem diebus tantum; obsessus enim fuit, et succendit se, et palatium in quo erat. III *Reg.*, XVI.

Sellum filius Jabes conjuravit contra Zachariam regem Israel dominum suum, et interfecit eum, et regnavit pro eo uno mense tantum. IV *Reg.*, XV.

Cum adoraret in templo Sennacherib Deum suum, duo filii sui percusserunt eum; sed tamen neuter eorum regnavit pro eo post illum. IV *Reg.*, XIX.

Quidam inimici Nehemiæ voluerunt fœdus cum eo malitiose percutere, et cogitabant facere ei malum. Dederunt etiam pretium, ut eum ducerent in peccatum. *Nehem.*, VI.

Duo janitores regis Assueri, qui in primo palatii limine præsidebant, voluerunt in regem insurgere, et occidere eum. *Esther*, II.

Venit Ismael filius Nathaniæ, et multi alii cum eo, et comederunt cum Godolia, quem præfecerat rex Babylonis terræ Juda, et post prandium surrexerunt, et occiderunt eum, qui nihil mali voluerat credere contra illos. *Hier.*, XLI.

Antiochus rex misit principem tributorum in civitates Juda, et venit in Hierusalem, et locutus est cum eis, qui erant intus, verba pacifica in dolo; et crediderunt ei : et irruit repente super civitatem, et percussit eam plaga, etc. I *Mach.*, I.

Cum obsideret Antiochus Eupator Hierusalem, nec posset eam capere, misit ad illos, qui intus erant, pacem facere, et receperunt illam, et juravit eis rex; sed rupit citius juramentum, et mandavit destruere muros in gyro. I *Mach.*, VI.

Ptolemæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi sui dolo, et cum intraret civitates Alexandri cum magno exercitu, et reciperetur in eis honorifice de mandato Alexandri, ponebat custodias militum in eis. II *Mach.*, XI.

Videns Tryphon quod Jonathas venit cum exercitu magno et multo, jussit retineri paucos, et alios remitti : et cum factum fuisset, captus est Jonathas cum mille viris quos retinuerat, et alii sunt reversi. II *Mach.*, XII.

Cum ambularet Tryphon cum rege Antiocho adolescente domino suo, dolo occidit eum, et regnavit loco ejus. *Mach.*, XIII.

Ptolemæus filius Abobi gener summi sacerdotis, fecit convivium Simoni, et duobus filiis ejus, et cum inebriati essent, occidit eos. I *Mach.*, XVI.

Cum venisset Apollonius Hierosolymam pacem simulans, quievit usque in diem sabbati : et tunc feriatis Judæis ingentem multitudinem peremit. II *Machab.*, V.

Audiens Judas Machabæus, quod illi qui obsidebant turres, ubi erant inimici gentiles, pecuniam receperant (*a*), et quosdam abire permiserant, illos tanquam proditores, et fratrum venditores, interfecit, et confestim turres occupavit. II *Mach.*, X.

Omnes alias proditiones in nequitia et perversitate superat illa, quam facinorosissimus Judas contra Dominum procuravit, quod Dominum et magistrum suum vendidit pro tantillo pretio, et in manus hostium tradidit osculando. *Matth.*, XXVI; *Marc.*, XIV; *Luc.*, XXII; *Joan.*, XVIII.

Accesserunt quidam Judæi ad principem sacerdotum et seniores, dicentes eis, ut facerent quod tribunus Lysias, qui Paulum tenebat vinctum, adduceret eum in medium, tanquam essent de eo aliquid certius cognituri. Ipsi vero statim parati erant interficere illum. *Act.*, XXIII.

CAPUT LXIX.

De adulatione.

Core et complices ejus, cum stetissent adversus Moysen et Aaron, dixerunt : « Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. » In quo apparet, quod captabant benevolentiam populi. *Num.*, XVI, 3.

Adolescens, narrans mortem Saul et filiorum ejus, occisus fuit de mandato ipsius David : putabat autem se prospera nuntiare. II *Reg.*, I.

Duo latrones, quod filium Saul Isboseth occiderunt, et caput ejus attulerunt ad David, placere ei crediderunt; sed David bene ostendit, quod sibi displicuit. II *Reg.*, IV.

Dicebat Absalon homini negotium habenti coram rege David : « Videntur mihi sermones tui boni et justi, et non est qui te audiat constitutus a rege. » II *Reg.*, XV, 3.

Mali prophetæ dicebant Achab regi Israel de bello futuro prospera, sed quæ illum velle sciebant. III *Reg.*, XXII.

Post obitum Joiadæ sacerdotis, principes Juda adoraverunt regem, qui delinitus obsequiis eorum acquievit eis, et dereliquerunt

(*a*) *Cæt. edit.* receperint.

Digitized by Google

templum Domini, servieruntque lucis et sculptilibus. II *Paral.*, XXIV.

Ædificantibus templum filiis Juda post reditum de captivitate, hostes eorum scripserunt Artaxerxi regi : « Nos memores salis, quod comedimus in palatio, et quia læsiones regis videre nefas ducimus, » etc. I *Esdr.*, IV, 14.

Nabuchodonosor dixit majoribus natu, et ducibus bellatorum suorum, cogitationem suam esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. Quod cum placuisset omnibus, etc. *Judith*, II.

Rex Assuerus, iratus contra Vasthi reginam, interrogavit sapientes consiliarios suos, cui sententiæ Vasthi subjaceret : qui non temperaverunt regis furorem, nec excusaverunt absentem, sed respondit unus : « Regis justa est indignatio. » *Esth.*, I, 18.

Amici Aman et uxor ejus, advertentes pessimum animum quem habebat erga Mardochæum, non increpaverunt eum, sed dixerunt : « Jube parari excelsam trabem, » etc. *Esth.*, V, 14.

Principes et satrapæ Darii regis Persarum, cupientes quod res iniquum statueret decretum, proposuerunt aliquid, quod videbatur pertinere ad honorem ipsius. *Dan.*, VI.

Alcimus, proditor impius, quod volebat fieri summus sacerdos, dixit regi Demetrio : « Perdidit Judas et fratres ejus amicos tuos. » Sequitur postea, quod Alcimum hunc constituit rex in sacerdotio, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. I *Machab.*, VII, 6.

Recedentibus discipulis Joannis, cœpit contra illos qui palam laudant, et occulte detrahunt, Dominus ipsum mirabiliter commendare. *Matth.*, XI.

Pharisæi, volentes capere Christum Dominum in sermone, cœperunt magnas laudens ei dicere : « Magister, scimus quia verax es, » etc. *Matth.*, XXII, 16.

Videns Herodes Agrippa rex magnus, quia placeret Judæis hoc, quod quosdam de Ecclesia ceperat, apposuit apprehendere et Petrum, etc. *Act.*, XII, 3.

Herodi nequissimo regi, quod occiderat Jacobum, et incarceraverat Petrum, « populus acclamabat : Voces Dei, et non hominis. » *Act.*, XII, 22.

Orator Tertullus, contra Paulum a principe sacerdotum adductus, in principio orationis adulatus est Felici præsidi. *Act.*, XXIV.

CAPUT LXX.

De derisione et convictis.

Viri Sochot et Phanuel deriserunt Gedeonem Zebee et Salmana (*a*) persequentem ; sed inde male eis accidit, quia male eos postea tractavit. *Judic.*, VIII.

Contempsit Nabal verba nuntiorum David stomachando, dicens : « Quis est iste David, et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. » I *Reg.*, XXV, 10.

Michol, videns regem David saltantem ante arcam Domini, despexit eum, et postmodum insultando vel deridendo dixit ei : « Quam gloriosus fuit hodie rex, » etc. II *Reg.*, VI, 20.

Derisorie vel ironice dixit impia Jezabel ad Achab : « Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. » IV *Reg.*, XXI, 7.

Quia pueri illuserunt Eliseo dicentes : « Ascende, calve, » duo ursi laceraverunt quadraginta duos ex eis. » IV *Reg.*, II, 23 et seq.

Cursores quos misit Ezechias, pergebant velociter de civitate in civitatem prædicantes, ut filii Israel reverterentur ad Dominum, illis irridentibus et subsannantibus eos. II *Paralip.*, XXX.

Mittebat Dominus prophetas quotidie commonens, eo quod parceret populo et habitaculo suo : at illi subsannabant nuntio Domini, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis. II *Paral.*, XXXVI.

Sannabalath et Tobias audierunt, quod ædificabatur murus Jerusalem, et irridebant Judæos ædificantes. *Nehem.*, III et IV.

Excæcato Tobia, parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes : « Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? » *Tob.*, II, 16.

Videns Nicanor holocausta, quæ offerebantur a Judæis pro rege, irridens sprevit eos, et polluit, et locutus est superbe, etc. I *Mach.*, VII.

Antiochus, crudelis tyrannus, ex verbis septimi fratris « accensus ira in illum, super omnes crudelius desæviit, indigne ferens derisum se. » II *Mach.*, VII, 39.

Derisus fuit multipliciter Dominus Jesus Christus ; require in rubrica *de Patientia et Mansuetudine* [1].

Quidam Judæi, videntes discipulos Domini

[1] Vid. inf., c. LXXIX.

(*a*) *Cæt. edit.* Salinana.

Digitized by Google

loquentes variis linguis post effusionem Spiritus sancti, irridebant dicentes : « Quia musto sunt pleni isti. » *Act.*, II, 13.

Cum audissent Athenienses resurrectionem mortuorum, quam annuntiabat Paulus, quidem irridebant; quidam vero dixerunt : « Audiemus te de hoc iterum. » *Act.*, XVII, 32.

CAPUT LXXI.

De detractoribus et maledicis.

Impie detraxit Joseph innocenti et pudico domina ejus apud virum suum. *Gen.*, XXXVIII.

« Cui dubium est, quod pessime cogitetis? » dixit Pharao Moysi, *Exod.*, X, 10 : per quod patet pessimos homines quandoque viris optimis inique imponere, et falsa cum multa audacia affirmare.

Locuta est Maria et Aaron adversus Moysen, modica occasione assumpta; sed cito secuta est ultrix pœna. *Num.*, XII.

Detraxerunt filii Israel terræ promissionis in malum suum. *Num.*, XIV.

Occasiones seditionis Core et complicum ejus, fuerunt multi terribiliter occisi, et post murmuravit multitudo contra Moysen et Aaron, dicens : « Vos interfecistis populum Domini, » etc. *Num.*, XVI, 41.

Quamvis esset malus Balaam, tamen dixit, quod nequaquam malediceret populo, cui benedixerat Dominus, *Num.*, XXII, 8 : et quoad hoc multi inveniuntur deteriores illo, quod libentius et frequentius maledicunt et detrahunt bonis, quam perversis.

Saul fuit in principio valde bonus, et tamen dixerunt quidam filii Belial : « Num salvare nos poterit iste ? » I *Reg.*, X, 27.

Occasione Doeg Idumæi deferentis Sauli, quod Achimelech sacerdos confortaverat David, occidit Saul octoginta quinque viros portantes ephod, et multos alios parvulos et mulieres. I *Reg.*, XXII, 18.

Satrapæ Philisthinorum procuraverunt apud Achis regem Geth, quod David, qui judicio ejus bonus erat, fuit amotus de honesto officio, in quo eum posuerat. I *Reg.*, XX, IX.

Adolescentem, narrantem Saul et filiorum ejus mortem, jussit David interfici; tamen putabat se ille prospera nuntiare.

Principes filiorum Ammon dixerunt ad dominum suum : « Putas quod propter honorem patris tui, David miserit ad te consolatores, » etc. II *Reg.*, XI, 3 : et sic perverterunt simplicem et puram intentionem David.

Absalon ambiens regnum, dicebat habenti negotium coram rege : « Non est qui te audiat constitutus a rege, » etc. II *Reg.*, XV, 3.

Siba, servus Miphiboseth, nequiter detraxit domino suo apud David, et fides nimis cito fuit adhibita prius illius verbis. II *Reg.*, XVI.

Ædificantibus templum filiis Juda, qui redierant de Babylone, hostes eorum inique miserunt epistolam Artaxerxi regi, ut opus faceret intermitti. I *Esdr.*, IV.

Dum Sara filia Raguelis increparet unam de ancillis pro culpa sua, respondit : « Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum, » etc. *Tob.*, III, 9.

Occasione solius Mardochæi, qui superbissimum Aman adorare nolebat, ipse Aman suggessit regi Assuero, quod populus Judæorum regis jussa contemneret, et per totum regnum discordias seminaret ita quod omnes fuerunt adjudicati morti, sed divina pietas de eorum liberatione providit. *Esth.*, II et deinceps.

Quia Jeremias prædicabat capiendam esse civitatem Jerusalem a Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi : « Homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. » *Jerem.*, XXXVIII, 4.

Accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos, dicentes Nabuchodonosor regi, quod socii Danielis non adorabant deos ejus, et erant transgressores regii decreti. *Dan.*, III.

Principes et satrapæ Darii regis Persarum, invidentes Danieli, accusaverunt eum apud regem, quod ipse obsecrabat et adorabat alium Deum, quam ipsum regem Darium. *Dan.*, VI.

Duo illi senes presbyteri conati sunt Susannam turpiter infamare; sed deus eam mirabiliter per abstinentem puerum liberavit. *Dan.*, XIII.

Alcimus, qui volebat fieri summus sacerdos, et quidam alii iniqui dixerunt regi Demetrio : « Perdidit Judas et fratres ejus amicos tuos, et nos disperserunt de terra nostra : nunc ergo mitte virum cui credis, » etc. I *Mach.*, VII, 6.

Convenerunt adversus Jonatham viri pestilentes ex Israel, ut interpellarent regem Alexandrum adversus eum, et non intendit ad eos rex. I *Mach.*, X.

Simon de tribu Benjamin, præpositus templi,

Digitized by Google

venit ad Apollonium, et dixit ærarium pecuniis innumerabilibus esse plenum. II *Mach.*, III.

Prædictus etiam Simon male loquebatur de Onia, provisoremque civitatis, ac defensorem gentis suæ, ac æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. I *Mach.*, 4.

Veniens ad regem Demetrium Alcimus dixit inter cætera : « Quamdiu superest Judas, impossibile est pacem dari negotiis. » II *Mach.*, XIV, 10.

Videntes Pharisæi Dominum discumbentem in domo Matthæi, dicebant: « Quare cum publicanis et peccatoribus manducat? etc. *Matth.*, IX, 11, et *Luc.*, V, 30. Simile accidit de Zachæo, *Luc.*, XIX, 7 : « Murmurabant quod ad hominem peccatorem divertisset. »

De Joanne multum jejunante dicebant quidam Judæi : « Dæmonium habet. » De Domino autem Jesu, cum peccatoribus comedente, dicebant : « Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. » *Matth.*, XI, 18, 19.

Viso miraculo de cœco nato, per Dominum Jesum illuminato, Pharisæi detraxerunt Domino dicentes : Nos « scimus, quia hic homo peccator est. » Et maledixerunt homini illi, et dixerunt : « Tu discipulus ejus sis : » quæ quidem maledictio sit super nos, et super filios nostros. *Joan.*, IX, 26, 28.

Scribæ et Pharisæi detraxerunt Domino Salvatori dicentes eum esse Samaritanum, dæmoniacum, blasphemum, peccatorem, potatorem, mendacem. voracem, prohibentem dari tributa Cæsari, gentis subversorem, et populi seductotem : hæc omnia possunt ex diversis locis Evangeliorum haberi.

Non valentes Judæi resistere sapientiæ Stephani, et spiritui qui loquebatur per eum, adduxerunt in concilium duos falsos testes dicentes : « Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum et legem. » *Act.*, VI, 13.

Quidam quæstuarii, dolentes quod amiserant quæstum suum, eo quod Paulus ejecerat spiritum Pythonem a quadam puella, quam illi habebant, dixerunt magistratibus : « Hi homines conturbant civitatem nostram, » etc., *Act.*, XVI. Ad verba eorum prava cucurrit (*a*) plebs adversus illos, et scissis eorum tunicis jussi sunt virgis cædi, et in carcerem mitti.

Gallione proconsule in Achaia existente insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt ad tribunal dicentes: « Quia contra legem homo hic persuadet hominibus colere Deum. » *Act.*, XVIII, 13.

Apud Ephesum, cum quidam Judæi indurarentur, et non crederent maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis Paulus segregavit discipulos. *Act.*, XIX.

Quidam Judæi de Asia, videntes Paulum in templo, clamaverunt : « Viri Israelitæ, adjuvate : hic est homo, qui adversus populum et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. » *Act.*, XXI, 28.

Coram Felice præside proposuit contra Paulum Tertullus orator pro Judæis dicens : « Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones Judæis omnibus in universo orbe, et auctorem (*b*) seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam templum conatus est violare, » etc., *Act.*, XXIV, 15.

Disputante Paulo apud Athenas, quidam Epicurei et Stoici philosophi dicebant : « Quid vult seminiverbius hic dicere? » Alii vero dicebant : « Novorum dæmoniorum videtur esse annuntiator, » etc. *Act.*, XVII, 18.

Barbari, videntes viperam pendentem in manu Pauli, dixerunt ad invicem : « Utique homicida est homo, qui cum evaserit de mari, ultio eum vivere non sinit. » *Act.*, XXVIII, 4. Sed cito postea mutaverunt opinionem (*c*).

CAPUT LXXII.

De liberalitate, misericordia et largitate.

Rebecca filia Batuelis valde liberaliter respondit famulo Abrahæ, dicens : « Bibe, domine mi, » etc., *Gen.*, XXIV, 18.

Liberaliter egit Moyses defendendo filias Raguel a pastoribus, qui eas adaquare pecora non sinebant. *Exod.*, II.

Audiens Moyses quod socer suus Jethro veniret ad eum, egressus est in occursum ejus, et ipsum multipliciter honoravit. *Exod.*, XVIII.

Filii Israel mente promptissima atque devota obtulerunt ad faciendum opus tabernaculi, et quidquid ad cultum Dei et vestes sanctas necessarium erat. *Exod.*, XXXV, 21. Et sequenti capitulo dicitur, XXXVI, 4 : « Artifices venire compulsi dixerunt Moysi : plus offert populus, quam necessarium est. »

Petiit Moyses a rege Edom : « Obsecramus,

(*a*) *Cæt. edit.* concurrunt. — (*b*) *Item* actorem. — (*c*) *Item* oppositionem.

Digitized by Google

ut nobis liceat transire per terram tuam : non ibimus per agros neque per vineas, nec bibemus aquam de puteis tuis, sed, » etc., *Num.*, XX, 17.

Gedeon petiit a viris Sochoth et Phanuel panes pro commilitonibus fatigatis; qui dare renuerunt : sed male inde accidit eis. *Judic.*, VIII.

Nabal illiberaliter se habuit ad David petentem aliquid sibi dari. I *Reg.*, XXV.

Obtenta victoria de Amalechitis, David misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens : « Accipite benedictionem, » etc., I *Reg.*, XXX, 26.

Præcepit David ut Miphiboseth comederet panem in mensa sua semper, et totam domum Saul dedit ei. II *Reg.*, IX.

Fugienti David a facie Absalom, Sobi et Machir, et Berzellai, obtulerunt ei multa exercitui suo necessaria, II *Reg.*, XVII. Quia (*a*) Berzellai astitit David, quando fugiebat Absalom filium suum, obtenta victoria, David retinuit filium illius, et de familia sua fecit illum. II *Reg.*, XIX.

Regina Saba multa obtulit Salomoni, et Salomon dedit omnia quæ petivit, exceptis his quæ ultro obtulerat ei munere regio. III *Reg.*, X, 10, 13.

Ea tempestate qua regnavit Achaz in Judæa, Phacee filius Romeliæ multos occidit et cepit de viris Juda; quidam autem boni viri de Israel captivos nudos vestierunt, et illos qui ambulare non poterant, imposuerunt jumentis, et duxerunt ad fratres eorum. II *Paral.*, XXVIII.

Rex Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor, et remisit ea in Hierusalem : fuerunt autem vasa aurea et argentea quinque millia quadringenta. I *Esdr.*, I.

Redeuntes de Babylone filii Juda obtulerunt sponte, secundum vires suas, ad extruendam domum Domini. I *Esdr.*, II.

Præcepit rex Darius, ut ædificaretur in Hierusalem domus Domini, et darentur sumptus de arca regis, licet quidam æmuli per litteras opus impedire laborabant. I *Esdr.*, VI.

Gratiosam et liberalem epistolam dedit Artaxerxes rex Esdræ sacerdoti venienti in Hierusalem ad consolandum Judæos. I *Esdr.*, VII.

Rex Artaxerxes liberaliter se habuit ad Nehemiam venientem in Judæam, et dedit ei epistolas quales petierat. *Nehem.*, II.

Nehemias valde liberalis fuit legatus, qui populum annona et exactionibus non gravavit, et illis ad quos venit plurima bona fecit. *Nehem.*, V.

Tobias omnia, quæ habere poterat, « concaptivis fratribus, qui erant de genere suo, impertiri studebat, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat. » *Tob.*, I, 3.

Raguel tradidit Tobiæ juniori Saram filiam suam, et dimidiam partem substantiæ. *Tob.*, X, 10.

Tobias Junior multum fuit gratus Azariæ, quem hominem putabat, et valde bene recognovit beneficia, quæ ab eo receperat; et exinde pater et filius mediam partem omnium bonorum illi liberaliter obtulerunt. *Tob.*, XII.

Rex Assuerus « jussit præparari convivium permagnificum pro conjunctione et nuptiis Esther, et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem. » *Esth.*, II, 18.

Videns Esther reginam rex Assuerus, dixit ei : « Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. *Esth.*, V, 3.

Quæsivit rex Assuerus quid honoris ac præmii consecutus esset Mardochæus pro fide quam erga ipsum servaverat. Cumque intellexisset eum nihil accepisse mercedis, fecit eum magnifice honorari. *Esth.*, VI.

Filii Job, facientes convivia « unusquisque in die suo, vocabant sorores suas, ut comederent et biberent cum eis. » *Job*, I, 4.

Pium et misericordem se fuisse ad pauperes, ostendit beatus Job, XXIX, 13 et seq., dicens : « Cor viduæ consolatus sum. Pater eram pauperum, » etc. Item, XXXI, 17 et seq. : « Si comedi buccellam meam solus : quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, » etc.

Magister militiæ regis Babylonis dedit cibaria et munuscula Hieremiæ, et dimisit eum quocumque vellet ire, promittens ei multam humanitatem, si vellet cum eo pergere in Babylonem, *Hier.*, XL, et nihilominus dedit ei liberalem facultatem remanendi ibidem.

Seleucus rex de reditibus (*b*) suis tempore Oniæ summi pontificis præstabat « omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. » II *Mach.*, III, 3.

« Apertis thesauris suis, » non parvis loculis, in quibus oboli reponuntur, « obtulerunt Magi » Domino pauperi « aurum, thus, et myrrham. » *Matth.*, II, 11.

Magnificus et largus remunerator est Domi-

(*a*) *Cæt. edit.* qui. — (*b*) *Item* hereditatibus.

Digitized by Google

nus, qui relinquentibus propter se bona temporalia reddit centuplum in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro. *Matth.*, XIX, 29; *Marc.*, X, 30; *Luc.*, XVIII, 30.

Ex pia liberalitate proveniebat, quod Dominus discipulos spicas vellentes sabbatis, et manibus confricantes, contra Pharisæos maledicos defendebat. *Matth.*, XII; *Luc.*, VI.

Fons liberalitatis Dominus peccatores respiciebat ad convescendum, et colloquendum, et ad osculandum. De primo et secundo, exemplum de Matthæo, *Matth.*, IX; *Luc.*, V. Item de illis publicanis, et peccatoribus, qui appropinquabant ad eum, ut audirent illum, *Luc.*, XIX. Item de Zachæo, *Luc.*, XIX. De tertio exemplum de Maria, quæ osculabatur pedes ejus, *Luc.*, VII. Item de Juda, *Matth.*, XXVI; *Marc.*, XIV; *Luc.*, XXII, propter quod benignitatis signum, infelix citius resipiscere debuisset.

Secutæ sunt turbæ pedestres Dominum Jesum, de civitatibus in desertum. Vespere autem facto, dixerunt ei discipuli : « Dimitte turbas ut euntes emant sibi escas. » Ipse vero tanquam liberalis respondit : « Date illis vos manducare, » etc. *Matth.*, XIV, 15, 16.

Distribuendo et restituendo largus fuit Zachæus, cum dixit ad Dominum : « Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudari, reddo quadruplum. » *Luc.*, XIX, 8.

Donum pauperculæ mulieris viduæ quæ misit duo æra minuta in gazophylacium, præfertur a Domino muneribus divitum. *Luc.*, XXI, 2, 3.

Valde liberalis fuit Dominus latroni pendenti, et petenti : « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. » Et dixit illi Jesus : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. » *Luc.*, XXIII, 42, 43.

Benignitatem et liberalitatem dignatus est Dominus ostendere, quando vocatus ad pauperes nuptias ivit, et ibidem aquam in vinum convertit, ut exhilararet pauperes discumbentes. *Joan.*, II.

Magna Dei liberalitas apparet in illa similitudine de servo nequam, cui dixit dominus : « Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. » *Matth.*, XVIII, 32.

Joseph qui cognominatus est Barsabas, cum haberet agrum, vendidit illum, et attulit pretium, et posuit ante pedes apostolorum. *Act.*, IV, 1.

Audientes discipuli, qui erant Antiochiæ, quod fames valida futura erat in universo orbe, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus fratribus in Judæa : quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. *Act.*, XI.

Quædam mulier purpuraria, nomine Lydia, baptizata ad prædicationem Pauli, valde liberaliter et devote rogavit, imo coegit Paulum et socios ejus manere in domo sua. *Act.*, XVI, 15.

Cum evasissent Paulus, et socii ejus, de navi fracta tempore hyemali, Barbari non modicam humanitatem præstabant eis. Accensa enim pyra reficiebant eos, propter imbrem, quia imminebat frigus. *Act.*, XXVIII, 1, 2.

Publius princeps insulæ Melitæ, ad quam Paulus et socii ejus post tempestatem venerunt, suscipiens eos triduo, benigne exhibuit. Paulus autem patrem febribus et dysenteria laborantem sanavit. *Act.*, XXVIII, 7, 8.

Apparet Paulum erga pauperes valde liberalem fuisse, quorum negotia tam sollicite procurabat, (*a*) ut patet de collectis quas diligentissime fieri procurabat, (*b*) I *Cor.*, XVI, 4 : « Si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt. » Item, II *Corinth.*, IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet, » etc.

Mira liberalitas et gratitudo fuit in Paulo, qui pro quodam Onesimo servo Philemonis fugitivo, scripsit litteras tam affectuosas, efficaces et devotas, ut patet, *ad Philemonem*, 17, 18 : « Si habes me socium, ait, suscipe illum sicut me; si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa, » etc.

CAPUT LXXIII.

De avaritia.

Multa possunt notari in hoc, quod Cain, qui interpretatur *possessio*, occidit Abel fratrem suum. *Gen.*, IV.

Cain primus legitur ædificasse civitatem, sed non Abel, *Gen.*, IV, quia sancti non habent « hic manentem civitatem, sed futuram » inquirunt, ut testatur Apostolus. *Hebr.*, XIII, 14.

Propter multam substantiam quam Abraham et Loth habebant, non potuerunt pariter habitare, et cœperunt pastores eorum ad invicem litigare. *Gen.*, XIII.

Abundantia rerum temporalium frequenter est gravium occasio peccatorum, sicut patet de Sodomitis, peccatoribus pessimis. *Gen.*, XIII et XIX.

(*a*) *Cæt. edit. add.* ita. — (*b*) *Item* ita ut patet.

Digitized by Google

Postquam creverat Isaac, et locupletatus fuerat, pastores sui, et vicinorum suorum, jurgari cœperunt. *Gen.*, XXVI.

Odium avaritiæ, plusquam cæterorum vitiorum, debent habere judices, et prælati : ideo signanter dixit Jethro de judicibus, *Exod.*, XVIII, 21 : « Oderint avaritiam. »

Pauci sunt hodie clerici, qui faciant oblationes populo prohiberi, sicut fecerunt illi, qui operibus tabernaculi præsidebant. *Exod.*, XXXVI, 5-6.

Nuntii Balac perrexerunt ad Balaam habentes divinationis pretium in manibus, et ita fuit cupiditate corruptus. *Num.*, XXII.

Tribus Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse, quia habebant multam substantiam, et pecora, noluerunt transire Jordanem, sed in terra alendis gregibus apta contenti sunt accipere portionem. *Num.*, XXXII.

Cupiditate seductus Achan, de anathemate Jericho sumpsit; sed pro illo lucro damnum terribile reportavit. *Jos.*, VII.

Pro pecunia a Philisthæis promissa, Dalila Samsonem virum suum eis tradidit. *Judic.*, XVI.

De filiis Samuelis dicitur, I *Reg.*, VIII, 3 : « Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium. »

Præcipua causa, vel occasio reprobationis Saul videtur cupiditas fuisse, quam habuit ad prædam Amalech ; unde dixit Samuel ei : « Quare non audisti vocem Domini, sed reversus es ad prædam, et fecisti malum in oculis Domini ? » I *Reg.*, XV, 19.

Nimis tenax fuit Nabal erga David petentem aliquid dari sibi ; propter quod fere totam substantiam, et personam amisit. I *Reg.*, XXV.

Semei exivit de Hierusalem, contra prohibitionem Salomonis, ad requirendum servos suos, qui aufugerant; et ob hanc causam fecit Salomon eum occidi. III *Reg.*, II.

Vinea Naboth, quam concupivit Achab, fuit causa vel occasio, quare duo testes contra eum fuerunt producti, et ille jussus est lapidari. IV *Reg.*, XXI.

Quia Giezi accepit a Naaman id quod Eliseus recusaverat, lepra percussus fuit. IV *Reg.*, V.

Tempore Nehemiæ, erant aliqui ab optimatibus ita usuris oppressi, quod volebant filios suos et filias vendere in servos et ancillas; sed Nehemias illos graviter et utiliter increpavit. *Nehem.*, V.

Obtenta victoria de Arphaxad rege Medorum, a Nabuchodonosor rege Assyriorum, statim regna alia concupivit. *Judith*, I.

Dixit Judas Machabæus commilitonibus suis : « Non concupiscatis spolia, quia bellum contra vos est, et Gorgias et exercitus ejus in monte prope nos. » I *Mach.*, IV, 17.

Ptolemæus rex Ægypti vituperavit Alexandrum suum generum, propterea quod concupierat regnum ejus, cum tamen Alexander illum honorifice recepisset. I *Mach.*, XI.

Adversus Oniam et civitatem sanctam concitavit Simon, de tribu Benjamin, Apollonium et regem Antiochum, dicens : « Ærarium pecuniis innumerabilibus esse plenum. » II *Mach.*, III, 6.

Menelaus per argentum, quod promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium. Deinde per vasa aurea de templo furtive sublata, quæ dedit Andronico, fecit Oniam occidi. Tandem accusatus (*a*) apud regem Ptolomæum, et corrupit eum per pecuniam, et contra accusatores fecit ferri mortis sententiam. II *Mach.*, IV.

Item Menelaus nequam, propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia, et ad insidias civium. II *Mach.*, IV.

Cum quidam Judæi de mandato Machabæi obsiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles, accepta pecunia quosdam effugere permiserunt : quos Machabæus tanquam proditores, et fratrum venditores interfecit. II *Mach.*, X.

Post bellum contra Gorgiam commissum, venit Judas Machabæus cum suis, ut prostratorum corpora sepeliret. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, a quibus lex prohibet Judæos, II *Mach.*, XII. Ob hanc causam ergo creditum est corruisse.

Adolescens qui quæsivit a Domino, quomodo posset habere vitam æternam, « multas habebat possessiones, » et idcirco abiit tristis, ut audivit consilium perfectionis. *Matth.*, XIX; *Marc.*, X; *Luc.*, XVIII.

Sacerdotes Judæorum, volentes quod homines frequenter offerrent, permittebant quod ea, quæ offerri poterant, venderentur in templo, *Matth.*, XXI; *Marc.*, XI; *Luc.*, XIX; *Joan.*, II. Hac etiam de causa dicebant, aurum templi sanctius esse templo, et donum quod erat super altare, majoris esse reverentiæ quam ipsum altare. *Matth.*, XXIII, 17.

(*a*) *Cæl. edit.* accusatur.

Digitized by Google

Cupiditas vel libido lucrandi videtur fuisse principale motivum, quare Judas tradiderit Dominum, *Matth.*, XXVI, 15 : « Quid vultis mihi dare? » etc.

Per pecuniam fuerunt corrupti custodes dominici sepulcri, ut mentirentur Dominum a discipulis suis de nocte furtim fuisse sublatum. *Matth.*, XXVIII.

Dominus Jesus Christus legislator verus noluit se intromittere de divisione hæreditatis terrenæ, cum esset super hoc requisitus. *Luc.*, XII.

Contra eos qui bona temporalia congregant, et multo tempore in illis delectari putant, proposuit Dominus similitudinem de divite, cujus ager uberes fructus attulit, etc. *Luc.*, XII.

Contra divites edaces, et vestibus pretiosis et delicatis utentes, qui ad relevandam indigentiam proximi, sunt tenaces et parci, ponit Dominus exemplum de illo divite epulone. *Luc.*, XVI. Et nota ibi : si ita punitur ille, qui non dedit propria, quid fiet illis, qui rapiunt aliena?

Excusaverunt se, ne irent ad magnam cœnam, ad quam vocati erant, emptores boum et villarum, scilicet mobilium et immobilium possessionum, quia sæpe per talia a cœlesti gloria retrahimur. *Luc.*, XIV.

Pharisæi, qui erant avari, audientes monitiones Domini, quod deberent amici fieri de mammona iniquitatis, deridebant illum. *Luc.*, XVI.

Nimis terribiliter punita fuit Ananiæ avaritia, et Saphiræ, qui de pretio agri venditi partem retinuerunt sibi. *Act.*, V.

Quidam quæstuarii habentes unam puellam pythonissam, a qua Paulus ejecit dæmonium, videntes quod amiserant quæstum suum, apprehenderunt Paulum, et Silam socium ejus, et duxerunt eos ad principes civitatis, accusantes eos, quod civitatem turbarent, et mores illicitos nuntiarent. Magistratus autem, scissis illorum tunicis, fecerunt eos cædi, et in carcerem mitti, et cum diligentia custodiri. *Act.*, XVI.

Paulo apud Ephesum existente, et multa ibidem miracula faciente, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum. Quos convocans, dixit quod Paulus suadebat et avertebat populum a cultura deorum, dicens, quod non sunt dii qui manibus fiunt. Ita turbavit civitatem, quod impleta est confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho, comitibus Pauli, etc. *Act.*, XIX.

Cum esset Paulus apud Felicem præsidem, vinctus a Judæis tanquam homo seditiosus et pestifer accusatus, sperabat Felix quod pecunia daretur ei a Paulo; propter quod frequenter accersens eum Felix loquebatur cum eo, *Act.*, XIV. Et quia non ita fuit factum, ipse judex iniquus non absolvit eum; sed eum reliquit Festo successori suo vinctum.

CAPUT LXXIV.

De paupertate.

Patriarcha Jacob recedens a parentibus suis, et iens ad Laban fratrem matris suæ, nec animal, nec famulum legitur habuisse, sed in baculo suo transivit Jordanem, et quadam vice volens requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco. *Gen.*, XXVIII.

Moyses pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian : per quod videtur, quod proprias non habebat, qui alienas pascebat. *Exod.*, III.

Ruth Moabitis non magnis divitiis abundabat, quando ivit ad colligendum spicas, quæ metentium fugerant manus, quæ ad pauperes pertinebant. *Ruth.*, II, 3.

Uno puero contentus Saul ivit satis longe ad quærendum asinas patris sui; unde ipse Saul dixit postea Samueli, quod cognatio sua erat minima inter omnes familias de tribu Benjamin. I *Reg.*, IX.

Minimus erat David inter filios patris sui, ita quod, quando venit Samuel ad inungendum unum ex filiis Isai, David erat in pascuis, nec in principio vocatus fuit, quasi nullius esset reputationis. Deinde cum fratres ejus essent in exercitu, misit eum pater suus onustum victualibus ad deferendum illis. I *Reg.*, XVI et XVII.

Magnam penuriam patiebatur Elias, quando petiit a vidua Sareptana, ut daret ei paululum aquæ et buccellam panis. III *Reg.*, XVII.

Filii prophetarum sub Eliseo in magna paupertate vivebant, qui parum de pane, et insipidum pulmentum habebant. IV *Reg.*, IV.

Anna uxor Tobiæ ibat ad textrinum opus tota die; per quod videtur illos pauperes fuisse, qui nec ipsum instrumentum ad texendum possent in domo sua tenere; unde et Tobias filio suo dixit : « Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, » etc. *Tob.*, IV.

Filii Rechabitarum domos non ædificabant, sementem non serebant, vineas non habebant,

Digitized by Google

vinum non bibebant; sed in tabernaculis habitabant. *Jerem.*, XXXV.

De plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardam in terra Juda. Pauperibus ergo pepercit, divites et potentes occidit, vel captivos in Babylonem duxit. *Jerem.*, XXXIX.

Exemplum paupertatis amandæ habemus in Domino Salvatore, qui fuit de paupere matre natus, et a paupere fabro nutritus, recenter genitus fuit pannis involutus, et in præsepio reclinatus; et post in purificatione Virginis gloriosæ oblationem pauperum obtulerunt. *Luc.*, II. Item cito post, Joseph cum puero et matre ejus fugit in Ægyptum. *Matth.*, II.

Cum factus esset Jesus puer annorum duodecim, remansit in Hierusalem, ignorante Maria et Joseph; per quod apparet, quod magnam familiam non habebant ad associandum puerum, vel ad serviendum ei. *Luc.*, II.

Circuiens Jesus civitates et castella, non habebat ubi caput reclinaret, *Matth.*, VIII, 20 : « Vulpes foveas habent, » etc., et in fine nudus appensus est in cruce. *Joan.*, XIX.

Discipuli Christi pro majori parte de statu paupertatis fuerunt assumpti. *Matth.*, IV, 21 : « Jacobus et Joannes reficiebant retia sua; » *Luc.*, V, 2 : « Lavabant retia sua, » etc.

In sermone Domini in monte primum ponitur commendatio paupertatis, quasi ipsa esset totius spiritualis ædificii fundamentum. *Matth.*, V, 3; *Luc.*, VI, 20.

Inter cætera Christi miracula, unum ponitur quod « pauperes evangelizabantur, » *Matth.*, XI, 5, eo quod ante Domini adventum ita fieri non solebat.

Adolescenti de ingressu ad vitam æternam quærenti dixit Dominus : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, » etc. *Matth.*, XXI, 21.

Miram remunerationem promittit Dominus omnia derelinquentibus propter nomen ipsius, *Matth.*, XIX, 29; *Marc.*, X, 29; *Luc.*, XVIII, 29.

De illo famoso paupere Lazaro in sinum Abrahæ ab angelis deportato nullum aliud justitiæ opus, vel causam gloriæ Scriptura allegare videtur, nisi quod ipse receperat mala in hac mortali vita, et ideo Deus volebat eum consolari in alia. *Luc.*, XVI, 25.

Pauperes et debiles ad cœnam illam Domini magnam fuerunt introducti; imo etiam quidam de viis et sepibus leguntur ibi fuisse compulsi. *Luc.*, XIV, 21.

Omnes qui credebant in primitiva Ecclesia, erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant, et dividebant illas omnibus, prout cuique opus erat. *Act.*, II, 44, 45.

Petrus dixit claudo pauperi eleemosynam petenti : « Argentum et aurum non est mecum (a), » etc. III *Act.*, 6.

Valedicens Paulus fidelibus de Achaia, dixit inter cætera : « Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ erant opus mihi, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. » *Act.*, XX, 33, 34. Item, I *Cor.*, IV, 11 : « Esurimus et sitimus, et nudi sumus. » II *Cor.*, XI, 27 : « In fame et siti, in frigore et nuditate. »

CAPUT LXXV.

De hypocrisi et simulatione.

Amnon filius David simulavit languorem, ut posset decipere Thamar, quam libidinose amabat, II *Reg.*, XIII, 5.

Uxor Jeroboam, mutato habitu, venit ad Ahiam Prophetam; cui ille dixit : « Quare aliam te esse simulas? » etc. III *Reg.*, XIV.

Giezi famulus Elisei simulavit dominum suum indigere duplici veste pro duobus adolescentibus et filiis prophetarum. IV *Reg.*, V.

Cum venisset Apollonius Hierosolymam, missus ab Antiocho, pacem simulans quievit usque ad diem sabbati, et tunc feriatis Judæis, arma suis capere præcepit, et omnes qui ad spectaculum venerant, trucidavit. II *Mach.*, V.

Quamvis divina sapientia generaliter impium detestetur, *Prov.*, VIII, 7, tamen specialiter hypocritis comminatur multoties in Evangelio, dicens : « Væ vobis, Phærisæi hypocritæ, » *Matth.*, XXIII, 14, 15.

Pharisæis volentibus capere Dominum in sermone, respondit increpans eos : « Quid me tentatis, hypocritæ? » *Matth.*, XXII, 18.

Quidam sunt qui magna scelera perpetrant, et modica peccata devitant, colantes culicem, et camelum glutientes : sicut principes sacerdotum, qui magis timuerunt intrare prætorium Pilati, quam nequissime procurare crimen homicidii. *Joan.*, XVIII.

Archisynagogus indignans, quia Dominus

(a) Vulg. *mihi*.

Digitized by Google

sabbato curaret, dicebat turbæ : « Sex dies sunt, in quibus oportet operari. In iis ergo venite et curamini, et non in die sabbati. » Dominus autem arguit illum, *hypocritam* vocans, *Luc.*, XIII, 14, 15.

Malam hypocrisim commiserunt Ananias et uxor ejus Saphira, simulantes se totum pretium agri attulisse, et ad pedes apostolorum posuisse. *Act.*, V.

Quamvis Simon Magus credidisset in prædicatione Philippi, tamen Petrus dixit ad eum : « Non est tibi sors in sermone illo; cor enim tuum non est rectum coram Domino : pœnitentiam itaque age, » etc. Respondens autem Simon dixit : « Precamini vos pro me, » etc. *Act.*, VIII.

Elymam magum graviter notavit Paulus de hypocrisi et falsitate, dicens : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli et inimice omnis justitiæ, non desinis vias Domini rectas pervertere, » etc. *Act.*, XIII, 10.

CAPUT LXXVI.

De munerum acceptione.

Abraham noluit accipere multa quæ obtulit ei rex Sodomorum, licet ipse optime meruisset, *Genesis*, XIV, quando reversus est ipse Abraham a cæde quatuor regum.

Munera misit Jacob Esau fratri suo, ut compesceret iram ejus. *Gen.*, XXXII.

Munera obtulerunt filii Israel ad opus tabernaculi Domini in tanta quantitate, quod jussit Moyses clamari, ut nullus aliquid ulterius offerret. *Exod.*, XXXVI.

Mercedem iniquitatis amavit Balaam, et ivit cum nuntiis Balach, qui divinationis pretium habebant in manibus. *Num.*, XXII.

Ahod obtulit munera Eglon regi Moab, et postea secreto loquens percussit eum graviter, et occidit. *Judicum*, III.

Inimici Samson pecuniam Dalilæ promiserunt, et eam, ut illum deciperet, induxerunt. *Judic.*, XVI.

De filiis Samuelis dicitur, I *Reg.*, VIII, 3 : « Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera; » et statim sequitur : « Et perverterunt judicium. »

Non fuit impositum Samueli, qui viginti annis populum Israel judicaverat, quod unquam munus ab aliquo accepisset, I *Reg.*, XII.

Xenia quæ obtulit Siba servus Miphiboseth David a facie Absalon fugienti, videntur inclinasse animum ipsius David ad hoc, quod contra absentem iniquum tulit judicium. II *Reg.*, XVI.

Regina Saba dedit Salomoni centum viginti talenta auri, et aromata multa, et gemmas pretiosas. Rex autem Salomon dedit ei omnia quæ voluit, et quæ petivit ab eo, exceptis quæ ultro obtulerat ei munere regio. III *Reg.*, X, 10, 13.

Areuna voluit offerre David aream, et omnia ad sacrificia necessaria; sed ille noluit gratis accipere, nec sacrificium de alieno offerre. II *Reg.*, XXIV.

Rex Syriæ Benadad fœdus habebat cum Baasa rege Israel; sed propter munera, quæ ei misit Asa rex Juda, rupto fœdere cum Baasa, graviter impugnavit eum. IV *Reg.*, XVI.

Naaman Syrus fuit omnino gratis ab Eliseo curatus; et tamen Giezi accepit ab illo munera, et fuit gravi plaga percussus. IV *Reg.*, V.

« Misit » rex Babylonis « litteras et munera ad Ezechiam; » et sequitur : « Lætatus est autem Ezechias in adventu eorum, » etc., IV *Reg.*, XX, 12, 13. Sed nota ibi, quomodo displicuit Domino.

Achaz rex Juda, spoliata domo Domini et domo regum et principum, dedit regi Assyriorum munera; et tamen nihil ei profuit. II *Paral.*, XXVIII.

Statuerunt Judæi in memoriam lætitiæ, quam habuerunt interfecto Aman pessimo Judæorum inimico, ut pauperibus munuscula largirentur. *Esth.*, IX.

Conquerendo loquitur Dominus per Isaiam : « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, » etc. *Isa.*, I, 23.

Dedit magister militiæ regis Babylonis Jeremiæ cibaria, et munuscula, et dimisit eum. *Jerem.*, XL, 5.

Postquam exposuerat Nabuchodonosor regi Daniel visionem, rex in sublime eum extulit, et munera magna et multa dedit ei. *Dan.*, II, 48.

Balthasar rex Babylonis promiserat donaria magna Danieli, qui respondit : « Tua munera sint tibi, et dona domus tuæ alteri da. » *Dan.*, V, 17.

Jonathas abiit Ptolemaidam, et dedit Demetrio regi argentum multum et aurum, et dona, et invenit gratiam in conspectu ejus. I *Mach.*, X, 60.

Videns Tryphon Jonatham venisse ad eum cum exercitu multo, timuit eum, et cum

Digitized by Google

honore recepit, et munera dedit ei, et hac occasione decepit eum. Nam, remissis militibus, ipsum cum paucis retinuit, et occidit. I *Mach.*, XII.

Propter munera quæ dedit, et promisit Jason ambitiosus regi Antiocho, obtinuit summum sacerdotium; cum autem misisset pecuniam regi per Menelaum, ille supplantavit eum, et obtinuit principatum, quia superposuit Jasoni argenti talenta trecenta. II *Mach.*, IV.

Menelaus frater Lysimachi per pecuniam, quam promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium : deinde donavit Andronico quædam vasa aurea de templo furtim accepta, et fecit Oniam occidi : postmodum, cum accusaretur apud Ptolemæum, per pecunias, quas ei dare promisit, accusatores suos morte damnari procuravit. II *Mach.*, IV.

Obtulerunt Magi Domino pauperi aurum, thus, et myrrham. *Matth.*, II, 11.

Milites illi qui debuerant custodire sepulcrum Domini, accepta a Judæis pecunia copiosa, dixerunt, quod discipuli ejus furati fuerant ipsum, illis dormientibus. *Matth.*, XXVIII, 15.

Pauperculæ donum viduæ, quæ duo æra minuta misit in gazophylacium, præfertur a Domino muneribus divitum. *Luc.*, XXI, 2, 3.

Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens : « Date mihi hanc potestatem, » etc. *Act.*, VIII, 19.

Felix præses, qui tenebat Paulum vinctum a Judæis nequiter accusatum, sperabat quod pecunia ei daretur a Paulo; propter quod frequenter accersens eum loquebatur cum eo; et quia verisimile est eum non habuisse intentum, Paulum dimisit vinctum. *Act.*, XXIV.

CAPUT LXXVII.

De fortitudine et strenuitate.

Audiens Abraham nepotem suum Loth esse captum, assumptis vernaculis suis, et aliis sociis, irruit nocte super quatuor reges, qui ceperant illum, et percussis hostibus reduxit Loth cum tota substantia, et populo Sodomorum. *Gen.*, XIV.

Securum et audacem facit hominem puritas conscientiæ : hinc est, quod Jacob tumens cum jurgio ait ad Laban : « Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me? » *Gen.*, XXXI, 36.

(a) *Cæt. edit. add.* ejus.

Dixit Angelus ad Jacob : « Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? » *Gen.*, XXXII, 28.

Audaciter et constanter stetit Moyses coram Pharaone, arguens eum, quia non dimittebat populum Domini. *Exod.*, V, et deinceps.

Armati descenderunt filii Israel de terra Ægypti, *Exod.*, XIII.

Caleb et Josue viriliter confortaverunt populum, dicentes : « Ascendamus et possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam, » *Num.*, XIII, 31. « Ne timeatis populum terræ, quia tanquam panem, ita possumus eos devorare. » *Num.*, XIV, 9.

Phinees cum duodecim millibus pugnatorum debellavit Madianitas, quorum, præter viros et mulieres qui occisi fuerunt, triginta duo millia virginum in præda, animalium vero maxima multitudo fuit, nec aliquis de filiis Israel mortuus est. *Num.*, XXXI.

Moyses dixit ad Josue, qui debebat ei succedere : « Confortare, et esto robustus : tu enim introduces populum istum, » etc. *Deut.*, XXXI, 7.

Pergens ad bellum Josue contra habitatores Hai, erat « in fronte exercitus (a), vallatus auxilio pugnatorum. » *Josue*, VIII, 10.

Captis quinque regibus, dixit Josue ad principes, qui secum erant : « Ite et ponite pedes vestros super capita regum istorum; nolite timere, nec paveatis. » *Jos.*, X, 25.

Dixit Caleb ad Josue : « Octoginta annorum sum hodie, sic valens, ut ego valebam eo tempore, quando ad explorandum missus sum; illius in me temporis fortitudo perseverat, » etc. *Josue*, XIV, 11.

Ahod judex et princeps exercitus Israel in fronte gradiens dixit ad populum : « Sequimini me, tradidit Dominus inimicos nostros in manus nostras. » *Judic.*, III, 28.

Gedeoni dixit Angelus : « Dominus tecum, virorum fortissime. » Et post : « Vade, et in hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian. » Cumque ille se humiliter excusaret, audivit : « Ego ero tecum, et percuties Madian, quasi unum virum. » *Judic.*, VI.

Samson manibus leonem inermis laceravit., *Judic.*, XIV; et post hoc opera fortitudinis multa fecit, ut patet capitul. XV et XVI.

Audiens Saul obsidionem virorum Jabes Galaad, audaciter, efficaciter et festinanter succurrit eis. I *Reg.*, XI.

David in pueritia sua fortiter superavit et

Digitized by Google

interfecit leonem et ursum, et Goliath Philisthæum, I *Reg.*, XVII.

David cum uno milite venit ad castra Saul, et intravit tentorium ejus, et tulit hastam et scyphum ejus. I *Reg.*, XXVI.

Pueri duodecim ex parte Isboseth, et duodecim ex parte David, apprehenso ab unoquoque capite comparis sui, defixerunt gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul. II *Reg.*, II, 16.

Desiderante et petente David de aqua cisternæ Bethlehem, tres milites David irruperunt in castra Philisthinorum, et attulerunt ei de aqua illa. II *Reg.*, XXIII.

Viriliter egit Jehu percutiens duos reges et fratres Ochoziæ, et filios Achab, et prophetas Baal occidit in multitudine numerosa. IV *Reg.*, IX et X.

Cum magna strenuitate Joiada pontifex eripuit regnum Juda de manu Athaliæ, et Joas de semine David puerulum coronavit. IV *Reg.*, XI, et II *Paral.*, XXIII.

Joab filius Sarviæ fuit princeps et dux exercitus, quia in primis percussit Jebusæum, qui habitabat in Hierusalem, et ita statuerat David. I *Paral.*, XI, 6.

Dixit Nehemias optimatibus, et magistratibus Judæorum : « Surgamus et ædificemus. » Et confortatæ sunt manus eorum in bono. *Nehem.*, II.

Filii transmigrationis ædificantes murum in circuitu Hierusalem, una manu faciebant opus, et altera tenebant gladium. *Nehem.*, IV, 17.

Inimici filiorum transmigrationis terrebant variis modis, cogitantes quod cessarent ab opere; sed dixit Nehemias : « Quam ob causam magis confortavi manus meas. » *Nehem.*, VI, 9.

Audientes filii Israel potentiam Holophernis, præparaverunt se diligenter ad resistendum, præoccupantes vertices montium, et muris circumdantes vicos suos, congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. *Judith*, IV.

Miram strenuitatem habuit Judith, eundo ad Holophernem, et occidendo eum in tentorio suo. *Judith*, XI et XIII

Socii Danielis dixerunt Nabuchodonosor regi Babylonis : « Deus noster potest nos eripere de camino ignis; quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quod deos tuos non colimus. » *Dan.*, III, 17.

Daniel non dimisit propter edictum regis, quin oraret Deum suum. *Dan.*, VI, 11.

Miram fortitudinem habuerunt Mathathias et filii ejus, qui ita restiterunt Antiocho regi, et prævaluerunt toties contra eum. I *Mach.*, II et deinceps.

Confidenter et strenue Judas Machabæus flumen transivit ad castra hostium, quæ erant ultra ipsum flumen. I *Mach.*, V.

Eleazar filius Saura cucurrit audaciter ad elephantem, et supposuit se ei, et occidit eum in terram super ipsum, et mortuus est illic. I *Mach.*, VI, 43.

Eleazarus dixit tortoribus suis : « Fortiter vitam excedendo, senectute dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. » II *Mach.*, VI, 27.

Machabæus, et qui cum eo erant, ibant prompti ad bellum contra Lysiam, de cœlo habentes adjutorem; leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos; universos autem in fugam verterunt. II *Mach.*, XI.

« Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini, et gratia magna erat in omnibus illis. » *Act.*, IV, 33.

« Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo : » ejus autem fortitudo præcipue apparuit, quod Judæis constantissime restitit, et diram mortem patientissime toleravit. *Act.*, VI et VII.

Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio, ita dicit Tullius, II *Rhet.* Secundum hoc constat apostolum Paulum fortissimum militem Christi fuisse, qui tot et tanta pericula pro ipso suscepit, et tot et tales labores sustinuit, sicut patet ab undecimo capitulo *Actuum Apostolorum* usque ad finem. Ipse etiam enumerat, II *Cor.*, XI : « In laboribus plurimis, » etc.

CAPUT LXXVIII.

De confidentia et magnanimitate.

Moyses stetit coram Pharaone multoties, et arguebat eum confidenter. *Exod.*, V, et deinceps in pluribus capitulis.

Confidenter, licet reverenter, arguit Nathan propheta David, post adulterium et homicidium ab illo commissum. II *Reg.*, XII.

Dixit Elias ad Achab : « Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini. » Et post fecit qua-

Digitized by Google

dringentos prophetas Baal occidi. III *Reg.*, XVIII, 18 et seq. Idem postea dixit Ochoziæ regi Israel, IV *Reg.*, I, 4 : « De lectulo super quem ascendisti, non descendes, » etc.

Achab rex Israel dixit Eliæ : « Num invenisti me inimicum tibi ? » Qui dixit : « Inveni, eo quod venundatus es, ut faceres malum in conspectu Domini. » III *Reg.*, XXI, 20.

Eliseus mira libertate dixit ad Joram regem Israel, exercitu circumstante : « Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui, » etc. IV *Reg.*, III, 13.

« Fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui. » Et post pauca : « Cumque sensisset cor ejus audaciam per vias Domini, » etc. II *Paral.*, XVII, 3, 6.

Spiritus Dei induit Zachariam Joiadæ filium, et stetit in conspectu Domini, dicens : « Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit ? » II *Paral.*, XXIV, 20.

Ezechias confortavit bellatores suos, dicens : « Nolite timere regem Assyriorum, et universam multitudinem quæ cum eo est ; plures enim nobiscum sunt, quam cum eo, » etc. II *Paral.*, XXXII, 7.

Sanaballat, et cæteri inimici, dolentes de ædificatione muri Hierusalem, nisi sunt terrere Nehemiam variis modis; sed non potuerunt. *Nehem.*, IV et VI.

Miræ magnanimitatis fuit Judith, quæ inermis ivit ad tentorium Holophernis, et ibi eum interficere ausa fuit. *Judith*, X et XIII.

Mardochæus magnanimiter renuit adorare Aman superbissimum, licet sciret regem hoc præcepisse , *Esth.*, III et V. Item etiam cum magna securitate et liberalitate loquebatur reginæ, dicens : « Ne putes, quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis; si enim nunc silueris, » etc. *Esth.*, IV, 14.

Ananias et socii ejus confidenter Nabuchodonosor regi dixerunt : « Deus noster, quem colimus, potest eripere nos, » etc. *Dan.*, III, 17. Similiter Daniel, qui de edicto regis Darii non curavit, sed Deum suum more solito oravit. *Dan.*, VIII.

Eleazar filius Saura cucurrit audaciter ad elephantem, ubi credebat esse regem, et supposuit se ei, et occidit eum. I *Mach.*, VI.

Signum magnanimitatis dedit Timotheus exercitui suo de Juda Machabæo , si transiret fluvium et veniret ad hostes audaciter. I *Mach.*, V. Et sic fecit Judas, et magnam habuit victoriam.

Mathathias et filii ejus magnanimiter rebellaverunt, et restiterunt regi Antiocho. I *Mach.*, II, et deinceps.

Cum dicerent socii Judæ ad eum, ut liberarent animas suas, quia hostes erant multi, et ipsi pauci, respondit Judas : « Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis ! Et si appropinquaverit tempus nostrum , moriamur in virtute, » etc. I *Mach.*, IX, 10.

Videntes socii Judæ Machabæi exercitum venientem , dixerunt : « Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tam fortem ? » Et ait Judas : « Facile est concludi multos in manus paucorum, et non est differentia in conspectu Dei liberare in multis, aut in paucis, quia non in multitudine exercitus belli victoria, sed de cœlo fortitudo est. » I *Mach.*, III, 17, 19.

Jonathas animavit suos ad pugnam ex eo, quod bellum erat ex adverso, et aqua Jordanis hinc et inde, et ripæ, et paludes, et saltus , et non erat locus divertendi. I *Mach.*, IX.

Cum esset Jonathas in prælio contra alienigenas, reliquerunt eum sui omnes, exceptis duobus; sed videntes quod ipse dux fortiter pugnabat, reversi sunt fugientes, et ceciderunt de alienigenis tria millia virorum. I *Mach.*, XI.

Egregius dux militiæ Judas Machabæus ad eas, quæ amplius urgebant, pugnas se convertit. I *Mach.*, X.

Machabæus et qui cum eo erant, videntes auxilium de cœlo sibi missum, convaluerunt animis, non solum homines, sed etiam bestias ferocissimas , et muros ferreos parati penetrare, etc. II *Mach.*, XI.

Crucifixo Domino, Joseph ab Arimathæa audacter introivit ad Pilatum , et petiit corpus Jesu. *Marc.*, XV.

Ille cæcus natus , a Domino illuminatus, libera voce veritatem de Domino fatebatur. *Joan.*, IX.

Dixit Thomas ad condiscipulos : « Eamus et nos, et moriamur cum eo , » scilicet cum Christo. *Joan.*, XI, 16.

Petrus qui ad vocem unius ancillæ pavefactus Christum negaverat, recepto Spiritu sancto, fuit tanta virtute indutus, ut coram populo, et magistratuum ac Pharisæorum collegio, ipsum cum omni fiducia prædicaret. *Act.*, II, III, IV, V.

Stephanus plenus gratia et fortitudine Chri-

Digitized by Google

stum Deum cum mira libertate prædicabat, et Judæos dure increpans confundebat, dicens inter cætera : « Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. » *Act.*, VII, 51.

Magistratus et minister arguendo dixerunt Apostolis : « Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis (*a*) in nomine isto; et ecce repletis Hierusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondentes autem Petrus, et Apostoli dixerunt : Magis obedire oportet Deo, quam hominibus. » *Act.*, V, 28, 29.

Paulus Apostolus, præsente Paulo proconsule, Elymam magum durissime increpavit, et eum ad tempus lumine oculorum privavit. *Act.*, XIII.

Cum mandassent magistratus, ut Paulus et Silas liberarentur de carcere, Paulus dixit eis : « Cæsos nos publice homines Romanos indemnatos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt. » Et sic locutus est, quod illi timentes venerunt, et rogaverunt eos, ut egrederentur de illa civitate. *Act.*, XVI.

Commota et confusa civitate Ephesina, cives impetum fecerunt unanimiter in theatrum, raptis comitibus Pauli. Paulus autem voluit se mittere in populum, sed non permiserunt eum discipuli. *Act.*, XIX.

Valedicens fratribus de Asia, dicebat Paulus : « Sanctus Spiritus per omnes protestatur civitates mihi, quia vincula et tribulationes me manent in Hierusalem : sed nihil, inquit, horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quam me, » etc. *Act.*, XX, 23, 24.

Coram illis judicibus, quos habuit Paulus, miram magnanimitatem ostendit, videlicet coram tribuno, Anania principe sacerdotum, Felice, Festo, a quo manifeste gravatus, Cæsarem appellavit. *Act.*, XXI, XXII, XXIII, XIV, XV.

In tot et tantis periculis constitutus Paulus semper fuit intrepidus et securus; et hoc præcipue apparuit in tempestate, quam passa est navis sua. *Act.*, XXVII.

De ipso beato Paulo beatus Augustinus, *de Civitate Dei* lib. XIV, c. IX, n. 2 : « Illum, inquit, optimum et fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur; qui plus omnibus coapostolis suis laboravit; illum, inquam, verum (*b*) athletam Christi, doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo; in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus est, et angelis, et hominibus, legitime magno agone (*c*) certantem, oculis fidei libentissime spectantem (*d*), gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, » etc

CAPUT LXXIX.

De patientia et mansuetudine, et de injuriis et tormentis.

Mansuete ferebat Isaac, cum pater suus immolare eum vellet. *Gen.*, XXII.

Joseph facinus quod in eum commiserunt fratres sui, *Genes.* XXXVII, et patienter tulit, et clementer indulsit. *Gen.*, XLV (*e*).

Speciale mandatum dedit Joseph fratribus suis, dicens : « Ne irascamini in via. » *Gen.*, XLV, 24.

Cito oravit Moyses pro Maria, quæ contra eum tam inique locuta fuerat, et per orationem ejus sanata fuit. *Num.*, XII.

Murmuraverat populus contra Moysen et Aaron, dicens : « Vos interfecistis populum Domini : et cum iratus Dominus populum percuteret, dixit Moyses ad Aaron : « Perge cito ad populum, ut ores pro eis. » Et sequitur, quod plaga cessavit. *Num.*, XVI.

Filii Ephraim jurgantes fortiter contra Gedeonem, fuerunt sedati per ejus mansuetam responsionem, *Judic.*, VIII, 2. « Quid enim, inquit, tale (*f*) facere potui, quale vos fecistis ? » etc.

Noluit sustinere Saul, quod occiderentur viri, qui detraxerant ei. I *Reg.*, XI.

Potuit David pluries, et noluit occidere Saulem ipsum actualiter persequentem : I *Reg.*, XXIV, quando abscidit oram chlamydis suæ, et XXVI, quando invenit dormientem.

Fugiens David a facie Absalom, patienter dixit ad Sadoch : « Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, » etc. II *Reg.*, XV, 25. Et ad Semei maledicentem sibi, etc., XVI.

Miphiboseth sustinuit patienter iniquam sententiam contra se latam. III *Reg.*, XV.

Dixerunt seniores dantes consilium Roboam : « Si placueris populo huic, et linieris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore. » II *Paral.*, X, 7.

Homines qui venerant ad capiendum Eliseum,

(*a*) *Cæt. edit.* docueritis. — (*b*) *Al.* virum. — (*c*) *Al.* magnum agonem. — (*d*) *Al.* spectant. — (*e*) *Cæt. edit. add.* et 1. — (*f*) *Cæt. edit. add.* quid.

Digitized by Google

non permisit ipse aliquid mali habere, sed præcepit eis mensam apponi, et refectos abire permisit. IV *Reg.*, v.

Excæcatus Tobias miram patientiam ostendit erga divinum flagellum, et irrisionem amicorum, et uxoris. *Tob.*, II et III.

Job patiens fuit perdendo sua, suos et quasi seipsum. Et notandum est, quod simul amisit bona sua, et liberos suos : et sic vehementior fuit tentationis impetus. Item illi qui remanserunt de amicis suis plus ei desolationis, quam consolationis attulerunt, ut patet in uxore, et aliis amicis, qui fuerunt ei consolatores onerosi. *Job*, I et II, et deinceps.

Alacrem patientiam exibuerunt socii Danielis missi jussu regis in fornacem ignis ardentis, *Dan.*, III; et tantum, vel amplius laudatus fuit Deus ex eorum patientia, quantum ex Danielis sapientia.

Filia Raguelis Sara gravem contumeliam ab ancilla prolatam patienter tulit, nihil respondens, sed statim ad orationem se committens. *Tob.*, III.

Cum plagis perimeretur Eleazarus, dixit : « Domine, tu scis, quia cum a morte possem liberari, diros (*a*) corporis sustineo dolores ; secundum animam vero propter timorem tuum hæc patior libenter. » II *Mach.*, VI, 30.

Septem illi fratres, cum pia matre sua, alacri animo passi sunt horrenda tormenta. II *Mach.*, VII.

Cum interrogasset Petrus : « Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? — Non dico usque septies, sed usque septuagies septies. » *Matth.*, XVIII, 21, 22.

Ad remittendum fratribus ex corde induxit Dominus parabolam servi nequam, cui decem millia talenta liberaliter a Domino fuerunt dimissa. *Matth.*, XVIII.

Cum vidissent Jacobus et Joannes, quod Samaritani non receperant nuntios Domini, quos præmiserat, dixerunt : « Vis, dicamus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos? Et Dominus increpavit illos, » et dixit : « Nescitis cujus spiritus estis, » etc. *Luc.*, V.

Mulier in adulterio deprehensa, et coram Domino accusata, nihil omnino accusatoribus respondebat. Dominus autem pro ea verbum assumpsit, et eam benigne absolvit. *Joan.*, VIII.

Cedendum est quandoque furori persequentium ; unde Dominus, qui pati et occidi venerat, non ut timidus, sed ut providus, et horam passionis competenter expectans, rabiem Judæorum pluries declinavit. *Luc.*, IV, 30 : « Jesus autem transiens per medium illorum ibat, » *Joan.*, VIII et XII : « Abscondit se, et exivit de templo. »

De se ipso Dominus ait, *Matth.*, XI, 29 : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. »

Dominus noster patienter pertulit injurias illatas verbis et factis : verbis quidem detractoriis, contradictoriis, derisoriis, et contumeliosis : detraxerunt enim occulte ei, et manifeste : occulte, intra se loquendo, et ipsum temere nequiter judicando, *Luc.*, VII, 39 : « Hic si esset propheta, » etc. Item, *Matth.*, IX, 3 : « Hic blasphemat, » etc. Manifeste, quando dicebant discipulis ejus Pharisæi : « Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? » *Matth.*, IX, 11, et *Luc.*, V, 30. Item, *Matth.*, XII, 24; *Luc.*, XI, 15, quando ejus miracula depravabant, dicentes : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. » Et *Joan.*, IX, 16 : « Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. » Item ibidem, *Joan.*, IX, 24 : « Nos scimus, quia hic homo peccator est. » Item dicebant eum habere dæmonium. *Joan.*, VII, 20, et VIII, 48.

Contradictoria vero verba sustinuit, *Joan.*, VIII, 13 : « Tu de te ipso testimonium perhibes. Testimonium tuum non est verum. » Item ibidem, 57 : « Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? » Item verba derisoria : *Matth.*, IX, 24; *Luc.*, VIII, 53, cum dixisset : « Non est mortua puella, sed dormit; » sequitur : « Deridebant eum. » Item, *Luc.*, XVI, 14, cum dixisset : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, » sequitur : « Audiebant hoc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum. »

Item verba contumeliosa. *Joan.*, VIII, 48 : « Nonne bene diximus, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? » *Joan.*, VII, 20 : « Dæmonium habes. » *Luc.*, V, 21 : « Quis est hic, qui loquitur blasphemias? »

Similiter, tempore passionis ante crucem, in domo Annæ, et in domo Caiphæ coram Pilato, et coram Herode, ac demum dum penderet in cruce, hujusmodi verba multa circa se audivit.

Item in factis graves injurias passus fuit : nam ipso prædicante repleti sunt omnes in synagoga ira, et ejicientes eum extra civitatem, vo-

(*a*) Vulg. *duros*.

Digitized by Google

luerunt eum præcipitare de supercilio montis, *Luc.*, IV, 28, 29 (*a*).

Item, cum iret in Hierusalem, et vellet transire per Samariam, nuntios quos præmisit, recipere noluerunt. *Luc.*, IX, 53.

Præterea, ipso prædicante Judæis, et eorum malitias increpante, illi ad lapidandum eum lapides sustulerunt. *Joan.*, VIII, 59, et X, 31.

Hoc parum fuit respectu eorum, quæ in passione sustinuit, circa quam notari potest quod, secundum ea quæ ipse prædixerat, *Matth.*, XX, 19, fuit delusus, flagellatus et crucifixus.

Delusus siquidem in domo Caiphæ pontificis, *Luc.*, XXII, 63 : « Qui tenebant eum, illudebant ei, cædentes. » Item in prætorio Pilati præsidis, *Matth.*, XXVII, 29 : « Genu flexo illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum. » Similiter illusus fuit in domo Herodis : « Sprevit eum Herodes, et illusit eum cum exercitu suo, » etc. *Luc.*, 23, 11.

Item illusus fuit Dominus Jesus in patibulo crucis, et hoc a militibus, et sacerdotibus, et communiter prætereuntibus, et latronibus. Siquidem de militibus dicitur, *Matth.*, XXVII, 29 : « Illudebant ei milites dicentes, etc., accedentes, et acetum offerentes. »

De sacerdotibus autem, *Matth.*, XXVII, 41 : « Principes sacerdotum, cum scribis et senioribus, illudebant ei dicentes : Alios salvos fecit, » etc.

« Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. » *Matth.*, XXVII, 39.

De latronibus insuper dicitur, *Marc.*, XV, 32: « Latrones qui crucifixi erant cum eo, convitiabantur ei. »

Ulterius nota quod illusus fuit nutibus et signis, quando « movebant capita sua, et flectebant genua sua. »

Verbis, quando salutantes dicebant : « Ave, rex Judæorum. » *Matth.*, XXVII, 29.

Factis, quando fuit spinis coronatus, et arundo, loco sceptri, posita in manu ejus. *Ibid.*

Sputis deturpatus, et veste purpurea et alba vestitus. *Luc.*, XXIII.

Salvator noster in passione sua mansuetudinem exhibuit ad proditorem, quem vocavit amicum. *Matth.*, XXVI, 50.

Ad lictorem, cujus aurem sanavit, *Luc.*, XXII, 51. Ad Annam, ad Caipham, et ad (*b*) Pilatum, coram quibus fuit falsissime accusatus, mansuetissime respondit, *Joan.*, XVIII et XIX, et in aliis Evangelistis.

Item ad crucifixores, pro quibus oravit, *Luc.*, XXIII, 34.

Item ad latronem, cui tam benigne respondit, *Luc.*, XXIII, 43.

De flagellatione pensandum est, quod ipse Dominus Jesus flagellatus fuit in capite, *Matth.*, XXVII, 30 : « Percutiebant caput ejus arundine. » Item in facie, *Luc.*, XXII, 64 : « Percutiebant faciem ejus. » *Joan.*, XVIII, 22 : « Unus ministrorum assistens pontifici dedit ei alapam. » Item in collo, *Matth.*, XXVI, 67 : « Colaphis eum cæciderunt. » Item in toto corpore, *Marc.*, XV, 15 : « Tradidit illis Jesum flagellis cæsum, ut crucifigerent eum. »

Circa quæ notari potest quod flagellari solent in capite inscii et qui erudiuntur, in collo servi qui de domo ejiciuntur, in facie rei qui vituperantur, in toto corpore scelerati qui puniuntur.

Item considerari debet ab anima fideli, quod fuit flagellatus linguis blasphemantium, improperantium, acclamantium : « Crucifige, crucifige eum. » Palmis percutientium, *Matth.*, XXVI, 67 : Alii « palmas in faciem ei dederunt. » In arundine et flagellis, sicut jam visum est in *Matthæo*, et *Marco*.

Ad omnis injuriæ cumulum multum facit, quod ipse Dominus dominantium, qui solvit compeditos, ipse fuit tanquam latro captus, et ligatus, *Joan.*, XVIII, 12 : « Ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. »

Item fuit latro ei præpositus, quia petierunt Barabbam sibi dimitti, et Dominum crucifigi, testantibus omnibus Evangelistis; et tamen ille cum eo, quod (*c*) erat latro, in seditione fecerat homicidium, *Joan.*, XVIII; *Luc.*, XXIII; *Matth.*, XXVII. Unde ille Barabbas erat homicida, seditiosus, latro insignis, in malitia diffamatus.

Item fuit in medio latronum positus, quasi esset magister eorum, et sceleratior omnibus. *Joan.*, XIX, 18 : « Medium autem Jesum. »

Præterea pensandum est, quod ipse fuit in omnibus sensibus corporis flagellatus. Oculi namque illius videbant illos tortores suos rabidos, et crudeles; item piam matrem ejus in anima (*d*) pariter crucifixam, dilectum discipulum, et mulieres devotas ei compatientes. Aures autem verba blasphemiæ, insultationis,

(*a*) *Cæt. edit. add.* Et iterum ad lapidandum eum, lapides sustulerunt. *Joan.*, VIII et IX. *Sed superflue, cum paulo infra eadem repetantur.* — (*b*) *Item* et ad Caipham, ad. — (*c*) *Al.* qui. — (*d*) *Cæt. edit.* animam.

Digitized by Google

derisionis et improperii audiebant. Nares etiam, ratione loci Calvariæ, in quo crucifixus est, ubi decalvabantur, sive decapitabantur malefici, affectæ erant fœtore gravi. Gustus ejus fuit afflictus in hoc, quod fuit potatus vino myrrhato, vel aceto cum felle mixto : in quibus datur intelligi poculum fuisse amarissimum. Sensus autem tactus per totum corpus diffusus ubique dolorem sensit, in membris videlicet flagellatis, in manibus et pedibus atrociter perforatis.

Potest etiam considerari, quod ipse Dominus Jesus sustinuit damnum in rebus, quas secundum hominem habuit. Quia fuit vestimentis nudatus, *Joan.*, XIX. Ab amicis derelictus, *Marc.*, XIV, 50 : « Discipuli, relicto eo, fugerunt omnes. » Afflictus in toto corpore, sicut tactum est, per acerbissimam passionem. Iterum in corde, vel mente, per compassionem, quia compatiebatur amicis ibi assistentibus, et inimicis ingorantibus.

Item passus est Jesus quodammodo in fama, seu opinione, quia dicebant eum fuisse populi seductorem. *Matth.*, XXVII, 63 : « Domine, » dixerunt ad Pilatum principes sacerdotum, « recordati sumus, quoniam seductor ille, » etc.

Advertendum est etiam circa salutiferam passionem Domini nostri Jesu Christi, quæ fuit turpis, imo turpissima et ignominiosa : ratione loci, ubi notus et honoratus fuerat, et multa miracula fecerat, scilicet, in Hierusalem. Item ratione temporis, vel diei solemnis Paschæ, quando convenerat ad diem festum maxima hominum multitudo; item hora quasi sexta ductus fuit ad crucem, ut ab hominibus posset sciri. Item ratione ipsius mortis, quia morte crucis, morte debita maledictis malefactoribus, et iniquis. Item ratione modi ad ipsum tormentum eundi : exivit enim Jesus « bajulans sibi crucem, » *Joan.*, XIX, 17; quod certe non legitur de aliis duobus nequam qui ducebantur cum eo. Item ratione consortii : nam fuit crucifixus in medio duorum latronum, quasi esset unus, aut maximus, vel magister.

Adhuc autem aggravatur illius benedictæ passionis acerbitas ex naturali dominici corporis complexione. Certum est enim illud sacrum corpus fuisse complexionis optimæ, et mirabiliter delicatæ, utpote organizatum sancti Spiritus opere; unde fuit sine aliquo naturæ vitio, vel errore. Item caro sua sancta nullam habuit unquam rebellionem, vel pugnam contra spiritum, et ideo spiritus merito magis diligebat ipsam, quam alterius spiritus vel anima debeat diligere corpus suum. Item ex diuturnitate diurnæ durationis aggravatur acerbitas passionis : nam multi martyres igne cremati, vel aqua submersi, vel capite truncati martyrium suum celeriter compleverunt; passio vero Domini (*a*) duravit quasi ab instanti suæ conceptionis usque ad horam mortis (certissime namque præscivit quidquid sua humanitas passa (*b*) fuit); specialiter tamen continue duravit ab hora illa post cœnam usque ad sextæ feriæ horam nonam. Item ex qualitate membrorum, in quibus passus fuit, quia in pedibus et manibus, quæ sunt membra nervosa, et doloris maxime perceptiva.

Signum autem quod passio Domini gravissima et acerbissima fuerit, ex hoc præcipue potest haberi, quod narrante Luca, in oratione post cœnam, ex vehementi imaginatione futuræ angustiæ vel doloris, « factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. » *Luc.*, XXII, 44.

Eamdem vero dominicam passionem reddit inæstimabiliter gratiosam hoc, quod ad illam sponte se obtulit, *Matth.*, XXVI, 47 : « Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet. » Et *Joan.*, XVIII, 4, ivit obviam ministris quærentibus Jesum Nazarenum; et cum audissent eum dicentem : « Ego sum, » ceciderunt in terram.

Item postea captus, vinctus, ignominiose deductus, mendaciter accusatus, colaphizatus, sputis illitus, flagellis cæsus, spinis derisorie coronatus, nullum verbum aut signum impatientiæ, seu turbationis ostendit; quinimo multiplex beneficium illis, a quibus ita premebatur, impendit. Nam aurem amputatam servo principis sanavit, et multa pia et utilia verba illis dixit, et pro ipsis crucifixoribus suis clementer oravit, Patrem suum dulciter invocans, et illos benigne excusans, *Luc.*, XXIII, 34 : « Pater, inquit, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. »

Denique hæc omnia passus non propter se, sed propter nos; nam propter peccata nostra tollenda, quia quæ non rapuit, tunc exolvit : unde propter necessitatem et utilitatem nostram, non propter suam; animam enim suam posuit pro ovibus suis, *Joan.*, X, 15. Pro nobis quippe liberandis voluit comprehendi, pro nobis redimendis voluit vendi, pro nobis honorandis voluit confundi, et in cruce suspendi, vinculatus est ut absolveremur, vulneratus est

(*a*) *Al.* Dominica. — (*b*) *Al.* passura.

Digitized by Google

ut sanaremur, flagellatus ne flagellaremur, mortuus est ne æternaliter moreremur. *Gal.*, II, 20 : « In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » I *Cor.*, XV, 3 : « Christus mortuus est pro peccatis nostris. » Item, I *Petr.*, II, 21 : « Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum. » Item, *Isa.*, LIII, 5 : « Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, » tollenda scilicet et delenda. Item, *Joan.*, X, 15 : « Animam meam, inquit, pro ovibus meis pono. »

De Apostolis cæsis dicitur, *Act.*, V, 41 : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, » etc.

Stephanus ad lapidatores suos fuit ita patiens et benignus, quod diligentius pro illis, quam pro se ipso orasse videtur. Nam « positis genibus, clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas, » etc. Orans autem pro se, non legitur genua flexisse, nec clamasse. » *Act.*, VII, 59.

Paulus et Silas, positi in duro carcere, media nocte adorabant Deum, et laudabant. *Act.*, XVI, 25.

CAPUT LXXX.

De constantia et perseverantia in propositis.

Non est respiciendum retro post egressum de societate malorum, sicut fecit uxor Loth, quæ versa est in statuam salis. *Gen.*, XIX, 26.

Singulis diebus molesta erat Joseph domina ejus, et ille tamen perseveranter restitit operi nefario. *Gen.*, XXXIX.

Nunquam potuit vinci Moyses, quod vel in Ægypto immolans remaneret, vel parvulos aut jumenta populi dimitteret Pharaoni. *Exod.*, VIII, IX et X.

Dure reprehensus David a fratre suo majore, et etiam dissuasus a Saule, non destitit ab incœpto, sed viriliter pugnavit, et vicit. I *Reg.*, XVII.

Perseveranter egit Joab in obsidione Rabbath, donec capta fuit civitas. II *Reg.*, XII.

Item circa Sebam Bochri in obsidione civitatis Abela. II *Reg.*, XX.

Quamvis Nehemias in ædificando multa passus fuerit impedimenta, non cessavit ab opere, donec murus fuerit totaliter consummatus. *Nehem.*, IV et VI.

Cum Tobias ab infantia semper timuerit Deum, non est contristatus contra Dominum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, et immobiliter in Dei timore permansit. *Tob.*, II, 13.

Eliachim sacerdos magnus allocutus est omnem Israel dicens : « Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes perseveraveritis in conspectu Dei. » *Judith*, IV, 12.

Scire cupiebant famuli regis Assueri, utrum Mardochæus perseveraret in sententia de non adorando Aman : qui ita constanter perstitit in proposito, ut non solum eum non adorare voluerit, sed nec ei assurgere transeunti. *Esth.*, III et V.

Socii Danielis constanter dixerunt regi Babylonis : « Notum sit tibi, rex, quod deos tuos non colimus, et statuam tuam non adoramus. » *Dan.*, III, 12.

Non prætermisit Daniel, propter crudele decretum Darii regis Persarum, quin oraret ter in die, sicut ante consueverat, Deum suum. *Dan.*, VI, 10.

Constanter restitit Susanna duobus senibus presbyteris, qui eam tanti vexamenti tentatione pulsabant. *Dan.*, XIII.

Multi de populo Israel diffinierunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari. I *Mach.*, I.

Miram constantiam et perseverantiam habuit Eleazarus in tormentis, et magis elegit gravissima morte perimi, quam contra leges carnes porcinas comedere, vel simulare se comedisse. II *Mach.*, VI.

Septem illi fratres, cum pia matre sua, bene perseveraverunt usque in finem, nec potuerunt ad prævaricationem legis adduci blanditiis, aut tormentis. II *Mach.*, VII.

Firmissimum virginitatis propositum habuit Beata Virgo, quæ noluit consentire in conceptionem (*a*) tanti filii, donec intellexit quod hoc fieret, non viri opere, sed virtute Spiritus sancti. *Luc.*, I.

Ponit Dominus exemplum, *Luc.*, XIV, 30, de illo homine ab aliis illudendo, qui cœpit turrim ædificare, et non potuit consummare.

Cæcus ille natus, et a Domino illuminatus, constanter perseveravit contra Pharisæos veritatem confitens et defendens. *Joan.*, IX.

Omnes discipuli Domini erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, et Maria matre Jesu. *Act.*, I, 14.

Principes Judæorum videntes Petri constantiam, et Joannis, comperto quod essent homines sine litteris, et idiotæ, admirabantur. *Act.*, IV, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* conceptione.

Digitized by Google

Videns Barnabas quod multi Antiocheni erant ad fidem conversi, « gavisus est, et exhortabatur omnes in proposito cordis *permanere* in Domino. » *Act.*, XI, 23.

Paulus et Barnabas suadebant fratribus, « ut *permanerent* in gratia Dei. » *Act.*, XIII, 43.

Spiritus sanctus per omnes civitates protestabatur Paulo, quoniam vincula et tribulationes in Hierusalem sustinere debebat. « Sed nihil horum, inquit, vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, » etc. *Act.*, XX, 24.

CAPUT LXXXI.

De impatientia et murmure.

Agar ancilla Saræ, non ferens correptionem dominæ suæ, quæ affligebat eam, præ illius superbia fugam inivit; sed ad mandatum Angeli rediit. *Gen.*, XXVI.

Præpositi filiorum Israel dixerunt Moysi et Aaron : « Videat Dominus, et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone. » *Exod.*, V, 21.

Videntes Ægyptios filii Israel, dixerunt ad Moysen, *Exod.*, XIV, 11 : « Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, vel contulistis nos, ut moreremur in solitudine. »

Prima murmuratio filiorum Israel in deserto fuit pro defectu potus, *Exod.*, XV, 24 : « Murmuravit populus contra Moysen dicens : Quid bibemus? » Deinde pro cibo, *Exod.*, XVI, 2, 3 : « Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel, » etc. « Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? » Item, postquam misit Dominus populo coturnices et manna, murmuravit præ sitis angustia, *Exod.*, XVII. Cum patiebatur famem populus in deserto, cum murmure et impatientia recordabatur carnium, quas comederat in Ægypto; sed de durissima servitute, qua opprimebatur, non faciebat mentionem aliquam. *Exod.*, XVI.

Videns populus quod moram faceret descendendi Moyses de monte, congregatus adversus Aaron, ait : « Surge, fac nobis deos qui præcedant, » etc. *Exod.*, XXXII, 1.

« Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum; et accensus est in eos ignis Domini, et devoravit extremam castrorum partem. » *Num.*, XI, 1. Et nota perversitatem illorum dicentium, 5 : « Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, » cum tamen ita care emerent.

Post terribilem mortem Core et complicum suorum, multitudo murmuravit contra Moysen et Aaron, dicens : « Vos interfecistis populum Domini, » etc. *Num.*, XVI, 41.

Rursus, propter defectum potus et fructuum, murmuraverunt, et jurgati sunt filii Israel contra Moysen, ad aquas contradictionis. *Num.*, XX.

Videns Achitophel, quod non esset factum juxta consilium suum, in tantum impatiens fuit, quod recessit ab Absalom, et abiens in domum suam suspendio interiit. II *Reg.*, XVII.

Quia durius locuti sunt filii Juda cum illis de decem tribubus, separatus est omnis Israel a David, et secutus est Sebam filium Bochri, II *Reg.*, XX.

Cum dixisset Tobias de hœdo, quem balantem audivit : « Videte ne furtivus sit; » uxor ejus impatienter respondit. *Tob.*, II.

Sara, filia Raguelis, unam de ancillis pro culpa sua increpabat; et illa nimis injuriose respondit, dicens : « Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. » *Tob.*, III, 9.

Nuntiatum est Holopherni quod filii Israel præparavissent se ad resistendum, et furore nimio exarsit in iracundiam magnam, *Judith*, V. Item, cum cessasset loqui Achior, indignatus est Holophernes vehementer, *Judith*, VII.

Pro eo quod Mardochæus Aman noluit adorare, ille ita indignans, et impatiens fuit, quod visus est procurare mortem ejus et omnium Judæorum. *Esther*, III.

Videns Elihu quod amici Job, disputantes cum eo, non poterant eum convincere, ostendit multa signa impatientiæ verbis suis, *Job*, XXXIII.

Audiens Nabuchodonosor, quod socii Danielis auream statuam, quam fecerat, adorare nolebant, in ira et furore eos coram se adduci præcepit. *Dan.*, III.

« Audiens Herodes » natum esse regem Judæorum, « turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo, » *Matth.*, II, 3.

Discumbente Domino in domo Matthæi, murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes ad discipulos ejus : « Quare cum publicanis, et peccatoribus manducatis et bibitis? » *Luc.*, V, 30.

Simile habetur, *Luc.*, XV, 1, 2 : « Erant appropinquantes ad Jesum publicani, et peccatores, » etc. « Et murmurabant, » etc.

Item de Zachæo, *Luc.*, XIX, 7 : « Murmura-

Digitized by Google

bant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. »

Frater senior filii prodigi, audiens festum quod faciebat pater adolescentiori filio revertenti, « indignatus est, et nolebat introire. » *Luc.*, XV, 28.

« Videntes principes sacerdotum et Scribæ, miracula quæ Dominus faciebat (*a*), et pueros clamantes : Osanna filio David, indignati sunt, » etc. *Matth.*, XXI, 15 ; *Luc.*, XIX, 39.

Pharisæi videntes se per unum cæcum natum a Domino illuminatum, verbis efficacibus confutari, maledixerunt ei, et dixerunt : « Tu discipulus ejus sis ; » et post : « In peccatis natus es totus, et tu doces nos, » etc. *Joan.*, IX, 28, 34.

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, « eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, » etc. *Act.*, VI, 1.

CAPUT LXXXII.

De bello temporali, et victoria ut plurimum divinitus obtenta.

Abraham cum paucis sociis debellavit quatuor reges, qui tamen ita potentes erant, quod ipsi terras multas vastaverant, et (*b*) quinque reges de Pentapoli vicerant (*c*), et illos de Sodoma et Gomorra spoliaverant (*d*) ; ipse vero Abraham spolia recuperavit, et Loth nepotem suum liberavit. *Gen.*, XIV.

Nota quod in bello justo non tenetur homo inimicis suis pugnam prædicere, vel eos præmonere (*e*) ; imo etiam licet eis insidias tendere, sicut patet per Abraham, *Gen.*, XIV, et *Jos.*, VIII et X ; item *Judic.*, VIII, de Gedeone.

Contra Amalec filios Israel impedire nitentem, misit Moyses Josue ad pugnandum ; ipse vero in propria persona non ivit, sed in oratione remansit, et plus fecit orando, quam ille manibus feriendo. *Exod.*, XVII.

Filii Israel motu valde animoso aggressi sunt bellum contra Amalechitas et Chananæos, prohibente Moyse ; illi autem percutientes et concidentes filios Israel, persecuti sunt eos usque Horma. *Num.*, XIV.

Rex Arad pugnavit contra filios Israel, duxit inde prædam ; illi vero postea voto Domino se obligantes vicerunt, et urbes hostium subverterunt. *Num.*, XXI.

Ex præcepto Domini pugnantes filii Israel contra Madianitas, tantam victoriam habuerunt, quod triginta duo millia mulierum virginum habuerunt in præda ; et tamen de populo Israel non fuerunt nisi duodecim millia pugnatorum, de quibus nec unus quidem in prælio mortuus est. *Num.*, XXXI.

Vociferante populo, et clamante clangentibus tubis, sicut præceperat Dominus Josue, muri Jericho corruerunt, et sic capta est civitas. *Jos.*, VI.

Occasione prævaricationis Achan, filii Israel fugati fuerunt ab illis de civitate Hai. Post expiationem autem peccati, ad præceptum Domini capta fuit civitas, et subversa. *Jos.*, VII et VIII.

Cum pugnaret Josue contra quinque reges, qui venerunt ad destruendum Gabaonitas, misit Dominus super illos lapides magnos de cœlo, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. Tunc et ad vocem Josue stetit sol spatio unius diei, ut possent deleri funditus inimici. *Jos.*, X.

Notabile est autem quod licet, in acquisitione terræ promissionis, dicatur quod Josue percusserit omnem terram cum regibus suis, et quod præter Gabaon omnes debellando ceperit (*f*) ; tamen legituribi : « Dominus Israel pugnabat pro eo. » Unde, quamvis filii Israel manibus fortiter pugnarent, tamen Deo attribuebatur victoria. *Jos.*, X, XI, XII.

Post mortem Josue, filii Israel non leguntur ivisse ad prælium, nisi consulto prius Domino, et sic iverunt, et tradidit Dominus Chananæum et Pherezæum in manus eorum. *Judic.*, I.

Multas gentes dimisit Dominus inter filios Israel, ut erudiret in eis Israel, et omnes qui noverant bella Chananæorum, ut discerent filii eorum certare cum hostibus, et haberent consuetudinem præliandi. *Judic.*, III.

Suscitavit Dominus Israeli salvatorem, vocabulo Ahod, qui percussit Eglon regem Moab, et descenderunt cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente, qui dixit ad eos : « Sequimini me : tradidit enim Dominus inimicos vestros in manus nostras. » Et percusserunt de Moabitis circiter decem millia. *Judic.*, III, 27, 29.

Dixit Debbora ad Barach : « Surge ; hæc est enim dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus nostras. Perterruit enim (*g*) Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, » etc. *Judic.*, IV, 14, 15.

(*a*) *Vulg.* mirabilia quæ fecit. — (*b*) *Cæt. edit. add.* tamen. — (*c*) *Cæt. edit.* vicerunt. — (*d*) *Item* spoliaverunt. — (*e*) *Item* præmunire. — (*f*) *Item* cepit. — (*g*) *Vulg.* Perterruitque.

Digitized by Google

In trecentis viris, qui manu ad os projiciente aquas biberunt, liberavit Dominus Israel de manu Madian et Amalech, qui erant in maxima multitudine, tempore Gedeonis. *Judic.*, VII.

Abimelech, filius Gedeonis ex concubina, interfecit septuaginta fratres suos, ut solus posset dominari. Postea quædam mulier cerebrum ejus fregit, fragmen molæ jaciens super ipsum, cum obsideret turrim Sichem. *Judic.*, IX, 56 : « Reddidit Dominus malum, » etc.

Transivit Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos; quos tradidit Dominus in manus ejus, percussitque viginti civitates filiorum Ammon plaga magna nimis. *Judic.*, XI.

Ex magna fortitudine quam dedit Dominus Samsoni, plures mirabiles victorias obtinuit de Philisthæis, qui tunc gravi servitute opprimebant filios Israel. *Judic.*, XIII, XIV, XV et XVI.

Sexcenti viri de tribu Dan venerunt in Lais ad populum quiescentem atque securum, et percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul essent a Sidone, et cum nullo hominum haberent quidquam societatis et negotii, *Jud.*, XVIII.

Licet filii Israel juste moverentur contra filios Benjamin, et essent plures septuplum quam illi, tamen in fortitudine a numero confidentes, bis fuerunt ab eis debellati. Postea flentibus coram Domino, et jejunantibus, dixit eis Dominus : « Cras tradam eos in manus vestras, » et tunc plenam victoriam habuerunt deinceps. *Judic.*, XX.

Tempore Heli sacerdotis, filii Israel debellati fuerunt a Philisthæis; postea quasi tentantes Deum tulerunt arcam Domini secum; Philisthæi vero confortantes se mutuo, iterum vicerunt eos, et arcam Domini ceperunt. I *Reg.*, IV.

Clamante ad Dominum Samuele pro Israel, et sacrificium offerente ; « intonuit Dominus fragore magno super Philisthiim, et cæsi sunt Philistæi. I *Reg.*, VII, 10.

Cum obsessi essent viri de Jabes Galaad a Naas rege Ammonitarum, succurrit eis Saul; nam cum multis bellatoribus ingressus est castra in vigilia matutina, et sic dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. I *Reg.*, XI.

Videns Jonathas filius Saul stationem Philisthinorum, dixit ad armigerum suum :« Non est Domino difficile salvare in multis, vel in paucis. Et accidit quasi miraculum a Deo. » Fuit enim per eos multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. I *Reg.*, XIV.

Ad mandatum Samuel, percussit Saul Amalech vivum, omne autem vulgus interfecit. I *Reg.*, XV.

Audiens David quod Amalechitæ succenderant Siceleg, et captivas duxerant mulieres, consuluit Dominum, utrum deberet persequi latrunculos illos. Dixitque Dominus : « Persequere. » Et cum quadringentis viris debellavit eos, et prædam integraliter reduxit. I *Reg.*, XXX.

Post multas persecutiones iniquas, quas Saul in David commovit, Philisthiim pugnaverunt adversus eum, totumque pondus prælii versum est in Saul : arripuit autem gladium suum, et irruit super eum. Mortuus est ergo Saul, et tres filii, et universi viri ejus pariter. I *Reg.*, XXXI.

Crudele bellum fuit inter duodecim pueros ex parte David, et duodecim ex parte Isboseth filii Saul, quando mutuo se occiderunt. II *Reg.*, II.

Audierunt Philisthæi, quod David esset unctus in regem super Israel ; et ascenderunt universi, ut quærerent eum : qui consuluit Dominum, et percussit eos. Alia vice accidit ei simile, II *Reg.*, V. Postea percussit iterum Philisthæos, et tulit frenum tributi de manu eorum. Item percussit Moab, et factus est Moab serviens sub tributo. Item percussit regem Soba, et de Syria duodecim millia virorum : « servavitque Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus est. » II *Reg.*, VIII.

Videns Joab quod præparatum esset adversum se prælium, et ex adverso, et post tergum, dixit Abisai fratri suo : « Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorio; si filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi : esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri : Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. » Inito ergo prælio, fugerunt omnes adversarii Joab. II *Reg.*, X, 11, 13.

Bellum inhonestum habuit Absalom contra David patrem suum, et male successit ei et populo, qui eidem adhæsit. II *Reg.*, XVIII.

Benadad rex Syriæ cum triginta duobus regibus obsidebat Samariam, et victus fuit, et fugatus ad mandatum Domini, pugnantibus contra exercitum tantum pueris principum provinciarum, qui erant ducenti triginta duo. Sequenti autem anno venit iterum Benadad cum

Digitized by Google

maximo exercitu, et ceciderunt centum millia peditum de Syris, qui dixerunt : « Deus montium est Dominus, et non Deus vallium. » III *Reg.*, XX.

Cum esset congregatus rex Juda, et rex Israel, et rex Edom, ut pugnarent contra Moab, et magnum paterentur aquæ defectum; dixit Eliseus propheta : « Alveus iste replebitur aquis, et insuper tradet Dominus Moab in manus vestras. » Et ita factum est. IV *Reg.*, III.

Samaria tamdiu obsessa fuit a rege Syriæ, quod vendebatur caput asini octoginta argenteis; sed ad verbum Elisei fugati sunt Syri, et ex hoc habuerunt maximam rerum abundantiam. IV *Reg.*, VI et VII.

Rex Israel multoties debellaverat regem Syriæ; sed propter peccata hominum « cœpit Dominus tædere super Israel, et percussit eos Hazael rex Syriæ in universis finibus Israel. » IV *Reg.*, X, 32.

Amasias rex Juda, obtenta victoria de Edom, misit ad regem Israel provocans eum ad prælium; sed fuit ab illo fugatus, et magna pars murorum civitatis Hierusalem destructa fuit occasione elationis ipsius Amasiæ. IV *Reg.*, XIV.

Licet Jeroboam filius Joas, rex Israel, esset malus, tamen Dominus per manum illius salvavit eos, et multa bona fecit eis. IV *Reg.*, XIV.

Bene pugnavit Dominus pro Ezechia rege Juda, quando Angelus Domini una nocte percussit de exercitu Sennacherib regis Assyriorum centum octoginta quinque millia, et ipse Sennacherib post modicum tempus a filiis suis interfectus est. IV *Reg.*, XIX.

Abia rex Juda cum exercitu suo videns, quod instaret bellum ex adverso et post tergum, clamavit ad Dominum, ac sacerdotes tubis cœperunt canere; et perterruit Dominus Jeroboam et omnem Israel, et ceciderunt vulnerati ex Israel quingenta (*a*) millia virorum fortium, humiliatique sunt filii Israel, et vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino. II *Paral.*, XIII.

Egressus est contra Asa regem Juda Zara Æthiops cum exercitu suo decies centenis millibus; et invocavit Asa Dominum, dicens : « Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in multis, » etc. Exterruit itaque Dominus Æthiopes, et ruerunt usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, etc. II *Paral.*, XIV.

Congregati sunt filii Moab et filii Ammon, ut pugnarent contra Josaphat; at ille se totum contulit ad rogandum Dominum, etc., cumque cœpissent cantores Deum laudare, vertit Dominus insidias adversariorum in semetipsos, et mutuis vulneribus conciderunt. II *Paral.*, XX.

Phacee filius Romeliæ, rex Israel, occidit de Juda centum viginti millia in una die, omnes viros bellatores, eo quod reliquissent Dominum. II *Paral.*, XXVIII, 6.

Victoria quam dedit Dominus populo Israel per manum Judith famosa est (*Judith*, quasi per totum). Unde ipsa dixit, occiso Holopherne : « Dominus omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus fœminæ, et confodit (*b*) eum. » *Judith*, XVI, 7.

Videns Judas Machabæus exercitum Seron magnum, sociis timentibus, dixit : « Facile est concludi multos in manus paucorum, et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, aut in paucis, » etc. Et contritus est Seron et exercitus ejus. I *Mach.*, III, 18, 23.

Item Machabæus cum tribus millibus virorum, qui tegumenta et gladios non habebant, debellavit Gorgiam cum magno exercitu. *Mach.*, IV.

Item, sequenti anno, vicit Lysiam qui habebat in exercitu suo sexaginta millia electorum virorum et equitum quinque millia, facta oratione ad Dominum. Eum tamen nonnisi (*c*) decem millia hominum tunc habuisse legitur. I *Mach.*, IV.

Venit Bacchides in virtute multa, ut pugnaret contra Jonatham; et dixit Jonathas ad suos : « Pugnemus, et clamemus in cœlum, ut liberemur de manibus inimicorum nostrorum. » Quod et factum est. I *Mach.*, IX, 46, 49.

De Juda Machabæo satis notabile est, quod cum totiens pugnaverit, et tot probitates fecerit, quandocumque pugnaturus oravit, et divinum invocavit auxilium, semper vicit. In duobus autem præcipuis bellis orasse non legitur : unum fuit contra Antiochum Eupatorem, I *Mach.*, VII, secundum contra Bacchidem et Alcimum; et tunc ipse in prælio cecidit, et ceteri fugerunt, I *Machab.*, IX.

CAPUT LXXXIII.

De pusillanimitate.

Cum dixissent Angeli ad Loth : « In monte salvum te fac, » respondit ille : « Non possum

(*a*) *Cæt. edit.* quinquaginta. — (*b*) *Edit. Vatic.* tradidit in manu f., et confudit. — (*c*) *Cæt. edit.* nisi.

Digitized by Google

in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, » etc., *Gen.*, XIX ; et tunc pejus ei accidit.

Videntes filii Israel Ægyptios post se, timuerunt valde, licet vidissent tot mirabilia facta pro eis potestate divina. *Exod.*, XIV.

Loquente Domino Moysi in monte, populus audiebat voces, lampades et sonitum buccinæ, montemque fumantem ; et perterriti, ac pavore percussi, steterunt procul, dicentes Moysi : « Loquere tu nobis, et audiemus ; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. » *Exod.*, XX.

Relatione facta de conditione terræ promissionis, quod habebat cultores fortissimos, et urbes grandes atque muratas ; dixerunt illi de populo : « Utinam mortui essemus in Ægypto, » *Num.*, XIII et XIV ; et dixerunt : « Nuntii terruerunt nos, » sicut dicitur, *Deut.*, I.

Videns Balach rex Moab omnia quæ fecerant filii Israel Amorrhæo, et quod timuisset populus ejus, plus confisus in verbis, quam in armis, nuntios misit ad Balaam, ut veniret et malediceret filiis Israel. *Num.*, XXII.

Exploratoribus qui venerant ex parte Josue, dixit Rahab : « Novi quod tradiderit Dominus terram ; etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. *Jos.*, II, 9.

Postquam Achan tulerat de anathemate Jericho, fugaverunt viri Hai filios Israel, et corruerunt ex eis triginta sex homines, pertimuitque cor populi, et instar aquæ liquefactum est. Josue vero scidit vestimenta sua. *Jos.*, VII.

Gabaonitæ, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho et Hai, timuerunt, et venientes ad Josue, fecerunt pacta ad voluntatem illius. *Jos.*, IX.

Cum haberet Gedeon in exercitu suo triginta duo millia hominum clamantium, dixit : « Qui formidolosus et timidus est, revertatur. » Et reversi sunt ex populo duodecim millia. *Judic.*, VII, 3.

Saul et omnes Israelitæ, audientes sermones Goliath Philisthæi singulare certamen petentis, stupebant, et metuebant nimis. I *Reg.*, XVII.

Roboam rudis et corde pavido non potuit resistere exercitui, quem Jeroboam congregavit contra eum. I *Paral.*, XIII.

Cum audisset exercitus Assyriorum Holophernem esse decollatum, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt. *Judith*, XV.

Nuntiatum est domui David, quod rex Israel et rex Syriæ confœderati deberent contra Hierusalem pugnare ; et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut commoventur ligna sylvarum a facie venti. *Isa.*, VII, 2.

Onus Tyri describens Isaias, dicebat : « Formido (*a*), fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ. » *Isai.*, XXIV, 17.

Propheta Domini Jeremias ex parte Domini prophetavit Hierusalem capiendam esse. Dixerunt principes populi Sedeciæ : « Rogamus, ut occidatur homo hic. » Qui tanquam pavidus et miser, respondit eis : « Ecce ipse in manibus vestris, nec enim fas est regem vobis quicquam negare. *Jerem.*, XXXIII.

Darius rex Persarum statuit de consilio satraparum quoddam decretum ; quod cum transgressus esset Daniel, missus est in lacum leonum. Tamen displicuit regi : sed illis satrapis viriliter contradicere non audebat. *Dan.*, VI.

Videns Judas Machabæus, quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, confractus est corde, et in illo bello cecidit, nec legitur idem Judas alias timuisse, I *Mach.*, 9.

Nicanor contraxit amicitias cum Juda Machabæo : quod displicuit Antiocho regi, et mandavit Nicanori, ut vinctum mitteret ei Judam. Qui hoc invite faciebat : sed tamen voluntati regis resistere non audebat : unde, si potuisset, malam voluntatem regis implesset. II *Mach.*, XIV.

Ambulans super mare Petrus veniebat ad Dominum ; videns autem ventum validum, timuit, etc. *Matth.*, XIV, 30.

Pusillanimitas videtur fuisse in Nicodemo, quod ipse venit ad Jesum nocte, quasi non auderet venire de die. *Joan.*, III, 2.

Videntes discipuli capi Dominum, et ligari, relicto eo fugerunt omnes. Petrus autem sequebatur eum a longe, quia de prope non audebat. *Marc.*, XIV.

Arguit Dominus pusillanimitatem discipulorum, quia commotionem maris, ipso præsente, timebant, *Matth.*, VIII, 26 : « Quid timidi estis, modicæ fidei ? »

Nimis pusillanimis Petrus, quando ad vocem unius ancillæ Dominum, post tantæ audaciæ verba, negavit. *Matth.*, XXVI ; *Luc.*, XXII ; *Marc.*, XIV ; *Joan.*, XVIII.

Similiter adolescens ille amictus sindone, cum teneretur a ministris, maluit amittere sindonem, et nudus aufugere, quam amplius ibi remanere. *Marc.*, XIV.

(*a*) *Cæt. edit.* Fortitudo.

Digitized by Google

Parentes illius cæci nati a Domino illuminati responderunt timide Pharisæis, eo quod timebant extra synagogam fieri. *Joan.*, IX.

CAPUT LXXXIV.

De fortitudine ad faciendum malum.

Cain fuit fortior quam Abel, quando consurrexit adversus eum. *Gen.*, IV.

Multum laboraverunt illi quatuor reges, qui post magnam stragem hominum debellaverunt regem Sodomorum cum cæteris, et Loth nepotem Abrahæ captivum duxerunt. *Gen.*, XIV.

Abimelech filius Gedeonis magnam fatigationem sustinuit occidendo septuaginta fratres suos, et postea Sichimitas oppugnando, et deinde satis cito miserabiliter occisus est. *Judic.*, IX.

Multis et magnis laboribus et periculis Saul se exposuit ad persequendum David, et nunquam propositum obtinere potuit. I *Reg.*, XVIII et deinceps.

Absalom volens patrem suum expellere de regno, grande negotium arripuit, et pessime ei successit. II *Reg.*, XV, 17.

Excogitando et bellando multum laboravit Jeroboam ad hoc, quod populum Israel posset a domo David avertere, et aversum retinere. III *Reg.*, XII, XIII, XIV.

Terras multas perambulavit Holophernes et devastavit, ut eas posset imperii sui dominio subjugare; sed tandem una mulier decapitavit eum, etiam antequam propositum complevisset. *Judith*, quasi per totum.

Antiochus Epiphanes multum sustinuit, ut cultum Dei destrueret in Judæa; et tandem depauperatus et confusus, in aliena terra miserabili morte defunctus est. I *Machab.*, IX.

Non solum prudentiores, sed etiam ferventiores et potentiores filii hujus sæculii filiis lucis in generatione sua sunt frequenter : nam, discipulis dormientibus, Judas procurando traditionem Domini sollicitus vigilabat. *Matth.*, XXVI.

Principes sacerdotum multa sollicitudine, et labore fatigati fuerunt ad hoc quod possent extinguere, et ad nihilum redigere nomen Christi. Corruperunt enim custodes dominici sepulcri per copiosam pecuniam, quam dederunt, ut dicerent eum ejus discipulos fuisse furatum. *Matth.*, XXVIII.

Item discipulos ejus nunc sermonibus monuerunt, nunc carceribus (*a*) arctaverunt, nunc verberibus et contumeliis affecerunt, ut non loquerentur, nec docerent omnino in nomine Domini Jesu. *Act.*, III et IV.

Cum tribunus Lysias vinctum Paulum detineret, fuerunt amplius quam quadraginta Judæi qui voverunt se nihil gustaturos, donec occiderent Paulum : unde volebant quod Paulus produceretur in medium, ut, eo viso, statim cum impetu occiderent eum. *Act.*, XXIII.

CAPUT LXXXV.

De homicidio.

Nota quam graviter Deus homicidium Cain commissum punivit; et tamen nondum erat prohibitum aliqua lege scripta. *Gen.*, IV.

Occidit Cain Abel fratrem suum, Moyses Ægyptium, David Goliam, Joab Abner et Amasam, Salomon Semei et Adoniam, Herodes Joannem Baptistam, Petrus Ananiam et Saphiram, et considera varias intentiones et causas.

Voluit Dominus, ut homo mirabiliter abhorreret homicidium; unde et sanguinem cum carne comedere prohibuit. *Gen.*, IX, 4.

Homicida debet reputari quasi occisus; unde dixit Rebecca, *Gen.*, XXVII, 45 : « Cur utroque orbabor, » etc.

Si Zebee et Salmana fratres Gedeonis non occidissent, nequaquam post ab eodem occisi fuissent. *Judic.*, VIII.

Abimelec filius Jerobaal occidit septuaginta fratres suos, scilicet ut solus posset regnare, *Judic.*, IX. Sed ipse modico tempore dominatus fuit, et multa mala sustinuit, et male finivit.

Quia sacerdos Achimelech confortavit David fugientem, Saul ipsius David persecutor occidit eum cum multis aliis sacerdotibus, mulieribus et parvulis. I *Reg.*, XXII.

Occidi fecit David adolescentem, qui dixit se Saul occidisse, II *Reg.*, I.

Joab occidit Abner in ultionem (*b*) Asael fratris sui, quem ille occiderat, II *Reg.*, III.

Fecit occidi David Uriam per manum Joab, II *Reg.*, XI.

Absalom, invitans ad convivium Amnon fratrem suum, illum ibidem occidit, II *Reg.*, XIII.

Tantus est horror effundendi humanum sanguinem, quod licet David alias esset optimus, tamen noluit Dominus ut ædificaret ei templum, sed Salomon filius ejus, II *Reg.*, VII.

(*a*) *Cæt. edit.* nunc carceribus monuerunt, nunc sermonibus. — *Item* ultione.

Digitized by Google

Quamvis Joab fuerit miles probus, et domino suo valde fidelis, quia tamen occidit duos viros proditiose, omnes ejus gratiæ sunt pro nihilo computatæ; unde fecit eum occidi Salomon, licet teneret cornu altaris, III *Reg.*, II.

Procurante impia Jezabel, Naboth fuit crudeliter lapidatus. III *Reg.*, XXI.

Joas rex Juda jussit Zachariam filium Joiadæ sacerdotis a populo lapidari, cum tamen pater illius restituisset ei regnum, et Athaliam occidisset. II *Paral.*, XXV.

Duo senes presbyteri, qui mortem Susannæ nequissime cogitabant, convicti per Danielem a populo sunt occisi. *Dan.*, XIII.

Occidit Tryphon Jonatham, et duos filios ejus, cum tamen recepisset a Simone centum talenta argenti pro liberatione Jonathæ, et duos ejus filios pro obsidibus, I *Machab.*, XIII.

Ptolemæus filius Abobi fecit convivium Simoni summo sacerdoti, et duobus filiis ejus; et cum inebriati essent, proditorie occidit eos, I *Machab.*, XVI.

CAPUT LXXXVI.

De stragibus hominum diversis.

Terribilis hominum et aliorum animalium strages fuit, quando tempore Noe omnes homines, præter octo, perierunt diluvio, *Gen.*, VII.

Illi quatuor reges, qui debellaverunt quinque reges, magnam cædem hominum fecerunt, veniendo usque illuc, et pugnando contra illos, licet eorum numerus non sit scriptus. *Gen.*, XIV.

Quot homines perierunt in Ægypto diversis plagis, et submersi fuerunt in mari Rubro? Numerus per Scripturam non potest sciri, sed maximus debet existimari in (*a*) *Exodo*.

De sexcentis millibus hominum bellatorum, a viginti annis et supra, qui numerati sunt, *Num.*, I, nullus intravit in terram promissionis, exceptis Caleb et Josue; sed omnes interierunt variis calamitatibus in deserto.

Maximam cædem fecerunt filii Israel, præcepto Moysi, de Madianitis: quod per prædam quam rapuerunt potest deprehendi, quia viginti duo millia virginum sunt inventa; omnes autem mulieres corruptæ, et masculi fuerunt jugulati. *Num.*, XXXI.

Tempore Josue in ingressu terræ promissionis, tam in civitatibus, quam in campis, fuit apud homines infinitus occisorum numerus.

Temporibus etiam Debboræ, Gedeonis et Jephte, judicum Israel, fuerunt multi occisi, quamvis certus numerus eorum non possit haberi.

Occasione uxoris Levitæ, fuerunt occisi sexaginta quinque millia hominum bellatorum, præter mulieres et parvulos, qui omnes in (*a*) tribu Benjamin perierunt. *Judic.*, XX.

In diebus Heli, quando capta fuit arca Domini, ceciderunt de Israel triginta millia peditum pugnatorum. I *Reg.*, IV.

Saul, qui Amalech delevit, plurimos ibi occidit. I *Reg.*, XIV. Et postea, interfecto Goliath Philisthæo, multi fuerunt Philisthæi interfecti, I *Reg.*, XVII. In morte autem Saul, et filiorum ejus, multi de Israel ceciderunt. I *Reg.*, XXXI.

David de Syris, et de filiis Moab, et de Ammon, et de Philisthæis sanguinem multum fudit, sicut patet in (*a*) diversis locis secundi libri *Regum*.

Peccato elationis David in enumeratione populi, ceciderunt septuaginta millia virorum, II *Reg.*, XXIV.

Congregatis triginta duobus regibus, et nimia multitudine pugnatorum, Benadad rex Syriæ bis fugatus fuit ab Achab rege Israel, et secunda vice centum millia peditum ex parte Syriorum occisi fuerunt. III *Reg.*, XX.

Abia rex Juda, et exercitus ejus, vulneraverunt uno die de exercitu Jeroboam quingenta millia virorum fortium, II *Paral.*, XIII.

Asa rex Juda habuit in exercitu suo quinquaginta octo millia; Æthiopes vero fuerunt decies centum millia: et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. II *Paral.*, XIV.

Rex Israel Phacee, filius Romeliæ, occidit de Juda centum millia virorum bellatorum in die una, eo quod dereliquissent Dominum. II *Paral.*, XXVIII.

Quando Salmanasar cepit Samariam, et transtulit filios Israel in Assyrios, item quando Nabuchodonosor cepit Hierusalem, et captivaverat regem Juda, satis verisimile est multos homines ibi corruisse, licet numerus non sit certus.

Occasione superbi et crudelis Aman, qui propter solum Mardochæum voluit cunctos jugulare Judæos, occiderunt Judæi in regno Assueri septuaginta quinque millia hominum, quos suos reputabant inimicos, *Esth.*, IX.

Misit Jonathas Demetrio apud Antiochiam

(*a*) *Leg.* ex.

Digitized by Google

tria millia virorum in auxilium, contra illos de civitate, qui volebant Demetrium occidere, et occisi sunt in una die centum millia hominum. I *Mach.*, XI.

Tanta cædes hominum fuit in Hierusalem, quando Antiochus Epiphanes eam cœpit, quod in toto triduo fuerunt octoginta millia hominum interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati, II *Machab.*, V.

Adversus Galatas in Babylone sex millia hominum tantum peremerunt centum viginti millia hominum propter auxilium eis datum de cœlo, II *Mach.*, VIII, 20.

Præter prælia, quæ commisit Judas Machabæus contra Apollonium, et contra Seron principem exercitus Syriæ, de quibus agitur, I *Mach.*, III, legitur ipse Machabæus duodecim speciales habuisse conflictus, videlicet ab octavo cap. secundi *Machabæorum*, usque ad finem, in quibus primo ceciderunt novem millia hominum de illis, qui erant cum Nicanore; deinde viginti millia cum Timotheo et Bacchide; postea vero viginti quinque millia de Idumæis; iterum de Idumæis viginti millia, in duabus turmis minutis; consequenter viginti unum millia cum Timotheo; item viginti duo millia cum Lysia; postea viginti millia, in quodam præsidio Timothei; item triginta millia cum Timotheo; deinde viginti quinque millia in Carnion civitate fortissima; item in alia civitate, nomine Ephron, viginti quinque millia; postea in castris Antiochi Eupatoris interfecit quatuor millia; tandem occisus est Nicanor cum triginta quinque millibus pugnatorum. Summa omnium, duo et centum triginta (*a*) sex millia hominum, præter illos, qui quandoque de Judæ exercitu ceciderunt; item illos (*b*), qui in diversis munitionibus et præliis occubuerunt, quorum certus numerus non habetur. Non computantur hic etiam illi, qui in alio prælio contra Bacchidem et Alcimum mortui sunt, ubi commissum est prælium a mane usque ad vesperam, ubi etiam dicitur, quod Judas cecidit, et cæteri fugerunt, I *Machab.*, IX.

CAPUT LXXXVII.

De abstinentia et sobrietate.

Præcepit Dominus Adam, dicens: « Ex omni ligno paradisi comede; de ligno scientiæ boni et mali ne comedas. » *Genes.*, II, 16, 17. In quo abstinentia commendatur, dum non omni cibo voluit Deus hominem uti etiam in paradiso.

Moyses fuit cum Domino quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, *Exod.*, XXIV, et non manducavit, neque bibit. Abstinentia est bona dispositio ad percipiendas revelationes divinas, et (*c*) homo refectus divina consolatione solet corporales delicias abhorrere.

Filios Israel præcepit Dominus a multis cibis abstinere, *Levit.*, XI.

Vir sive mulier, cum votum fecerint (*d*), ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino, et ab omni illo quod inebriare potest, abstineant, *Num.*, VI.

Uxori Manue filium liberatorem populi concepturæ Angelus apparens abstinentiam indixit, *Judic.*, XIII.

Filii Israel de undecim tribubus, primo et secundo a filiis Benjamin debellati, postea fleverunt coram Domino, et jejunaverunt die illo, et (*e*) prævaluerunt in eos. *Judic.*, XX.

Philisthæi tempore Heli debellaverunt filios Israel una vice et altera, et arca Domini fuit capta, I *Reg.*, IV. Postea tertio congregati sunt Philisthæi sub Samuele; sed filii Israel jejunaverunt die illa, atque dixerunt: « Tibi peccavimus, Domine, » etc. Sequitur quod cæsi sunt a filiis Israel. I *Reg.* VII.

Populus Israel erat in castris esuriens, et erat mel per agrum; nullus comedit de eo, præter Jonatham filium Saul. I *Reg.*, XIV.

Cum desiderasset David aquam de cisterna Bethlehem allatam, postea noluit bibere, quia nimis avide concupierat eam. II *Reg.*, XXIII.

Uxor Jeroboam vadens ad Ahiam prophetam, etc., tulit decem panes, et vas mellis. Non fit ibi mentio de carnibus, quia supponebat prophetam non vesci talibus cibis. III *Reg.*, XIV.

Tenuis victus sufficiebat Eliæ, qui petiit a vidua Sarephtana paululum aquæ et buccellam panis. III *Reg.*, XVII.

Notabile est, quod Eliam paverunt corvi bis in die, III *Reg.*, XVII. Sed Angelus Domini ostendit ei panem, et non carnes, et vas aquæ semel tantum. III *Reg.*, XIX.

Audiens Achab comminationem factam sibi a Domino per Eliam prophetam, et post occisionem Naboth, operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambula-

(*a*) *Leg.* bis centum et quinquaginta.— (*b*) *Cæt. edit.* illos. — (*c*) *Item.* ut.— (*d*) *Item* fecerit.— (*e*) *Item* etc.

Digitized by Google

bat demisso capite ; propter quod illam, quam comminatus fuerat, temperavit pœnam, III *Reg.*, XXI.

Congregati sunt filii Moab, et filii Ammon, et cum eis de Ammonitis, ut pugnarent contra Josaphat regem Juda. Quod ille audiens, totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit jejunium in universo Juda. Sequitur quod per jejunium victoriam obtinuit. II *Paral.*, XX.

Esdras prædicavit jejunium, et fecit quod omnes affligerent animas suas, quia petituri erant a Domino, ut viam rectam et prosperam daret eis, I *Esd.*, VIII. Sequitur : « Jejunavimus, et rogavimus Dominum nostrum pro hoc, et evenit nobis prospere. »

Rogaturus Nehemias Artaxercem regem pro civitate sua, ut muri ejus possent reparari, dicit de seipso : « Jejunabam, et orabam ante faciem Dei cœli. » *Nehem.*, I.

Convenerunt filii Israel in jejuniis et in saccis, et humus super eos, et steterunt, et confitebantur peccata sua, et legerunt in volumine legis, etc. *Nehem.*, IX.

Dum esset factum prandium bonum in domo Tobiæ, et audissent unum de filiis Israel jugulatum jacentem in platea, statim exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus venit ad corpus. *Tob.*, II, 3.

De Tobia Juniore, et sociis ejus, ac cæteris amicis dicitur, *Tob.*, IX, 12 : « Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. » Angelus postea, *Tob.*, XII, 8, dixit utrique Tobiæ : « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. »

Audientes filii Israel terribilem potentiam Holophernis, « humiliaverunt animas suas in jejuniis. » *Judith*, IV, 8.

De Judith etiam dicitur, quod « jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. » *Judith*, VIII, 6.

Locutura ad regem Assuerum Esther, dixit Mardochæo : « Congrega omnes Judæos quos in Susan repereris, et orate pro me; non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus, et ego cum ancillulis meis similiter jejunabimus. » *Esth.*, IV, 16.

Commendatur a Domino abstinentia Rechabitarum, quia noluerunt bibere vinum, sicut præceperat eis pater eorum. *Jerem.*, XXXV.

« Baruch legit verba libri sui ad aures Jechoniæ filii Joachim regis Juda, et ad aures universi populi. Qui audientes plorabant, et jejunabant, et orabant in conspectu Domini. » *Baruch*, I, 3, 5.

Duram dietam imposuit Dominus Ezechieli prophetæ, dicens : « Sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam, » etc. *Ezech.*, IV, 9.

« Proposuit Daniel ne pollueretur de mensa regis. » Sequitur : « Pueris illis dedit Deus scientiam in omni libro, » etc. *Dan.*, I, 8, 17.

De seipso loquens Daniel, ait : « Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere. » *Dan.*, IX, 3. Et tunc percepit (*a*) specialem revelationem de incarnatione et occisione Christi.

Daniel tres hebdomadas panem desiderabilem non comedit, et caro et vinum non introierunt in os ejus, et tunc mirabilem ostendit ei visionem Deus. *Dan.*, X, 3.

Gregorius, in homilia XXX[1], dicit, quod Spiritus sanctus implevit abstinentem puerum, et judicem senum fecit, sicut apparet, *Dan.*, XIII, de duobus malis senibus.

Panem et pulmentum misit Dominus per prophetam Habacuc Danieli posito in lacu leonum, non carnes, aut alia cibaria. *Dan.*, XIV, 32.

Eleazarus, vir ætate provectus, maluit occidi crudeli morte, quam carnes porcinas comedere, vel etiam simulare se comedisse. II *Mach.*, IV.

Contigit septem fratres cum matre sua compelli a rege carnes porcinas contra legem manducare. Illi vero magis elegerunt crudelissima sustinere tormenta. II *Mach.*, VII.

De beato Joanne Baptista dicitur, quod escæ ejus erant locustæ et mel silvestre, *Marc.*, I, 6. Qui propter multam abstinentiam in cibo et potu, dicebatur quasi non manducans, nec bibens. *Matth.*, XI, 18.

Anna prophetissa, filia Phanuel, inter cætera commendatur, quia non discedebat a templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. *Luc.*, II, 37.

Salvator noster statim post baptismum ductus est in desertum, et ibi jejunavit, donec esuriit. *Matth.*, IV, et *Luc.*, IV, contra multos qui jejunant cum fœditate conscientiæ, vel nolunt tempore jejunii esuriem sustinere.

Ad commendandum sobrietatem, quæ est in esu piscium et in abstinentia a carnibus, multum facit, quod Dominus in Evangelio pluries

(*a*) *Cæt. edit.* præcepit.

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, post med.

Digitized by Google

multiplicavit pisces, non carnes; unde, *Luc.*, v, 6, ad præceptum Domini concluserunt mutitudinem piscium copiosam. Præterea panes et pisces bis multiplicasse legitur, nunquam carnes : *Matth.*, xiv, de quinque panibus et duobus piscibus; de eodem miraculo, *Marc.*, vi; *Luc.*, ix; item de eodem, *Joan.*, vi. De septem autem panibus, et paucis pisciculis ab ipso Domino multiplicatis, habetur *Matth.*, xv; *Marc.*, viii.

Post resurrectionem etiam, septem discipulis piscantibus, et nihil prehendentibus, manifestavit se Salvator, dicens : « Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. » Et traxerunt rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, *Joan.*, xxi. Et de illis piscibus dedit Dominus discipulis suis. Populo autem Judaico, tanquam carnali et de carne curanti, dedit Deus carnes ad vescendum, licet in malum ipsius. *Exod.*, xvi.

Multum valet abstinentia ad hoc, quod homo possit vigilare facilius et orare. Nam post cœnam increpavit Dominus discipulos suos, dicens : « Non potuistis una hora vigilare mecum. » *Matth.*, xxvi; *Marc.*, xiv; *Luc.*, xxii.

Salvator noster, cujus actio est nostra instructio, nunquam carnem legitur comedisse, nisi de agno paschali, et de pisce uno sibi oblato ad manducandum. *Luc.*, xxiv, et *Joan.*, xxi.

Mittens Dominus discipulos ad prædicandum, dixit, *Luc.*, x, 5-7 : « In quamcumque domum intraveritis, » etc., « edentes et bibentes quæ apud illos sunt; » hoc est, ut essent contenti cibariis, quæ haberent, non curiose alia quærerent.

Volens Petrus rationabiliter ostendere, quod discipuli Spiritui sancto pleni, non essent ebrii, dixit, quia hora diei tertia erat : dans intelligere, quod ante horam tertiam inconveniens est manducare. *Act.*, ii, 15.

Cum esuriret Petrus in domo Simonis coriarii, cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, etc. Et forte, si satur fuisset, illam visionem utilem non vidisset : in qua etiam visione, oblata sibi animalia secundum legem vetita comedere renuit; quamvis, ut dictum est, esuriret. *Act.*, x.

Erant in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, etc. Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : « Segregate mihi Barnabam et Saulum, » etc. *Act.*, xiii, 1, 2.

(a) *Vulg.* Sedit.

CAPUT LXXXVIII.

De gula et ebrietate.

Primum hominis peccatum vitio gulæ fuit completum, *Gen.*, iii.

Noe, « bibens vinum, inebriatus et nudatus est in tabernaculo suo, » *Gen.*, ix, 21.

Loth inebriatus incestum cum filiabus commisit, *Gen.*, xix.

Esau pro lentis edulio vendidit primogenita sua, *Gen.*, xxv.

Stetit (a) populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. » *Exod.*, xxxii, 6.

Dixit Dominus Aaron : « Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. » *Levit.*, x, 9.

Quicumque fecerat votum in lege, et se volebat Domino consecrare, a vino et ab omni illo quod inebriare potest, abstinere debebat, *Num.*, vi, 3.

Flagrabat populus desiderio carnium sedens et flens, et ait : « Quis dabit nobis ad vescendum carnes, » etc. *Num.*, xi, 4.

Prima tentatio filiorum Israel in deserto fuit de potu, *Exod.*, xvi; secunda, de cibo, *Exod.*, xvii; et postea simili occasione multotiens peccaverunt.

In trecentis viris, qui aquas lambuerunt, et moderate biberunt, liberavit Dominus Israel de manu Madian. *Judic.*, vii.

In epulis sunt homines audaciores et loquaciores. *Judic.*, ix, 27 : « Inter epulas et pocula maledicebant Abimelech, » etc.

Epulantibus Philisthiim, domus cecidit super eos. *Judic.*, xvi.

Volebant filii Heli carnes crudas ab offerentibus accipere, ut eas sibi lautius præpararent. I *Reg.*, ii.

Comedit Jonathas modicum mellis contra inhibitionem patris; et ideo occisus a patre fuisset, nisi populus occurrisset. I *Reg.*, xiv.

Amnon filius David, in convivio Absalom, temulentus fuit occisus. II *Reg.*, xiii.

Benadad rex Syriæ temulentus in suis castris habebat maximam multitudinem bellatorum; et tamen victus fuit et fugatus per pueros principum provinciarum. III *Reg.*, xx.

Videns Zambri Dominum suum regem Israel temulentum, occidit eum. III *Reg.*, xvi.

« Comederunt, et saturati sunt, et impinguati,

Digitized by Google

et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam. » *Nehem.*, IX, 25, 26.

« Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud : seducit mentem. Itemque regis et orphani facit mentem vanam. » III *Esdr.*, III, 18, 19.

Holophernes « bibit vinum multum nimis una die, quantum nunquam (*a*) biberat in vita sua. » Et post pauca sequitur : « Erat Judith sola in cubiculo, porro Holophernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus ; » quo facto Judith habuit opportunitatem occidendi eum. *Judith*, XII et XIII.

Egressus est Aman a convivio Esther reginæ lætus et alacer ; sed in crastino fuit tristis et confusus, cum decem filiis patibulo crucis affixus, *Esth.*, V.

Noverat Job multa in conviviis sæpe committi peccata ; et idcirco, postquam epulati fuerant (*b*) filii ejus, consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis (*c*). *Job*, I, 5.

Pro tempore illo quo debebat destrui Hierusalem, dicitur, *Isa.*, XXII, 12, 13 : « Vocabit Dominus ad fletum, et ad planctum ; et ecce gaudium, et lætitia, occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. »

« Sacerdos et propheta nesciere (*d*) præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitus (*e*) sordiumque, » etc. *Isa.*, XXVIII, 7, 8.

Ptolemæus filius Abobi fecit convivium Simoni summo sacerdoti, et duobus filiis ejus, et cum inebriati essent, occidit eos. I *Mach.*, XVI.

Primi parentes per esum ligni vetiti peccaverunt, *Gen.*, III.

Filii Israel venientes in desertum, primo pro aquis amaris, deinde pro defectu cibi murmurasse leguntur. Similiter in tentatione Domini, tam secundum Matthæum, quam secundum Lucam, prima fuit : « Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. » *Matth.*, IV, et *Luc.*, IV.

Herodes natalis sui cœnam fecit ; filia vero Herodiadis ibi saltavit, et Herodi simulque discumbentibus placuit ; qua occasione decollatus est Joannes Baptista ad petitionem ipsius saltatricis. *Matth.*, XIV ; *Marc.*, VI.

Spiritus immundi loca immunda diligunt ; unde dæmoniacus ille, qui habebat legionem in corpore, habitabat in monumentis, *Luc.*, VIII. Et dæmones illi rogabant Dominum, ut exeuntes mitterentur in porcos, non in boves, vel in agnos, qui sunt munda animalia, mundo vescentes cibo.

Contra edaces, comessationibus vacantes, multum valet exemplum divitis epulonis, qui querebatur se pati in lingua spiritualem cruciatum, *Luc.*, XVI.

Non est mirum, si post magnas cœnas et comessationes splendidas multi non vigilant, nec orant, cum etiam discipuli post cœnam cum Domino celebratam non potuerint una hora vigilare cum eo, *Matth.*, XXVI ; *Marc.*, XIV ; *Luc.*, XXII.

CAPUT LXXXIX.

De matrimonio.

Quod uxor debeat viro suo esse socia æqualis quoad multa, non domina vel ancilla, patet per hoc, quod Evam formavit Dominus de costa Adæ, non de capite vel pede. Item patet quod vir est caput uxoris, quia fuit quodammodo principium essendi, et facta est mulier de viro, non vir de muliere. Item debet esse vir magister et doctor ; unde præceptum a Deo fuit datum Adæ, et per Adam Evæ. *Gen.*, II.

Quod unus vir tantum unam uxorem habere debeat, ostendit Dominus dicens : « Erunt duo in carne una. » *Gen.*, II, 24.

Ante diluvium solus Lamech legitur duas habuisse uxores, *Gen.*, IV.

In arca Noe tot viros quot mulieres jussit Dominus reservari, ut videlicet esset unica uni, *Gen.*, VII.

Ægyptii tempore Abrahæ plus abominari videbantur adulterium, quam homicidium ; unde timebat Abraham ne eum occiderent, et postmodum Sarai uxorem suam Pharaoni offerrent, quasi nollet ipsam cognoscere, quamdiu ipsam crederet virum habere. *Gen.*, XII.

Sara uxor Abrahæ obediebat ipsi marito, et dominum eum vocabat, *Gen.*, XII et XVIII, et I *Pet.*, III, 6. Ipse etiam Abraham interdum illius votis condescendebat, *Gen.*, XVI et XXI.

Propter Saram uxorem Abrahæ flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis. Item Abimelech Dominus minando per somnum exterruit, *Gen.*, XX.

Consensus exigitur ad matrimonium. *Gen.*,

(*a*) *Cæt. edit.* unquam. — (*b*) *Cæt. edit.* fuerunt. — (*c*) *Item* per singulos. — (*d*) *Vulg.* nescierunt. — (*e*) *Cæt. edit.* vomitu.

Digitized by Google

XXIV, 57 : « Vocemus puellam, et audiamus ipsius voluntatem. »

Ille blasphemus qui fuit lapidatus in deserto, fuit filius Israelitidis de viro Ægyptio generatus, *Levit.*, XXIV, 10. Per hoc haberi potest, quod non expedit de diversis ritibus matrimonia copulare, quia pueri inde nati male imbuuntur.

Secretum quod Samson parentibus suis dicere noluit, uxor ejus extorsit ab eo in damnum ipsius, *Judic.*, XIV.

Dixit Helcana ad Annam : « Numquid non ego melior sum tibi, quam decem filii ? » I *Reg.*, I, 8.

Nabal durus et pessimus, et stultus, habuit uxorem Abigail, quæ erat prudentissima et speciosa, I *Reg.*, XXV.

Quamvis haberet David multas uxores, tamen adulterium cum Bethsabea (*a*) commisit, II *Reg.*, XI.

Joram rex Juda fecit malum coram Domino, et « ambulabat in viis Achab; » et subditur causa hujus : « Filia enim Achab erat uxor ejus. » IV *Reg.*, VIII, 18.

Filii transmigrationis qui duxerant uxores alienigenas, secundum mandatum Esdræ dimiserunt eas, I *Esdr.*, X.

Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos, et maledixit eos, et verberavit aliquos, et decalvavit, *Nehem.*, XIII.

Sara filia Raguel dicebat in oratione sua : « Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. » *Tob.*, III, 18.

Dixit Angelus Tobiæ : « In eos qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente repellant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus, habet potestatem dæmonium. » *Tob.*, VI, 17.

Prima nocte qua introductus est Tobias Junior cum uxore, hortatus est virginem, dicens : « Sara, surge et deprecemur Deum hodie, cras, et secundo cras, quia istis tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem transacta nocte, erimus in nostro conjugio. » *Tob.*, VIII, 5.

Honestam causam ducendi uxorem exposuit Angelus Tobiæ : « Accipies virginem cum timore Domini, et amore filiorum magis quam libidine ductus. » *Tob.*, VI, 22.

Parentes Saræ monent eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem custodire. *Tob.*, X.

Mulieres translatæ de terra Juda in Ægyptum, quæ sacrificabant reginæ cœli, excusabant se per viros suos, qui similia faciebant. *Jerem.*, XLIV.

Pro servanda fide matrimonii, Susanna exposuit se morti et infamiæ, nisi per Danielem justus Dominus ei succurrisset. *Dan.*, XIII.

Salvator noster convivio nuptiarum voluit interesse, *Joan.*, II, 2.

Joannes Baptista fuit decollatus, quia Herodem de adulterio arguebat, *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

Quærentibus Pharisæis, si liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, dixit Dominus : « Quos Deus conjunxit, homo non separet. » *Matth.*, XIX, 6.

Inter illos qui ad cœnam vocati fuerant (*b*), et non iverant, ille, qui uxorem duxit, non rogavit se excusatum haberi, quia status ille hominem vehementer allicit, et sæpe retrahit a divinis, *Luc.*, XIV.

Quantum ad actum conjugalem, ad paria vel similia judicat Apostolus Paulus virum et uxorem, I *Cor.*, VII : « Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir : similiter vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, » etc.

Ananias, conscia uxore sua Saphira, fecit fraudem de pretio agri venditi; sic ambo gravissime sunt puniti. *Act.*, V.

CAPUT XC.

De castitate.

Quamdiu primi parentes in paradiso fuerunt, virgines extiterunt; sed ipsis ejectis, dicitur, *Gen.*, IV, 1 : « Adam cognovit Evam uxorem suam. »

Cum Sichem violasset Dinam filiam Jacob, fratres ejus turbati sunt valde, eo quod fœdam rem esset operatus in Israel, et violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset; tandem et violatorem et patrem ejus, et eorum populum occiderunt. *Gen.*, XXXIV. Nota quod hoc fuit ante legem scriptam sub lege naturæ; quantum ergo sub lege gratiæ virginitas debet honorari, et stuprum puniri ?

Quamvis Joseph esset filius emptitius, et elegantis formæ juvenis sine uxore, tamen sollicitatus a domina sua recusavit stuprum, et maluit

(*a*) *Cæt. edit.* Bethsabe. — (*b*) *Item.* fuerunt.

Digitized by Google

eam offendere, et in carcerem trudi, quam perdere castitatem. *Gen.*, XXXIX.

Judas, qui castus non erat, detestatus est fornicationem Thamar, *Gen.*, XXXVIII, 24.

Post debellationem Madianitarum factam per Phinees et alios pugnatores, jussit Moyses mulieres corruptas jugulari, et virgines reservari, *Num.*, XXXI.

Mundi esse debebant maxime a mulieribus, qui panes sacerdotales comedebant, I *Reg.*, XXI, 4.

Quando mulier Sunamitis hospita Elisei volebat ei loqui, mittebat ad eam Eliseus puerum suum, quasi vitans colloquia mulierum, IV *Reg.*, IV.

Sara in oratione dicebat, *Tob.*, III, 16: « Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servari animam meam ab omni concupiscentia, » etc.

Mortuo viro suo, Judith alium nescivit, et semper castitatem amavit. Sed nota quod faciebat: quia cum puellis suis clausa manebat, et habens cilicium super lumbos suos, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. *Judith*, VIII.

Graviter fuit pulsata ab illis senibus Susanna; sed suæ castitati, nec famam, nec vitam præponendam esse putavit. *Dan.*, XIII.

Ad hoc quod nullus de sola castitate confidat, illud valere potest, quod de virginibus evangelicis tot fuerunt fatuæ, quot prudentes, *Matth.*, XXV, 2.

Beata Virgo ab Angelo venerabiliter salutata, non est oblita voti et propositi castitatis, licet Angelus promitteret ei, quod ex ea Filius Altissimi nasceretur, *Luc.*, I.

Per hoc, quod Salvator dixit, quia « in futuro sæculo neque nubent, neque nubentur; » patet quod illi beatæ virgines specialiter appropinquant. *Matth.*, XXII, 30; *Luc.*, XX, 35.

Castitatis argumentum fuit in beato Stephano, quia ipse ab Apostolis ad custodiam mulierum, etc. *Act.*, VI.

CAPUT XCI.

De luxuria et incontinentia.

Peccatum carnis præcipua videtur fuisse causa propter quam Deus diluvio delevit mundum, *Gen.*, VI, 12: « Omnis caro corruperat viam suam. »

Nota quot et quanta evenerunt pro ardenti amore Sichem filii Hemor, qui Dinam violenter oppressit, *Gen.*, XXXIV.

Luxuriosi quandoque detestantur luxuriam in aliis, ut patet de Juda, qui dixit de Thamar: « Producite eam, ut comburatur. » *Gen.*, XXXVIII, 24.

Occasione uxoris Levitæ, a viris Belial in Gabaa Benjamin incredibili libidinis furore vexatæ, occisi sunt plusquam sexaginta millia hominum, *Judic.*, XX.

Isboseth filius Saul redarguit Abner, quia ingressus fuerat ad concubinam patris sui. Abner autem iratus super hoc, procuravit ei auferri terram, et cito post amisit uterque personam. II *Reg.*, III et IV.

David captus amore Bethsabeæ uxoris Uriæ, cum illa adulterium, et cum proditione homicidium perpetravit, II *Reg.*, XI.

Amnon filius David pro amore Thamar sororis suæ ægrotavit, et postea illam oppressit, et sic eam nequiter effugavit; et tamen ipsemet hac de causa occisus fuit. II *Reg.*, XIII.

Detestabilem luxuriam commisit Absalom cum concubinis patris sui, II *Reg.*, XVI.

« Adamavit Salomon mulieres alienigenas multas, » etc. Sequitur, quod ita damnatum est cor ejus per eas, ut coleret deos earum. III *Reg.*, XI, 1 et seq. Sed nota damna, quæ inde passus est: cum enim prius sapientissimus fuerit, adeo infatuatus est, ut sequeretur deos earum; cum prius amabilis Domino, cor ejus depravatum est, et iratus est Dominus contra eum; cum prius esset ditissimus, multa bona consumpsit in ædificando templa idolis nationum; cum prius esset nominatissimus in bono, postea fuit usque hodie fœdatus opinione. *Eccli.*, XLVII.

Dixit Angelus Tobiæ Juniori: « In eos, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus, habet potestatem dæmonium. » Quid ergo de fornicatoribus et adulteris, qui nihil aliud intendunt, nisi fœdam suam explere libidinem? *Tob.*, VI, 17.

Stetit Judith ante faciem Holophernis; cor autem Holophernis concussum est; erat enim ardens in concupiscentia ejus, etc. *Judith*, XII.

Duo senes presbyteri ita fuerunt amore Susannæ decepti, quod quando illa voluntatem eorum facere recusavit, mortem illius procurare conati sunt. *Dan.*, XIII.

Tempore Antiochi templum luxuria et comessationibus erat plenum, et scortantium cum

Digitized by Google

meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, II *Mach.*, VI, 4.

Occasione Herodiadis, quam contra legem duxerat Herodes, Joannes Baptista decollatus fuit ad instantiam saltantis mulieris. *Matth.*, XIV ; *Marc.*, VI.

Spiritus immundi loca immunda diligunt; unde rogaverunt Dominum Jesum ut permitteret eos intrare porcos, non in boves, vel agnos quæ sunt animalia munda. *Matth.*, VIII; *Luc.*, VIII.

Inter alios qui vocati fuerunt ad magnam cœnam, nec iverunt, ille qui uxorem duxit, non petiit se excusatum haberi; per quod patere potest quam longe sunt a cœna Dei luxuriosi homines et (a) immundi, si ducere uxorem ita homines implicat et involvit, quod quasi nihil aliud cogitare possunt. *Luc.*, XIV, 20.

Exemplo filii prodigi, qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose, patet quod illud peccatum depauperat. Unde dicitur, *Luc.*, XV, quod ipse cœpit egere. Item vilificat; nam sequitur, quod ipse pascebat porcos, etc. Item non extinguit ardorem libidinis, sed accendit; dicitur enim ibi : « Cupiebat implere ventrem suum siliquis, quas porci manducabant, » etc.

CAPUT XCII.

De incauto aspectu.

Prima mulier viso ligni vetiti fructu pulchro, tulit de illo pulchro, et comedit. *Gen.*, III, 6.

Pulchritudo visa mulierum fuit occasio multorum malorum, *Gen.*, VI, 2 : « Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, » etc.

Ex eo quod Cham filius Noe vidit verenda patris, et ipsum nudatum esse fratribus nuntiavit, maledictionem patris incurrit. *Gen.*, IX, 25.

Abraham dixit Sarai uxori suæ : « Novi quod pulchra sis mulier, et quod cum viderint te Ægyptii, interficient me, et te reservabunt. » *Gen.*, XII, 11.

Volens videre regionis mulieres Dina, visa et corrupta fuit. *Gen.*, XXXIV.

Judas vidit Thamar in bivio, et cum ea peccavit. *Genes.*, XXXIII.

Domina cui serviebat Joseph, oculos in eum injecit. *Genes.*, XXXIX, 7.

Dixit Dominus ad Moysen, *Exod.*, XIX, 21 : « Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, » etc.

Vidit David de solario suo mulierem lavantem se ex adverso, et tulit eam, et postea virum ejus dolose occidi fecit. II *Reg.*, XI.

Cum intrasset Judith ante faciem Holophernis, statim captus est ille in oculis suis, *Judith*, X, 17. Unde dicitur, XVI, 1 : « Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus. »

Videbant duo senes Susannam quotidie ingredientem et deambulantem, et exarserunt in concupiscentiam ejus. *Dan.*, XIII, 8.

Quia filia Herodiadis placuit Herodi saltando, ipse ei stulte promisit, quod crudeliter implevit. *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

CAPUT XCIII.

De silentio et loquacitate.

Præceptum dedit Dominus Adæ, non Hevæ, nisi per Adam, ut mulier minus haberet occasionem loquendi, sed potius interrogandi a viro, et discendi. *Gen.*, II.

Heva prius legitur cum serpente, quam cum viro habuisse colloquium, quod sibi et posteris damnosum fuit. *Gen.*, II. Item nota ibi, quoniam male repetiit mandatum datum homini.

Cham filius Noe cum vidisset verenda patris, nuntiavit fratribus suis, et inde maledictionem incurrit. *Gen.*, IX.

Postquam locutus fuit Dominus ad Moysen, impeditioris linguæ et tardioris fuit, *Exod.*, IV, 10. Ex quo innuitur quod spirituales viri, qui sæpe cum Deo loquuntur, tardi esse debent ad loquendum.

Filii Israel, fugientes de Ægypto, viderunt exercitum Pharaonis, et timuerunt valde; quibus ait Moyses : « Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. » *Exod.*, XIV, 14.

Axa filia Caleb sedens in asino, et suspirans, sine sermone monuit patrem ad quærendum quid haberet, et post impetravit a patre irriguum inferius, et superius. *Jos.*, XV.

Samson secretum, quad parentibus noluit dicere, uxori exposuit; quæ statim illud in damnum mariti publicavit, *Judic.*, XIV. Item Samson indicavit Dalilæ, quomodo posset amittere fortitudinem suam, et illa sine mora hostibus revelavit. *Judic.*, XVI.

Anna mater Samuelis veniens ad tabernaculum Domini, loquebatur in corde suo tantum,

(a) *Cæt. edit.* ut.

Digitized by Google

quia labia ejus movebantur, et vox penitus non audiebatur. I *Reg.*, I, 13.

Samuel, dormiens in tabernaculo, ostensam sibi visionem non indicavit Heli, donec interrogatus et adjuratus fuit ab illo. I *Reg.*, III.

Cum filii Belial dicerent de Saule novo rege : « Num salvare nos poterit iste? » ille dissimulabat se audire, I *Reg.*, X. Ex quo intelligitur quod caute tacebat.

Cum David contra Nabal turbatus, postmodum per Abigail prudenter locutam placatus fuisset, illa non indicabat ipsi Nabal viro suo verbum pusillum aut grande usque mane, cum vinum, quod biberat, digessit.

Tobias, auditis verbis injuriosis ab uxore, non legitur ei respondisse, sed ingemuit, et incœpit plorare cum lacrymis. *Tob.*, II et III.

Cum ancilla Sara dixisset dominæ gravis improperii et maledictionis verbum, Sara tacens cessit liti, et pergens in cubiculum domus suæ, devote cœpit orare. *Tob*, III, 10.

Diu tacuit Esther, non indicans populum suum et patriam suam, sicut præceperat ei Mardochæus, ne scilicet a rege haberetur exosa. *Esther*, II et III.

Beato Job a Domino percusso, uxor ejus stulte locuta est. *Job*, II.

Sanctus Job magis videtur seipsum reprehendere de actu loquendi, quam de alio quocumque. Unde dicit *Job*, XXXIX, 34 : « Qui leviter locutus sum, » etc. « Quod utinam non dixissem, » etc.; et XLII, 3 : « Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. »

Cum Rasin rex Syriæ, et Phacee rex Israel proposuissent præliari pariter contra Judam, dixit Isaias propheta Achaz regi Juda : « Vide ut sileas, noli timere, et cor tuum ne formidet, » etc. *Isai.*, VII, 4.

Mandavit Ezechias rex Juda, ne populus aliquid responderet Rabsaci : et siluerunt, et non responderunt ei verbum. *Isa.*, XXXVI.

Jeremias in utero sanctificatus, et a Domino propheta datus, excusabat se dicens : « A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, » etc. *Jerem.*, I, 6.

Adducta Susanna, ut iniqui senes presbyteri ferrent testimonium falsum contra eam, flens suspexit ad cœlum, et clamavit ad Dominum, sed accusatoribus non legitur directe respondisse. *Dan.*, XIII.

Judæi agriculturæ operam dabant; sed Nicanor et quidam alii non sinebant eos in silentio agere, et quiete. II *Machab.*, XII, 2.

Beata Maria virgo legitur in Evangeliis tantummodo fuisse locuta cum Angelo, *Luc.*, I; item cum Elisabeth, *Luc.*, I; item cum filio suo, *Luc.*, II, 48 : « Fili, quid fecisti? » Item, *Joan.*, II, 3 : « Vinum non habent. » Iterum, quando ministros nuptiarum instruit, *Joan.*, II, 5 : « Quodcumque vobis dixerit, facite. » Licet autem Elisabeth eam magnifice commendasset, nihil tamen ei directe respondit, sed ad laudandum Dominum se convertit, *Luc.*, I, 46.

Maria peccatrix, veniens ad pedes Domini in domo Simonis, nihil dixisse refertur, sed lacrymis cœpit rigare pedes ejus, *Luc.*, VII, 38. Similiter sorori de ipsa conquerenti, nihil respondit, *Luc.*, X. Rursus indigne ferentibus effusionem unguenti, et in eam frementibus, nihil dixit, *Marc.*, XIV. Quod autem bene tacuit, Dominus pro ea respondit, et eam ubique defendit.

Mulier in adulterio deprehensa, et coram Domino accusata, non legitur aliquid locuta esse. Dominus autem pro ea verbum assumpsit, et eam denique misericorditer absolvit. *Joann.*, VIII.

Locutus in synagoga Paulus surrexit, et manu silentium indixit, *Act.*, XIII. Sciebat enim non esse effundendum sermonem, ubi non est auditus : quod sæpe in Scriptura probatur.

CAPUT XCIV.

De affectu carnali.

Moyses distribuit duodecim boves, et sex plaustra, quos obtulerant principes filiorum Israel; sed nullum dedit filiis Caath, licet essent magis propinqui. *Num.*, VII.

Non legitur Moyses alicui de filiis suis magnum officium dedisse, licet ipse a populo in tanta reverentia haberetur.

Moriturus Moyses sollicite rogavit Dominum pro populo, ut ei de duce idoneo provideret; nullum tamen de genere suo voluit nominare. *Num.*, XXVII.

Distribuens Josue terram filiis Israel, ita parvam portionem dedit illis de tribu sua, quod de hoc fecerunt specialem querelam; sed nota responsionem quam fecit eis. *Jos.*, XVII, 15.

Audiens Heli mortem duorum filiorum in prælio, non visus est multum curare; sed cum

Digitized by Google

nuntius ille dixisset, arcam Dei esse captam, cecidit de sella, et mortuus est. I *Reg.*, IV.

Quia David nimis flebat occisum Absalom filium suum, imposuit ei Joab, quod non doluisset, si totum exercitum amisisset. II *Reg.*, XX.

« Supra modum mater mirabilis et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, » etc. II *Machab.*, VII, 20. Euntibus ad prælium Judæis contra Nicanorem, erat pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus et cognatis minor sollicitudo; maximus autem et primus pro sanctitate timor templi. II *Machab.*, XV.

Loquente Jesu ad turbas, dixit ei quidam : « Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te; » qui respondit : « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, » etc. *Matth.*, XII, 48-50.

Petenti materteræ Christi secundum carnem, ut duo filii sederent juxta eum in regno suo, respondit Dominus ita dure, ac si fuisset aliena omnino, et ita bonum forum de regno suo paratus est tibi facere Dominus, sicut illis. *Matth.*, XX.

Quamvis beatus Joannes et duo Jacobi essent maximæ sanctitatis, nulli tamen eorum commisit curam Ecclesiæ generalem; sed Petrum, qui non sibi carne attinebat, constituit caput, principem et pastorem. *Joan.*, XXI.

Salvator noster, post responsionem Petri, quam fecit de ipso, cum dixit: « Tu es Christus Filius Dei vivi; » consequenter subjungit: « Caro et sanguis non revelavit tibi, » *Matth.*, XVI, per illud innuens, quod caro pravas revelationes facere consuevit.

Apostolus Paulus, commendans Evangelium suum, dicit, *Gal.*, I, 15, 16 : « Cum placuit (*a*) illi qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, » etc., « continuo non acquievi carni et sanguini, » etc.

CAPUT XCV.

De ira hominis per zelum.

Cum loqueretur Moyses Pharaoni, et ille nollet audire, exivit a Pharaone iratus nimis. *Exod.*, XI.

Præceperat Moyses filiis Israel, quod nullus de manna relinqueret usque mane : qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eo usque mane, et scaturire cœpit vermibus, et computruit. Et iratus est Moyses contra eos. *Exod.*, XVII.

Revertens Moyses, cum appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros, iratusque valde projecit de manibus tabulas, et confregit eas ad radices montium. *Exod.*, XXXII.

Cum quæreret Moyses hircum qui oblatus fuerat pro peccato, exustum reperit, iratusque contra Eleazar et Ithamar (*b*), ait : « Cur non comedistis, » etc. *Lev.*, X, 16-17.

Videns Moyses rebellionem Core et complicum suorum, iratus valde, ait ad Dominum : « Ne respicias sacrificia eorum, » etc. *Num.*, XVI, 15.

Considerans Jonathas filius Saul nequitiam patris contra David, surrexit a mensa in ira furoris, et non comedit panem in illo die, I *Reg.*, XX.

Audita David parabola Nathan prophetæ, iratus indignatione adversus hominem, dixit : « Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. » II *Reg.*, XII, 5.

Eliseus iratus fuit contra Joas regem Israel, eo quod non percussit terram sagitta quinquies aut sexies, ut totam destruxisset Syriam. IV *Reg.*, XIII.

Audiens Nehemias clamorem populi propter usuras, quas exigebant optimates, iratus est nimis, etc. *Nehem.*, V.

Audita querimonia, quam dixit Esther de Aman, qui omnes Judæos occidere procurabat, Assuerus surrexit iratus de loco convivii, etc. *Esth.*, VII, 7.

Circumspexit Dominus cum ira Judæos, qui observabant eum, et contristatus est super cæcitate (*c*) cordis eorum. *Marc.*, III, 5.

CAPUT XCVI.

De ira hominis per vitium.

« Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. » Sequitur : « Iratus est Cain vehementer, et concidit vultus ejus, » etc. *Gen.*, IV, 5.

Iratus Balac contra Balaam, complosis manibus, ait : « Ad maledicendum inimicis meis, vocavi te, quibus e contrario benedixisti. » *Num.*, XXIV, 10.

Audiens Saul post victoriam commendari David, iratus est nimis, et displicuit in oculis ejus sermo, etc. I *Reg.*, XVIII, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* Complacuit. — (*b*) *Item* Thamar. — (*c*) *Item* cæcitatem.

Digitized by Google

Cum excusasset Jonathas David ad patrem suum, iratus Saul adversus Jonatham dixit: « Fili mulieris virum ultro rapientis, » etc. I *Reg.*, XX, 30.

Venit Achab rex Israel in domum suam indignans, et frendens super verbis, quæ locutus fuerat ad eum Naboth Israelites. III *Reg.*, XXI, 4.

Post facile et salubre consilium Elisei, iratus Naaman recedebat dicens : « Putabam quod egrederetur ad me, et invocaret nomen Dei sui, » etc. IV *Reg.*, V, 11.

Hanani propheta venit ad Asam, increpans eum, quia confisus erat in Benadad rege Syriæ, iratusque Asa adversus Videntem jussit eum mitti in nervum. II *Paral.*, XVI, 10.

Separavit Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, pro eo scilicet quod mali erant, nec voluit quod secum venirent ad bellum; at illi vehementer irati contra Judam, reversi sunt in regionem suam. II *Paral.*, XXV, 10.

Sacerdotes arguebant Oziam regem Juda, volentem adolere incensum: iratusque Ozias, et tenens thuribulum, minabatur illis. II *Paral.*, XXVI, 19.

Cum audisset Sanaballat, quod ædificaretur murus Hierusalem, iratus est valde, et motus nimis subsannavit Judæos. *Nehem.*, IV, 1.

Cum reversus esset Sennacherib fugiens a Juda plagam, quam fecerat Dominus propter blasphemiam suam, iratus multos occidit Judæos. *Tob.*, I, 21.

Tobia dicente de hœdo balante : « Videte ne furtivus sit, » etc.; uxor ejus irata respondit: « Manifeste vana facta est spes tua, » etc. *Tob.*, II, 22.

Nuntiatum est Holopherni, quod filii Israel præpararent se ad resistendum ei, et furore nimio exarsit in iracundiam magnam. *Judith*, V, 2.

Cum dixisset Achior magnam esse potentiam Dei Israel, irati sunt magnates Holophernis, et cogitabant interficere eum. *Judith*, V, 26.

Cum audisset Aman, et experimento probasset, quod Mardochæus sibi non flecteret genua, nec se adoraret, iratus est valde. *Esth.*, III, 5.

Iratus indignatusque est Eliu Buzites adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo, etc. *Job*, XXXII, 2.

Principes Juda, putantes quod Jeremias fugeret ad Chaldæos, irati sunt contra eum, et cæsum miserunt in carcerem. *Jerem.*, XXXVII, 14.

Nabuchodonosor rex Chaldæorum in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis, pro eo scilicet, quod somnium suum non poterant ei indicare. *Dan.*, II. Idem etiam postea in furore et ira præcepit, ut tres viri adducerentur in conspectu ejus, etc. *Dan.*, III.

Arguit Dominus Jonam prophetam, quia irascebatur super hedera. *Joan.*, IV.

Audiens Antiochus prælia Judæ, et victoriam quam obtinuerat, iratus est animo, et congregavit exercitum, etc. I *Mach.*, III, 27.

Factum est, cum audirent gentes quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde. I *Mach.*, V, 1.

Tortores Eleazari, audientes verba constantiæ ipsius, in iram versi sunt, qui paulo ante fuerant mitiores. II Mach., VI.

Post septimi fratris verba, rex Antiochus accensus ira in illum super omnes crudelius desæviit. II *Mach.*, VII, 39.

Videns Antiochus, quod non poterat spoliare Persepolim civitatem, elatus in iram arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere. II *Mach.*, IX, 4.

Herodes, videns quod illusus esset a magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, etc. *Matth.*, II, 16.

Cum audissent illi de Nazareth Dominum dicentem : « Nemo propheta acceptus est in patria sua, » etc., sequitur : « Repleti sunt omnes in synagoga ira, » etc. *Luc.*, IV, 28.

Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis opificibus illius artis, dixit quod Paulus avertebat multam turbam dicens : « Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt, » etc. Iis autem auditis, repleti sunt ira, etc. *Act.*, XIX, 28.

CAPUT XCVII.

De humilitate.

Dixit Angelus ad Agar : « Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu ipsius. » *Gen.*, XVI, 9.

Humiliter loquebatur Abraham Domino dicens : « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » *Gen.*, XVIII, 27.

Multum humiliavit se Jacob coram Esau, et sic compescuit iram ejus. *Gen.*, XXXIII.

Quinquies Moyses, antequam vellet recipere ducatum populi, quem Dominus tamen imponebat ei, renuit; nec acquievit, donec Dominum

Digitized by Google

intellexit iratum, *Exod.*, III et IV, 14 : « Iratus Dominus in Moysen, » etc.

Quamvis Moysi ita familiariter Dominus loqueretur, tamen ipse Moyses utile consilium pagani non despexit, sed ei humiliter acquievit. *Exod.*, XVIII.

Moyses videbat se habere ducatum Domini specialem ; et tamen non dedignabatur obsecrare filium (*a*) Raguel, ut secum veniret, et ductor populi esset, *Num.*, X, 31.

Gedeon Angelo dicenti sibi : « Vade in hac fortitudine tua, liberabis Israel, » respondit : « Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego infimus in domo patris mei. » *Judic.*, VI, 15.

Viri Ephraim, jurgantes fortiter et tumide contra Gedeonem, placati fuerunt per ejus mansuetam et humilem responsionem. *Judic.*, VIII.

Dixerunt omnes filii David ad Gedeonem : « Dominare nostri, tu et filius tuus. » Quibus ille ait : « Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, » etc. *Judic.*, VIII, 22, 23.

Humilitatem prætendebat Saul in opere et sermone, antequam esset unctus in regem, quando quærebat asinas patris, et excusabat se apud Samuel, I *Reg.*, IX. Et postea dictum est ei, I *Reg.*, XV, 17 : « Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es ? »

David, licet per Samuelem esset unctus in regem, tamen de mandato patris portabat victualia fratribus suis, quibus fuerat præelectus, I *Reg.*, XVII.

David humiliavit se coram Saule, quando debebat fieri gener regis, I *Reg.*, XVIII.

Item, coram servo suo Semei, audiens quod malediceret ei, II *Reg.*, XVI ; coram Deo, quando saltabat ante arcam, II *Reg.*, VI ; et quando venit Nathan ad eum, nuntians ei voluntatem Domini de perpetuitate regni, II *Reg.*, VII.

Humiliter respondit Miphiboseth inique accusatus a servo suo, et exheredatus injuste, II *Reg.*, XIX.

Achab, sceleratissimus rex Israel, audiens pœnam sibi juste pro criminibus infligendam, humiliatus est coram Domino, et propter hoc Dominus illam pœnam aliqualiter minoravit, III *Reg.*, XXI.

Princeps ille, qui humiliter locutus est ad Eliam, non est tactus ab igne, sicut alii duo quinquagenarii, qui venerant ante illum, IV *Reg.*, I.

Veniens ad Jordanem Eliseus, primo percussit aquas nihil dicens, et non sunt divisæ aquæ. IV *Reg.*, II.

Semeias propheta ad Roboam dixit, et principes ejus : « Hæc dicit Dominus : Vos reliquistis me, et ego reliqui vos. » Qui consternati dixerunt : « Justus est Dominus. » Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : « Quia humiliati sunt mei causa, non disperdam eos. » II *Paral.*, XII, 7.

Humiliatus est Ezechiam, postquam elevatum fuerat cor ejus in adventu nuntiorum regis Babylonis, et idcirco non venit ira Domini in diebus illis. II *Paral.*, XXXII.

Audientes filii Israel potentiam Holophernis terribilem, clamaverunt ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas, etc. *Judith*, IV, 8.

Esther regina confugit ad Dominum, et corpus suum humiliavit jejuniis, oransque inter cætera dixit : « Tu scis, Domine, quia abominor signum superbiæ, » etc. *Esth.*, XIV, 16.

Cum mitteret Dominus Jeremiam prophetam, se excusans ait : « Ecce nescio loqui, » etc. *Jerem.*, I, 6.

Ambulans Nabuchodonosor in aula Babylonis arroganter locutus est : deinde ejectus ab omnibus, et in bestiam mutatus, recuperavit sensum, et recognovit quod omnes habitatores terræ apud Dominum in nihilum reputati sunt. *Dan.*, IV, 32.

Cum percussus esset a Deo Antiochus insanabili plaga, ita ut nec ipse fœtorem suum ferre posset, ait : « Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. » II *Mach.*, IX, 12.

Joseph humiliter reputans se non esse dignum consortio beatæ Mariæ, quam concepisse videbat, et non humano opere, sed divino munere hoc factum esse credebat, voluit occulte dimittere eam. *Matth.*, I, 19.

In illis tribus Magis apparet mira fuisse humilitas, quando « invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, » *Matth.*, II, 11.

Cum tantæ esset reputationis Joannes, ut populus ipsum crederet esse Christum, dixit : « Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. » *Luc.*,

(*a*) *Cæt. edit.* ob filium.

Digitized by Google

III, 16. Simile habetur, *Matth.*, III, 11; *Joan.*, I, 27.

Non erubuit Christus, Dei virtus et Dei sapientia, ab eodem themate prædicationem suam incipere, a quo suam incœperat Joannes Baptista, *Matth.*, III, 2, et IV, 17: « Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. »

Beata virgo Maria ab Angelo tam venerabiliter salutata, et mater filii Altissimi appellata, non superbiit inde, nec se vocavit matrem Dei, vel dominam, sed *ancillam*. Item non misit pro Elisabeth cognata sua, sed humiliter ivit ad illam; cumque Elisabeth Spiritu sancto repleta cognovisset quod factum fuisset circa ipsam, divinam commendavit misericordiam et potentiam dicens : « Magnificat anima mea Dominum, » etc., « quia respexit humilitatem ancillæ suæ, » etc. *Luc.*, I.

Humiliter et fideliter respondit Centurio, dicens Domino volenti ire ad sanandum puerum suum : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic verbo, » etc. *Matth.*, VIII, 8.

Videns Petrus se ad præceptum Domini conclusisse multitudinem piscium copiosam, procidit ad genua ejus dicens : « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. » *Luc.*, V, 8.

Salvator noster publicari sua miracula prohibebat, ut doceret fugere jactantiæ et vanitatis vitium, et dare veræ humilitatis exemplum, sicut patet in leproso mundato, *Matth.*, VIII, 4. Item in duobus cæcis ab eo illuminatis, *Matth.*, IX, 30. Item in surdo et muto sanato, *Marc.*, VII, 36. Item de transfiguratione dixit : « Nemini dixeritis, » etc. *Matth.*, XVII, 9.

Cum dixisset Dominus mulieri Chananææ : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus; » illa humiliter dixit : « Etiam, Domine, nam et catelli edunt de micis, » etc. *Matth.*, XV, 26, 27.

Quærentibus discipulis, quis esset major in regno cœlorum, respondit Dominus : « Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorem. » *Matth.*, XVIII, 4.

Exemplum vel parabolam humilis urbanitatis inducit Dominus, *Luc.*, XIV, 8 : « Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, » etc.

Ad fugiendam jactantiam, et ad humilitatem multum valet exemplum, quod inducit Dominus de superbo Pharisæo, et de humili Publicano, *Luc.*, XVIII.

Humilitas Joannis Baptistæ apparet multipliciter : quia videlicet de se humiliter sentiebat, *Luc.*, III, 15 : « Existimante omni populo, ne forte ipse esset Christus. » Item, *Joan.*, III, 28 : « Non sum ego Christus, » etc. Item humiliter loquebatur, *Joan.*, I, 23 : « Ego vox clamantis in deserto; » et negavit se esse Christum, aut Eliam, aut Prophetam. Item induebatur humiliter, scilicet pilis camelorum, *Matth.*, III, 4. Item humilem habitationem eligebat, *Luc.*, I, 80 : « Erat in deserto, » etc.

Humilis Maria Magdalena frequenter legitur secus pedes Domini se posuisse, *Luc.*, VII, 38, et X, 39; *Joan.*, XI, 32; *Matth.*, XXVIII, 9.

Quærenti Domino, an Petrus diligeret ipsum plus aliis discipulis, respondit humiliter, dicens : « Tu scis, Domine, quia amo te. » Non dixit : Amo te plus aliis. *Joan.*, XXI.

Præcipua humilitatis exempla accipere possumus et debemus in salutari nostro Domino Jesu Christo, circa cujus conversationem in terris considerari potest, quod ipse concipi voluit in patria despecta, videlicet Galilæa, de qua, *Joan.*, VII, 52 : « Scrutare et vide, quia propheta a Galilæa non surgit. » Unde admirando dixit Nathanael : « A Nazareth potest aliquid boni esse ? » *Joan.*, I.

Item de matre humili natus fuit, quæ dicit : « Respexit humilitatem, » etc., *Luc.*, I, 48; in civitate parva, et loco humillimo, *Luc.*, II, 7 : « Reclinavit eum in præsepio, » etc.

Item quasi per annos trigenta latuit in mundo, ita quod nihil de eo legitur, nisi quod cum esset annorum duodecim, remansit in Hierusalem, et inventus est in templo audiens et interrogans, non docens et determinans, contra præsumptuosos, qui nimis festine ad officium docendi prorumpunt. Sequitur ibi, *Luc.*, II, 51 : « Descendit cum Maria, et subditus erat illis. » Exinde circa annum tricesimum ad Joannem Baptistam venit, ut baptizaretur ab eo, non pro eo misit, *Matth.*, II, contra multos, qui ad minores pergere dedignantur.

Item humiles discipulos elegit, *Matth.*, IV, et *Luc.*, V; et cum eis humiliter conversatus est, et eos præcipue de humilitate docuit, *Matth.*, XI, 29 : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Unde *filium hominis* sæpius se dicebat, non Filium Dei : licet utrumque esset verum secundum duas naturas in ipso, tamen ab inferiore frequentius se nominavit.

Conversatus cum hominibus interesse voluit

Digitized by Google

pauperibus nuptiis, ubi vinum defecit, *Joan.*, II. Non autem interfuisset splendidis et divitibus nuptiis, in quibus fiunt frequenter enormes excessus.

« Cum cognovisset, quia venturi erant ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit in montem. » *Joan*, VI, 5.

Didrachma seu tributum, quasi servus aut alienus, exsolvit. *Matth.*, XVII, 26.

Non habebat ubi caput reclinaret, *Luc.*, IX, 58. Et circuiens civitates et castella, pedes ibat, ita quod quandoque fatigatus ex itinere sedebat super fontem, et a muliere Samaritana bibere postulabat, *Joan.*, IV. Quando vero vectura uti voluit, non equum, sed asellum habuit, *Matth.*, XXI; *Marc.*, XI; *Luc.*, XIX; *Joan.*, XII.

Transiturus ex hoc mundo ad Patrem, relinquere voluit speciale humilitatis exemplum, et pedes discipulorum lavit, et linteo quo præcinctus erat, extersit. *Joan.*, XIII.

Præcipue autem in passione nimis « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, » non quamcumque, sed « crucis, » quæ erat genus mortis turpissimum : in Evangeliis omnibus ; *Phil.*, II, 8.

De quo notari potest, quod homines superbi et mundi amatores circa septem versari solent et appetere, vel in adeptis specialiter gloriari, quibus constat in cruce Dominum caruisse, et contraria habuisse. Hæc autem dici possunt terrena affluentia, mundana sapientia, carnalis lætitia, popularis fama, turba famulorum, dejectio inimicorum, et numerositas amicorum. Christus autem Jesus Dominus noster in cruce fuit pauperrimus, et vestimentis nudatus, *Joan.*, XIX, 23. Fuit stultus et insipiens reputatus : nam « verbum crucis gentibus stultitia est, » I *Cor.*, I, 18. Item diffamatus fuit, et seductor populi appellatus : *Matth.*, XXVII, 63, dixerunt de eo principes sacerdotum : « Recordati sumus, quod seductor ille dixit, » etc. In cruce insuper quodammodo fuit victus, quia occisus, *Joan.*, XIX, 30 : « Inclinato capite reddidit (*a*) spiritum. » Ibi etiam amicum non habuit, *Isa.*, LIII, 3 : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum. » *Psal.* LXXXVII, 19 : « Elongasti a me amicum, et proximum. » Item famulis et servitoribus in cruce caruit, *Matth.*, XXVI, 56 : « Discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. » *Ps.* LXXXVII, 5 : « Factus sum sicut homo sine adjutorio, » etc.

(*a*) Vulg. *tradidit*.

Post miraculum de claudo per Petrum sanato, humiliter locutus est Petrus, non adscribens factum sibi, sed divinæ virtuti, et invocationi nominis Christi. *Act.*, III, 12, 16.

Dum introisset Cæsaream Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus, adoravit eum ; Petrus vero elevavit eum, dicens : « Surge, et ego ipse homo sum. » *Act.*, X, 26.

Audientes Paulus et Barnabas, quod homines de civitate Lystris dicebant esse deos, et eis sacrificare volebant, conscissis tunicis, exilierunt in turbas, clamantes et dicentes eis : « Viri, quid facitis ? et mortales sumus, similes vobis homines, » etc. Tandem vix sedaverunt turbas, ne eis immolarent. *Act.*, XIV.

Paulus Apostolus manibus operabatur, ut haberet necessaria sibi et sociis ; propter quod etiam morabatur cum Aquila et Priscilla, qui erant artis scenofactoriæ, sicut et ipse, *Act.*, XVIII. Item, *Act.*, XX, 34, dicit ipse : « Ad ea quæ opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. »

Humiliter de se sentiebat Paulus, qui in fratrum orationibus confidebat, II *Cor.*, I, 10 : « Adjuvantibus vobis in orationibus pro nobis. » Item orationes aliorum sollicitus postulabat, *Rom.*, XV, 30 : « Obsecro, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus. » Et *Col.*, IV, 3 ; et I *Thes.*, III, 6. Verbis etiam suis humilitatem veram interius indicabat, I *Cor.*, XV, 9 : « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, » etc. I *Tim.*, I, 15 : « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. »

Item ad humilitatem alios sollicitus inducebat, *Rom.*, XII, 16 : « Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. » *Phil.*, II, 3 : « Et in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. »

CAPUT XCVIII.

De superbia.

Eva, propter appetitum excellentiæ, cum audivisset a serpente : « Eritis sicut dii, » de ligno vetito comedit. *Gen.*, III.

Datum est hominibus a Deo dominium super pisces, et aves, et bestias terræ, *Gen.*, I, 28 : « Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, » etc. Item, *Gen.*, IX, 2 : « Terror vester et tremor sit super cuncta animalia terræ, etc.

Digitized by Google

Superbia volentium ædificare turrim usque ad cœlum damnata fuit per confusionem linguarum. *Gen.*, XI.

Agar ancilla Sarai, se concepisse videns, dominam suam despexit. *Gen.*, XVI, 4.

Contra gloriantes de primogenitura facit, quod Cain fuit natus ante Abel, *Gen.*, IV; et Esau ante Jacob, *Gen.*, XXV; et Judas fuit quartogenitus inter filios Israel, *Gen.*, XXIX; et Manasses filius Joseph natus fuit ante Ephraim, qui tamen habuit benedictionem dexteræ, *Gen.*, XLVIII; et David minimus inter fratres suos, I *Reg.*, XVI; et Adonias natus fuit ante Salomonem, II *Reg.*, III: et sic de multis aliis.

Nimis superbe respondit Pharao, quando dixit: « Nescio Dominum, et Israel non dimittam. » *Exod.*, V, 2.

Rebellio Core, et aliorum facta contra Moysen, ex superbia processerunt. Nam dixit illis Moyses: « Multum erigimini, filii Levi. » *Num.*, XVI, 7.

Percussus Abimelech vocavit armigerum suum, et ait illi: « Percute me, ne dicatur, quod a femina interfectus sum. » *Judic.*, IX, 54.

Saul petiit a Samuele, ut eum coram senioribus populi honoraret. I *Reg.*, XIV.

Graviter fuit punitum elationis peccatum, quando David fecit populum numerari sibi subjectum. II *Reg.*, XXIV.

Libido dominandi, quam habuit Jeroboam, timens ne populus reverteretur ad domum David, fecit eum excogitare vitulos aureos, quos fecit a populo adorari; et maluit eos recedere a vero Deo, quam a dominio suo. III *Reg.*, XII.

Amasias rex Juda debellaverat Edom, et elatus in superbiam, voluit contra Joas regem Israel præliari; sed male successit ei. III *Reg.*, XIV.

Cum roboratus esset Ozias rex Juda, elevatum est cor ejus in interitum suum, et adolere voluit incensum in templo. II *Paral.*, XXVI, 16.

Superba nimis et blasphema verba misit rex Assyriorum ad Ezechiam, quasi neque Deus, neque homo posset eum de manu sua liberare, IV *Reg.*, XIX, 11-12.

Lætatus est Ezechias, et elevatum est cor ejus in adventu (*a*) nuntiorum regis Babylonis, et ostendit eis omnia, quæ erant in thesauris domus suæ. IV *Reg.*, XX, 13; II *Paralip.*, XXXII, 31.

Post obtentam victoriam de Arphaxad rege Medorum, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum, et cor ejus elevatum est. *Judith*, I, 7.

Nabuchodonosor superbe juravit, quod defenderet se ab illis, qui imperio suo subjugari nollent, quasi injuriam passus ab eis. *Judith*, I, 12.

Præceperat Nabuchodonosor Holopherni, ut omnes deos terræ exterminaret, ut ipse solus Deus diceretur ab iis regionibus, quæ potuissent per Holophernis potentiam subjugari. *Judith*, III, 13.

Videns superbus Aman, quod Mardochæus ipsum adorare nolebat, suasit regi, ut totus Judæorum populus deleretur. *Esth.*, III, 8-13.

Aman superbissimus volebat coram se genuflecti, et ab omnibus adorari. Sed notabile est, quod illa superbia tot mala in ipso causavit, ut iratus et indignatus existeret, et omnia alia quæ habebat quasi nihilum reputaret. *Esth.*, III et V.

Signa superbiæ detestatur Dominus, per Isaiam dicens: « Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt collo extenso, » etc. *Isa.*, III, 16.

De Nabuchodonosor intelligitur ad litteram illud *Isa.*, XIV, 13: « Dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, » etc.

De Moab dicitur: « Audivimus superbiam, superbus est valde, superbia ejus et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus. » *Isa.*, XVI, 6.

Quoniam elevatum fuit cor Nabuchodonosor regis Babylonis, et spiritus illius obfirmatus ad superbiam, depositus est de solio suo, et gloria ablata est ei, etc. *Dan.*, IV.

Balthasar filius Nabuchodonosor, rex Babylonis, non humiliavit cor suum, sed adversus Dominatorem cœli elevatus est; et ideo interfectus est, et Darius Medus ei successit in regnum. *Dan.*, V.

Antiochus « ascendit Hierosolymam in multitudine gravi, et intravit sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, » etc. I *Mach.*, I, 22-23.

Dixerunt illi, quos dimisit Judas Machabæus ad custodiam terræ, dum iret ad prælium: « Faciamus nobis nomen, et eamus pugnare adversus gentes. » I *Mach.*, V, 57.

Alcimus, qui volebat fieri sacerdos, et quidam alii iniqui ivere ad regem Demetrium, et accusaverunt Judam, et populum Judæorum. I *Mach.*, VII, 5-6.

(*a*) *Cat. edit.* adventum.

Digitized by Google

Cum vidisset Nicanor holocausta, quæ offerebantur a Judæis pro rege, « irridens sprevit eos, et locutus est superbe. » I *Mach.*, VII, 34.

Antiochus « existimabat se præ superbia terram quidem ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. » II *Mach.*, V, 21.

Nicanor veniens ad pugnandum contra Judam et socios ejus, ita credebat esse securus de victoria, quod vendidit Judæos, antequam in campo videret eos. II *Mach.*, VIII, 14.

Fugatus turpiter Antiochus de Perside, superbe locutus est se venturum Hierosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum esse facturum; sed Deus percussit eum insanabili plaga. II *Mach.*, IX.

Nicanor, Judæis dicentibus: « Est Deus potens in cœlo, qui jussit agi septimam diem: Et ego, » inquit, « potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. » De quo etiam subditur, quod cum summa superbia erectus, cogitavit commune trophæum statuere de Juda, a quo tamen cito postea victus fuit. II *Mach.*, XV.

Cum dixissent discipuli: « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, » compescuit eos Dominus dicens: « Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. In hoc nolite gaudere, » etc. *Luc.*, X, 17-20.

Superbia Pharisæi, qui se jactabat, quod proximum contemnebat, damnatur. *Luc.*, XVIII, 11-14.

Statuto die, Herodes vestitus veste regali, sedit pro tribunali, et concionabatur ad populum: populus autem acclamabat: « Voces Dei, et non hominis. » Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus expiravit. *Act.*, XII, 21 et seq.

CAPUT XCIX.

De jactantia.

Gaal filius Obed dicebat sociis: « Quis est Abimelech, et quæ est Sichem, ut serviamus ei? Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem, » etc. *Judic.*, IX, 28.

Samson leonem manibus inermibus laceravit, nec tamen tantam prosperitatem parentibus suis indicare voluit. *Judith*, XIV.

Goliath Philisthæus exprobrabat exercitui Israel, et petebat ut aliquis veniret cum eo ad singulare certamen. I *Reg.*, XVII.

Adonias filius Aggith elevabatur dicens: « Ego regnabo. » II *Reg.*, I. Sed parum duravit regnum ejus.

Benadad rex Syriæ misit nuntios regi Israel, et ait: « Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. » Sed pulchre responsum est ei: « Ne glorietur accinctus æque, et discinctus, » etc. III *Reg.*, XX, 10, 11.

Grandia verba dixit Rabsaces ex parte Assyriorum, dicens: « Numquid liberaverunt de manu Assyriorum, » etc. IV *Reg.*, XVIII, 33.

Holophernes dixit ad Achior: « Cum percusserimus omnes quasi hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis. » *Judith*, VI, 8.

Aman invitatus ad convivium Esther vocavit amicos, et uxorem suam, et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, et filiorum turbam, et quomodo apud reginam solus cum rege prandere debebat. *Esth.*, V. Sed nota quod suspensus fuit in crastino in eadem trabe, quam paraverat Mardochæo. *Esth.*, VII, 10.

Eliu dixit multa verba jactantiæ et arrogantiæ, *Job*, XXXII, 18: « Ostendam vobis sapientiam, plenus sum sermonibus, » etc.

Ponit Isaias verba ipsius regis Assyriorum, dicens, *Isa.*, X: « In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, » etc. « Non fuit qui moveret pennam, et aperiret os suum, et ganniret. »

De Nabuchodonosor intelligitur ad litteram illud *Isa.*, XIV, 13, 14: « Dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ero similis Altissimo. »

Per Hieremiam dicitur de Moab: « Sublimitatem ejus et arrogantiam ejus, et superbiam, et altitudinem cordis illius, ego scio, ait Dominus: jactantiam, et arrogantiam ejus, et quod non sit juxta eam virtus ejus, » etc. *Hierem.*, XLVIII, 29-30.

Nabuchodonosor rex Babylonis dixit tribus sociis Danielis, qui nolebant statuam ejus adorare: « Quis est Deus, qui vos eripiat de manu mea? » *Dan.*, III, 15.

Deambulans in aula Babylonis Nabuchodonosor, ait: « Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? » Cum adhuc sermo esset in ore ejus, etc. *Dan.*, IV, 27 et seq.

Audivit Seron quod congregavit Judas ecele-

Digitized by Google

siam fidelium, et ait : « Faciam mihi nomen, et debellabo Judam. » Sed cito e contrario fuit debellatus ab illo. I *Mach.*, III, 14 et seq.

Demetrius filius Demetrii misit ad Jonathan, dicens : « Descende ad nos in campum, et comparemur illic invicem, quia mecum est virtus bellorum : interroga, et addisce quis sum ego, » etc. Sed paulo post male successit ei. I *Mach.*, X, 71 et seq.

Nicanor pugnaturus contra Judam, vocavit negotiatores, promittens se daturum pro uno talento nonaginta mancipia Judæorum. II *Mach.*, VIII, 11.

Multitudine ad arma concurrente, fugatus est turpiter Antiochus de Persepoli civitate Persidis, et superbe locutus est dicens, « venturum se esse Hierosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. » II *Machab.*, IX, 4.

Nicanor interrogavit Judæos : « Si est potens in sæculo, qui imperavit diem sabbatorum? » Et respondentibus illis : « Est Dominus potens in cœlo, qui jussit agi septimam diem; » ait : « Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. » II *Mach.*, XV, 3-5.

Petrus valde audacter dixit Domino : « Et si omnes scandalizati fuerint, » etc. Sed postea longe aliter accidit. *Matth.*, XXVI; *Marc.*, XIV; *Luc.*, XXII ; *Joan.*, XVIII.

Qui se jactant et dilatant, maxime si mentiuntur, diabolum imitantur, qui cum ante dixisset Domino : « Tibi dabo potestatem hanc, » etc., dixit : « Omnia regna mundi mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. » *Luc.*, IV, 6.

Contra jactantes se et arrogantes inducit Dominus exemplum illius Pharisæi dicentis : « Non sum sicut cæteri homines, » etc., « velut et hic Publicanus, » etc., *Luc.*, XVIII, 11.

Magnæ arrogantiæ verbum dixerunt Pharisæi cæco nato, quem Dominus illuminaverat, et illos rationabiliter confundebat : « In peccatis natus es totus, et tu doces nos! » *Joan.*, IX, 34.

Arroganter nimis dixit Salvatori Pilatus : « Nescis quia potestatem habeo dimittere te? » *Joan.*, XIX, 10.

CAPUT C.

De electionibus.

Consilio Jethro, sacerdotis Madian, Moyses usus humiliter, elegit judices, seu prælatos minores, viros potentes et timentes Dominum, in quibus erat veritas, et qui oderant avaritiam. *Exod.*, XVIII, 21 et seq.

Præcepit Dominus Moysi, ut tolleret duodecim virgas juxta numerum tribuum filiorum Israel; nomen autem Aaron erat in tribu Levi : quas cum posuisset in tabernaculo, sequenti die invenit virgam Aaron germinasse, etc. *Num.*, XVII, 2-8.

Volens Moyses ulcisci Israel de Madianitis, ait : « Mille viri de singulis tribubus eligantur, qui mittantur ad bellum. » *Num.*, XXXI, 4.

Moyses advertens se juxta mandatum Domini moriturum, oravit devote Dominum, et dixit : « Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, » etc. Ordinavit autem Dominus, quod Josue filius Nun esset successor ipsius, et dux populi loco ejus. *Num.*, XXVII.

Post mortem Josue, consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes : « Quis ascendet ante nos, et erit dux belli? » Dixitque Dominus : « Judas ascendet. » *Judic.*, I, 1-2.

Videntes filii Israel, quod Gedeon strenue pro eis pugnaverat, dixerunt omnes ad eum : « Dominare tu nostri, etc. *Judic.*, VIII, 22.

Majores natu de Galaad perrexerunt ad Jephte, dixeruntque ad eum : « Veni et esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. » *Judic.*, XI, 6.

Erat vir de Benjamin nomine Cis, et ei filius vocabulo Saul, electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo : hunc revelavit Dominus Samueli eligendum fore, et inungendum regem super poplum Israel. I *Reg.*, IX.

De mandato Domini speciali ivit Samuel in Bethlehem, et unxit David filium Isai in regem super Israel, I *Reg.*, XVI. Mortuo autem Saule, venerunt viri de tribu Juda, et unxerunt eum super se in regem, II *Reg.*, II. Deinde universæ tribus Israel venerunt ad eum, et unctus est in regem super totum populum Israel, II *Reg.*, V. Unde ipse dixit in *Ps.* LXXVII, 70 : « Elegit David servum suum. » I *Paral.*, XXVIII, 4 : « Placuit Domino, ut me eligeret regem super cunctum Israel. »

Appropinquans morti David, dixit majoribus : « De filiis meis elegit Dominus Salomonem, ut sederet in throno regni Domini super Israel. » I *Paral.*, XXVIII, 5.

Terribili judicio Dei assumptus fuit Jeroboam, ut esset rex super decem tribus Israel, et tamen occasio fuit populo recedendi a Deo, III *Reg.*, XI et XII.

Digitized by Google

Scripsit Jehu litteras, et misit in Samariam ad optimates civitatis, etc., dicens : « Eligite meliorem, et eum quem vobis placuerit de filiis domini vestri, et ponite eum super solium patris sui, et pugnate pro domo domini vestri. » IV *Reg.*, x, 3.

Congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ : « Ex quo frater tuus Judas mortuus est, vir similis non est ei; nunc itaque te elegimus hodie pro eo esse nobis principem, et ducem ad bellandum bellum nostrum. » I *Mach.*, IX, 30.

« Vocavit Dominus Jesus discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos appellavit : Simonem, quem cognominavit Petrum, » etc. *Luc.*, VI, 13 et seq.

Post ascensionem Domini, discipuli statuerunt duos, Joseph, et Matthiam, et orantes dixerunt : « Tu, Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere in locum ministerii hujus et apostolatus, » etc. *Act.*, I, 24 et 25.

Sermo quem dixerunt Apostoli, « placuit omni multitudini : et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, » etc. *Act.*, VI, 5.

Ministrantibus discipulis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : « Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. » *Act.*, XIII, 2.

CAPUT CI.

De bonis Principibus et Prælatis.

Bonus prælatus Moyses multoties intravit ad Pharaonem pro causa populi, ut eum liberaret de Ægyptiaca servitute. *Exod.*, VI, VII, VIII, IX et X.

Populum timentem confortavit Moyses, dicens : « Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. » Ore quidem verba dicebat, sed corde Dominum exorabat, sicut apparet ibi, *Exod.*, XIV, 14.

Clamabat pro populo Moyses ad Dominum, quando murmurabat populus contra eum. *Exod.*, XV.

Omnia debet retorquere ad Deum bonus Prælatus : unde dicebat Moyses, *Exod.*, XVI, 8 : « Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum : nos enim quid sumus ? »

Cum pugnaret Amalech contra Israel, non ivit Moyses ad prælium, sed tantum misit Josue famulum suum, et tamen erat ex parte ipsius justissimum bellum. Ipse vero stans in vertice montis, ad orandum Dominum se convertit. *Exod.*, XVII.

Recessurus Moyses a populo, et iturus ad montem, bonos vicarios dereliquit, videlicet Aaron et Ur. *Exod.*, XXIV.

Videbatur Dominus velle confundere populum peccatorem, et promittebat magnum statum, vel honorem ipsi : et tamen Moyses pro populo incessanter orabat, *Exod.*, XXXII. Et non tanta severitate populum punivit, pro quo tam instanter oravit.

Moyses distribuit Levitis duodecim boves, et sex plaustra, quæ obtulerant principes tribuum filiorum Israel; sed nullum dedit filiis Caath, licet essent ei magis propinqui, quia propriis humeris onera portare debebant. *Num.*, VII.

Desiderabat Moyses, quod omnes de populo prophetarent, licet honor suus in hoc minui videretur. *Num.*, XI.

Post reditum exploratorum, dixit Dominus ad Moysen, *Num.*, XIV, 11 : « Usquequo detrahit mihi populus iste ? Feriam igitur eos pestilentia, te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorem, quam hæc est. » Sed noluit Moyses ad majorem prælationem transferri.

Pereunte populo pro murmure et tumultu, quos faciebant contra Moysen et Aaron, dixit Moyses ad Aaron : « Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum, pergens cito ad populum, ut roges pro eis, » etc. *Num.*, XVI, 46.

Moriturus Moyses sollicite rogavit Dominum, ut populo de duce idoneo provideret; nullum vero in speciali voluit nominare. *Num.*, XXVII.

« Servivit Israel Domino cunctis diebus Josue, » etc. Bonus enim prælatus multum confert ad populum in manu Domini dirigendum. *Josue*, XXIV, 31.

Samuel judicabat Israel, et ibat circumiens Bethel, et Galgala, et Masphath, ut homines, qui eo indigebant, facilius ad eum possent habere accessum. I *Reg.*, VII.

Dixit Samuel ad populum : « Absit a me hoc peccatum, ut cessem pro vobis orare, et docebo vos viam rectam, et bonam. » I *Reg.*, XII, 23.

Videns David Angelum percutientem populum, obtulit se pro eo percutiendum, II *Reg.*, XXIV, 17 : « Vertatur, obsecro, manus tua contra me, » etc.

Audivit omnis Israel judicium, quod judicasset Salomon rex de duabus mulieribus : et

Digitized by Google

timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in illo. III *Reg.*, III, 28.

Signum est, quod Deus diligat populum, cum dat ei bonum prælatum. Unde dixit regina Saba Salomoni: « Quia diligit Deus Israel, ideo posuit te regem super eum, ut facias judicium atque justitiam. » II *Paral.*, IX, 8.

Voluit Dominus tradere regem Syriæ in manu regis Israel, et mandavit ei per prophetam, quod ipse rex debebat incipere præliari [1]. III *Reg.*, XXII, 15, et II *Paral.*, XVIII, 16.

Ezechias rex Juda fecit serpentem æneum confringi, eo quod esset populo idololatriæ occasio. IV *Reg.*, XVIII.

Josaphat rex Juda constituit judices super populum, et eos valde fideliter et prudenter instruxit, II *Paral.*, XIX, 6 : « Videte, » inquit, « quid faciatis, » etc.

Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio, et principum ejus, in universum Israel et Judam, prædicantes : « Revertimini ad Dominum, » etc. II *Paral.*, XXX, 6.

Orante Esdra, et flente pro transgressione populi, collectus est ad eum cœtus magnus virorum ac mulierum, et flevit populus multo fletu ad exemplum istius. I *Esdr.*, X, 1.

Audiens Holophernis potentiam Eliachim magnus sacerdos, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos dicens : « Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, » etc. Sicque populum bonis exhortationibus confortabat. *Judith*, IV, 12.

Bonus prælatus debet esse quasi pater populi sibi commissi. Nam de Eliachim, quem substituit Dominus loco Sobnæ, dicitur, *Isa.*, XXII, 21 : « Erit quasi pater habitantibus Hierusalem. »

Mortuo Juda Machabæo, emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, et exorti sunt omnes, qui operabantur iniquitatem. In diebus illis facta est fames, etc. I *Mach.*, IX.

Cum crederetur occisus Jonathas a Tryphone, quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos. Dixerunt enim : « Non habent principem, et adjutorem : nunc ergo expugnemus illos, et tollamus ex hominibus memoriam eorum. » I *Mach.*, XII, 54.

Causa pacis, et boni status sanctæ civitatis, pulchre dicitur fuisse prudentia et pietas Oniæ summi sacerdotis, et bonitas subditorum. II *Mach.*, III.

Bene restitit Onias Heliodoro volenti spoliare templum, et deposita viduarum ac pupillorum auferre. II *Mach.*, III.

Salvator noster Dominus Jesus Christus, ubi se bonum pastorem dicit, statim causam subjungit, dicens, *Joan.*, X, 11 : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; » et post pauca, 15 : « Animam meam pono pro ovibus meis. » In quo intelliges quid exigitur ad hoc quod aliquis bonus pastor vocari mereatur.

Quando Salvator noster post resurrectionem suam voluit gregem Ecclesiæ Petro committere, primo examinavit eum, seu probavit, dicens, *Joan.*, XXI, 15 : « Simon Joannis, diligis me plus his? » Et nota quod examinavit eum de dilectione, non de cognitione; de practica, non de theorica; de facto, non de jure. Item non solum interrogavit eum, si simpliciter eum diligebat. Item nota, quod ter dixit ei : « Pasce. » Notandum : bonus enim prælatus commissum sibi gregem debet pascere exemplo, verbo, et temporali subsidio.

Videns Petrus Judæos admirantes, et male de discipulis sentientes, elevavit vocem suam, et locutus est eis : « Viri Judæi, » etc. Ubi gregem constanter defendit, et adversarios salubriter superavit. *Act.*, II.

Considerari potest hic de Paulo Apostolo eximiæ bonitatis prælato.

Ad bonum enim prælatum specialiter et summe pertinet dilectio, quam habere debet ad suos, sicut diligebat ille pastor optimus, princeps pastorum, qui posuit animam suam pro ovibus suis; qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Paulus autem miro modo hac dilectione fervebat; unde dicebat, II *Cor.*, XII, 15 : « Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligat a vobis. » Item, *Philip.*, IV, 1 : « Fratres mei carissimi, » etc.

Item debet esse in eo scientia Scripturarum, *Sap.*, VI, 23 : « Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis. » Alioquin non posset lepram discernere, vel commissum sibi populum judicare. Ipse vero Paulus Apostolus de divinis, et similiter etiam de humanis veram et excellentissimam notionem, seu cognitionem habebat : qui parvulis in Christo lac potum dabat, et inter perfectos sapientiam loquebatur, I *Cor.*, II, 6; III, 2, quippe qui raptus usque ad tertium cœlum, et audivit ibi arcana verba, quæ non licet homini loqui. II *Cor.*, XII, 4.

Ex amore vero subditorum et notitia Scriptu-

[1] Ita edit. Vatic. et Venet. Sed erravit profecto hoc loco vel auctor, vel editor.

Digitized by Google

rarum sollicitudo in præsidente causatur, *Rom.*, XII, 8 : « Qui præest in sollicitudine. » Qua quidem sollicitudine Paulus proximos ardentissime hortabatur; propter (a) quod ait, II *Cor.*, XI, 28 : « Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Item, *Colos.*, II, 1 : « Volo vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis. »

Ex tribus prædictis debet sequi instructio imperitorum; unde promittit Dominus, *Jerem.*, III, 15 : « Dabo pastores vobis juxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina, » juxta illud quod dixit Artaxerxes rex Esdræ, et judicibus populi : « Imperitos docete libere, » I *Esdr.*, VII, 25. Et hoc profecto liquet fecisse Paulum Doctorem gentium, qui verbo vel scripto docuit universum mundum. I *Tim.*, II, 7 : « Doctor gentium in fide et veritate. » II *Cor.*, II, 14, 16 : « Odorem suæ notitiæ Deus per nos manifestat in omni loco : et ad hoc quis tam idoneus? »

Debet etiam bonus prælatus officia disponere inter subditos, ordinare, sicut Moyses, qui consilio Jethro instituit in populo centuriones, quinquagenarios, et decanos. Paulus quoque in Ecclesia similia faciebat, II *Cor.*, XI, 34 : « Cætera, cum venero, disponam. » Propter quod dicebat, *Tit.*, I, 5 : « Reliqui te Cretæ, ut quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. »

Item debet pusillanimes, et timidos animare, sicut fecit Moyses, quando dixit populo pavescenti, *Exod.*, XIV, 14 : « Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis. » Et utique Paulus faciebat, *Eph.*, VI, 10 : « Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, induite vos armaturam Dei, » etc. *Hebr.*, XII, 3 : « Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. »

Item in bono prælato debet esse defensio oppressorum, sicut Onias summus sacerdos, qui constanter restituit Heliodoro volenti templum Domini spoliare, II *Mach.*, III. Quam viriliter autem Paulus restitit pseudo-apostolis et Judæis, patet, *Act.*, XIII, et deinceps usque ad finem. II *Cor.*, XI, 21 : « In quo quis audet, audeo et ego. » Et ideo dicebat se pugnare, I *Cor.*, IX, 26 : « Sic pugno, non quasi aerem verberans. » II *Tim.*, IV, 7 : « Bonum certamen certavi. »

Præterea consolatio afflictorum, velut Eliachim, cum Holophernes Bethuliam obsedisset, *Judith*, IV. Paulus autem non erat inferior in hac parte; unde ait, II *Cor.*, I, 1, 2 : « Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. » *Hebr.*, XIII : « Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. » Verba vero consolatoria habuit maxime *ad Philippenses* et *Thessalonicenses*, sicut patet intuenti.

Debet insuper bonus prælatus pigros et tepidos excitare; quod fecit patriarcha Jacob, qui audiens, quod alimenta vendebantur in Ægypto, dixit filiis suis, *Gen.*, XLII, 2 : « Quare negligitis? » etc. Et hoc strenuus et vigil Paulus optime noverat facere, *Rom.*, XIII, 11 : « Hora est jam nos de somno surgere. » Item, *Ephes.*, V, 14 : « Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus : » Et II *Tim.*, I, 6 : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. »

Item debet indigentibus, pro possibilitate sua, quantum ad necessaria subvenire : exemplum est de hoc in Eliseo, qui panes fecit distribui filiis prophetarum, IV *Reg.*, IV. Quod etiam Paulus diligenter implebat, memor illius verbi Domini : « Beatius est magis dare, quam accipere, » prout ipse refert, *Act.*, XX, 35. Quando vero non habebat quid dare posset, ab aliis sollicite procurabat; et hoc apparet, I *Cor.*, XVI, 1 : « De collectis autem, » etc. Item, II *Cor.*, IX, 6 : « Qui parce seminat, parce metet. »

Item ad eum pertinet superbos et tumidos refrænare et humiliare; quod volens facere Moyses, increpando dicebat, *Num.*, XVI, 7 : « Multum erigimini, filii Levi. » Samuel etiam dixit Sauli, I *Reg.*, XV, 19 : « Quare non audisti vocem Domini? » etc. In hac autem arte Paulus erat valde peritus; unde, I *Cor.*, IV, 19 : » Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem cito, et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. » I *Tim.*, VI, 17 : « Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, » etc.

Rursus etiam bonus prælatus distantes, et ad eum accedere non valentes debet personaliter

(a) *Cæt. edit.* per.

Digitized by Google

visitare : quod Samuel adimplebat, qui ibat circuiens Bethel et Galgala, et Masphat, et judicabat Israelem, I *Reg.*, VII. Et quis hoc exercuit sicut Paulus, qui ab Hierusalem usque ad Illyricum mare replevit Evangelium Christi, *Rom.*, XV, 19, ita quod vitam suam quemdam cursum vocabat? I *Cor.*, IX, 26 : « Sic curro, non quasi in incertum. » II *Tim.*, IV, 7 : « Cursum consummavi. »

Item debet delinquentes et transgressores punire, sicut fecit Moyses, quando populus vitulum conflatilem adoravit, *Exod.*, XXXII. In hac etiam parte Paulus negligens non erat; dicebat enim, II *Cor.*, X, 4 : « Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, in promptu habentes ulcisci inobedientiam. » Item, I *Cor.*, IV, 21 : « In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? »

Item bonus prælatus debet contumaces de populo, et pestiferos extirpare, sicut fecit Moyses de Core, et iis qui adhæserunt ei, *Num.*, XVI, 16 : « Tu, » inquit, « et omnis congregatio tua, state seorsum. » Deinde dixit aliis, 26 : « Recedite a tabernaculis impiorum. » Paulus autem de illo, qui tenebat novercam suam, ait, I *Cor.*, V, 5 : « Ego judicavi hujusmodi tradere Satanæ in interitum carnis. » Et post, 7 : « Expurgate vetus fermentum, » etc. Hymenæum et Alexandrum tradidit Satanæ, ut discerent non blasphemare, I *Tim.*, I, 20.

Postremo debet pro universis orare. Sic faciebat Moyses, *Exod.*, XXXII, 11 : « Moyses orabat Dominum, » etc. Et Samuel, I *Reg.*, XII, 23 : « Absit a me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis. » Hoc autem Paulus diligentissime implebat. *Rom.*, I, 9-10 : « Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. » Et II *Thess.*, I, 11 : « Oramus semper pro vobis, ut Deus dignetur vos vocare vocatione, » etc. Item hoc ipsum hortatur fieri, dicens, I *Tim.*, II, 1 : « Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, » etc.

CAPUT CII.

De malis Principibus et Prælatis.

Præcepit Dominus Moysi dicens : « Tolle principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis. » *Num.*, XXV, 4.

Dixit Moyses ad Aaron, *Exod.*, XXXII, 21 : « Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? » Quasi multum peccaret prælatus in subditos, quando malæ eorum acquiesceret voluntati.

Male corripuit Heli filios suos; quod multum displicuit Domino, I *Reg.*, II : et tamen corripuit eos verbo; sed lente, non viriliter et severe. Quid ergo de illis, qui in malis favent eis, vel qui dant eis occasionem peccandi?

Etiam malis prælatis debent deferre subditi : sicut David, qui percussit cor suum, quia præciderat oram chlamydis Saulis (*a*), neque aliud malum voluit facere ei, I *Reg.*, XXIV.

Totum pondus prælii versum est in Saul, unde cecidit in prælio, et occisus fuit, I *Reg.*, XXXI.

Propter peccatum, quod commisit David in numeratione populi, mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum, II *Reg.*, XXIV.

Quia Roboam populum nimis gravare voluit, magnam partem ejus amisit, III *Reg.*, XII.

Occasionem dedit Jeroboam populo recedendi a cultu Dei, quando vitulos fecit, et eos adorari præcepit. III *Reg.*, XIII.

Propter malos prælatos interdum subditi temporaliter affliguntur; unde dixit Elias ad Achab : « Tu conturbas populum Israel, et domus patris tui, » etc. III *Reg.*, XVIII, 17.

Rex Syriæ præcepit principibus curruum suorum : « Non pugnabitis contra majorem, et minorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. » Ille autem erat Achab nequissimus. III *Reg.*, XXII, 31.

Manasses seduxit Judam et habitatores Hierusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel, II *Paral.*, XXXIII, 9.

Malorum prælatorum in Hierusalem habitantium conditiones expressit Isaias dicens : « Principes tui infideles sunt, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, » etc. *Isa.*, I, 23.

De Nabuchodonosor principe pessimo dicitur, *Isa.*, XIV, 20 : « Tu terram tuam dispersisti, tu populum tuum occidisti, » etc.

Sobna præpositus templi credebat in Hierusalem diu vivere, et mori, et honorifice sepeliri; sed mandavit ei Dominus : « Quid tu hic, aut quasi quis hic, » etc. Et post panca sequitur : « Expellam te de statione tua, » etc. *Isa.*, XXII, 16, 19. Et nota, quod ille Sobna videtur fuisse de illis, qui dicebant paulo ante, 13 : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. »

(*a*) *Cæt. edit.* illius.

Digitized by Google

Sedecias rex Juda dixit principibus Jeremiam occidi petentibus; « Ecce in manibus vestris est. Non enim fas est regem aliquid vobis negare. » *Jerem.*, XXXVIII, 5.

Contra malos prophetas et prælatos dixit Dominus, *Ezech.*, XIII, 5: « Non ascendistis ex adverso, non opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. »

Malis prælatis Dominus per Ezechielem comminatur, dicens, *Ezech.*, XXXIV, 1 : « Væ (*a*) pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? » Postea statim describitur actus malorum pastorum : « Lac, » inquit, « comedebatis, et lanis operiebamini ; et quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, et ægrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, quod perierat non quæsivistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, » etc.

Mali fuerunt illi presbyteri, qui condemnabant Susannam ad mortem, eo quod noluit consentire illis, cum ex hoc magis meruisset laudari. *Dan.*, XIII.

Rex Demetrius Alcimum proditorem impium constituit in sacerdotio, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel, I *Mach.*, VII, 9.

Elegit Bacchides viros impios, et constituit eos dominos regionis, et expugnabant amicos Judæ, et adducebant eos ad Bacchidem, etc., I *Mach.*, IX, 25.

Jason frater Oniæ, qui summum sacerdotium emit ab Antiocho, statim ut obtinuit principatum, ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. II *Mach.*, IV, 10.

Proprietates malorum prælatorum bene tangit Dominus Jesus. *Matth.*, XXIII, 2 et seq. « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, » etc. « Dicunt et non faciunt. Alligant autem onera gravia, » etc. Sequitur : « Clauditis regnum cœlorum ante homines, et vos non intratis, » etc. Item, *Joan.*, X, 12, 13 : « Mercenarius, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, » etc. « Non pertinet ad eum de ovibus, » sed curat tantum de velleribus.

Sciebat Pilatus, quod Judæi per invidiam Dominum tradidissent; sciebat eum innocentem : tamen propter favorem populi, et timorem Cæsaris, tradidit illum voluntati eorum. *Matth.*, XXVII, 26.

Principes sacerdotum, vocantes Petrum et Joannem, denuntiaverunt eis, ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Jesu. *Act.*, IV, 18.

Videns princeps sacerdotum multa signa per Apostolos fieri, exurgens ipse, et omnes qui cum eo erant, injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia sua publica. Angelus autem Domini eduxit eos : tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxerunt illos, et post multa concilia vocaverunt Apostolos, et cæsis denuntiaverunt, ut amplius non loquerentur in nomine Jesu. *Act.*, V.

Raptus fuit Stephanus a Judæis, et adductus in concilium; cumque falsa objicerentur ei, principes sacerdotum dixerunt ei, si hæc ita se haberent. Qui cum fideliter se excusaret, et duritiam Judæorum acriter increparet, lapidatus est ab eis, præfato principe nullam displicentiam ostendente. *Act.*, VI et VII.

Productus Paulus in concilium cœpit rationabiliter loqui; sed ad primum verbum, quod dixit, princeps sacerdotum præcepit eum percuti : tunc Paulus dixit: « Percutiet te Dominus, paries dealbate, et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti. *Act.*, XXIII, 3.

Malos præsides et iniquos habuit Paulus Felicem et Festum, qui volebant gratiam Judæis præstare; et idcirco compulsus est Cæsarem appellare. *Act.*, XXV.

CAPUT CIII.

De ambitiosis.

Locuta est Maria et Aaron contra Moysen, et dixerunt : « Nonne et nobis similiter locutus est Dominus? » Per hæc verba videbantur ambire ducatum populi. *Num.*, XII, 2.

Core et complices sui anhelantes ad regnum populi, cœperunt ipsum populum commendare, Moysen vero et Aaron accusare, dicentes : « Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus : cur elevamini super populum Domini? » *Num.*, XVI, 3.

Abimelech filius Gedeonis callide procuravit se eligi per amicos ex parte matris suæ; sed postea pessime successit utrisque. *Judic.*, IX.

Parabola illa, quam proposuit Jonatham, quod oliva, vitis et ficus noluerunt super ligna

(*a*) *Cæt. edit.* De.

Digitized by Google

accipere principatum, rhamnus vero, arbor modica et vilis, regnum usurpare præsumpsit, potest ad ambitiosos aptari. *Judic.*, IX.

Dicebat Gaal filius Obed, *Judic.*, IX: « Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. »

Absalom hominibus ad judicium regis David venientibus blandiendo, detrahendo simul, et ambiendo dicebat: « Videntur mihi sermones tui boni et justi; sed non est qui te audiat constitutus a rege. Quis me constituat judicem super terram? » etc. Sed nota quomodo accidit ei postea. » III *Reg.*, XV, XVI et XVIII.

Adonias filius Aggith elevabatur dicens: « Ego regnabo. » III *Reg.*, I, 5.

Dixit Ahias ad Jeroboam: « Regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua. » Sed adeptus regnum super decem tribus Israel, pessime se habuit. III *Reg.*, XI, 37.

Zambri videns Hela dominum suum regem Israel temulentum, occidit eum, et regnavit post eum diebus septem. III *Reg.*, XVI, 10.

Athalia mater Ochoziæ, regis Juda, videns esse mortuum filium suum, in tantam exarsit libidinem dominandi, quod interfecit omne semen regium, excepto Joas, qui fuit a sorore Ochoziæ furtive sublatus. IV *Reg.*, XI.

Sellum filius Jabes conjuravit contra Zachariam regem Israel, dominum suum, et interfecit eum, et regnavit pro eo uno mense. IV *Reg.*, XV.

Nabuchodonosor rex Assyriorum vocavit duces bellatores suos, dixitque cogitationem suam esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. *Judith*, II.

Ambitiosi et superbi plus affliguntur de paucis, qui eos præcedunt, vel eis non obediunt, quam lætentur de multis, qui eis subsequuntur; unde superbus Aman, qui erat secundus a rege, et filios, et divitias multas habebat, nihil se habere reputabat, quandiu vidit Mardochæum ante fores regias. *Esth.*, V, 9.

Audivit Seron, quod congregavit Judas ecclesiam fidelium, et ait: « Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Judam. » Sed ipse cito fuit debellatus a Juda. I *Mach.*, III.

Alcimus, qui volebat fieri sacerdos summus, et quidam alii iniqui de populo Judæorum, venerunt ad regem Demetrium, dicentes ei: « Perdidit Judas, et fratres ejus, amicos tuos, et nos disperserunt de terra nostra, » etc. I *Machab.*, VII.

Ptolemæus rex Ægypti voluit dolo obtinere regnum Alexandri, et tandem obtinuit, Alexandro devicto, et in Arabiam fugato; et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo, qui parum gavisus est, quia die tertio mortuus est. I *Machab.*, XI.

Ptolemæus filius Abobi habebat argentum et aurum multum; et exaltatum est cor ejus, et volebat obtinere regionem, et quasi occasione hac proditorie occidit Simonem sacerdotem, et duos filios ejus. I *Machab.*, XV.

Ambiebat Jason frater Oniæ summum sacerdotium, et propter hoc adiit regem Antiochum Nobilem, promittens trecenta sexaginta argenti talenta, et multa alia, II *Machab.*, IV. Quod cum rex annuisset, modico tempore sacerdotii honore functus est, quia Menelaus, quem misit ad Antiochum, retorsit ad se summum sacerdotium: qui etiam cito fuit amotus, et Lysimachus, frater ejus, loco ejus substitutus. II *Machab.*, IV.

Cum vidisset Simon, quod per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: « Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. » Petrus autem dixit ei: « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » *Act.*, VIII.

CAPUT CIV.

De tentatione Diaboli.

Serpens callidus ad tentandum, id est diabolus in serpente, humanum genus ex parte debiliori et ad peccatum proniori, aggressus est: non enim Adam prius tentavit, sed Hevam. Item explorando a longe incœpit, non statim comedere vetitum fructum ex abrupto suasit. Item negavit pœnam secuturam pro mandati transgressione, et magna bona asseruit affutura pro una tali comestione. Item non tentavit mulierem de peccatis, ad quæ nullam inclinationem habebat, sed de comestione suavis fructus, et sapidi, et curiositate sciendi, et de dignitate majori. *Gen.*, III.

Spiritus mendax frequenter in tentatione mentitur; unde dixit Hevæ: « Nequaquam moriemini. » *Gen.*, III, 4.

Item dixit Domino Salvatori, cum ostendisset ei omnia regna mundi: « Mihi tradita sunt omnia, et cui volo do illa. » *Luc.*, IV, 6.

Item Scripturam sacram interdum perverse

Digitized by Google

allegat: dixit enim Domino : « Angelis (a), » etc. *Matth.*, IV.

Cum surrexisset Satan contra Israel, incitavit David, ut numeraret Israel. I *Paral.*, XXI.

Petivit Satan a Domino, ut Job tangeretur in liberis, et rebus, et persona : in quo potest notari calliditas, malignitas, et infirmitas inimici. *Job*, I et II.

Non expedit tentationes suas revelare homini, quem credit tentari de simili peccato; sed magis alicui discreto et sancto, qui eum confortet in bono : unde duo senes, quando sibi invicem concupiscentiam indicaverunt, pejus provocati fuerunt. *Dan.*, XIII.

Tentatio Domini nos instruit ad vincendum omne genus tentationis; fuit enim tentatus de tribus, ad quæ omnia possunt tentamenta reduci. Et nota, quod non per potentiam, sed per Scripturam vicit tentatorem. *Matth.*, IV; *Luc.*, IV.

Ait Dominus Simoni Petro, instante passione sua : « Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, » etc. *Luc.*, XXII, 31, 32.

Diabolus immisit in cor Judæ, ut traderet Dominum Christum. *Joan.*, XIII, 2.

Dixit Petrus Ananiæ : « Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? » *Act.*, V, 3.

CAPUT CV.

De peccato in generali, et variis pœnis, quæ ex peccato sequuntur.

Quod peccatum causet in homine erubescentiam, patet per hoc, quod in statu innocentiæ erant primi parentes nudi, et non erubescebant; post peccatum vero statim sibi operimenta fecerunt. *Gen.*, II et III.

Peccatum infatuat peccatorem : unde Adam post peccatum credebat se abscondere a facie Domini. *Gen.*, III.

Item peccatum facit hominem timidum. Unde Adam, postquam peccaverat, dixit : « Timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. » *Gen.*, III, 10.

Enormitas sceleris clamat pro vindicta ad aures Dei, *Gen.*, IV, 10 : « Vox sanguinis fratris tui, » etc. *Gen.*, XVIII, 20 : « Clamor Sodomorum, » etc.

Etiam pœna temporali punit Dominus quandoque peccatum, ut patet in Adam et Heva, *Gen.*, III; et in Cain, *Gen.*, IV; in Sodomitis, *Gen.*, XIX; item in filiis Israel multoties. Item *Joann.*, V, 14 : « Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. »

Pharao propter peccatum recognoscebat se a Domino flagellatum, dicens, *Exod.*, X, 16 : « Peccavi in Dominum, et in vos. »

Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini : iratusque Dominus tradidit eos in manibus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus. *Judic.*, II, 14.

Peccatum ipsum peccatorem quiescere non facit; unde percussit eum cor David, postquam numeratus est populus. II *Reg.*, XXIV, 10.

Salomonem sapientissimum peccatum infatuavit, III *Reg.*, XI. Ipsius etiam famam maculavit, *Eccli.*, XLVII, 22 : « Dedisti maculam in gloria tua. »

Postquam Joram rex Juda cœpit ambulare per vias regum Israel pessimas, recessit Edom ab eo, et noluit ei solvere tributum consuetum, III *Reg.*, VIII, 20.

« Dereliquerunt filii Israel præcepta Domini, et fecerunt sibi deos conflatiles, servieruntque Baal, » etc. Sequitur : « Translatus est Israel de terra sua. » IV *Reg.*, XVII, 16, 23.

Factum est verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata quæ fecit Manasses, et propter sanguinem innoxium, quem effudit, etc. IV *Reg.*, XXIV, 4.

« Deserta est Hierusalem, et omnes urbes Juda, et non est habitator in eis, propter malitiam quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent. » Consecutive, non causaliter intelligi debet. *Hier.*, XLIV, 3.

Tanta est gravitas peccati, quod dicitur, *Hierem.*, XLIV, 22 : « Non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum. »

Propter peccatum debilitatur homo. *Thren.*, I, 8 : « Peccatum peccavit Hierusalem; propterea instabilis facta est. » Unde servus Salomonis ausus est insurgere in dominum suum post ipsius peccatum, III *Reg.*, XI.

Cum sanasset Dominus Jesus hominem languidum in grabato jacentem, invenit eum in templo, et dixit : « Ecce sanus factus es; jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. » *Joan.*, V, 14.

Mulieri in adulterio deprehensæ, et a Judæis coram Domino accusatæ, dixit ipse Salvator :

(a) *Cæt. edit.* Angelorum.

Digitized by Google

« Vade, et amplius jam noli peccare. » *Joan.*, VIII, 11.

CAPUT CVI.

De confessione peccati.

Monebat Dominus Adam post peccatum recognoscere culpam suam; sed ille quodammodo retorsit in Deum et mulierem, et mulier in serpentem, *Gen.*, III, 12 : « Mulier quam dedisti mihi sociam, » etc. Et post, 13 : « Serpens decepit me. »

Cain (*a*) recognovit peccatum suum dicens, *Gen.*, IV, 13 : « Major est iniquitas mea, » etc.

Item Pharao dixit : « Peccavi, » *Exod.*, IX et X. Item dixit Saul, I *Reg.*, XXV. Item Judas, *Matth.*, XXVII. Nullus tamen ex prædictis veniam consecutus est, quia non recto corde dixerunt. Simile dixit David corde humili, II *Reg.*, XII; et audire meruit : « Dominus transtulit peccatum tuum, » etc.

Afflicti filii Israel per ignotos serpentes venerunt ad Moysen, atque dixerunt : « Peccavimus, quoniam locuti sumus contra Dominum, et contra te, » etc. *Num.*, XXI, 7.

Vehementer oppressi filii Israel a Philisthæis et filiis Ammon, dixerunt ad Dominum, *Judic.*, X, 10 : « Peccavimus : redde tu nobis quidquid tibi placet; tamen nunc libera nos. »

Reprehensus David a Nathan propheta super excessu quem commiserat in Uriam et uxorem ejus, peccatum suum humiliter recognovit, II *Reg.*, XII.

Humiliter recognovit peccatum David, quando fecerat populum numerari, ita quod etiam obtulit se percutiendum loco populi innocentis, II *Reg.*, XXIV.

Dixit Nehemias : « Confitebor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi, et ego, et domus patris mei peccavimus, vanitate seducti sumus, » etc. *Nehem.*, I, 6.

Quamvis Tobias ab infantia Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, tamen dicebat humiliter recognoscens : « Non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. » *Tob.*, III, 5.

Tres socii Danielis, qui ita sancte inter Chaldæos vixerant, et pro quibus Deus tantum miraculum faciebat in fornace, nequaquam contra Deum murmurabant, quasi injuste talia paterentur; sed dicebat Azarias : « Peccavimus, injuste egimus, » etc. *Dan.*, III, 29.

Orans Deum Daniel confitebatur peccata sua, et populi, dicens : « Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, » etc. *Dan.*, IX, 5.

Sextus illorum septem fratrum mori incipiens, ait : « Nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, quia peccavimus in Dominum nostrum, » etc. II *Machab.*, VII, 18.

Veniebant ad Joannem Baptistam omnis Judæa, et omnis regio citra Jordanem, confitentes peccata sua, *Matth.*, III; *Marc.*, I.

Prædicante Paulo per Asiam, multi credentium veniebant confitentes (*b*) et annuntiantes actus suos. *Act.*, XIX, 18.

CAPUT CVII.

De duritia et obstinatione malorum

Cain, post increpationem quam fecit ei Dominus, pejor fuit, et fratricidium perpetravit. *Gen.*, IV.

Cor Pharaonis neque per blanda verba, quæ primo dixit Moyses ex parte Domini, neque per dura flagella potuit emolliri. *Exod.*, V, usque ad decimum cap.

Filii Israel dicuntur a Domino « populus duræ cervicis, » *Exod.*, et *Num.*, pluries.

Heli sermonibus filios suos corripuit; sed nihil ei profuit.

Samuel prædixit populo conditiones regis eorum valde graves, et quod hoc displicebat Domino; et tamen noluit desistere ab incœpto. I *Reg.*, VIII.

Neque per verba Jonathæ, neque per beneficia a David recepta, cor Saulis ad diligendum ipsum David potuit provocari. I *Reg.*, XVIII et XIX.

De Nabal dicitur, I *Reg.*, XXV, 3, quod erat *durus*, et *pessimus*, et *malitiosus*.

Obstinate nimis Asael persequebatur Abner, II *Reg.*, II.

Mittebat Dominus viris Juda prophetas, ut reverterentur ad eum : quos illi audire nolebant; imo etiam Zachariæ, filium Joiadæ, increpantem creduliter occiderunt. II *Pard.*, XXV.

Ezechias rex Juda misit nuntios in universum Israel dicentes : « Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri, » etc. Sequitur, quod illi « irridebant, et subsannabant eos, » etc. II *Paral.*, XXX, 8, 10.

Durissima fuerunt corda illorum; qui vene-

(*a*) *Cæt. edit.* Cham. — (*b*) *Item* venientes.

Digitized by Google

runt ad comprehendendum Dominum, quos cum ad terram prostravisset solo verbo, et auriculam ejus sanasset, non fuerunt moti, vel ex miraculi majestate, vel ex beneficii pietate. *Luc.*, XXII, et *Joan.*, XVII.

Beatus Stephanus Judæos increpans ardenter, ait : « Duri cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, » etc. *Act.*, XVII.

CAPUT CVIII.

De perversitate quorumdam.

Prima mulier ordinem naturæ pervertit, quando de fructu vetito dedit (*a*), *Gen.*, III, et ille comedit; cum ipse vir eam debuisset docere, quid illa deberet comedere, vel vitare.

Dominus de spoliis Ægyptiorum ditavit Hebræos, *Exod.*, XII; sed sunt multi, qui ditant Ægyptios de spoliis Hebræorum.

Filii Israel in deserto penuriam patientes dicebant se super ollas carnium in Ægypto sedisse; sed nec minimam (*b*) faciebant mentionem de gravissima servitute. *Exod.*, XVI.

Dicebat populus in deserto : « Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, » *Num.*, XI, 5 : cum tamen tunc servitute maxima premerentur, et ibi in deserto pane angelorum, id est cibo sapidissimo, sine labore suo, dato cœlitus, pane angelorum alerentur.

Narrantibus exploratoribus conditiones terræ promissionis, voluit (*c*) populus contra voluntatem Domini in Ægyptum redire, nequaquam ultra procedere; cito vero post voluit contra voluntatem Domini nimium festinare. *Num.*, XV.

Vocati Dathan et Abiron a Moyse, responderunt : « Non venimus. Numquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra, quæ lacte et melle manabat? » *Num.*, XVI, 12, 13.

Petiit Moyses a rege Edom dicens : « Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam; non ibimus per agros; sed via publica gradiemur. » Respondit tamen ille : « Non transibitis per me; alioquin occurram armatus tibi, » etc. *Num.*, XX, 17, 18.

Simile accidit de Sehon rege Amorrhæorum; sed qui noluit concedere pauca, amisit multa, *Num.*, XXI.

Noluit Balaam maledicere populo quem credebat benedictum a Deo; sed sunt multi qui plura maledicunt de bonis, quam de malis. *Num.*, XXII. Et mirum fuit quod noluit ei maledicere : nam licet ostendisset ei Dominus, quod populus Israel erat benedictus; tamen dedit finaliter malum consilium, per quod a mulieribus est seductus. *Num.*, XXIV.

Filii Israel, audientes mandata Domini, omnia fecerunt contraria. *Judic.*, II, 17.

Viri Ephraim rogati a Jephte, ut secum venirent ad prælium, noluerunt : quo post victoriam redeunte, quasi eos non vocasset, contra eum jurgari cœperunt. *Judic.*, XII.

David psallebat coram Saule vexato a dæmone, et ipsi utiliter serviebat : et tamen ipse Saul voluit eum configere parieti cum lancea, quam tenebat. I *Reg.*, XVIII et XIX.

Saul voluit occidere Jonathan filium suum, quia excusavit David innocentem. I *Reg.*, XX.

Dicebat Saul servos conjurasse adversus eum, et David insidiari sibi, quia eum ad mortem quærebat, et invenire vel capere non poterat. I *Reg.*, XXII.

Rex filiorum Ammon, videns quod injuriam fecisset David, voluit impugnare eum, cum magis debuisset laborare ad placandum eum. II *Reg.*, IV.

Amnon filius David Thamar sororem suam, violenter oppressam, turpiter a se expelli fecit. II *Reg.*, XIII.

Absalom filius David populum contra patrem malitiose commovit : ad concubinas illius, videntibus cunctis, intravit; ipsum patrem suum vita et regno privare voluit. II *Reg.*, XV.

Sublimatus a Domino Jeroboam super decem tribus Israel, statim avertit populum a cultu veri Dei, et commonitus per prophetam, præcepit eum capi. III *Reg.*, XIII.

Achaz rex Juda altare Domini transtulit, et fecit fieri altare ad similitudinem illius, quod viderat in Damasco, et super illud offerri holocausta præcepit. IV *Reg.*, XVI.

Idololatriam, sortilegia, homicidia, et diversa scelera, quæ commisit Manasses rex Juda, satis narrantur, IV *Reg.*, XXI, et II *Paral.*, XXXIII.

Cum debellasset Amasias Idumæos, et filios Seir, et tulisset deos eorum, adoravit eos, et illis adolevit incensum, II *Paral.*, XV. Propter quod Dominus cum arguit per prophetam dicentem sibi : « Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua? »

Achaz rex Juda immolavit victimas diis Da-

(*a*) *Suppl.* viro. — (*b*) *Cæt. edit.* sed tamen. — (*c*) *Edit. Vatic.* noluit, *Edit. Ven.* doluit.

Digitized by Google

masci percussoribus suis, et dixit : « Dii regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi : » cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei et universo Israel. II *Paral.*, XXVIII.

Quia unus solus Mardochæus non adorabat Aman superbissimam, ipse Aman procuravit apud regem Assuerum omnes Judæos debere interfici. *Esth.*, III.

Arguente Hieremia propheta populum, pro eo quod sacrificabant diis alienis, responderunt : « Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cœli, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio, et fame consumpti sumus. » *Hierem.*, XLIV, 18.

Principes et satrapæ Darii regis Persarum accusaverunt Danielem, quod tribus temporibus per diem orabat Deum suum. *Dan.*, VI.

Alcimus impius de gente Judæorum, qui debebat diligere Judam et fratres ejus, ivit ad Demetrium, et quidam alii iniqui ex Israel, dicentes : « Perdidit Judas et fratres ejus, » etc. *Mach.*, VII.

Cum vellet Antiochus civitatem Persepolim spoliare, fugatus est multitudine ad arma concurrente : quam injuriam in Judæos voluit retorquere. II *Mach.*, IX.

Joppitæ tale flagitium perpetraverunt : rogaverunt ducentos Judæos, ut ascenderent naves; qui cum essent in alto mari, submerserunt eos. II *Mach.*, XII.

Nec austerus Joannis victus, nec condescensiva manducatio Salvatoris, placuit Pharisæis, *Matth.*, XI.

Pharisæi videntes Dominum dæmonia ejicientem, turbis dicentibus : « Numquid hic est filius David ? » blasphemabant dicentes : « Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. » *Matth.*, XII; *Luc.*, XI.

Nimia fuit perversitas in Juda, qui pro triginta argenteis tradidit Salvatorem. *Matth.*, XXVI.

CAPUT CIX.

De nequitia tyrannorum.

Varias adinvenit malitias Pharao, ut posset extinguere, vel ad numerum parvum redigere filios Israel, *Exod.*, I. In principio enim duris laboribus eos præcepit affligi, deinde masculos occidi; postea mandavit eos in flumen projici, et feminas reservari.

Primo simpliciter dixit Pharao : « Nescio Dominum, et Israel non dimittam, » *Exod.*, V, 2. Deinde concessit, dicens : « Ite, sacrificate Domino in terra hac, » *Exod.*, VIII, 24. Postea dimittere eos voluit (*a*), ut sacrificarent Domino in deserto; verumtamen non longius, ne abirent, *Exod.*, VIII, 28. Postmodum voluit ut viri irent, dum tamen oves et armenta dimitterent, *Exod.*, X, 24.

Postquam intellexit Pharao quod filii Israel voluerunt servire et sacrificare Domino, durius afflixit eos, *Exod.*, V.

Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant reliquias sub mensa Adonibezec. *Judic.*, I, 6.

Abimelech filius Gedeonis, usurpato dominio super populum, septuaginta viros fratres suos occidit super lapidem unum. *Judic.*, IX.

Post multa beneficia a David percepta, Saul ipsum quæsivit ad mortem, et occidit octoginta quinque viros portantas ephod, occasione ipsius. I *Reg.*, XXII.

Virum Dei arguentem Jeroboam pro altari sacrilego quod construxerat, præcepit Jeroboam apprehendi. III *Reg.*, XIII.

Jezabel fecit Eliam ad mortem quæri, quia prophetas Baal fecerat occidi. III *Reg.*, XIX.

Naboth Jezrahelites lapidatus fuit, quia procuravit Jezabel contra eum falsos testes produci. III *Reg.*, XXI.

Achab rex Israel fecit poni Michæam prophetam in carcerem, et sustentari pane tribulationis et aqua angustiæ. III *Reg.*, XXII.

Cum factum esset verbum Domini in manu Jehu prophetæ contra Baasa regem Israel et contra domum ejus, occidit Baasa prædictum prophetam. III *Reg.*, XVI.

Manasses rex Juda sanguinem innoxium effudit, et implevit Hierusalem cruore innocentium. IV *Reg.*, XXIV.

Cum reversus esset Sennacherib, fugiens a Judæa plagam quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, iratus multos Judæos occidit. IV *Reg.*, XIX.

Nabuchodonosor dixit Holopherni : « Non parcat oculus tuus ulli regno, » *Judith.*, II, 6. De Holopherne vero postea legitur, quod tantus metus illius provinciis incubuit, ut universarum urbium habitatores obviam exirent venienti, excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros in tibiis et tympanis; et

(*a*) *Cæt. edit.* noluit.

Digitized by Google

tamen ista facientes ferocitatem pectoris ejus mitigare non poterant. *Judith*, III.

Quia Mardochæus superbissimo Aman genua non flectebat, magis elegit Aman omnes Judæos procurare occidi, quam parcere uni soli. *Esth.*, III.

Ad petitionem principum populi, præcepit Sedecias rex Juda Hieremiam prophetam mitti in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum, *Hierem.*, XXXVIII.

Rex Babylonis occidit filios Sedeciæ regis Juda, in oculis ejus, in Reblatha; oculos quoque ejus eruit, et vinxit eum compedibus, ut adduceretur in Babylonem. *Hierem.*, XXXIX.

Nabuchodonosor rex Babylonis in furorem versus præcepit, ut occiderentur omnes sapientes Babylonis, pro eo scilicet quod non poterant ei somnium, quod viderat, indicare. *Dan.*, II.

Mira crudelitas fuit, cum Nabuchodonosor rex Babylonis fecit socios Danielis mitti in fornacem ignis ardentis. *Dan.*, III.

Antiochus ascendit Hierosolymam, et fecit cædem hominum; et post dicitur: « Effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis. » Et multa leguntur ibi. I *Mach.*, I.

Comprehendit exercitus Antiochum filium Antiochi, et Lysiam, et adduxit eos ad Demetrium: qui noluit eos videre; et occidit eos exercitus. I *Mach.*, VII.

Tryphon cepit Jonathan proditorie, cumque teneret, petiit pro ejus liberatione centum talenta argenti, et duos filios ejus pro obsidibus: quos cum haberet, nequissime patrem cum duobus filiis occidit. I *Mach.*, XIII.

Rogatus a Menelao Andronicus, et per munera, quæ cepit ab eo, corruptus, occidit Oniam summum sacerdotem. II *Mach.*, IV.

Rex Antiochus Menelaum, hominem sacrilegum, de multis sceleribus accusatum absolvit, et accusatores ejus morte damnavit. II *Mach.*, IV.

Nimiam crudelitatem exercuerunt in Eleazarum illi tyranni ab Antiocho missi, II *Mach.*, VI; et similiter in septem illos fratres, et eorum matrem, II *Mach.*, VII.

Herodes videns quod illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu, et infra. *Matth.*, II, 16.

Sciebat Herodes tetrarcha Joannem Baptistam esse virum justum et sanctum; et tamen ad petitionem unius meretricis fecit eum in carcere decollari. *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

Accesserunt ad Dominum Jesum quidam Pharisæorum, dicentes: « Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. » *Luc.*, XIII, 31.

Herodes tetrarcha multo tempore videre Jesum cupiebat; et viso eo gavisus est valde: et tamen sprevit eum cum exercitu suo, et illusit indutum in veste alba, et remisit ad Pilatum. *Luc.*, XXIII.

« Misit Herodes Agrippa rex (*a*), ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio; videns autem, quia placeret Judæis, apprehendit Petrum, et misit in carcerem. » *Act.*, XII, 1-4.

A quibusdam quæstuariis fuit Paulus mendaciter accusatus, pro eo quod ipse spiritum pythonem ejecit a quadam puella; magistratus autem jusserunt eum, et Silam socium ejus, virgis cædi, et in carcerem mitti, et pedes eorum ligno stringi. *Act.*, XVI.

Felix præses sperabat, quod pecunia ei daretur a Paulo, quem tenebat vinctum; propter quod frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. Successit autem ei Festus, et volens Felix gratiam præstare Judæis, Paulum non absolvit, sed eum vinctum reliquit. Festus etiam cœpit favere Judæis, et Paulus gravari; propterea compulsus est Cæsarem appellare. *Act.*, XXIV et XXV.

CAPUT CX.

De oppressione bonorum per malos.

Cain nequam et invidus prævaluit adversus Abel justum, et occidit eum. *Gen.*, IV.

Sodomitæ animam justi Loth multipliciter afflixerunt. *Gen.*, XIX.

Oderat semper Esau Jacob; dixitque in corde suo: « Venient dies, » etc. *Gen.*, XXVII et XXVIII.

Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, etc. *Exod.*, I.

Unus spurius ambiens principatum, Abimelech scilicet filius Gedeonis, occidit septuaginta fratres suos. *Judic.*, IX.

Saul diu persecutus est David, qui tamen fideliter ei et utiliter serviebat. I *Reg.*, XVII et deinceps.

Absalom in tantum commovit populum adversus David patrem suum, quod compulsus

(*a*) *Suppl.* manus.

Digitized by Google

est exire Hierusalem, licet cito fuerit revocatus. II *Reg.*, XV et XX.

Impiissima Jezabel minata est, quod occideret Eliam : ita quod ille timens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. III *Reg.*, XIX.

Rex Israel Joram pessimus, audiens quod maxima fames erat in civitate, misit virum ad amputandum caput Elisei. IV *Reg.*, VI.

Ad imperium regis Juda Joas, lapidatus est Zacharias filius Joiadæ, pro eo quod arguebat regem et populum sculptilibus servientes. II *Paral.*, XXIV.

Nabuchodonosor præcepit Holopherni, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus Deus diceretur, et propter hoc multa regna destruxit, et populum Dei, qui nuper redierat de captivitate Babylonis, afflixit. *Judith*, II et deinceps.

Aman superbus, crudelis et impius, ita potens fuit, quod pro nihilo habuit procurare necem omnium Judæorum; sed divina providentia ejus conatibus obviavit. *Esth.*, III et IV.

« Percussit Phassur Jeremiam prophetam, et misit eum in nervum, » *Jerem.*, XX, 2. Et sequenti capitulo (XXVIII), Hananias prophetavit plane contra id quod dicebat Jeremias, et tulit catenam ligneam de collo Jeremiæ, et confregit eam, et abiit Jeremias in domum suam, quasi confusus ab illo Hanania mendace propheta.

Nabuchodonosor rex Babylonis Ananiam et socios ejus in fornacem mitti jussit, eo quod ipsi noluerunt adorare statuam, quam idololatra iniquus erexit, *Dan.*, III. Et Daniel bis missus fuit in lacum leonum, procurantibus pessimis hominibus. *Dan.*, VI et XIV.

Antiochus ascendit Hierosolymam in multitudine gravi cum superbia, et fecit ibi terribilem hominum cædem. I *Mach.*, I, IV et V.

Bacchides et Alcimus proditor, missi a rege Demetrio, tantum exercitum produxerunt contra Judam Machabæum, quod ipse Judas cecidit in bello, et cæteri commilitones sui fugerunt. I *Mach.*, IX.

Proditor et dolosus Tryphon, qui dominum suum regem Antiochum adolescentem dolo occidit, Jonathan et duos filios ejus nequiter interfecit. I *Mach.*, XIII.

Joannem Baptistam, totius exemplar sanctitatis, ad petitionem unius meretricis, etc. *Matth.*, XIV ; *Marc.*, VI.

Quidam Judæi commoverunt plebem, et seniores, et Scribas; rapuerunt Stephanum, et statuerunt duos falsos testes contra ipsum, et lapidaverunt eum. *Act.*, VI et VII.

« Misit Herodes Agrippa, » etc. *Act.*, XII, 1.

« Judæi concitaverunt religiosas mulieres et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis. » *Act.*, XIII, 50.

Quidam quæstuarii ducentes unam mulierem pythonissam, a qua Paulus, etc. *Act.*, XVI.

CAPUT CXI.

De oppressione bonorum per malos, et de tribulationibus, et earum (a) *utilitatibus.*

Plus crevit Joseph in exilio in terra paupertatis suæ, quam crevisset inter fratres suos in terra nativitatis suæ. *Gen.*, XLI.

Fratres Joseph locuti sunt ad invicem : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, » etc., « idcirco venit tribulatio. » *Gen.*, XLII.

Filii Israel creverunt, et oppressionibus, et afflictionibus Pharaonis, *Exod.*, I, 12 : « Quanto opprimebant eos Ægyptii, tanto magis multiplicabantur, et crescebant. »

Afflicti filii Israel a serpentibus ignitis, dixerunt ad Moysen : « Peccavimus, quoniam locuti sumus contra Deum, et contra te, *Num.*, XXI, 7. » Antequam vero Dominus illos serpentes immitteret, nec peccatum suum cognoscebant, nec divinum auxilium postulabant.

Toto tempore principatus Josue, quando filii Israel gravissima prælia habuerunt, non leguntur a Domino recessisse ; sed cito post, quando in abundantia et quiete fuerunt. *Judic.*, I.

Audierunt filii Israel, quod Philisthini essent congregati, et venirent contra eos ; et timentes dixerunt Samueli : « Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, » etc. I *Reg.*, VII, 8.

Fugiens David a facie Absalom, servo suo Semei maledicente, patiens fuit, II *Reg.*, XVI. Sed obtenta victoria, superbivit, quando jussit populum numerari. II *Reg.*, XXIV.

Videns David Dominum propter peccatum elationis ejus esse iratum, humiliter recognovit culpam suam, et petiit ut ipsemet puniretur, et populo parceretur. II *Reg.*, XXIV.

Eliam fugientem reginam Jezabel ipsum persequentem, Angelus Domini confortavit, et panem et aquam ei ostendit. III *Reg.*, XVIII.

(a) Cæt. edit. *eorum.*

Digitized by Google

Pane tribulationis et aqua angustiæ jussus est Michæas propheta sustentari in carcere, pro eo quod noluit Achab juxta suum volitum respondere. III *Reg.*, XXII.

Voluit Dominus, ut viri Juda affligerentur a rege Ægypti, ut scirent distantiam servitutis divinæ, et servitutis regni terrarum. II *Paral.*, XII, 8.

Postquam Manasses coangustatus est, oravit Dominum, cum esset vinctus in Babylone (*a*), et egit pœnitentiam valde coram Domino, et exaudivit Dominus orationem ejus. II *Paral.*, XXXIII.

« In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo exaudisti eos, et secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores. » *Nehem.*, IX, 27.

Permittente Deo, post bona opera Tobias fuit excæcatus, et deinde irrisus ab illis, qui eum debuerant consolari, *Tob.*, II. Sed postea Dominus multipliciter consolatus est eum.

De populo suo loquens Judith dixit : « Memores esse debent, quomodo Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. » *Judith*, VIII, 22.

Tribulationes sustinuit Job in anima ex uxoris et amicorum suorum opprobriis et contumeliis, quæ ipsum ad tristitiam poterant provocare ; in corpore, ex gravissima infirmitate, et generalissima, quæ totum corpus a planta pedis usque ad verticem occupabat ; in amissione rerum et liberorum, et subtractione solatii, quia halitum ejus uxor illius horrebat. Item alii viles homines ipsum deridebant, et ejus faciem conspuebant, *Job*, XXX.

Sanctificatus in utero Jeremias, et prophetiæ spiritu plenus, dicebat de se, quod erat vir rixæ et discordiæ in universa terra, et quod omnes maledicebant ei, *Jerem.*, XV. Pro veritate vero quam populo prædicabat fuit quinquies percussus, *Jerem.*, XXXV ; pluries incarceratus, *Jerem.*, XXXVIII ; et tandem ab ipso populo lapidatus.

Exul Ezechiel in Chaldæa in medio captivorum vidit mirabiles Dei visiones : per quod patet, quod in tribulationibus frequenter Deus hominem consolatur. *Ezech.*, I et deinceps.

Bene apparet Deum esse cum homine in tribulatione, per illos socios Danielis cum quibus vidit Nabuchodonosor quartum similem Filio Dei. *Dan.*, III.

Nabuchodonosor in prosperitate existens fuit arrogans et superbus ; ejectus autem ab omnibus, et in bestiam commutatus, recuperavit sensum, quem amiserat in honore elatus, et laudavit Altissimum, quem blasphemaverat prius. *Dan.*, IV.

Tantum vel amplius laudatus fuit Deus ex trium puerorum patientia, quam habuerunt in fornacis tribulatione, quantum ex Danielis sapientia, quam habuit ex somniorum expositione, seu interpretatione. *Dan.*, II et III.

Susanna in condemnatione mortis posita, nec habens recursum ad humanum adjutorium, flens suspexit ad cœlum : sicut avis in terra ab hominibus et canibus circumdata non habet effugium, nisi elevet se in altum. *Dan.*, XIII.

Post obitum Judæ Machabæi, emerserunt iniqui, et facta est fames valida, et constituit Bacchides impios dominos regionis, et facta est tribulatio magna in Israel. I *Mach.*, IX.

« Decretum exiit contra Judæos tam iniquum, ut omnes trucidarentur, qui sacrificare nollent : erat ergo videre miseriam. » II *Mach.*, VI, 8, 9.

Antiochus cum esset sanus, fuit crudelis homicida superbus ; postea percussus a Deo gravissima et insanabili plaga, propositum et verba mutavit. II *Mach.*, IX.

Natus in mundo, cito passus est Dominus pressuram mundi, ita quod Joseph accepit eum et matrem ejus, et fugit in Ægyptum. *Matth.*, II.

De multis aliis afflictionibus et injuriis, quas passus est, require in rubrica *de Mansuetudine et Patientia* [1].

Apostoli, præcepto magistratuum flagellati, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu Christi contumeliam pati. *Act.*, V, 41.

Quanquam Paulus tunc non esset cum illis, tamen ipse postea de se dixit, *Rom.*, V, 3 : « Gloriamur in tribulationibus ; » et II *Cor.*, XII, 19 : « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. »

Lapidato a Judæis Stephano, « facta est magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, ac omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. » Sed nota quod hoc multum profuit ad divulgationem Evangelii. *Act.*, VIII, 1.

(*a*) *Cæt. edit.* Babylonem.

[1] Vid. sup., c. LXXIX, p. 581-584.

Digitized by Google

Haberi potest ex *Actibus Apostolorum*, quod Paulus tribulationes, seu persecutiones passus est post conversionem suam. *Act.*, IX, 23: « Consilium fecerunt Judæi, ut interficerent eum. » Notæ autem factæ sunt Paulo insidiæ, et dimissus est in sporta per murum.

Item, cum essent in Antiochia Pisidiæ Paulus et Barnabas, et disseminaretur verbum Dei per universam regionem, Judæi excitaverunt persecutiones in eos, et ejecti sunt de finibus illis; at illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. *Act.*, XIII.

In civitate Lystris propter (*a*) hominem claudum, etc. *Act.*, XIV, 17, 18. Deinde in Macedonia (*b*), occasione puellæ, a qua Paulus spiritum pythonem ejecit, etc. *Act.*, XVI.

Præterea apud Thessalonicam, cum multi credidissent, zelantes Judæi concitaverunt per quosdam malos homines civitatem. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Berœam, ubi etiam, cum multi verbum Dei avide suscepissent, Judæi, hoc cognito, venerunt illuc commoventes multitudinem, et turbantes; statimque Paulum dimiserunt fratres, et per mare deduxerunt Athenas. *Act.*, XVII.

Apud Corinthum quoque instabat Paulus testificans Judæis Christum Jesum. Contradicentibus autem illis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos : « Sanguis vester super caput vestrum. » Gallione autem Proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ante tribunal dicentes: « Quia hic homo contra legem persuadet hominibus colere Deum, » etc. *Act.*, XVIII.

Existente Paulo Ephesi, et fiducialiter verbum Dei loquente, ac multa ibidem miracula faciente, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis opificibus, concitavit maximam turbationem adversus Paulum, quem dicebat avertere turbam a cultu deorum; iis auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: « Magna Diana Ephesiorum. » *Act.*, XIX.

Paulo navigaturo de Græcia in Syriam, factæ sunt ei insidiæ a Judæis; habuit consilium ut reverteretur per Macedoniam; comitati sunt autem eum multi fratres de diversis locis. *Act.*, XX.

(*a*) *Cæt. edit.* per. — (*b*) Macedoniam. — (*c*) *Item* parare.

Quidam Judæi Asiani, cum vidissent Paulum in templo, concitaverunt omnem populum, et injecerunt ei manus clamantes: « Viri Israelitæ, adjuvate, » etc. *Act.*, XXI.

Vociferantibus Judæis adversus Paulum, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aerem, jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. *Act.*, XXII.

Cum esset Paulus a tribuno detentus, Judæi plusquam quadraginta dixerunt principi sacerdotum : « Devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum; nunc ergo faciatis, ut adducatur ad vos, » etc. *Act.*, XXIII, 14, 15.

Existens coram Felice præside Paulus fuit a Judæis tanquam seditiosus et pestifer accusatus: qui cum eum et Judæos frequenter audisset, et tempus ita transisset, habuit quemdam Festum nomine successorem. Volens autem Felix gratiam præstare (*c*) Judæis, reliquit Paulum vinctum, a quo judice Festo Paulus sentiens se gravari, Cæsarem appellavit. *Act.*, XXV.

Postea ductus Romam catena vinctus, et tempore hiemali naufragium passus, multas tribulationes et angustias toleravit. *Act.*, XXVII et XXVIII.

Paulus et Barnabas hortabantur fratres, « ut permanerent in fide, quoniam per multas tribulationes et angustias oportet nos intrare in regnum Dei. » *Act.*, XIV, 21.

De seipso scribens Apostolus, ait, II *Cor.*, I, 8 : « Nolumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. » Idem, cap. VIII, 5 : « Cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores. »

Commendans Apostolus Thessalonicenses, ait: « Vos imitatores nostri facti estis, et Domini; excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti, » etc. I *Thess.*, I, 6.

Ab adventu Spiritus sancti in discipulos usque ad tempus illud, quo sub Domitiano Joannes Apostolus fuit exilio relegatus, fluxerunt anni circiter quinquaginta; nec toto tempore illo legitur ipse Joannes tot et tantas consolationes divinas habuisse, quot habuit modico tempore, quo tribulationem exilii perpessus

Digitized by Google

est, sicut apparet, *Apoc.*, I, et deinceps per totum.

CAPUT CXII.

De multitudine malorum.

Cum factum fuit diluvium, octo homines tantum salvati sunt : « Omnis caro quippe corruperat viam suam. » *Gen.*, VI, 12.

Plures fuerunt filii Ismaelis, quam filii Isaac, et plures filios suscepit Abraham ex Cethura, quam de Sara. *Gen.*, XXV.

In quinque civitatibus Sodomorum non fuerunt inventi decem justi. Magna ergo erat ibi multitudo malorum, et paucitas bonorum. *Gen.*, XVIII.

Inter omnes fratres Joseph, non fuerunt nisi duo, Ruben scilicet et Judas, qui ipsum laborarent liberare ; sed prævaluerunt mali. *Gen.*, XXXVII.

Moyses exploratores misit ad considerandum terram promissionis ; sed duo tantum fuerunt boni, scilicet Caleb et Josue. *Num.*, XIII.

Sexcenta millia hominum pugnatorum numerati fuerunt, *Num.*, I, de quibus duo tantum, scilicet Caleb et Josue, intraverunt terram promissionis.

Plures fuerunt cum Absalom regnum patris usurpare nitente, quam cum David bene et juste regnante. II *Reg.*, XV.

Major pars filiorum Israel erat in regno Samariæ, quia decem tribus ibi erant, et erant homines multo pejores ; minor autem in regno Hierusalem, quia duæ tantum, III *Reg.*, XII.

Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Israel, quod dicebat ipse rex pulverem Samariæ non sufficere pugillis eorum. III *Reg.*, XX.

In exercitu Holophernis tantus erat numerus bellatorum, quod cooperuerunt faciem terræ, quasi locustæ. *Judith*, II, 11.

Omnis populus habitantium in terra Ægypti, et mulieres, quarum stabat multitudo grandis, sacrificabant diis alienis. *Hierem.*, XLIV.

Non remanserunt cum Juda Machabæo nisi octingenti viri, et erant in exercitu Bacchidis et Alcimi proditoris viginti millia virorum, et duo millia equitum, I *Mach.*, IX.

Cum esset in Hierusalem tempore paschali, quo passus est Dominus, maxima populi multitudo, non est ibi inventus vir qui se opponeret manifeste morti tam nequiter procuratæ, *Joan.*, XVIII, 40 : « Clamaverunt omnes : « Non hunc (dimitte nobis), sed Barnabam. »

Quidam Judæi, quos invenit Paulus Romæ, in primo adventu suo dixerunt ei : « De secta hac (Christianorum scilicet) notum est nobis, quia ubicumque ei contradicitur. » *Act.*, XXVIII, 22.

CAPUT CXIII.

De bonis latentibus inter malos.

Quamvis scriptum sit, *Gen.*, VI, 12 : « Omnis caro corruperat viam suam, » tamen dixit Dominus ad Noe, VII, 1 : « Te vidi justum coram me in generatione hac. »

Loth justus habitavit in medio Sodomorum, *Genes.*, XIII.

Joseph in Ægypto castam et fidelem vitam duxit, *Gen.*, XXXIX.

Apparuit Dominus Moysi in terra Madian, cum oves soceri sui Jethro pasceret in deserto. *Exod.*, III, 1.

Samuel inter filios Heli pessimos sanctus et innocens fuit. I *Reg.*, II.

Sub Achab et Jezabel, Elias omnes, se solo excepto, putabat idololatras, III *Reg.*, XIX. Sed dixit ei divinum responsum : « Reliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. »

Quo tempore fere omnes putabantur idololatræ, et vitiis diversis infecti ; Tobias, in captivitate positus, viam veritatis non deseruit. *Tob.*, I.

Mardochæus erat in Susis, ubi quasi omnes adorabant Aman superbissimum ; ipse vero Mardochæus genua non flectebat. *Esth.*, III et V.

Sanctus Job gentilis fuit, et de Esau dicitur descendisse ; quem tamen constat fide et moribus mirabiliter claruisse (*Job*, I, et per totum), qui de seipso dicebat : « Frater fui draconum, et socius struthionum. » *Job.*, XXX, 29.

Hieremias propheta erat cum populo, qui remanserat in Judæa post destructionem Hierusalem, et pro ipsis orabat, ipsis voluntatem Domini nuntiabat. Illi vero dicebant : « Mendacium tu loqueris, non te misit Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum. » *Hierem.*, XLIII, 2, 3.

Dixit Dominus, *Ezech.*, II, 6 : « Fili hominis, ne timeas eos, quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. »

Daniel, et Ananias, Azarias et Misael habita-

Digitized by Google

verunt cum Chaldæis, qui eos ad idololatriam inducere, et a cultu veri Dei retrahere laborabant. *Dan.*, III, VI et XIV.

Suzanna fuit castissima in Babylone, ubi senes presbyteri erant impudici, et judices iniqui. *Dan.*, XIII.

Videbatur tempore Antiochi Epiphanis, quod Judæi essent occisi, vel ad ritum gentium translati; sed inventi sunt Mathathias, et filii (*a*) ejus, Eleazarus, et multi alii in lege Dei valde stabiles et firmi. II *Mach.*, VI et VII.

Commendans Dominus fidem et devotionem Centurionis de Capharnaum, dixit, quod non invenit tantam fidem in Israel. *Matth.*, VIII, et *Luc.*, VII.

Nicodemus princeps Judæorum venit ad Jesum nocte, et plane confessus est : « Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister. » *Joan.*, III, 2. Postea, etiam crucifixo Domino, venit ad sepeliendum eum, portans centum libras unguenti pretiosi. *Joan.*, XX.

Joseph, nobilis decurio, ab Arimathæa, discipulus erat Jesu, occultus autem propter metum Judæorum; deposito autem metu, audacter introiit ad Pilatum devotam petitionem petens, scilicet corpus Jesu ab indevoto tyranno, *Matth.*, XXVII.

Honorabilis doctor legis Gamaliel erat Pharisæus, et dedit bonum et rationabile consilium, pro Apostolis (*b*), principibus sacerdotum. *Act.*, V.

Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus et timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Dominum semper. *Act.*, X, 1, 2.

CAPUT CXIV.

De mobilitate populi.

Rediens Moyses de terra Madian in Ægyptum narravit omnia verba Domini, pro quibus miserat eum. Sequitur: « Et credidit populus, audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et proni adoraverunt, » *Exod.*, IV, 31. Postea vero cum essent afflicti ab exactoribus Pharaonis, dixerunt Moysi et Aaron : « Videat Dominus, et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos. » *Exod.*, V, 21.

Cum post multas Ægypti plagas ditati et armati egrederentur filii Israel de Ægypto, Domino præcedente, viam eis per nubem et ignem ostendente, viderunt post se Ægyptios, et timuerunt valde, et dixerunt ad Moysen: « Forsitan non erant sepulcra in Ægypto; ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. » Deinde confortati sunt per Moysen, cum Dominus mare Rubrum divisisset, et populus sicco pede transisset: submersus est ibi exercitus Pharaonis; et timuit populus Dominum, et crediderunt Domino gloriose, etc. *Exod.*, XIV et XV.

Satis autem cito post, veniens in Marah, murmuravit populus propter aquas nimis amaras: quibus per lignum appositum dulcoratis, consequenter murmuraverunt pro defectu cibi, dixeruntque ad Moysen et Aaron : « Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, » etc. Et misit eis Dominus vespere coturnices, et mane pluit illis manna de cœlo. *Exod.*, XVI.

Post hæc, cum daturus esset ei legem, dixerunt: « Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. » *Exod.*, XIX. Et similia verba dixerunt, cum narrasset eis Moyses verba et præcepta, quæ a Domino acceperat. *Exod.*, XXIV.

Cum autem moram faceret Moyses in monte cum Domino in descriptione tabernaculi, congregatus est populus adversum Aaron, et ait: « Fac nobis deos qui nos præcedant, » etc. *Exod.*, XXXII.

Deinde, cum erectum esset tabernaculum, et factæ ordinationes principum, post numerationem bellatorum et levitarum, cum essent omnia ordinata, quomodo debebant proficisci in via, post modicum est ortum murmur populi, quasi dolentium pro labore. *Num.*, XI.

Postmodum audita relatione exploratorum, murmuravit populus et flevit, *Num.*, XIV; dixeruntque unus ad alterum: « Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. »

Audientes autem quod displicuit Domino murmur eorum, voluerunt ascendere, et contra voluntatem Moysi pugnare; et tunc fuerunt ab hostibus debellati. *Num.*, XIV.

Rursus, in seditione Core, multi surrexerunt contra Moysen et Aaron; quibus terribiliter castigatis, « murmuravit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen et Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, et tumultus increscceret, » etc. *Num.*, XVI, 41 et seq.

(*a*) *Cæt. edit.* filius. — (*b*) *Cæt. edit. præmitt.* et.

Digitized by Google

Cum autem per miraculum virgæ Aaron compescuisset eos Dominus, dixerunt: « Ecce consumpti sumus, omnes perivimus; quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. » *Num.*, XVII, 12-13.

Ulterius procedentes venerunt ad aquas contradictionis, ubi taliter jurgati sunt adversus Moysen et Aaron, quod etiam ipsi diffisi sunt de divina virtute : propter (*a*) quod et puniti sunt a Domino. *Num.*, XX.

Postea fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, et initiatus est Israel Beelphegor, et præcepit Dominus principes suspendi contra solem in patibulo. *Num.*, XXV.

Cum liberasset Gedeon populum Israel de manu Madian, et occidisset Zebee et Salmana, dixerunt omnes viri Israel ad eum: « Dominare nostri, tu et filii tui, » etc. Ipso tamen mortuo, cum haberet septuaginta filios, nullum accipere curaverunt. *Judic.*, VIII.

Samuel propheta liberavit populum Israel de manu Philisthiim, et recuperavit urbes quas illi abstulerant Israeli. Postea congregati sunt, et petierunt sibi regem constitui contra voluntatem Samuelis. I *Reg.*, VII et VIII.

Quamvis David ita bene populum rexisset, et tot victorias habuisset, tamen satis cito facta est conjuratio valida contra eum, populusque currens augebatur cum Absalom, II *Reg.*, XV.

Nondum vero redierat David in Hierusalem, et populus certatim eum illuc volebat reducere cum honore; sed pro eo quod viri Juda locuti sunt cum illis de decem tribubus, separatus est omnis Israel a David, secutusque est Sebam filium Bochri. II *Reg.*, XX.

Sub Salomone, filii Israel temporalium rerum abundantiam habuerunt, et honore maximo floruerunt; tamen a filio pro majori parte, occasione unius duri verbi, continuo recesserunt. III *Reg.*, XII.

Audientes filii Israel terribilem potentiam Holophernis, præoccupaverunt omnes vertices montium, et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. Post modicum vero, cum vidissent se arctari ab exercitu Holophernis, congregati sunt ad Oziam omnes simul, et dixerunt: « Judicet Dominus inter nos et te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, » etc. *Judith*, VII, 13.

Cum complesset Hieremias verba, quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad populum: apprehenderunt eum sacerdotes, et omnis populus, dicentes : « Morte moriatur. » *Hierem.*, XXVI. Et post pauca, eodem capitulo, dixerunt principes, et omnis populus ad sacerdotes: « Non est viro huic judicium mortis, » etc.

Accesserunt omnes, a parvo usque ad magnum, ad Hieremiam prophetam, et dixerunt: « Omne verbum, in quo miserit te Dominus ad nos, faciemus, sive bonum est, sive malum. » Cumque post decem dies nuntiaret eis Hieremias Domini voluntatem, dixerunt ei: « Mendacium tu loqueris; non misit te Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos. » Et audivit universus populus vocem Domini, etc. *Hierem.*, XLII et XLIV.

Cito credidit duobus presbyteris senibus multitudo, et condemnaverunt Susannam, etc. *Dan.*, XIII.

Cognovit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, etc. I *Mach.*, XIII.

Cum quadam die esset Dominus in civitate Nazareth, et dicerent ei Judæi satis bono modo, ut faceret ibi miracula, sicut et in Capharnaum fecerat, post modicam increpationem, quam dixit eis, repleti sunt omnes ira, et ejecerunt illum extra civitatem, et voluerunt præcipitare eum de supercilio montis. *Luc.*, IV.

Quando satiaverat Dominus Jesus quinque millia hominum de quinque panibus, etc., *Joan.*, VI.

Videntes illi de populo Judæorum Lazarum suscitatum, et multa alia miracula facta fuisse per Dominum Jesum, venerunt ei obviam cum magno honore; attamen in sero, circumspectis omnibus, neminem invenit, qui eum ad hospitium invitaret. De his narratur, *Matth.*, XXI; *Marc.*, XI; *Luc.*, XIX; *Joan.*, XII.

Ante quinque dies Paschæ Dominum Jesum venientem in Hierusalem recepit populus cum magno tripudio et honore, et per hebdomadam omnis populus erat suspensus ad verba ejus, et mane veniebant ad eum in templo audire eum; feria vero sexta in die parasceves clamaverunt omnes: « Crucifige eum. » *Luc.*, XXI et XXIII; *Joan.*, XVIII et XIX.

Facta voce spiritus vehementis, convenit multitudo, et mente confusa est; quidam autem irridebant, dicentes: « Quia musto pleni sunt

(*a*) *Cæt. edit.* per.

Digitized by Google

isti. » Stans autem Petrus, locutus est eis multa, discipulos excusans, et verba Joelis allegans: quibus auditis, compuncti sunt corde, petentes quid facere deberent, et baptizati sunt illo die circiter tria millia, *Act.*, II.

Quodam sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei, quod Paulus et Barnabas prædicabant; Judæi autem contradicebant blasphemantes. Tunc Paulus et Barnabas conversi sunt ad prædicandum Gentibus : audientes autem Gentes gavisæ sunt. Paulo post Judæi concitaverunt religiosas mulieres, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis; et illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. *Act.*, XIII.

Cum Paulus et Barnabas essent in Lystris civitate Lycaoniæ, et claudus per Paulum fuisset curatus, etc. *Act.*, XIV.

Quidam quæstuarii habentes unam mulierem cum spiritu pythonico, a qua Paulus ejecit dæmonium, etc. *Act.*, XVI.

Paulo apud Ephesum existente, et multa miracula faciente, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, etc. *Act.*, XIX.

Quadam die tanta fuit facta in Hierusalem adversus Paulum turbatio, et populi conversio, quod præcipitabant eum, et trahebant extra templum, et vix potuit eripi a tribuno cohortis, qui cum militibus supervenit, *Act.*, XXII. Postea vero cum narrasset, quod ei acciderat eunti Damascum, levaverunt vocem, dicentes: « Tolle de terra hujusmodi, non enim fas est eum vivere. » Sequenti autem die exclmavit Paulus in concilio : « Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. » Et facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo; et surgentes quidam Pharisæi pugnabant, dicentes : « Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei, vel Angelus ? » *Act.*, XXIII.

Dum calefaceret se Paulus ad ignem post naufragium tempore hiemali, vipera ex calore procedens invasit manum ejus. Quod videntes, etc. *Act.*, XXVIII.

CAPUT CXV.

De operatione bona.

Posuit Dominus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. *Gen.*, II, 15.

« In sudore vultus tui vesceris pane tuo, etc. *Gen.*, III, 19.

Et post emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est, *Gen.*, III. Et sic nota quod Deus hominem voluit operari, et in statu innocentiæ, et post peccatum.

Tempore quo solent reges ad bella procedere, David in domo sua remansit in illo otio, et ad ultimum eam proditionem commisit. II *Reg.*, XI.

Salomon ædificavit domum Dei, et domum suam; sed nota quod prius domum Dei, et licet opus esset majus, tamen in minori tempore complevit eam. III *Reg.*, VI et VII.

Egerunt ii, qui operabantur industrie, et suscitaverunt domum Dei in statum pristinum, et firmiter eam stare fecerunt. II *Paralip.*, XXIV, 13.

Ezechias rex Juda operatus est bonum, et rectum, et verum coram Domino, volens requirere Dominum in toto corde suo, fecitque et prosperatus est. II *Paral.*, XXXI, 21.

Anno secundo reditus filiorum Juda de Babylone, cœperunt fundare templum. Josue vero filius Josedech, et fratres ejus instabant super eos, qui faciebant opus. I *Esd.*, III.

Præcepit rex Darius, ut ædificaretur domus Domini in Hierusalem, et daretur sumptus de arca regis, nec impediretur opus. I *Esd.*, VI.

Nota quod opera, quæ fecerunt filii transmigrationis in fundatione templi, et in ædificatione muri civitatis, multos habuerunt impeditores. *Esd.* et *Nehem.*, quasi per totum.

Vidit Deus opera Ninivitarum, et misertus est eorum. *Jon.*, III, 10.

Otiosi arguuntur, sed operarii ad mercedem vocantur. *Matth.*, XX.

Servus qui accepit quinque talenta, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque, commendatus est a Domino; similiter et qui duo acceperat, et lucratus est alia duo; alius autem qui unum accepit, et non multiplicavit illud, sed inutiliter reservavit, reprobatus fuit. *Matth.*, XXV.

Illi duo discipuli, qui Dominum secum manere coegerunt, quandiu fuerunt cum eo in verbis, non cognoverunt eum; sed in opere hospitalitatis, et fractione panis. *Luc.*, XXIV.

Opus Mariæ Magdalenæ, quando unxit Dominum recumbentem, frementibus discipulis, ab ipso Domino approbatum est. *Marc.*, XIV.

Digitized by Google

Laudabilia opera patrum a filiis imitanda esse, ostendit Dominus, dicens : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, » *Joan.*, VIII, 39.

Opera bona comparat Apostolus semini, de quo sator jacit multum, et multum metit. II *Cor.*, IX, 6 : « Qui parce seminat, » etc.

Graviter reprehendit Paulus Thessalonicenses otiosos, licet ipsos alias commendaret. II *Thess.*, III, 10 : « Qui non vult operari, non manducet. »

Tabitha erat Christi discipula plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat ea; ideo ipsa mortua, moti fuerunt multi ad rogandum Petrum pro ipsa, qui suscitavit eam. *Act.*, IX, 36 41.

« In omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est Deo. » *Act.*, X, 35.

Apud Corinthum manebat Paulus cum Aquila et Priscilla, quia ejusdem artis erat, et operabatur. *Act.*, XVIII, 3.

CAPUT CXVI.

De intentione recta habenda in opere.

Occidit Cain Abel fratrem suum, David Goliath, Joab Abner et Amasiam, Herodes Antipas Joannem Baptistam, Agrippa Jacobum, Petrus etiam solo verbo Ananiam et Saphiram; sed considera varias intentiones et causas.

Abraham risit in promissione filii nascituri, Sara etiam risit; sed risus Abrahæ fuit commendatus, Saræ vero reprehensus. *Gen.*, XVIII.

Dixit Pharao : « Peccavi, » *Exod.*, IX, 27, et X, 16. Dixit Saul : « Peccavi, » I *Reg.*, XXVI, 21. Dixit David : « Peccavi, » II *Reg.*, XII, 13. Hoc ipsum dixit Manasses, II *Paral.*, XXIX, 6. Dixit etiam Judas, *Matth.*, XXVII, 4. Sed intentiones cordium valde diversæ fuerunt.

Similia fere verba dixit Moyses in Raphidim, quando petiit populus aquam ad bibendum, *Exod.*, XVII, 4. Et ad aquas contradictionis, *Num.*, XX, 10. Sed prima vice non hæsitavit, sicut patet (*a*) ex pœna quæ secuta fuit.

Filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse ædificaverunt altare; sed longe alia intentione, quam crederent alii filii Israel. *Jos.*, XXII.

Commendavit multum Dominus bonam voluntatem David, quam habuit de ædificatione templi, licet noluerit Deus quod templum ædificaretur per ipsum. II *Reg.*, VII.

Misit David pro Uria, qui erat in exercitu, non ut ille quiesceret, sed ut ipse peccatum, quod cum ejus uxore commiserat, facilius occultaret. II *Reg.*, XI.

Ornavit se Judith valde curiose; sed omnis illa compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, et ad liberandum populum Dei de manibus pessimi inimici. *Judic.*, X.

Quod Mardochæus Aman nolebat adorere, vel coram eo genua flectere, non faciebat pro inobedientia vel contemptu, sed quia divinum honorem nolebat homini mortali deferre, sicut ipse testatur. *Esth.*, XIII.

Dixit Herodes Magis, ut cum puerum invenissent, renunciarent ei, ut et ipse adoraret eum; sed valde aliud intendebat, et aliud prætendebat. *Matth.*, II, 8.

Prohibuit Dominus duobus cæcis, ab eo illuminatis, ne quis hoc sciret; et tamen sequitur, quod illi diffamaverunt eum in tota terra illa, *Matth.*, IX, 31; nec tamen illi arguuntur transgressionis.

Signanter addit Dominus finem, vel intentionem quam quisque debet habere in bona faciendo, vel mala patiendo, *Matth.*, V, 11, et *Luc.*, VI, 22 : « Beati eritis cum maledixerint vobis homines, etc., propter me, vel propter nomen meum. » Item, *Matth.*, X, 42 : « Quicumque potum dederit, » etc. Item, *Matth.*, XIX, 29 : « Omnis qui reliquerit domum, » etc., « propter nomen meum. » Eleemosynam dare, orare et jejunare, specialiter præcepit Dominus non propter homines fieri, ne contingat tam bona opera prava intentione corrumpi. *Matth.*, V et VI.

Quidam sequebantur Dominum, ut cum nequiter observarent, *Luc.*, XIV; aliqui, ut de ejus panibus manducarent, *Joan.*, VI; alii, ut ipsi, vel eorum amici a languoribus sanarentur, *Joan.*, VII; *Luc.*, VI, 19.

Herodes multo tempore cupiebat videre Jesum, et non causa pietatis, sed quia sperabat signum aliquod videre ab ipso fieri, et ideo nihil profuit ei videre Jesum. *Luc.*, XXIII.

CAPUT CXVII.

De acedia, vel negligentia.

Audiens Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : « Quare negligitis? Descendite, et emite vobis necessaria. » *Gen.*, XLII, 2.

Panem angelorum habebant filii Israel in

(*a*) *Suppl.* de secunda.

Digitized by Google

deserto, et tamen extædiati desiderabant cibos Ægypti, *Num.*, XI.

Acedia vel tædium boni est causa impatientiæ et carnalis desiderii, item multiplicis mendacii, sicut patet, *Num.*, XI, 5 : « Recordamur piscium, » etc.

Profecti sunt filii Israel de monte Hor, etc., et tædere cœpit populum itineris et laboris, et locutus est contra Dominum et Moysen, et ait : « Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. » Quamobrem misit Dominus in populum serpentes ignitos. *Num.*, XXI.

Negligenter custodiebat Abner dominum suum Saul, quando David venit ad castra ejus, et neminem reperit vigilantem, I *Reg.*, XXVI.

Dormiens percussus fuit Isboseth filius Saul, et occisus. II *Reg.*, IV.

Tempore quo solent reges ad bella procedere, remansit David in domo sua, ubi grave adulterium hac occasione commisit. II *Reg.*, XI.

Placuit Joas regi Juda, ut instauraret domum Domini, et præcepit Levitis, ut circa hoc essent solliciti : porro Levitæ egere negligentius : qua de causa rex arguit Joiadam sacerdotem, II *Paral.*, XXV.

Cum dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici, *Matth.*, XIII, 25.

Arguuntur otiosi, et remunerantur operarii. *Matth.*, XX.

Facta tempestate in mari, Jonas descendit ad inferiora navis, et dormiebat sopore gravi; et accessit ad eum gubernator, et ait ei : « Quid sopore deprimeris ? Surge, invoca Deum tuum. » *Jon.*, I.

Dure reprehendit Dominus servum malum et pigrum, qui multiplicare neglexit commissum sibi talentum, *Matth.*, XXV.

Virgines dormientes, quarum lampades non fuerant prius ornatæ, fuerunt postea a nuptiis exclusæ. *Matth.*, XXV.

Valde videntur fuisse acediosi discipuli hora illa post cœnam, qui rogati a Domino vigilare, continuo dormiebant. *Matth.*, XXVI ; *Marc.*, XIV ; *Luc.*, XXII.

CAPUT CXVIII.

De pueris bonæ indolis.

Non legitur Isaac murmurasse, quando pater ejus ex præcepto Domini ipsum voluit immolare, *Gen.*, XXII.

Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo, quod erat in eo signum detestationis peccati ; et patri dicenti : « Veni, mittam te ad fratres tuos, » obedienter respondit : « Præsto sum. » *Gen.*, XXXVII.

Samuel adhuc puer erat minister in conspectu Domini, et dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. I *Reg.*, II et III.

Quando David debebat in regem per Samuelem inungi, erat in agro parvulus, et pascebat oves tanquam patri obediens, humilis et abjectus. I *Reg.*, XVI.

Joas, filius Joram regis, puer septem annorum cum regnare cœpisset, fecit quod bonum erat coram Domino cunctis diebus Joiadæ sacerdotis. IV *Reg.*, XII ; II *Paral.*, XXIV.

« Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, fecitque quod placitum erat coram Domino, » IV *Reg.*, XXII, 1, 2 ; et tamen pessimos patrem et avum habuerat.

Tobias, « cum esset junior omnibus in tribu Nephthalim, nihil tamen puerile gessit in opere. » *Tob.*, I, 4. Et idem, cum postea filium genuisset, ipsum « ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. » *Tob.*, I, 10.

Sine propheta, sine sacerdote et magistro, Daniel, et tres socii ejus, legem Dei observantes, sobrie, et juste, et pie vixerunt inter pueros gentiles. *Dan.*, I.

Fratres illi septem adolescentes miram sapientiam in responsionibus, et patientiam in tribulationibus habuerunt. II *Mach.*, VII.

Beatus Joannes « Baptista puer crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in deserto usque in diem ostensionis suæ ad Israel. » *Luc.*, I, 80.

Salvator noster, puer duodennis existens secundum carnem, « inventus est in templo in medio doctorum, audiens illos, et interrogans. » Deinde « descendit cum Maria et Joseph, et erat subditus illis. » *Luc.*, II, 46, 51.

CAPUT CXIX.

De societate bonorum.

Considerandum est valde, quod si inventi fuissent decem viri justi in quinque civitatibus, propter illos pepercisset Dominus universis. *Gen.*, XVIII.

Dixit Jacob ad Laban, *Gen.*, XXX, 30 : « Modicum habuisti, antequam venirem ad te ; et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. »

Digitized by Google

Item, *Gen.*, XXXIX, 5 : « Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit, » etc.

Bene fuit associatus Jacob, qui dixit, *Gen.*, XXXV, 5 : « Faciamus altare Domino, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et fuit socius itineris mei. »

« Servivit Israel Domino cunctis diebus Josue et senicrum, qui noverant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. » *Jos.*, XXIV, 31.

Filii Dan ceperunt Lais, et homines occiderunt, « quia cum nullo hominum habebant quicquam societatis. » *Judic.*, XVIII, 27, 28.

Ex parte Saulis missi lictores ad capiendum David morantem cum Samuele et aliis prophetis, prophetare cœperunt; venit Saul, et prophetavit etiam ipse cum eis. I *Reg.*, XIX.

Propter honorem Josaphat regis Juda, Deum colentis, Eliseus propheta impetravit aquas dari exercitui, in quo erant duo alii mali reges, IV *Reg.*, III.

Homines Deum timentes volebat secum habere Tobias in convivio, *Tob.*, II. Et hoc ipsum docuit filium suum, *Tob.*, IV, 18 : « Noli manducare cum peccatoribus, » etc. Idem etiam diligenter voluit scire, cum quo iturus esset filius suus, *Tob.*, V.

Dicebat Sara uxor Tobiæ Junioris : « Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in levitate ambulabant, participem me præbui. » *Tob.*, III, 17.

Audito crudeli mandato regis, quod debebant interfici cuncti sapientes Babylonis, Daniel ivit ad socios suos, ut quærerent simul misericordiam a Domino; et revelata est nocte visio Danieli, unde, occasione Danielis servi Dei, pepercit rex magis sapientibus Babylonis. *Dan.*, II.

Post obitum Judæ Machabæi, emerserunt iniqui, et facta est fames valida, et impios instituit Bacchides dominos regionis, et facta est tribulatio magna in Israel : quæ omnia mala forsitan non fuissent, si adhuc Judam socium ¡et dominum habuissent. I *Mach.*, IX.

Cum primus illorum septem fratrum in sartagine torreretur, cæteri cum matre ad moriendum fortiter se hortabantur. II *Mach.*, VII.

Veniebat Judas Machabæus ad capiendum Scythopolim civitatem; sed propter Judæos, qui intus habitabant, erga quos Scythopolitæ benigni erant, nihil eis mali fecit; imo gratias agens hortatus est de cætero erga genus suum benignos esse. II *Mach.*, XII.

Quamdiu fuit Petrus cum Apostolis, multum fuit firmus et securus; sed quando fuit in atrio summi sacerdotis cum ministris illius calefaciens se ad ignem, Deum negare cœpit. *Matth.*, XXVI; *Marc.*, XIV; *Luc.*, XXII; *Joan.*, XVIII.

Statim quando cæcus natus a Domino illuminatus fuit, extra Synagogam a Pharisæis ejectus, a benigno Domino Jesu inter suos fideles receptus est. *Joan.*, IX.

Cum essent discipuli omnes pariter perseverantes unanimiter in oratione, venit Spiritus sanctus in eos, et ipsos inæstimabiliter roboravit et docuit. *Act.*, II.

De fidelibus, qui erant in Ecclesia primitiva, dicitur, *Act.*, II, 44 : « Omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia; » sequitur, 46, 47 : « Sumebant cibum in exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. »

Post conversionem suam Saulus, veniens Hierosolymam, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, etc. *Act.*, IX, 26, 27.

Homines qui erant cum Paulo in navi tempore gravissimæ tempestatis, occasione ipsius Pauli, quem habebant secum, fuerunt salvati; nam dixit Angelus Domini : « Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. » *Act.*, XXVII, 23.

CAPUT CXX.

De societate malorum.

Salubriter exivit Abraham de Chaldæa, ubi erant homines corrupti idololatria, *Genes.*, XI; unde postea hoc ipsum pro beneficio Dominus ei commemorat, dicens : « Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum. » *Gen.*, XV, 7.

Non solum corpore, sed etiam cogitatione et affectione est patria relinquenda; unde dixit Dominus ad Abraham, cum jam corpore exisset : « Egredere de terra tua, » etc. *Gen.*, XII, 1. Nota promissiones ibi factas.

Quandiu fuit Abraham cum perversis hominibus in Ur Chaldæorum, non legitur ei Dominus apparuisse, licet bonus fuisse credatur; sed postquam inde exivit, multoties fuit divinis apparitionibus visitatus. *Gen.*, XII, XV, XVII et XVIII.

Injurias et jacturas passus est Loth a pessimis Sodomitis, cum quibus habitabat, vel impio-

Digitized by Google

rum occasione. *Gen.*, XIII, XIX, et II *Petr.*, II, 7.

Quam difficile sit malorum consuetudinem dimittere, patet per Loth, quem de medio Sodomorum angeli vix extrahere potuerunt. *Gen.*, XIX.

Ludus Ismaelis cum Isaac displicuit Saræ. *Gen.*, XXI.

Fugientem Jacob malum fratrem suum Dominus multipliciter confortavit. *Gen.*, XXVIII.

Noluit Jacob ambulare cum malo fratre, licet placasset eum muneribus, et ille satis instaret, et signa dilectionis ostenderet. *Gen.*, XXXIII.

Dixit Moyses ad turbam filiorum Israel : « Recedite a tabernaculis hominum impiorum et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. » *Num.*, XVI, 26.

Dixit Dominus Moysi : « Præcipe filiis Israel : Intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores regionis illius : si autem nolueritis interficere, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus. » *Num.*, XXXIII, 51, 55.

Occasione Achan, qui tulit de anathemate Jericho, fuit populus in prælio superatus. *Jos.*, VII.

Propter quosdam filios Belial, qui in uxorem Levitæ detestabile flagitium perpetraverunt, omnes filii Benjamin, paucis exceptis, trucidati fuerunt. *Judic.*, XIX.

Noluerunt filii Israel delere habitatores terræ, sicut præceperat Dominus, sed percusserunt cum eis fœdus, et male accidit eis. *Judic.*, I et II.

Amicitia, quam habuit Amnon filius David cum Jonadab, dedit ei viam ad hoc, quod Thamar sororem suam opprimeret. II *Reg.*, XIII.

Rebellionem disponente Absalom contra patrem suum, iverunt multi cum eo simplici corde ; qui contra David nihil machinati fuissent, si cum bonis et pacificis in Hierusalem remansissent. II *Reg.*, XV.

Propter quosdam superstites de domo Saul, facta est fames in terra, donec ad petitionem Gabaonitarum crucifixi fuerunt. II *Reg.*, XXI.

Rex Juda Josaphat fuit fere occisus, vadens cum Achab ad prælium, III *Reg.*, XXII. Et reprehensus fuit per prophetam Domini dicentem : « Impio præbes auxilium, et iis qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram Domini merebaris ; sed bona opera inventa, » etc. II *Paral.*, XIX, 2, 3.

Ochosias rex Juda ambulabat in viis Achab, et fecit malum coram Domino ; et causa hujus statim subditur : « Gener enim erat domus Achab. » IV *Reg.*, VIII, 27.

Eliezer propheta dixit Josaphat regi Juda : » Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves. » II *Paral.*, XX, 37.

Venit homo ad Amasiam regem Juda, et ait : « O Rex, ne gradiatur tecum exercitus Israel : non enim est Dominus cum Israel. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. » II *Paral.*, XXV, 7, 8.

Ædificantibus filiis Juda templum post reditum de Babylone, hostes eorum voluerunt ædificare cum illis. Illi vero, bono usi consilio, renuerunt. I *Esd.*, III.

Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat, Tobias solus fugiebat consortia omnium, et pergebat in Hierusalem. *Tob.*, I, 5.

Beatus Job dicit : « Frater fui draconum, et socius struthionum. » *Job*, XXX, 29.

Cum dixisset Isaias : « Vir pollutus labiis ego sum, » causam insinuans subdidit : « In medio populi polluta labia habentis ego habito. » *Isai.*, VI, 5.

Dictum fuit Ezechieli : « Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. » *Ezech.*, II, 6.

Mali nocent sibi invicem ; nam duo senes ex hoc acceperunt audaciam accusandi Susannam, quia in eamdem malitiam convenerunt. *Dan.*, XIII.

Quandiu Judas Machabæus, confidens de divino auxilio, gessit bella pro populo suo, bene ei successit ; cum vero constituit amicitiam cum gentibus Romanis, licet tunc potentissimus, cito superatus fuit, et in bello occidit. I *Mach.*, IX.

Simile accidit Jonathæ fratri Judæ. I *Machab.*, XII.

Petrus existens cum discipulis in nocte cœnæ Domini multum erat securus ; cum autem venit ad atrium summi sacerdotis, Dominum ad vocem unius ancillæ negavit. *Matth.*, XXVI ; *Mar.*, XIV ; *Luc.*, XXII ; *Joan.*, XVIII.

Cæcus in via mendicans clamabat ad Dominum Jesum ; « et qui præibant, increpabant eum, ut taceret. » *Luc.*, XVIII, 39.

Non fuit inter fideles Christi annumeratus cæcus ille natus, quem Dominus videre fecit, donec fuit a Pharisæis de Synagoga ejectus. *Joan.*, IX.

Digitized by Google

Plures mali interdum in unam malam societatem conveniunt, ut bonis inferant nocumentum : ita concordaverunt Balach et Balaam ad maledicendum filiis Israel. *Num.*, XXII.

Item Adonisedech rex Hierusalem, et alii quatuor reges, adversus Gabaonitas, eo quod illi fecerant pacem cum Josue.

Item Jabin rex Azor, et alii reges triginta, contra Josue et filios Israel. *Jos.*, X.

Item quinque satrapæ Philisthinorum, Chananæi, Sidonii, et Hevæi. *Judic.*, III.

Item Madian, et Amalech, et cæteri Orientalium nationum. *Judic.*, VI.

Sic etiam intelligitur, *Isai.*, VII, 2 : « Requievit Syria super Ephraim, » id est, decem tribus et rex concordaverunt in unum ad regnum Juda funditus extirpandum. Rursus etiam, in passione Domini, Herodes et Pilatus facti sunt amici. *Luc.*, XXIII, 12.

Philippenses commendat Apostolus, dicens : « In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, » etc. *Philip.*, II, 15.

Petrus Apostolus dixit quibusdam Judæis audientibus verbum Dei, *Act.*, II, 40 : « Salvamini a generatione ista prava. »

Proconsul Paulus desiderabat audire verbum Dei ; sed erat cum eo Elymas magus pseudopropheta Judæus, qui resistebat Paulo et Barnabæ, « quærens avertere proconsulem a fide. » *Act.*, XIII, 8.

In civitate Lystris homines tantæ simplicitatis erant, quod ipsi Paulum et Barnabam deos ad terram descendisse putabant. Cum autem vix sedasset eos Paulus, et cœpisset eis viam ostendere veritatis, supervenerunt quidam Judæi, qui ita suaserunt turbis, quod Paulus fuit lapidatus ibi, et quasi pro mortuo derelictus. *Act.*, XIV.

Cum verbum Domini fortiter in Epheso cresceret, et Dominus per Paulum ibidem miracula multa faceret, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis opificibus illius artis, seditionem contra Paulum concitavit. *Act.*, XIX.

CAPUT CXXI.

De prosperitate mundana.

Abundantia rerum temporalium sæpe fit multorum occasio peccatorum, sicut in illa regione, quæ irrigabatur sicut paradisus Domini, in qua habitabant Sodomitæ pessimi. *Gen.*, XIV.

Gedeon, cum parvus homo esset, et in area frumentum excuteret, bonus fuit, et eum angelus Domini visitavit ; post obtentam vero victoriam, male se habuit. *Judic.*, VIII.

Saul antequam rex esset, bonus fuit ; et postquam regni gubernacula suscepit, intumuit, et mandatum Domini præterivit. I *Reg.*, XV.

Post multa bella, et victorias de inimicis obtentas, remanens David quietus in Hierusalem commisit adulterium, et exinde secutum est homicidium. II *Reg.*, XI.

Occasione multitudinis subditorum, David in superbiam elatus est, et fecit populum numerari. Sed nota quam graviter tale peccatum fuit punitum. II *Reg.*, XXIV.

Non erat argentum alicujus pretii in diebus Salomonis, quia tanta erat in Hierusalem argenti abundantia, quanta et lapidum. III *Reg.*, X. Sed nota quam mirabile, et terribile fuit ; quod plus nocuit ei rerum copia, quam profuerit tanta sapientia. III *Reg.*, XI.

Antequam Jeroboam haberet dominium super decem tribus, non legitur fuisse malus, sed magis adolescens bonæ indolis, et industrius ; statim vero ut regnum adeptus est, fecit vitulos aureos, et avertit populum a Deo, ne averteret se ab eo. III *Reg.*, XII.

Amasias rex Juda debellavit Edom, et inde elevatum est cor ejus, et voluit contra Joas regem Israel præliari ; sed male successit ei. IV *Reg.*, XIV.

Cum roboratum fuisset regnum Roboam, et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo. II *Paral.*, XII, 1.

Cum roboratus esset Ozias rex Juda, elevatum est cor ejus in interitum suum, ingressusque in templum adolere voluit incensum. II *Paral.*, XXVI.

Manasses rex in Hierusalem fuit pessimus ; postea in Babylone et coangustatus oravit Dominum, et egit pœnitentiam valde coram Domino. II *Paral.*, XXXIII.

Mundana prosperitas multiplicat carnales amicos, et congregat, quos adversitas sæpe fugat. Unde Tobia a cæcitate sanato, et ditato, venerunt consobrini ejus ad eum gaudentes et congratulantes ei, *Tob.*, XI. Quod non leguntur fecisse, quando prius erat cæcus, et uxor ejus ibat ad textrinum opus. *Tob.*, II.

Post victoriam obtentam de Arphaxad, exal-

Digitized by Google

tatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum, et cor ejus elevatum est. *Jud.*, I.

Quamvis Aman esset secundus a rege potentissimo Assuero, et haberet multas divitias, filios et amicos; tamen ita torquebatur ex eo, quod Mardochæus ei genua non flectebat, quod nihil se habere putabat. *Esth.*, V. Item nota brevitatem illius prosperitatis.

Quamdiu duravit plaga Domini super Job, licet venerunt ad eum aliqui amici, fuerunt tamen ei consolatores onerosi, nec leguntur ei dedisse aliquid. Postquam autem addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job duplicia, venerunt ad eum omnes fratres sui, et cuncti qui noverant eum, « et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam, » *Job*, XLII, 11.

Statuam quam vidit Nabuchodonosor, quæ percussa lapide abscisso de monte redacta est in favillam æstivæ areæ, satis indicat prosperitatem mundanam nihil esse. *Dan.*, II.

Filii Jambri faciebant nuptias magnas; et venerunt Judæi, Jonatha duce, et occiderunt multos, et conversæ sunt nuptiæ in luctum, et vox musicorum in lamentum. I *Machab.*, IX, 41.

Ptolemæus rex Ægypti, Alexandro rege Syriæ debellato, et in Arabiam fugato, exaltatus est; et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, et misit Ptolemæo, et rex Ptolemæus mortuus est die tertia. I *Machab.*, XI.

Adolescens qui quæsivit a Christo, quomodo posset habere vitam æternam, multas possessiones habebat; et idcirco abiit tristis, quando Dominus dedit ei consilium perfectionis. *Matth.*, XIX.

Petrus negavit Dominum in atrio principis sacerdotum. *Matth.*, XXVI.

Magnum festum fecerunt Judæi Domino Hierusalem venienti, et circumspectis omnibus, cum jam vespertina esset hora, exiit in Bethaniam, quasi non inveniret, qui eum in hospitio reciperet. *Marc.*, XI, 11.

Ad contemnendam temporalium abundantiam multum valet exemplum de divite, cujus ager uberes fructus attulit; cum autem sollicitus cogitaret destruere horrea, ait illi Deus : « Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, » etc. *Luc.*, XII, 20.

Emptores villæ et boum, et ille qui uxorem duxerat, vocati ad cœnam magnam domini, se excusant tanquam aliis occupati; pauperes autem et debiles, fuerunt introducti. *Luc.*, XIV.

Videns Dominus civitatem Hierusalem pace temporali fruentem, et superventuras miserias ignorantem, flevit super illam dicens : « Si cognovisses et tu... » supplendum esset : Fleres. *Luc.*, XIX, 42.

Cum populus Herodi magno regi, vestito veste regali, et sedenti pro tribunali, acclamaret : « Voces Dei, et non hominis; » confestim percussit eum angelus Domini, et consumptus a vermibus expiravit. *Act.*, XII, 22-23.

CAPUT CXXII.

De curiositate humana.

Primariæ transgressionis occasio ortum habuisse videtur ex eo, quod Eva serpentem curiose audivit, et lignum vetitum curiose respexit. *Gen.*, III.

« Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius; » sequitur, quod visa, rapta, et oppressa fuit. *Gen.*, XXXIV, 1 et seq.

Præcepit Dominus Moysi, ut diceret populo : « Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis, qui tetigerit montem, morietur. » Et post pauca : « Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. » *Exod.*, XIX, 12, 21.

Dixit Dominus ad Moysen, ut Aaron et filii ejus tantum intrarent sancta sanctorum; « alii vero nulla curiositate viderent, quæ erant in sanctuario, priusquam essent omnia involuta : alioquin morerentur. » *Num.*, IV, 20.

Ozias rex Juda ingressus templum Domini, accepit thuribulum, et voluit adolere incensum super altare thymiamatis, quod non ad suum, sed ad sacerdotum pertinebat officium; statimque orta est lepra in fronte ejus. II *Paral.*, XXVI.

Cum viderent Judæi miracula a Domino fieri manifesta et utilia, alia videre volebant, et signum de cœlo quærebant. *Luc.*, XI.

Herodes tetrarcha, viso Jesu, gavisus est valde; non causa pietatis, sed causa curiositatis, quia sperabat signum aliquod fieri ab ipso : et propter hoc visio illa Domini Jesu nihil ei profuit, sed magis obfuit. *Luc.*, XXIII.

Curiositatem discipulorum, scire volentium tempus secundi adventus, compescuit Dominus, dicens : « Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. » *Act.*, I, 7.

Curiositas videtur fuisse, quando Simon ma-

Digitized by Google

gus voluit baptizari, quia scilicet videbat signa, quæ Philippus faciebat. *Act.*, VIII.

Athenienses omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut aliquid novi audire. *Act.*, XVII, 21.

Prædicante Paulo in Epheso civitate, multi qui fuerunt curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus. *Act.*, XIX, 19.

Reprehendit Apostolus quosdam Thessalonicenses in quiete ambulantes, nihil operantes, curiose agentes. II *Thess.*, III.

Adolescentiores viduas monet Apostolus esse vitandas : sunt enim frequenter vagæ, et otiosæ, verbosæ, et curiosæ. II *Tim.*, V.

CAPUT CXXIII.

De magna fide mulierum.

Commendat Apostolus, *Hebr.*, XI, 31, fidem Rahab, quæ non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace : de quibus, *Jos.*, II.

Ruth adhæsit socrui suæ Noemi, dicens : « Populus tuus, populus meus : Deus tuus, et Deus meus. » Unde Booz postea dixit ei : « Reddat tibi Dominus Deus plenam mercedem, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas. » *Ruth.*, I et II.

Mulier Sareptana credidit verbis Eliæ prophetæ, licet ille rem satis difficilem illi faciendam juberet. III *Reg.*, XVII.

Mundi creationem et corporum resurrectionem optime confitebatur illa mulier, mirabilis mater, quæ septem filios uno die torqueri vidit, et ipsos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animavit. II *Mach.*, VII.

Circa mysterium dominicæ incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores, quam viri. Nam Zacharias, pater Joannis Baptistæ, de incredulitate fuit ab Angelo redargutus, *Luc.*, I, 20 : « Pro eo quod non credidisti verbis meis, » etc.

Elisabeth non reprehensibilis legitur extitisse, quæ statim in adventu beatæ Virginis exclamavit : « Et benedicta tu inter mulieres. » *Luc.*, I, 42.

Similiter commendatur beata Virgo, quæ credidit Angelo dicenti sibi, quod conciperet de Spiritu sancto. *Luc.*, I.

Item Anna vidua prophetissa loquebatur de puero nato omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. *Luc.*, II, 38.

Tantam fidem habebat ad Dominum mulier hæmorrhoissa, quod sufficiebat ei, quod tantummodo tangeret fimbriam vestimenti ejus; et ideo meruit audire verbum dulce : « Confide, filia, fides tua te salvam fecit. » *Matth.*, IX, 22; *Luc.*, VIII, 48.

Nec longa expectatione, nec dura responsione destitit clamare ad Dominum mulier Chananæa. Idcirco tandem audivit : « O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis. » *Matth.*, XV, 28.

Mulier Samaritana plene confessa est, dicens : « Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. » Et postea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum Jesum propter verbum mulieris illius. *Joan.*, IV.

Confessio Marthæ, quæ dixit, *Joan.*, XI, 27 : « Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, » satis fuit similis confessioni Petri, *Matth.*, XVI, 16.

De resurrectione Domini multos viros legimus dubitasse, et Dominum Jesum illorum incredulitatem et cordis duritiam exprobrasse, *Marc.*, XVI, 14; *Matth.*, XXVIII, 17. De mulieribus autem nihil tale legitur; sed resurgens Dominus primo apparuit mulieri, scilicet Mariæ Magdalenæ, et illa currens discipulis lugentibus nuntiavit, *Marc.*, XVI, 10.

Quædam mulier, nomine Lydia (*a*), purpuraria, audivit prædicationem Pauli; cujus Dominus aperuit cor, et baptizata est, et domus ejus. *Act.*, XVI, 14.

CAPUT CXXIV.

De sapientia mulierum.

Sara prudenter intellexit ludum inter Isaac et Ismaelem non esse bonum, et voluit Dominus ut Abraham illius acquiesceret voluntati, *Gen.*, XXI.

Rebecca fuit valde argumentosa ad procurandum, quod Jacob benedictionem a patre, quæ debebatur primogenito, obtineret, *Gen.*, XXVII. Et postea caute fecit eum iram fratris sui Esau declinare, *Gen.*, XXVIII.

Rahab meretrix discrete exploratores abscondit, et per hoc se et totam domum suam integraliter liberavit. *Jos.*, II.

Debbora uxor Lapidoth judicabat populum, et docuit Barac filium Abinoem quid facturus

(*a*) *Cæt. edit.* Lydda.

Digitized by Google

esset, ut populum Dei de manu Sisaræ liberaret. *Judic.*, IV.

Sollicita fuit Noemi et astuta ad inveniendum modum quo Ruth, etc. *Ruth*, III.

Mater Samuelis Anna discrete se excusavit ab eo quod Heli sacerdos ei imposuit, quando filium a Domino postulavit. I *Reg.*, I, 15-16.

Per sapientem eloquentiam suam, et liberalitatem satis modicam, Abigail viro suo vitam servavit, et David ab homicidio impedivit. I *Reg.*, XXV.

Sapiens mulier Thecuitis induxit David ad hoc, ut filium exulem revocaret. II *Reg.*, XIV.

Obsidente Joab civitatem Abela, mulier sapiens taliter locuta est ei, et postea populo civitatis, quod ille cum totius patriæ utilitate ab obsidione recessit. II *Reg.*, XX, 22.

Bethsabee mater Salomonis sapienter verbum proposuit coram rege David, ut filius suus Salomon post illum regnare deberet. II *Reg.*, I.

Duarum mulierum coram Salomone contendentium, illa prudenter et pie respondit, quæ dixit: « Obsecro, Domine, date illi infantem vivum ». III *Reg.*, III, 26.

Magna sapientia fuit in regina Saba, quod ipse venit audire sapientiam Salomonis. III *Reg.*, X.

Mulier Sunamitis hospita Elisei prudenter adhæsit ei, nec voluit eum dimittere propter Giezi, donec ejus filium suscitasset. IV *Reg.*, IV.

Holda prophetis, uxor Sellum, Josiam regem confortavit, et populo mala ventura propter eorum peccata prædixit. IV *Reg.*, XXII.

Sara filia Raguelis discrete et devote oravit Dominum, ut eam liberaret de improperio, quod audierat ab ancilla. *Tob.*, III.

Miram prudentiam et constantiam ostendit Judith alloquendo populum, et decipiendo Holophernem, tam potentem tyrannum. *Judith*, VIII, usque ad finem.

Esther cum magna cautela fecit petitionem suam, postquam regem ad prandium invitaverat, et ille vino incaluerat. *Esth.*, VII.

Elisabeth mater Joannis Baptistæ discrete cognovit adventum Virginis, et ipsam Matrem Domini nominavit. *Luc.*, I, 43.

Tam tacendo, quam loquendo, patet beatam Mariam Virginem mirabiliter fuisse prudentem: tacendo quidem, quia pauca verba dixisse invenitur; locuta est autem cum Angelo discrete quærendo, et discretius acquiescendo, *Luc.*, I: « Quomodo fiet istud? » Item: « Ecce ancilla Domini. » Item cum sancta Elisabeth, ipsam salutando. Et nota quod, post laudes multas quas Elisabeth illi dixit, nihil ei directe respondit, sed ad laudandum Dominum se convertit, dicens: « Magnificat, » etc. Item locuta fuit cum filio, ipsum dulciter interrogando: « Fili, quid fecisti nobis sic? » *Luc.*, II. Et pro verecundis pauperibus deprecando, *Joan.*, II: « Vinum non habent. » Item locuta est ministris, ipsos utiliter instruendo: « Quodcumque dixerit vobis, facite. » *Joan.*, II.

Maria Magdalena valde prudenter agebat in eo, quod ad pedes Domini se ponebat: ad pedes enim Domini veniam impetravit pro se, *Luc.*, VII; vitam pro fratre, *Joan.*, XI. Item audiebat divinam sapientiam, *Luc.*, X, 39. Et exhibuit Christo devotam reverentiam, *Matth.*, XXVIII, 1.

Uxor Pilati bene locuta est ei; et si Pilatus ei credidisset, prudenter egisset. *Matth.*, XXVII, 19.

CAPUT CXXV.

De pietate mulierum.

Rebecca, videns servum Abrahæ hominem peregrinum, et petentem bibere, sine mora respondit: « Bibe, domine mi, quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti (*a*) bibant, » etc. *Gen.*, XXIV, 18-19.

Timuerunt obstetrices Dominum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. *Exod.*, I, 17.

Cernens filia Pharaonis vagientem puerum, miserta ejus, ait: « De infantibus Hebræorum est hic. » Et faciens nutriri, filium adoptavit. *Exod.*, II.

Rahab meretrix, videns exploratores Josue ad mortem quæri, compassa est eis, et ipsos abscondens liberavit, et sanos remisit. *Jos.*, II.

Nuntii euntes ad David absconditi fuerunt in puteo, et salvati per mulierem, quæ posuit velamen super os putei, et illos, qui quærebant eos, delusit. II *Reg.*, XVII.

Duarum mulierum coram Salomone contendentium illa pium cor habuit, quæ litem dividi (*b*) noluit, cujus viscera super filium commota fuerunt. III *Reg.*, III.

Vidua mulier Sareptana hospita (*c*) Eliæ prophetæ, et apud illam sustentabatur utcumque. III *Reg.*, XVII.

Mulier Sunamitis induxit virum suum ad hoc,

(*a*) *Cæt. edit.* cunctæ. — (*b*) *Edit. Vatic.* liti credere; *edit. Ven.* cedere. — (*c*) *Leg.* hospitalitatem dedit.

Digitized by Google

ut fieret in domo sua Eliseo locus aptus ad manendum. IV *Reg.*, IV.

Cum occideret Athalia omne semen regium, Josabeth, filia regis Joram, tulit Joas unum de filiis regis, et abscondens salvavit eum. IV *Reg.*, XI.

Compatiens populo morti addicto Esther magno se exposuit periculo, et apud Assuerum regem Judæorum liberationem et sublimationem obtinuit. *Esth.*, VII.

Pietas beatæ Virginis Mariæ multum apparet in hoc quod ad pauperes nuptias ire voluit, et deficiente vino, non requisita ab aliquo, sed sponte, propterea verecundorum pauperum advocata dixit filio : « Vinum non habent. » *Joan.*, II. Per hoc etiam patet largitas ejus magis, quia cum a Magis aurum, thus et myrrham, quæ obtulerant, accepisset, paulo post in purificatione sua non potuit habere agnum quem offerret; et supponendum est, quod illa Magorum munera pauperibus erogaverat. *Matth.*, II; *Luc.*, II.

Ambulans per mundum Salvator mundi, in domo Marthæ et Mariæ specialius hospitium legitur habuisse. *Luc.*, X; *Joan.*, XII.

Mulier illa Chananæa miseriam filiæ suæ propriam reputabat, dicens, *Matth.*, XV, 22 : « Miserere mei, fili David, filia mea male a dæmonio vexatur. »

Mulieres ministraverunt Domino prædicanti, et per castella et civitates eunti, *Luc.*, VIII, 1. Astiterunt patienti, et sequebantur eum, dum ad crucem duceretur, ab Apostolis derelictus, *Luc.*, XXIII, et *Joan.*, XIX. Item studiose obsequi voluerunt ei in sepulcro jacenti, *Matth.*, XXVIII; *Marc.*, XVI; *Luc.*, XXIV, et *Joan.*, XX.

Prætulit Dominus duo æra minuta pauperculæ viduæ, quæ misit in gazophylacium, muneribus divitum, quia scilicet illa de eo, quod erat necessarium ei, dederat, et quia plus ponderat Dominus mentis pietatem quam muneris quantitatem. *Luc.*, XXI.

Blasphemantibus et depravantibus miracula Domini Scribis et Pharisæis; mulier quædam, audiens verba ejus, devote extulit vocem dicens : « Beatus venter, qui te portavit, » etc. *Luc.*, XI, 27.

Uxor Pilati magis conata fuit impedire dominicam (*a*) passionem, et injustam afflictionem ipsius, quam aliquis homo, de quo Scriptura testatur. *Matth.*, XXVII, 19.

Innuit Apostolus, I *Cor.*, IX, 5, quod aliqui apostoli circumducebant mulieres sorores ad ipsis necessaria ministrandum.

Propter opera charitatis et eleemosynas, quas Tabitha viduis faciebat, rogaverunt flentes Petrum, ut ad defunctam veniret (*b*) : et motus lacrymis earum Petrus, ponens genua, oravit, et eam suscitavit. *Act.*, IX.

Exiens de carcere Herodis, Petrus venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatur Marcus, ubi multi congregati orantes. Per quod patet eam fuisse bonam mulierem, et hospitam discipulorum Domini. *Act.*, XII, 12.

Quædam mulier purpuraria, nomine Lydia (*c*), credens ad prædicationem Pauli, et baptizata cum domo sua, deprecata est dicens : « Si judicastis me fidelem esse, introite domum meam, et manete. Et coegit nos. » *Act.*, XVI, 15. Ubi etiam satis innuitur quod mulieres prompte et devote audiunt verbum Dei.

CAPUT CXXVI.

De fortitudine mulierum.

Barach filius Abinoem noluit ducere exercitum contra Sisaram, nisi Debbora uxor Lapidoth iret cum eo. Quæ dixit ei : « Ibo quidem tecum; sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu feminæ tradetur Sisara. » *Judic.*, IV, 9.

Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam et deos suos : « Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. » *Ruth*, III, 11.

Viriliter salvavit David virum suum Michol, cum quæreretur ad mortem a Saule patre suo. I *Reg.*, XIX.

Cum audisset Abigail virum suum Nabal dure respondisse nuntiis David, festinavit, et tulit diversa xenia; et David iratum placavit. I *Reg.*, XXV.

Gravem contumeliam ab ancilla prolatam valde patienter tulit Sara filia Raguelis, nec ei aliquid respondit, sed ad orationem se convertit. *Tob.*, III.

Mira strenuitas fuit in Judith, quæ tantum factum ausa fuit cogitare, sicut de Holophernis occisione in proprio papilione. *Judith*, VIII, et deinceps.

Esther regina exposuit se periculo moriendi

(*a*) *Leg.* Domini.— (*b*) *Cæt. edit.* venirent.— (*c*) *Item* Lydda.

Digitized by Google

pro liberatione populi sui, quando non vocata ad regem ire præsumpsit. *Esth.*, v.

Supra modum mater mirabilis, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, et femineæ cogitationi masculinum animum inserebat, II *Mach.*, VII, 21.

Fortissima fuit beata Virgo Maria, et continendo gaudium quod habuit de filii conceptione, nativitate, Magorum adoratione, et ipsius educatione, prædicatione, miraculorum operatione, et resurrectione; item sustinendo dolorem quam passa fuit in ipsius filii passione.

Valde fuit mirabile de audacia Mariæ Magdalenæ, quæ passioni Domini affuit, et toties ad sepulcrum ejus venit. Recedentibus etiam discipulis dilectissimis, non recedebat, sed stans ibidem plorabat. Ipsam etiam nimis audacem faciebat amor, cum dicebat : « Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi. » *Joan.*, XX, 15.

CAPUT CXXVII.

De aviditate mulierum.

Prima mulier vidit lignum pulchrum et delectabile, et statim sequitur, quod sine deliberatione, sine viri consultatione, tulit de fructu illius, et comedit. *Gen.*, III.

Sara, licet esset bona, tamen ita desiderabat habere liberos, quod potius (*a*) voluit habere de ancilla filium, quam nullum, *Gen.*, XVI, 2 : « Ingredere ad ancillam meam, » etc.

Interrogata Rebecca an vellet ire cum servo Abrahæ, continuo respondit : « Vadam. » Non dixit : « Nolo ire, si placet vobis, » vel hujusmodi. *Gen.*, XXIV, 58.

Filiæ Loth potius voluerunt de patre liberos suscipere, quam sine liberis permanere. *Gen.*, XIX.

Cernens Rachel, quod infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : « Da mihi liberos, alioquin moriar. » *Gen.*, XXX.

Dina cupiens videre mulieres regionis illius, visa fuit a quodam nomine Sichem, et vi oppressa ab eo. Quid ergo de illis, quæ volunt videre viros, et videri ab eis? Si male frequenter eis accidat, non est mirum. *Gen.*, XXXIV, 1 et seq.

Domina cui serviebat Joseph non expectabat virum, quod sollicitaretur ab illo, sed ipsum nimis procaciter requisivit. *Gen.*, XXXIX.

Axa filia Caleb obtinuit a patre terram irriguam, quia scilicet eam suspirando instanter petivit, *Jos.*, XV.

Tantum institit uxor Samson apud eum, quod dixit ei obscuram propositionem, quam parentibus noluerat indicare. At illa statim revelavit inimicis suis, quanquam esset in damnum viri sui. *Judic.*, XIV.

Dalila per importunitatem suam evicit, ut Samson diceret ei, in quo fortitudo ejus maxima consistebat. *Judic.*, XVI.

Anna mater Samuelis præ desiderio habendi liberos flebat, et non capiebat cibos. I *Reg.*, I.

Multum desiderabat habere filium illa, quæ rapuit alienum, de qua, III *Reg.*, III.

Ita concupivit Jezabel vineam Naboth tradere viro suo, quod duos falsos testes nequiter procuravit, et fecit Naboth crudeliter lapidari. III *Reg.*, XXI.

Cum vellet ire mulier Sunamitis ad Eliseum, et vir ejus non plenarie consentiret, respondit illa : « Vadam; » stravitque asinam; et præcepit puero : « Mina, et propera, ne mihi moram facias in eundo, et hoc age quod præcipio tibi. » IV *Reg.*, IV, 24.

Athalia mater Ochoziæ regis, concupiscens regnare super terram, interfecit omne semen regium, excepto Joas infantulo, qui furtim absconditus fuit. IV *Reg.*, XI.

Anna uxor Tobiæ circumspiciebat quotidie, et circuibat vias, per quas spes remeandi videbatur, ut, si fieri posset, procul videret filium venientem. *Tob.*, X.

Esther non fuit (*b*) contenta ex eo, quod rex dederat ei domum Aman, et quod Judæi occiderant in sola civitate Susis viros quingentos; sed etiam in crastino fecit trecentos occidi. *Esth.*, IX.

Mulier Chananæa sanitatem filiæ obtinuit precibus importunis. *Matth.*, XV.

Mater filiorum Zebedæi non expectavit, quod Dominus remuneraret filios suos secundum exigentiam meritorum; sed petiit ante tempus unum poni ad dexteram Domini in regno suo, et alium ad sinistram. *Matth.*, XX.

Ponit Dominus exemplum viduæ, quæ ita fuit molesta judici, nec Deum timenti, nec homines, quod tandem ipsam de suo adversario vindicavit. *Luc.*, XVIII, 2.

Herodias insidiabatur Joanni Baptistæ, et tanto odio persequebatur, quod magis elegit

(*a*) *Cæt. edit.* prius. — (*b*) *Item* Esther fuit.

Digitized by Google

filiam suam petere caput Joannis, quam dimidiam partem regni Herodis. *Marc.*, VI.

Puella quædam, nomine Rhode, intelligens Petrum pulsare ad januam, præ gaudio non aperuit ei; sed dimittens eum, foris cucurrit, et intro stantibus nuntiavit. *Act.*, XII.

CAPUT CXXVIII.

De mulierum fallaciis.

Occasione Evæ (*a*) deceptus est Adam : lice non fuerit seductus in eo, in quo Eva fuit seducta; sed tamen de ligno vetito, Eva suadente, comedit. *Gen.*, III.

Sara risit, audita promissione de conceptione filii; redarguta autem a Domino ejus diffidentia, seipsam mendaciter excusavit. *Gen.*, XVIII.

Duæ filiæ Loth, volentes ex patre suo concipere, cum verbis eum fortassis ad hoc inducere non auderent, mediante vino propositum peregerunt. *Gen.*, XIX. Bene igitur alium hominem decepissent, quando nec patri proprio pepercerunt.

Rachel patrem proprium, quærentem idola sua, pulchra adinventione delusit. *Gen.*, XXXI, 35.

Domina Joseph ipsum apud virum suum nequiter accusavit, ut seipsam mendaciter excusaret; et decipiens virum suum, de ipso Joseph se impiissime vindicavit. *Gen.*, XXXIX.

Obstetrices Hebræorum, licet piam intentionem habuerint in reservatione puerorum, tamen Pharaonem regem Ægypti adinventione mendacii fefellerunt. *Exod.*, I.

Mulieres Moabitides filios Israel deceperunt, contra quos Balaam ariolus cum omnibus magicis artibus suis nihil potuerat operari. *Num.*, XXV.

Rahab meretrix abscondit exploratores Josue, et illos, qui quærebant eos, fecit currere usque ad vada Jordanis, dicens, quod exierant, clausa porta. *Jos.*, II.

Egressa Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum : « Intra ad me, domine mi, ne timeas. » Et postmodum illum dormientem occidit. *Judicum*, IV.

Uxor Samsonis, fundens apud eum lacrymas, dicebat : « Odisti me, idcirco problema non vis mihi exponere. » Cui ille in damnum proprium revelavit. *Judic.*, XIV, 16.

Dalila molesta fuit Samsoni, jugiter per multos dies spatium ad quietem non tribuens, et defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est : tunc victus Samson fortissimus stulte aperuit ei totum. *Judic.*, XVI.

Michol intelligens, quod Saul pater suus quærebat virum suum David usque ad mortem, fecit eum fugere, et posuit (*b*) super lectum suum, etc. I *Reg.*, XIX, 13.

Viri qui nuntiare debebant David statum Absalom, fuerunt positi in puteo, et mulier quædam, ponens velamen super os putei, ipsos recessisse mentita est. II *Reg.*, XVII.

Cum erasisset Saul omnes magos de terra, nihilominus una mulier fuit inventa, quæ erat in illa arte perita. I *Reg.*, XXVIII.

Mulier visa satis a longe animum David male incitavit. II *Reg.*, XI. Quid ergo, quando de propinquo videt, et videtur, loquitur, et auditur?

Depravatum est cor Salomonis per mulieres, et quod plus factu (*c*) inopinabile erat, ad tantam insaniam deduxerunt eum, ut coleret deos earum. III *Reg.*, XI.

Uxor Jeroboam simulavit se aliam, ut prophetam falleret non valentem videre præ nimia senectute. III *Reg.*, XIV.

Excogitavit Jezabel iniquum modum acquirendi vineam Naboth, quem Achab impiissimus vel nesciebat, vel facere non audebat. III *Reg.*, XXI.

Fefellit Holofernem Judith, a facie cujus terra tremere videbatur (*Judith*, X, et deinceps), quamvis illa optima intentione fecerit, scilicet pro liberatione populi Dei.

Herodes « metuebat Joannem Baptistam, sciens eum virum justum et sanctum : et audito eo, multa faciebat. » Et tamen Herodias, quæ insidiabatur Joanni, tantum laboravit, quod fecit eum in carcere decollari. *Marc.*, VI.

Saphira uxor Ananiæ mentita fuit Petro de agri pretio; sed mendacium illud fuit per Petrum gravissime punitum. *Act.*, V.

CAPUT CXXIX.

De mulierum stultiloquio.

Eva legitur primo locuta fuisse cum serpente, quam cum Deo ad orandum, vel cum viro suo ad aliquam eruditionem percipiendum. *Gen.*, III.

Promittente Domino, quod Sara esset filium

(*a*) *Cæt. edit.* Eva. — (*b*) *Suppl.* statuam — (*c*) *Al.* factum.

Digitized by Google

paritura, cum primo illa risisset præ diffidentia, negavit postea se risisse. *Gen.*, XVIII.

Cernens Rachel, quod infœcunda esset, ait viro suo : « Da mihi liberos, alioquin moriar : » quasi esset in ipsius Jacob potestate de sterili fœcundam facere. *Gen.*, XXX, 1.

Uxor Samsonis, statim ut scivit obscuram propositionem viri sui, indicavit civibus suis in damnum mariti. *Judic.*, XIV.

Cum vidisset Dalila, quod Samson confessus esset ei omnem animum suum, quomodo scilicet fortitudinem suam amittere posset, inimicos illius vocavit, et statim eis revelavit. *Judic.*, XV.

Quia David pro magna devotione saltaverat coram arca Domini, Michol filia Saul ironice dixit ei : « Quam gloriosus fuit hodie rex Israel ! » etc. II *Reg.*, VI, 20.

Cum dixisset Tobias de hœdo : « Videte ne furtivus sit, » etc., Anna uxor ejus irata respondit : « Manifeste vana est spes tua, » etc. *Tob.*, II, 21-22.

Sara, filia Raguel, increpante ancillam juste, illa impatienter et injuriose respondit : « Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, » etc. *Tob.*, III, 9.

Cum contenderent coram Salomone duæ mulieres meretrices, illa stulte et nequiter locuta est, quæ dixit de infante : « Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. » III *Reg.*, III, 26.

Uxor Aman, audiens querimoniam, quam vir faciebat de Mardochæo, respondit : « Jube parari excelsam trabem, et appendatur in ea. » *Esth.*, V, 14.

Sedente Job in sterquilinio, et saniem defluentem testa radente, dixit ei uxor ejus : « Benedic Deo, et morere. » Sed ille bene et discrete respondit : « Quasi una de stultis mulieribus locuta es. » *Job*, II, 9-10.

Petitio matris filiorum Zebedæi non fuit a Domino approbata, quando dixit : « Dic ut sedeant hi duo filii mei, » etc. *Matth.*, XX, 21.

Multa verba rudia et simplicia dixit Domino mulier Samaritana, antequam impingeret in veritatem. *Joan.*, IV.

CAPUT CXXX.

De mulierum ornatu superfluo.

Thamar nurus Judæ filii Jacob, volens socerum allicere, ut ex illo conciperet, depositis viduitatis vestibus, ornavit se, et assumpsit theristrum. *Gen.*, XXXVIII, 14.

Audito adventu Jehu, qui occiderat Joram regem Israel, Jezabel depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum. IV *Reg.*, IX, 30.

Testatur Judith, quod ornamenta quæ assumpsit, deceperunt Holophernem, *Judith*, XVI, 9-10 : « Induit se vestimento lætitiæ, unxit faciem suam unguento, colligavit cincinnos suos mitra ad decipiendum illum, » etc.

De Esther legitur, quod quando debuit ad regem intrare, « non quæsivit muliebrem cultum, sicut faciunt aliæ mulieres. » *Esth.*, II, 15.

Comminando dicitur, *Isa.*, III, 18-20 : « Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia ; » et multa alia ponuntur ibi.

Reprehensibilem habitum malæ mulieris describit Salomon, *Prov.*, VII, 7, 10, 11 : « Considero vecordem juvenem, — occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, et vaga, quietis impatiens, » etc.

Non movetur sine causa Sapiens, qui ait, *Eccli.*, IX, 8 : « Averte faciem tuam a muliere compta : » mulier enim compta et ornata magis incitat ad peccatum.

Mulieri « non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus. » I *Petr.*, III, 3.

CAPUT CXXXI.

De morte in generali.

Quia vera est sententia Dei, quia dixit homini, *Gen.*, II, 17 : « In quocumque die comederis ex eo, morte morieris, » planum est quod statim post peccatum homo moritur. Unde homo vivens quasi continue moritur secundum Augustinum, XIV *De Civitate Dei.*

Cum tot annis vixerint homines ante diluvium, tamen signanter dicit Scriptura, post descriptionem vitæ eorum : « Et mortuus est. » *Gen.*, V, 5, 8, etc.

Si patres antiqui mortem timebant, et longam vitam optabant, non erat mirum : nam ipsi non poterant adhuc in cœlum ascendere, nec divina perfrui visione, donec Salvator advenit, qui aperuit januas paradisi. Unde sanctus Loth, admonitus ab Angelo, ut salvum faceret se in monte, timuit illo ire, ne forte apprehenderet illum malum, et moreretur ibi, *Gen.*, XIX, 19.

Etiam mali optant bene mori, *Num.*, XXIII,

Digitized by Google

10 : « Moriatur anima mea morte justorum, » dixit Balaam.

Quamvis Moyses vellet obedire imperio Domini, qui noluit eum transire Jordanem, tamen satis videtur, quod libenter plus vixisset, si Dominus voluisset, *Deuter.*, IV, 21, 22 : « Iratus est Dominus contra me, » etc. « Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem. »

Magna pars mercedis de custodia Mosaicæ legis in longa vita consistere videbatur. *Deut.*, XXXII, 46, 47 : « Ponite corda vestra in omnia verba quæ testificor vobis, quæ facientes longo perseverabitis tempore in terra ad quam ingredimini possidendam. »

Maluerunt Zebee et Salmana occidi manu Gedeonis strenui viri, quam manu Jether juvenis filii sui, *Judic.*, VIII.

Noluit David flere pro mortuo filio, qui fleverat pro infirmo. II *Reg.*, XII.

Cum sederet Elias subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait : « Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, » etc. III *Reg.*, XIX, 4.

Ezechias rex Juda ambulavit coram Deo in veritate, et fuit valde bonus; tamen quando nuntiatum fuit ei per Isaiam, quod mori deberet, oravit Dominum fletu magno, ut adhuc vitam ejus prolongaret, etc. *Isa.*, XXXIX.

Tobias audita provocantis uxoris responsione, ingemuit, et cœpit orare dicens : « Justus es, Domine, » etc., « præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori magis quam vivere. » *Tob.*, III, 2, 6. Postea sequitur, in capitulo IV : « Cum putaret (*a*) orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, vocavit filium suum, » etc.

Sara filia Raguelis, accepta ab una de ancillis gravi contumelia, oravit Dominum, et dixit inter cætera : « Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. » *Tob.*, III, 15.

Coram rege Sedecia prostravit Jeremias preces suas, ne remitteret eum in carcerem, in quo prius fuerat, ne moreretur ibi. *Jerem.*, XXXVII.

Per mortem crucis, quam Salvator voluit sustinere, ostendit manifeste, quod non solum mors, sed etiam quodcumque genus mortis ab homine justo pro divina obedientia et justitia prompte debeat (*b*) sustineri.

Ante adventum Spiritus sancti nimis timuerunt mortem Apostoli, qui, comprehenso Domino, omnes eum reliquerunt, et fugerunt. *Matth.*, XXVI. Postquam vero fuerunt virtute ex alto roborati et induti, coram principibus et tyrannis fiducialiter loquebantur (in *Actis*, quasi per totum).

Parum timebat, imo non timebat mortem Paulus, qui dicebat : « Non solum alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu Christi, » etc. *Act.*, XXI, 13.

Item : « Si nocui Judæis, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. » *Act.*, XXV, 11.

Advertere est autem, quia cum plerumque insidias devitans Judæorum de civitate in civitatem fugiebat, non timore mortis hoc faciebat, sed quia furori malorum cedens pluribus se vivum etiam reservabat.

CAPUT CXXXII.

De sepulturis.

Cum magna diligentia emit Abraham agrum, in quo uxorem mortuam sepelivit. *Gen.*, XXIII.

Noluit Jacob sepeliri cum malis hominibus in Ægypto; sed adjuravit Joseph, ut eum mortuum ad patrum suorum sepulcra deferret. *Gen.*, XLVII.

Hoc ipsum repetiit post benedictionem filiorum suorum, instante morte sua : quod Joseph sollicitus implevit. *Gen.*, XLIX, 29, et L, 7-10.

Exiens Moyses de Ægypto tulit ossa Joseph secum, *Exod.*, XIII, 19.

Commendavit David multum viros Jabes Galaad, eo quod cadavera Saul et filiorum ejus reverenter tradiderant sepulturæ. I *Reg.*, XXXI, et II *Reg.*, I.

Pœna viri Dei, qui panem contra divinum mandatum in domo mali prophetæ comedit, fuit una, quod non fuit sepultus in sepulcro patrum suorum. III *Reg.*, XIII.

Jehu rex Israel, qui fecerat occidi Jezabel, fecit eam sepeliri, eo quod ipsa fuerat filia regis. IV *Reg.*, IX, 34.

Commendatur Tobias de hoc, quod periculo vitæ suæ corpora occisorum rapiebat, et sepulturam eis sollicitus exhibebat. *Tob.*, I et II.

Prima admonitio inter illas salubres, quas fecit Tobias filio suo, fuit de sua et uxoris suæ sollicita sepultura. *Tob.*, IV, 3, 5.

Judæi accusatores impii Menelai fuerunt per judicium iniquum morte condemnati, erga quo-

(*a*) *Cæt. edit.* putabat. — (*b*) *Item* debebat.

Digitized by Google

rum sepulturam Tyrii liberalissimi extiterunt. II *Mach.*, IV.

Post prælium contra Gorgiam commissum venit Judas Machabæus, ut corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus sepeliret. II *Mach.*, XII.

Discipuli beati Joannis Baptistæ, audito quod decollatus erat ab Herode, venerunt et tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud. *Matth.*, XIV, 12; *Marc.*, VI, 29.

Apparet Dominum Jesum Christum de sua sepultura curasse, per hoc quod respondit Judæ murmuranti de unguento, quod secundum eum venundari debuisset : « Sine, inquit, illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. » *Joan.*, XII, 7.

Sepultus fuit Dominus per Joseph et Nicodemum in sepulcro novo exciso in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. *Matth.*, XXVII; *Marc.*, XV; *Luc.*, XXIII; *Joan.*, XIX.

Curaverunt viri timorati Stephanum a Judæis lapidatum sepelire, et fecerunt planctum magnum super eum. *Act.*, VIII, 2.

CAPUT CXXXIII.

De horrenda morte malorum.

Cain, qui occidit Abel fratrem suum, occisus est a Lamech. *Gen.*, IV, 23.

Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem de cœlo, et subvertit quinque civitates detestabili peccato furentes, et omnem circa regionem. *Gen.*, XIX.

Sichem filius Hemor, qui oppressit Dinam filiam Jacob, interfectus fuit a filiis Jacob, et omnes masculi civitatis. *Gen.*, XXXIV.

Aquæ maris Rubri operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharonis, nec unus quidem remansit. *Exod.*, XIV. Et quidem satis juste, ut cujus cor non potuit, dum viveret, emolliri, corpus ejus in aqua totaliter mergeretur.

Nadab et Abiu, filii Aaron, offerentes ignem alienum coram Domino, devorati sunt ab igne Domini, et mortui. *Levit.*, X.

Præcepto Domini filii Israel eduxerunt blasphemum extra castra, ac lapidibus oppresserunt. *Levit.*, XXIV.

Core, et Datan, et Abiron, et eorum complices Moysi rebellantes, descenderunt in infernum, operti humo. *Num.*, XVI.

Alii etiam murmurantes, et diversa committentes peccata, variis mortibus interierunt in deserto, ita quod de sexcentis millibus hominum pugnatorum, duo tantum terram promissionis intraverunt.

Quoniam Achan (*a*) tulit de anathemate Jericho furtive, lapidavit eum omnis Israel, et cuncta quæ illius erant igne consumpta fuerunt. *Jos.*, VII, 25.

Comprehenderunt filii Israel Adonibezec, cæsis summitatibus manuum ejus, ac pedum, ita ut fecerat ipse septuaginta regibus, adduxeruntque eum in Hierusalem, et ibi mortuus est. *Judic.*, I.

« Tulit Jahel uxor Haber Cinæi clavum tabernaculi, et defixit in cerebrum Sisaræ, qui soporem morti socians defecit, et mortuus est. » *Judic.*, IV, 21.

Si Zebee et Salmana servassent fratres Gedeonis, pepercisset eis Gedeon; et quia eos occiderunt, et ipsi a Gedeone occisi fuerunt. *Judic.*, VIII.

Una mulier, jaciens super caput Abimelech fragmen molæ, confregit cerebrum ejus : qui vocavit armigerum suum, et jussit se ab eo interfici : et reddidit ei Dominus malum, quod fecerat interficiens septuaginta fratres suos. *Judic.*, IX, 33-34.

Cum audisset Heli arcam Domini esse captam, « cecidit de sella retrorsum juxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est. » I *Reg.*, IV, 18.

Superbum Goliath, et blasphemum, David, puer inermis, non habens usum armorum, gladio illius proprio interfecit. I *Reg.*, XVII.

Saul, qui tam inique invidia motus persecutus fuerat David, tandem arripiens gladium, et irruens super eum, mortuus est. I *Reg.*, XXXI.

Adolescens, qui dixit se Saul occidisse, jubente David occisus est, cui putabat prospera nuntiare. II *Reg.*, I.

Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboseth filii Saul tulerunt ad David. II *Reg.*, IV.

Primogenitus David Amnon oppressit sororem suam Thamar, et paulo post occisus est, jubente Absalom fratre suo, cum comederet cum eo. II *Reg.*, XIII.

Videns Achitophel, quod non fuisset factum consilium suum, quod dederat contra David, abiit in domum suam, et suspendio interiit. II *Reg.*, XVII.

Libidine dominandi, Absalom multum afflixit patrem suum David; sed antequam asse-

(*a*) *Cat. edit.* Achab.

Digitized by Google

cutus esset propositum, suspensus fuit inter cœlum et terram. II *Reg.*, XVIII.

Seba filius Bochri concitavit populum contra David, et fugiens in Abelam civitatem, ubi putabat habere refugium et auxilium, (*a*) decapitatus fuit ibidem. II *Reg.*, XX.

Quamvis Joab fuit miles strenuus et fidelis; quia tamen occidit duos milites proditiose, jussus est occidi moriente David. III *Reg.*, II.

Regi Israel pessimo Ela rebellavit Zambri, et occidit eum, qui post septem dies ingressus est regium palatium, et succendit se cum ipsa domo. III *Reg.*, XVI.

Vulneratus Achab in bello, mortuus est vespere (*b*), et linxerunt canes sanguinem ejus in eodem loco, in quo linxerant sanguinem Naboth, qui dissimulante ipso Achab, cum emendare deberet et posset, fuerat lapidatus. III *Reg.*, XXII.

Cum ascenderet Eliseus in civitatem Bethel, quidam pueri male eruditi illudebant ei, egressique sunt duo ursi, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. IV *Reg.*, II.

Unus de ducibus, qui erat cum rege Israel, noluit credere verbis Elisei futuram abundantiam prædicentis; in crastino vero conculcavit eum turba hominum ad spolia currentium, et mortuus est. IV *Reg.*, VII.

Benadad rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israel, fuit demum ab Hazael servo suo jugulatus. IV *Reg.*, VIII.

Videns Jehu impiam Jezabel, quæ multorum fuerat causa malorum, jussit eam præcipitari deorsum, et fuit ita equorum ungulis conculcata, quod licet fuerit filia regis, non fuit tradita sepulturæ. IV *Reg.*, IX, 35.

Athalia mater Ochoziæ interfecit omne semen regium, ut posset regnare super populum; et postmodum turpiter interfecta fuit, jussu Joiadæ sacerdotis. IV *Reg.*, XI.

Rex Juda malus et ingratus Joas, qui fecit Zachariam filium Joiadæ pontificis crudeliter lapidari, postea occisus est a servis suis. IV *Reg.*, XII.

Sennacherib rex Assyriorum superbissimus, et in Deum cœli blasphemus, postquam de terra Juda confusus aufugit, a filiis suis occisus fuit. IV *Reg.* XIX.

Sedecias rex Juda, malus apud Deum et homines, comprehensus est fugiens, ante cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi; deinde exoculatus in Babylonem fuit ductus, et ibidem miserabiliter mortuus. IV *Reg.*, XXV.

Multas terras cepit et destruxit Holophernes; tandem, dormiens inebriatus, per manum mulieris decapitatus fuit. *Judith*, XIII.

Superbissimus Aman, qui faciebat se ab hominibus adorari, suspensus est in patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo. *Esth.*, VII.

Balthazar rex Babylonis non est correctus per exemplum Nabuchodonosor patris sui, qui ante eum fuit mutatus in bestiam; et cum esset in convivio, vidit scripturam *Mane, Thecel, Phares*, et eadem nocte interfectus est, et regnum ejus ad Medos et Persas translatum. *Dan.*, V.

Accusatores Danielis, jubente Dario rege, missi sunt in lacum leonum, et a leonibus devorati. *Dan.*, VI. Simile accidit, *Dan.*, XIV.

Postquam Alexander rex decidit in lectum, dicitur quod cognovit quia moreretur, quasi antea mortis memoriam, seu notitiam non haberet. I *Mach.*, I, 6.

Percussus fuit Alcimus proditor, et dissolutus fuit paralysi, nec ultra potuit loqui, et mandare de domo sua, et mortuus est cum tormento magno. I *Mach.*, IX.

Contristatus est rex Antiochus de hoc quod Andronicus injuste occiderat Oniam summum sacerdotem, et jussit Andronicum occidi in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat. II *Mach.*, IV.

Multis sacrilegiis a Lysimacho commissis in templo, congregata est multitudo adversus eum, et ipsum secus ærarium interfecerunt. II *Mach.*, IV.

Jason impius, qui proprium fratrem Oniam captivaverat, et multos de patria sua expulerat, peregre periit, et insepultus et illamentatus abjectus fuit. II *Mach.*, V.

Antiochus, qui multorum torserat viscera, passus dirum dolorem viscerum, miserabili obitu peregre in montibus vita defunctus est. II *Mach.*, IX.

Menelaus, qui malitiose obtinuit modico tempore principatum, de alta turri fuit præcipitatus in cinerem inferius congestum. II *Mach.*, XIII.

Homo ille dives cujus ager uberes fructus attulit, cum cogitaret destruere horrea sua, et facere majora, plus credebat habere de vita; ait autem illi Dominus : « Stulte, hac nocte, » etc. *Luc.*, XII, 20.

Terribile est valde illud exemplum de divite

(*a*) *Cæt. edit. add.* et. — (*b*) *Al.* vesperi.

Digitized by Google

famoso epulone, qui mortuus est, et sepultus in inferno, etc. *Luc.*, XVI, 22.

Herodes sedens pro tribunali, et vestitus veste regali, concionabatur ad populum : populus autem acclamabat : « Dei voces, et non hominis : » confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus expiravit. *Act.*, XII, 21-23.

CAPUT CXXXIV.

De pretiosa morte justorum.

« Cum essent in agro Cain et Abel, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum, et interfecit eum. » *Gen.*, IV, 8. Rationem autem tangit Joannes, dicens : « Quoniam opera ipsius Abel erant justa. » I *Joan.*, III, 12.

« Ambulavit Enoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. » *Gen.*, V, 24.

« Mortuus est Abraham in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum, congregatusque est ad populum suum. » *Gen.*, XXV, 8.

« Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusque ætate mortuus est, et appositus est populo suo senex et plenus annorum. » *Gen.*, XXXV, 28-29.

« Jacob, finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum suum, et obiit, et appositus est ad populum suum. » *Gen.*, XLIX, 32.

Cum adjurasset Joseph fratres suos, atque dixisset : « Deus visitabit vos, asportate vobiscum ossa mea de loco isto, » mortuus est, etc. *Gen.*, L, 24, 25.

« Ascenderunt Moyses et Aaron, juxta mandatum Domini, in montem Hor, coram omni multitudine; cumque Aaron expoliasset se vestibus suis, induit eis Eleazarum, » et mortuus est ibi Aaron. *Num.*, XX, 27-29.

Moyses servus Domini « mortuus est in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum Dominus; sed non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. » *Deut.*, XXXIV, 5-6.

David, post instructionem filii sui Salomonis, et orationem quam fecit ad Dominum pro eo et toto populo, « mortuus est in senectute bona, plenus dierum, divitiis et gloria. » I *Paral.*, XXIX, 28.

« Cum pergerent simul Elias et Eliseus, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum. » IV *Reg.*, II, 11.

« Spiritus Domini induit Zachariam filium Joiadæ, et dixit populo : « Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit? » Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium, » et sic interfectus est. II *Paralip.*, XXIV, 20, 21.

Tobias, « in hora mortis suæ, vocavit Tobiam filium suum, et septem juvenes nepotes suos, dixitque eis : Prope est Ninive interitus, » etc. *Tob.*, XIV, 5. Et de Tobia filio ejus, dicitur paulo post : « Completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. Omnis cognatio ejus, » etc. (a) *Ibid.*, 16-17.

« Vixit Job post flagella centum quadraginta annis, et vidit filios filiorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum. » *Job*, XLII, 16.

Noluit David flere pro filio innocente mortuo, qui fleverat pro infirmo; sed multum flevit pro parricida suspenso. II *Reg.*, XII et XVIII.

Post instructionem et confortationem filiorum, Mathathias « benedixit eos, et defunctus appositus est ad patres suos. » I *Mach.*, II, 69.

Videns Judas Machabæus multitudinem hostium, et paucitatem suorum, ait : « Si propinquaverit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros. » I *Mach.*, IX, 10.

Eleazarus, propter multa tormenta sibi illata, vita decessit « universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens. » II *Mach.*, VI, 31.

Septem illi fratres cum pia matre sua finem miro modo laudabiliter fecerunt, et possunt ibi multa notari virtutis exempla. II *Mach.*, VII.

Pro veritate et maritali honestate Joannes Baptista decollatus fuit ab Herode tetrarcha. *Matth.*, XIV; *Marc.*, VI.

De illo famoso paupere Lazaro scriptum est, *Luc.*, XVI, 22 : « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ, » etc.

Qualitercumque vixerit ille latro, cui pendenti dixit Christus : « Hodie mecum eris in paradiso, » feliciter mortuus est. *Luc.*, XXIII, 43.

Dum lapidaretur beatus Stephanus, « invocabat Dominum, et dicebat : « Domine Jesu, accipe spiritum meum. » Positis autem genibus exclamavit, voce magna dicens : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. » *Act.*, VII, 58-59. Cui

(a) *Cæt. edit.* sepelierunt eum omnis cognatio ejus.

Digitized by Google

mortem nostram facit similem Redemptor et Salvator noster Dominus Jesus Christus, qui, secundum Augustinum, IV *De Trinitate*, per unam simplicem mortem suam, nostram destruxit duplam. Qui (ut ait idem Augustinus, *de Civitate Dei*) « tantam fidei contulit gratiam, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, quo transiretur ad vitam. » Quam nobis concedat ipse verus auctor salutis æternæ, qui est via, veritas, et vita, qui vitæ et mortis habet imperium. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

MONITUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Animadvertas, Lector, præcedens Opusculum a Sixto Senensi, lib. IV suæ *Bibliothecæ*, Nicolao Anapo inscribi, qui ex Ordine Prædicatorum patriarcha fuit Hierosolymitanus, et sub Sigismundo claruit ad ann. Domini 1430. Id quod fortasse Sixtus fecit, quod in recentioribus quibusdam editionibus huic auctori tribueretur.

FINIS TOMI OCTAVI.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO OCTAVO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

PRÆFATIONIS LOCO, ex Prodromo ad Opera omnia Sancti Bonaventuræ. 1
DE MYSTICA THEOLOGIA. Argumentum ex editione Vaticana. 1
Prologus. 2
Cap. 1. De via purgativa. Partic. 1. De conditionibus viæ purgativæ. 4
Partic. 2. De modo purgativo. 5
Cap. 2. De via illuminativa. Partic. 1. De triplici irradiatione. 8
Partic. 2 De triplici anagogia. 9
Explicatur Oratio Dominica. Prima petitio. 12
Secunda et tertia petitio. 13
Quarta petitio. 14
Quinta petitio. 16
Sexta petitio. 17
Septima petitio. 19
Partic. 3. De duplici via illuminativa. 19
Cap. 3. De via unitiva. Partic. 1. Via unitiva quæ sit. 21
Partic. 2. De triplici via ad divinam sapientiam. 27
Partic. 3. Quomodo unitiva et mystica sapientia obtineri possit. 33
Partic. 4. Sapientia divina a Deo edocta quæ sit. 39
Quæst. unica. Utrum anima secundum suum affectum possit aspirando, vel desiderando, moveri in Deum sine aliqua cogitatione intellectus prævia, vel concomitante. 46
SUMMA DE ESSENTIA ET INVISIBILITATE ET IMMENSITATE DEI. Argumentum ex editione Vaticana. — Textus. 54
COMPENDIUM THEOLOGICÆ VERITATIS. Argumentum ex editione Vaticana. 60
Præfatio.— Lib. I. De natura Dei.— Cap. 1. Quod Deus est. 61
Cap. 2. Quod unus Deus est. 62
Cap. 3. Quod unum solum principium est. — Cap. 4. Quod Pater est. 63
Cap. 5. Quod Filius est. 64
Cap. 6. Filius est imago Patris. 65
Cap. 7. Quod Spiritus sanctus est.— Cap. 8. Spiritus sanctus amor Patris et Filii est. — Cap. 9. Spiritus sanctus charitas et donum sanctorum est. 66
Cap. 10. In trinitate personarum unitas essentiæ est. 69
Cap. 11. Multiplex trinitas est. — Cap. 12. Æqualitas personarum est. 70
Cap. 13. Inter essentiam et personam differentia est.— Cap. 14. De immensitate Dei.— Cap. 15. De infinitate Dei. 71
Cap. 16. De incomprehensibilitate Dei. 72
Cap. 17. De incircumscriptibilitate Dei. 73
Cap. 18. De æternitate Dei. 74
Cap. 19. De incommutabilitate Dei. 75
Cap. 20. De simplicitate Dei. 76
Cap. 21. De excellentia Dei. 77
Cap. 22. De notionibus Dei. — Cap. 23. De nominibus divinis. 78
Cap. 24. Deus est ineffabilis. 79
Cap. 25. De ideis et libro vitæ. 80
Cap. 26. De appropriatis divinis personis. — Cap. 27. De potentia Dei. 81
Cap. 28. De virtute miraculorum. 82
Cap. 29. De scientia Dei. — Cap. 30. De prædestinatione. 83
Cap. 31. De præscientia, et reprobatione. 84
Cap. 32. De voluntate Dei. 85
Cap. 33. De justitia Dei. 86
Cap. 34. De misericordia Dei. 87
Lib. II. De operibus Conditoris. Cap. 1. De ipsa rerum creatione. 88
Cap. 2. De distinctione creaturarum in generali. — Cap. 3. De distinctione orbium tam cœlestium, quam elementorum. 89
Cap. 4. De natura cœlorum, et superiorum corporum. 90
Cap. 5. De natura stellarum in communi.— Cap. 6. De luce. — Cap. 7. De planetis in specie. 91
Cap. 8. De quatuor elementis. 92
Cap. 9. De impressionibus aeris. 93
Cap. 10. De tempore. 94
Cap. 11. De angelis in communi. — Cap. 12. De distinctione cœlestium hierarchiarum. 95
Cap. 13. De proprietatibus angelorum.— Cap. 14. De proprietatibus et officiis singulorum ordinum. 96
Cap. 15. De cognitione et motu angelorum. 97
Cap. 16. De prælatione angelorum.— Cap. 17. De confirmatione angelorum.— Cap. 18. De custodia angelorum. 98
Cap. 19. De locutione angelorum. 99
Cap. 20. De specialibus nominibus angelorum. — Cap. 21. De casu angeli. 100
Cap. 22. De spirituali casu dæmonis. — Cap. 23. De locali casu diaboli.— Cap. 24. De restauratione ruinæ angelorum.— Cap. 25. Cur peccatum diaboli sit irremissibile.— Cap. 26. De proprietatibus dæmonum. 101
Cap. 27. De malitia diaboli contra nos. 102
Cap. 28. De Lucifero.— Cap. 29. Quid sit anima secundum diffinitionem. — Cap. 30. Quid sit anima secundum rem. 103
Cap. 31. Quid sit anima secundum nomen. — Cap. 32. De triplici anima.— Cap. 33. De potentiis animæ vegetativæ. — Cap. 34. De potentiis apprehensivis animæ sensibilis. 104

Digitized by Google

Cap. 35. De sensibus particularibus. — Cap. 36. De sensu communi. 105
Cap. 37. De vi imaginativa. — Cap. 38. De vi æstimativa.— Cap. 39. De phantasia. 106
Cap. 40. De memoria. 107
Cap. 41. De vi sensibili motiva. — Cap. 42. De potentiis animæ rationalis. 108
Cap. 43. De divisione potentiarum animæ. — Cap. 44. De potentiis cognitivis. 109
Cap. 45. De modo cognoscendi. 110
Cap. 46. De intellectu agente, et possibili. — Caput 47. De intellectu speculativo, et practico.— Cap. 48. De ratione, et partibus ejus. 111
Cap. 49. De potentiis animæ motivis. — Cap. 50. De voluntate. — Cap. 51. De synderesi. 112
Cap. 52. De conscientia. 113
Cap. 53. De operationibus animæ. — Cap. 54. De quantitate animæ.— Cap. 55. De immortalitate animæ. 114
Cap. 56. De libero arbitrio.— Cap. 57. De natura corporis humani. 115
Cap. 58. De physionomia hominis. 116
Cap. 59. De regulis generalibus physionomiæ. 118
Cap. 60. De toto homine.— Cap. 61. De proprietatibus hominis. 119
Cap. 62. De primis parentibus. 120
Cap. 63. De præceptis Adæ datis.— Cap. 64. De Paradiso. — Cap. 65. De casu primi hominis. 121
Cap. 66. De ordine tentationis in nobis. 122
Lib. III. De corruptela peccati. Cap. 1. De malo in genere. — Cap. 2. De peccati diffinitione. — Cap. 3. Quid sit peccatum secundum rem. 124
Cap. 4. Quid sit peccatum secundum nomen. — Cap. 5. De origine peccati. 125
Cap. 6. De divisione peccati. 126
Cap. 7. De effectu peccati. 127
Cap. 8. De peccato originali secundum rem. 129
Cap. 9, De peccato originali secundum nomen. 130
Cap. 10. De primis motibus. 131
Cap. 11. De morosa delectatione et consensu in peccatum. — Cap. 12. De peccato venali. 132
Cap. 13. De effectu peccati venialis. 133
Cap. 14. De septem vitiis capitalibus in specie. 134
Cap. 15. De superbia. 135
Cap. 16. De invidia. 136
Cap. 17. De ira. 137
Cap. 18. De acedia. 138
Cap. 19. De avaritia. 139
Cap. 20. De gula. 140
Cap. 21. De luxuria. 141
Cap. 22. Quomodo superbia sit mortale, vel veniale 142
Cap. 23. Quomodo invidia... Cap. 24. Quomodo ira... Cap. 25. Quomodo acedia sit mortale, vel veniale. 143
Cap. 26. Quomodo avaritia... Cap. 27. Quomodo gula sit mortale, vel veniale. 144
Cap. 28. Quomodo luxuria sit mortale, vel veniale. — Cap. 29. De peccato in Spiritum sanctum. 145
Cap. 30. Dinumeratio peccatorum cordis. — Caput 31. De peccatis oris.— Cap. 32. De peccatis operis. 146
Cap. 33. De peccatis omissionis. 147
Lib. IV. De Christi humanitate. Cap. 1. De incarnatione Christi. — Cap. 2. De salutatione angelica. 147
Cap. 3. De responsione virginea. — Cap. 4. De sanctificatione materna. 148
Cap. 5. De conceptione divina. 150
Cap. 6. De rationibus incarnationis. 151
Cap. 7. De modo incarnationis. 152
Cap. 8. De unione et carne assumpta. 153
Cap. 9. De utilitate incarnationis. 154
Cap. 10. De miralibus circa incarnationem Domini. 155
Cap. 11. De nativitate Christi. 156
Cap. 12. De circumcisione Domini. 157
Cap. 13. De baptismo Christi.— Cap. 14. De plenitudine gratiæ Christi. 158
Cap. 15. De plenitudine sapientiæ Christi. 159
Cap. 16. De merito Christi. 160
Cap. 17. De voluntate Christi.— Cap. 18 De defectibus, quos Christus assumpsit. — Cap. 19. De passione Christi. 161
Cap. 20. De effectu passionis Christi. 162
Cap. 21. De cruce Domini. — Cap. 22. De descensu Christi ad inferos. 164
Cap. 23. De resurrectione Christi. 165
Cap. 24. De ascensione Christi. 166
Cap. 25. De consessu Christi ad dexteram Dei Patris. 168
Lib. V. De gratiarum sanctificatione. Cap. 1. De virtutibus, et origine gratiæ.— Cap. 2. De origine virtutum et gratiæ. 169
Cap. 3. De distinctione gratiarum. — Cap. 4. de effectu gratiæ. 170
Cap. 5. De virtutibus, et primo quid sit virtus. — Cap. 6. De perfectione virtutum. 171
Cap. 7. De æqualitate virtutum. — Cap. 8. De connexione virtutum. 172
Cap. 9. De commendatione virtutum. 173
Cap. 10. De effectu virtutum. — Cap. 11. De meritis virtutum. 174
Cap. 12. De habilitate virtutum. — Cap. 13. De operibus meritoriis. 175
Cap. 14. De fine actionis. — Cap. 15. Quid mereamur bonis operibus. 176
Cap. 16. De diffinitionibus et differentiis virtutum. 177
Cap. 17. Differentia virtutum cardinalium, et theologicarum. — Cap. 18. De virtutibus theologicis in genere. 178
Cap. 19. De fidei utilitate. 179
Cap. 20. De effectu fidei.— Cap. 21. De articulis fidei. 180
Cap. 22. De spe. 181
Cap. 23. De charitate. 182
Cap. 24. De differentia inter charitatem et alios amores. — Cap. 25. De effectu charitatis. 183
Cap. 26. Quibus rebus charitas assimiletur. — Cap. 27. De excellentia charitatis. 184
Cap. 28. De signis dilectionis.— Cap. 29. De gradibus amoris. 185
Cap. 30. De ordine charitatis. — Cap. 31. De dilectione proximi.— Cap. 32. De dilectione inimicorum. 186
Cap. 33. De virtutibus cardinalibus in genere. 187
Cap. 34. De prudentia. 188
Cap. 35. De temperantia.— Cap. 36. De fortitudine. 189
Cap. 37. De justitia. 190
Cap. 38. De donis in communi. 191
Cap. 39. De timore in communi.— Cap. 40. De timore servili. 192
Cap. 41. De timore initiali. — Cap. 42. De timore filiali.— Cap. 43. De dono pietatis.— Cap. 44. De dono scientiæ.— Cap. 45. De dono consilii. 193
Cap. 46. De dono sapientiæ et intellectus.— Cap. 47. De beatitudinibus in genere.—Cap. 48. De prima beatitudine.— Cap. 49. De secunda beatitudine. 194
Cap. 50. De tertia beatitudine. — Cap. 51. De quarta beatitudine.— Cap. 52. De quinta beatitudine. — Cap. 53. De sexta beatitudine. — Cap. 54. De septima beatitudine.— Cap. 55. De octava beatitudine. 195
Cap. 56. De sensibus spiritualibus. — Cap. 57. De fructibus spiritualibus.— Cap. 58. De dulia, et latria. — Cap. 59. De præceptis in genere. 196
Cap. 60. De primo præcepto. — Cap. 61. De secundo præcepto. 197
Cap. 62. De tertio præcepto. — Cap. 63. De quarto præcepto. — Cap. 64. De quinto præcepto. 198
Cap. 65. De sexto præcepto.— Cap. 66. De septimo præcepto. — Cap. 67. De octavo præcepto.— Cap. 68. De nono præcepto et decimo. — Cap. 69. De consiliis in genere. 199
Cap. 70. De consiliis evangelicis. 200

Digitized by Google

INDEX.

Lib. VI. De sacramentorum virtute.— Cap. 1. De medicina sacramentorum.— Cap. 2. De diffinitionibus sacramentorum. 202
Cap. 3. De sacramentis novæ legis, seu gratiæ.— Cap. 4. De effectu sacramentorum novæ legis. 203
Cap. 5. De numero sacramentorum. 204
Cap. 6. De potestate dispensationis sacramentorum. — Cap. 7. De triplici statu fidelium. 205
Cap. 8. De institutione sacramentorum.— Cap. 9. De sacramento baptismi. 206
Cap. 10. De catechismo, et exorcismo.— Cap. 11. De confirmatione. 208
Cap. 12. De sacramento Eucharistiæ. 209
Cap. 13. De dignitate et excellentia sacramenti Eucharistiæ. 210
Cap. 14. De mirabilibus quæ sunt in Eucharistia. 211
Cap. 15. De effectu in suscipientibus corpus Christi. — Cap. 16. De modo sumendi Eucharistiam. 212
Cap. 17. De abstinentia a communione. 213
Cap. 18. De officio Missæ. 214
Cap. 19. De negligentiis quæ fiunt in Missa. — Cap. 20. De sacramento pœnitentiæ. 215
Cap. 21. De qualitate pœnitentiæ. 216
Cap. 22. De effectu pœnitentiæ. 217
Cap. 23. De partibus pœnitentiæ. — Cap. 24. De contritione. 218
Cap. 25. De confessione. 219
Cap. 26. De qualitate et effectu confessionis. — Cap. 27. Cui debeat fieri confessio. 220
Cap. 28. De sigillo confessionis. — Cap. 29. De satisfactione. — Cap. 30. De singulis partibus satisfactionis in communi. 221
Cap. 31. De singulis partibus satisfactionis. — Cap. 32. De justificatione impii. 222
Cap. 33. De pœnitentia venialium. 223
Cap. 34. Propter quid dimittatur peccatum veniale. 224
Cap. 35. De extrema unctione. — Cap. 36. De sacramento ordinis. 225
Cap. 37. De qualitate ordinandorum. 226
Cap. 38. De sacramento matrimonii. 227
Lib. VII. De ultimis temporibus.— Cap. 1. De fine mundi.— Cap. 2. De purgatorio. 229
Cap. 3. De acerbitate pœnæ purgatorii.— Cap. 4. De suffragiis Ecclesiæ. 230
Cap. 5. Quorum suffragia prosint, et quibus. — Cap. 6. Utrum indulgentiæ prosint defunctis. 231
Cap. 7. De adventu Antichristi.— Cap. 8. De vita Antichristi.— Cap. 9. De quatuor modis quibus decipiet. 232
Cap. 10. De sequentibus Antichristum. 233
Cap. 11. De Gog et Magog. — Cap. 12. De Elia et Enoch.— Cap. 13. De duratione hujus persecutionis.— Cap. 14. De morte Antichristi. 234
Cap. 15. De conflagratione mundi. — Cap. 16. De resurrectione generali. 235
Cap. 17. De judicio extremo. — Cap. 18. De judicantibus. 236
Cap. 19. De judicandis.— Cap. 20. De innovatione mundi. 237
Cap. 21. De pœnis inferni. 238
Cap. 22. De diversitate pœnarum. 239
Cap. 23. De gloria sanctorum.— Cap. 24. De dotibus in communi. 240
Cap. 25. De dotibus animæ in generali. — Cap. 26. De dotibus animæ in speciali. 241
Cap. 27. De dotibus corporis in generali. 242
Cap. 28. De dotibus corporis in speciali. 243
Cap. 29. De aureolis in genere. 244
Cap. 30. De aureolis in specie. 245
Cap. 31. Enumeratio cœlestium gaudiorum. 246
DIÆTA SALUTIS. Argumentum (ex edit. Vatic.). 247
Prooemium. 248
Tit. I. De peccatis. — Cap. 1. De peccato in communi. 249
Cap. 2. De peccato in speciali. 250
Cap. 3. De superbia. 251
Cap. 4. De invidia. 252
Cap. 5. De ira. 254
Cap. 6. De avaritia. 255
Cap. 7. De acedia. 257
Cap. 8. De gula. 259
Cap. 9. De luxuria. 260
Tit. II. De pœnitentia, et ejus partibus.— Cap. 1. De pœnitentia in genere. 263
Cap. 2. De contritione. 265
Cap. 3. De confessione. 266
Cap. 4. De satisfactione. 267
Cap. 5. De oratione. 268
Cap. 6. De jejunio. 270
Cap. 7. De eleemosyna. 272
Tit. III. De præceptis divinis.— Cap. 1. De præceptis in communi. 275
Cap. 2. De præceptis primæ tabulæ. 276
Cap. 3. De præceptis secundæ tabulæ, et primo de honore parentum. 278
Cap. 4. De non lædendo proximo, vel occidendo. — Cap. 5. De prohibitione concubitus illiciti. 279
Cap. 6. De prohibitione furtis.— Cap. 7. De non dicendo falsa testimonio, et de peccatis linguæ. 280
Cap. 8. De prohibitione concupiscentiæ. 281
Cap. 9. De præceptorum editione ac promulgatione. — Cap. 10. Quod transgressores præceptorum, instar Pharaonis, decem mulctantur. 282
Tit. IV. De consiliis evangelicis. Cap. 1. De religione. 283
Cap. 2. De obedientia. 285
Cap. 3. De paupertate. 287
Cap. 4. De castitate. 288
Tit. V. De virtutibus theologicis et cardinalibus. Cap. 1. De virtute in communi. 290
Cap. 2. De charitate. 293
Cap. 3. De fide. 296
Cap. 4. De spe. 299
Cap. 5. De prudentia. 300
Cap. 6. De temperantia. 301
Cap. 7. De fortitudine. 302
Cap. 8. De justitia. 303
Tit. VI. De septem donis Spiritus sancti. Cap. 1. De dono timoris. 304
Cap. 2. De dono consilii. 308
Cap. 3. De dono intellectus. 309
Cap. 4. De dono sapientiæ. 310
Tit. VII. De beatitudinibus evangelicis. Cap. 1. De humilitate. 311
Cap. 2. De mansuetudine, vel mititate. 317
Cap. 3. De fletu. 318
Cap. 4. De misericordia. 320
Cap. 5. De munditia cordis. 322
Cap. 6. De pace. 323
Cap. 7. De patientia. 325
Tit. VIII. De duodecim fructibus spiritus. Cap. 1. De gaudio spirituali. 326
Cap. 2. De longanimitate. 328
Cap. 3. De benignitate. 329
Cap. 4. De mansuetudine. — Cap. 5. De fide. 330
Cap. 6. De modestia. — Cap. 7. De continentia. — Cap. 8. De castitate. 331
Tit. IX. De generali judicio. Caput unicum. De his, quæ ante ipsum, et in ipso judicio agentur. 331
Tit. X. De pœnis inferni, atque gloria paradisi. 333
Cap. 1. De pœnis inferni. 335
Cap. 2. De gloria paradisi.
Cap. 3. De duodecim fructibus crucis, et passionis Christi Domini. 336
Cap. 4. De duodecim fructibus gloriæ immortalis. — Cap. 5. De amœnitate et pulcherrima structura supernæ civitatis Hierusalem. 337
Cap. 6. De jucundissima societate, et tripudio cœlestis civitatis Hierusalem. 342
APPENDIX DIÆTÆ SALUTIS, quæ applicationem materiarum ipsius Diætæ continet ad usum Concionatorum in diebus dominicis et festivitatibus per annum. 347

Digitized by Google

CONFESSIONALE. Argumentum ex editione Vaticana. — Præfatio. 359
Caput 1. Qualiter sacerdos confessor habere se debeat in confessione. Partic. 1. De loco confessionis.— 2. Qualiter sacerdos cavere debeat ab illicita delectatione.— 3. Quod confessor non respiciat faciem pœnitentis.— 4. Quod confessor peccata pœnitentium non abhorreat. 360
Partic. 5. Qualiter sacerdos alloqui debeat pœnitentem. — 6. Quod confessor in judicio pœnitentiæ personam non accipiat. 361
Cap. 2. De interrogationibus faciendis in confessione. Partic. 1. Qualiter interrogationes sint faciendæ in generali. 361
Partic. 2. Qualiter et de quibus interrogandum sit, et primo de superbia. — 3. De invidia. 362
Partic. 4. De ira.— 5. De acedia.— 6. De avaritia. —7 De gula.— 8. De luxuria.— 9. De primo præcepto Decalogi, de symbolis et articulis fidei. 363
Partic. 10. De secundo præcepto.— 11. De tertio præcepto. — 12. De quarto præcepto. — 13. De quinto præcepto. 364
Partic. 14. De sexto præcepto.— 15. De septimo. —16. De octavo.— 17. De nono.— 18. De decimo præcepto.— 19. De novem modis currendi cum fure.— 20. De circumstantiis. 365
Cap. 3. De pœnitentiis imponendis secundum canones pœnitentiales. Partic. 1. Quod pœnitentiæ sunt arbitrariæ, et utrum sacerdos teneatur scire canones pœnitentiales. 366
Partic. 2. De pœnitentia presbyteri fornicantis. — 3. De pœnitentia sacerdotis fornicantis cum filia spirituali. 367
Partic. 4. De pœnitentia ejus, qui peccavit contra naturam.— 5. De pœnit. sacerdotum clandestinas desponsationes non prohibentium, aut eisdem interesse præsumentium. — 6. De pœnit. ejus, qui post votum simplex contrahit.—7. De pœnit. sacerdotum in excommunicatione celebrantium. 368
Partic. 8. De pœnitentia ejus, qui accusat alium ad mortem.— 9. De pœnit. ejus, qui filiam suam spiritualem carnali filio tradit.— 10. De pœnit. ejus, qui contrahit cum sponsa alterius. — 11. De pœnit. patris et filii, vel duorum fratrum cum una muliere concumbentium, etc. — 12. De pœnit. sacerdotis homicidæ. — 13. De pœnit. mulieris, quæ occidit ancillam, etc.— 14. De pœnit. pro homicidio necessitatis evitabilis, etc. 369
Partic. 15. De pœnitentia matricidæ. — 16. De pœnit. uxoricidæ. 370
Partic. 17. De pœnitentia eorum, qui occidunt filios. 371
Partic. 18. De pœnitentia perjuri. — 19. De pœnit. ejus, qui per capillum Dei juraverit, vel hujusmodi. — 20. De pœnit. pro falsa mensura. — 21. De pœnit. ejus, qui post solemnem pœnitentiam ad vomitum redit.— 22. De pœnit. ejus, qui devotam seu monialem cognoscit. 372
Partic. 23. De pœnitentia ejus, qui cantat missam et non communicat.— 24. De pœnit. sacerdotis, qui mortuum clericum involvit in palla altaris.— 25. De pœnit. ejus, qui committit sacrilegium violando ecclesiam, vel aliquid enormiter committendo in ecclesia. 373
Partic. 26. De pœnitentia parentum, qui frangunt sponsalia filiorum post septem annos. — 27. De pœnit. ejus, qui ducit in matrimonium quam polluit per adulterium.— 28. De pœnit. maletici. — 29. De pœnit. sacerdotis revelantis confessionem. — 30. De pœnit. ejus, qui compulsus conditionaliter perjurat.— 31. De pœnit. ejus, qui perjurat in manibus episcopi, vel in cruce sacrata.— 32. De pœnit. ejus, qui coactus perjurat pro vita redimenda. 374
Partic. 33. De pœnit. ejus, qui scienter falsum jurat, etc.— 34. De pœnit. ejus, qui in dicendis horis vel officiis divinis a metropolitanæ consuetudine discrepat ecclesiæ. — 35. De pœnit. episcopi qui correctionem de simoniaca venditione dissimulat.— 36. De pœnit. episcopi qui ordinat clericum invitum. — 37. De pœnit. sortilego rum. — 38. De pœnit. ejus qui videt in astrolabio. 375
Partic. 39. De pœnit. ejus qui per negligentiam aliquid de sanguine Domini distillaverit.— 40. De pœnit. ejus, qui sacrificium evomit. — 41. De pœnit. ejus, qui presbyterum interficit.— 42. De pœnit. beneficiati ab ecclesia, qui rectorem, vel clericum alium ipsius ecclesiæ interficit. —43. De pœnit. incendiariorum. 376
Partic. 44. De pœnitentia communicantis cum hæretico. — 45. De pœnit. ejus, qui cognoscit duas sorores, etc.— 46. De pœnit ejus, qui cum brutis coierit, etc. 377
Part. 47. De pœnitentia patroni, qui dilapidat res ecclesiæ. — 48. De pœnit. ejus, qui domum suam cum magicis et incantationibus lustrat. — 49. De pœnit. episcopi vel clerici magos vel aruspices consulentis. — 50. De pœnit. sacerdotis, cujus negligentia sacrificium a bruto comeditur. — 51. De pœnit. sacerdotis, qui incaute eucharistiam dimisit. 378
Partic. 52. De pœnit. jurantis non facere pacem cum proximo.— 53. De pœnit. scienter rebaptizati, et bis confirmati.— 54. De pœnit. raptoris. — 55. De pœnit. propter necessitatem famis furtum committentis. — 56. De pœnit. ejus, qui stupravit virginem. 379
Partic. 57. De pœnit. adulteri, etc.— 58. De pœnit. medicorum corporum, medicos animarum non vocantium.— 59. De pœnit. et pœna negligentium confessionem et communionem, et peccata in confessione detecta revelantium. 380
Cap. 4. De usu clavium. Partic. 1. De quatuor casibus, in quibus sacerdos non potest absolvere, et quod sex modis falsa pœnit. dicitur, et proprius sacerdos sex modis dicitur. 381
Partic. 2. Quibus sacerdos possit, vel non possit injungere pœnitentias utiles ad salutem, et de pœnitentia solemni. 382
Partic. 3. De quatuor regulis observandis in pœnitentiis injungendis. 383
Cap. 5. De irregularitatibus et dispensationibus, continens particulas 58, quas singulas vide. 385
DE SEPTEM ITINERIBUS ÆTERNITATIS. Argumentum ex editione Vaticana. — Prologus. 393
De intrinseco secreto, et æternali manerio in Christo. Dist. 1. Quid intrinsecum secretum in Christo dicatur. 394
Dist. 2. Qualiter in intrinseco Christi secreto variæ mansiones distinguantur. 395
Dist. 3. Secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur. 396
Dist. 4. Quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur. 397
Dist. 5. Qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur. 399
Dist. 6. Qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabiliatur, et perpetuetur. 400
Dist. 7. Quæ et quot sint itinera, per quæ ad illud intrinsecum pervenitur et intratur. 401
DE ITINERIBUS quibus ad illud intrinsecum secretum et æternale manerium in Christo acceditur. De primo itinere æternitatis, quod est æternorum recta intentio. 403
Dist. 1. Quæ sit necessitas istius itineris, et quare aliis itineribus præmittatur. — Dist. 2. Quid sit intentio, et a qua potentia animæ oriatur. 404
Dist. 3. Qualiter intentio nostra rectificetur, et ex hoc deiformis et æterna efficiatur. 405
Dist. 4. Per quæ signa, recta et simplex intentio cognoscatur. 406
Dist. 5. Qualiter per intentionem rectam et simplificatam spiritus humanus ad intrinsecum et æternale manerium Domini Jesu accedat, et ingrediatur. 407

Digitized by Google

Dist. 6. Qualiter spiritus ad veniendum per iter rectæ et simplicis intentionis ad æternum intrinsecum Domini Jesu dulciter ab eo invitetur. 408
De secundo itinere æternitatis, quod est æternorum studiosa meditatio. Dist. 1. Qualiter iter studiosæ meditationis iter rectæ intentionis sequatur, et de necessitate hujus itineris. 409
Dist. 2. Quid sit meditatio, et qualiter a cogitatione distinguatur.— Dist. 3. Qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum illuminet, et alloquatur. 410
Dist. 4. Qualiter spiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur. 412
Dist. 5. Qualiter allocutio divina a nostra meditatione distinguatur. 415
Dist. 6. Qualiter spiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini ingrediatur. 417
Dist. 7. Qualiter spiritus humanus, ad veniendum per iter meditationis ad æternitatem, a Jesu invitetur. 418
De tertio itinere æternitatis, quod est æternorum limpida contemplatio. Dist. 1. Quæ sit necessitas itineris contemplationis, et quare immediate sequatur iter meditationis. 419
Dist. 2. Quid sit contemplatio, et qualiter descriptio ejus intelligatur. 420
Dist. 3. Qualiter contemplatio differat a cogitatione, meditatione, speculatione, et ab intuitiva visione. 421
Dist. 4. Qualiter contemplatio secundum diversos gradus diversimode a multis dividatur. Artic. 1. De gradibus contemplationis secundum Vercellensem. 423
Art. 2. De gradibus contemplationis secundum Richardum. 426
Art. 3. De gradibus contemplationis secundum auctorem de Spiritu et Anima. 429
Art. 4. De gradibus contemplationis secundum Origenem. 531
Dist. 5. Quantam utilitatem spiritus in itinere vitæ contemplativæ experiatur. 432
Dist. 6. Qualiter per iter contemplationis spiritus æternum manerium Christi ingrediatur. 435
Dist. 7. Qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis ad secretum Jesu invitetur. 436
De quarto itinere æternitatis, quod est æternorum charitativa affectio. Dist. 1. Quare iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur. 437
Dist. 2. Quid sit charitativa affectio, et quomodo sit iter ad æterna, ut verius cognoscatur. 438
Dist. 3. Qualiter charitativa affectio a naturali affectione, vel acquisita dilectione distinguatur. 439
Dist. 4. Quibus signis et conjecturis charitativa affectio qualitercumque manifestetur. Artic. 1. De signis charitatis jam genitæ. 441
Art. 2. De signis charitatis jam roboratæ. 442
Art. 3. De signis extrinsecis charitatis jam perfectæ. 444
Art. 4. De signis intrinsecis charitatis perfectæ. 445
Dist. 5. Qualiter charitativa affectio a sanctis Doctoribus per gradus dividatur. Art. 1. De gradibus amoris gratuiti. 447
Art. 2. De gradibus amoris violenti. 448
Art. 3. De gradibus amoris seraphici. 452
Dist. 6. Qualiter spiritus noster per iter charitativæ affectionis æternum manerium ingrediatur. — Dist. 7. Qualiter spiritus noster, ad veniendum per iter charitativæ affectionis ad æterna, a Domino invitetur. 456
De quinto itinere æternitatis, quod est æternorum occulta revelatio. 457
Dist. 1. Qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis sequatur. — Dist. 2. Qualiter revelatio æternorum occulta dicatur, et qualiter distinguatur. 458
Dist. 3. Qualiter per sensibilem revelationem spiritus noster ad accessum æternorum alliciatur. 459
Dist. 4. Qualiter per intellectualem revelationem æternorum spiritus noster ad interna introducatur. 460
Dist. 5. Qualiter per superintellectualem revelationem æternorum spiritus noster æternitati uniatur. 461
Dist. 6. Qualiter superintellectualis revelatio æternorum a nobis acquiratur. 462
Dist. 7. Qualiter ad iter occultæ revelationis æternorum spiritus noster a Deo invitetur. 463
De sexto itinere æternitatis, quod est æternorum experimentalis prægustatio. Dist. 1. Quid dicatur experimentalis prægustatio æternorum, et qualiter alia itinera sequatur. 464
Dist. 2. Quarum potentiarum ista experimentalis notitia dicatur. — Dist. 3. Qualiter spirituales sensus potentiarum ab experimentali notitia impediantur. 465
Dist. 4. Qualiter interiores sensus spirituales reparentur vel reformentur. — Dist. 5. Qualiter per gustum interiorem spiritualem æterna prægustentur. 466
Dist. 6. Qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur. 468
Dist. 7. Qualiter spiritus noster, ad veniendum per iter experientiæ ad intrinsecum Domini, invitetur. 472
De septimo itinere æternitatis, quod est æternorum meritoria operatio. Dist. 1. Quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera subsequatur. 478
Dist. 2. Quare natura rationalis ad hoc facta sit, quod operetur, et æternum finem per hoc consequatur. — Dist. 3. Quare homo secundum duplicem naturam operari teneatur. 474
Dist. 4. Qualiter operatio utriusque naturæ, corporalis scilicet et spiritualis, deiformis efficiatur. 475
Dist. 5. Qualiter diversi gradus utriusque operationis, vel species, distinguantur. 476
Dist. 6. Qualiter spiritus per utramque vitam, scilicet activam et contemplativam, ad æterna ingrediatur. 478
Dist. 7. Qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis a Domino spiritus humanus invitetur. 479
BIBLIA PAUPERUM. Argumentum ex editione Vaticana. — Præfatio. 483
Index capitum alphabeticus. 484
Cap. 1. De miraculis divina potentia factis. 487
Cap. 2. De prudentia Dei, et occultis ejus judiciis. 491
Cap. 3. De benignitate Dei ad servos suos. 494
Cap. 4. De consolatione divina. 496
Cap. 5. De benedictione quam Deus dat.— Cap. 6. De maledictione qua Deus maledicit. 497
Cap. 7. De benedictione qua homo benedicit Deum. 498
Cap. 8. De benedictione qua homo benedicit homini. 499
Cap. 9. De maledictione qua homo maledicit. — Cap. 10. De severitate Dei erga delinquentes. 500
Cap. 11. De ira Dei, vel furore. 501
Cap. 12. Quod Deus plus attendit ad operantem, quam ad opus.— Cap. 13. Quod Deus interdum tentat hominem, sive probat. 503
Cap. 14. Quod homo non debet tentare Deum. — Cap. 15. De voto. 504
Cap. 16. De oratione. 505
Cap. 17. De lacrymis, sive fletu. 508
Cap. 18. De juramento, 511
Cap. 19. De sabbati observatione. 512
Cap. 20. De reverentia templo exhibenda. — Cap. 21. De adoratione et cultu Dei. 513
Cap. 22. De idololatria. — Cap. 23. De blasphemia contra Deum. 515

Digitized by Google

Cap. 24. De præceptis Dei, et observatione ipsorum. 516
Cap. 25. De obedientia. 517
Cap. 26. De Scriptura sacra. 518
Cap. 27. De exhortatione bona, et prædicatione verbi Dei. 519
Cap. 28. De consiliis et persuasionibus malis. 521
Cap. 29. De audiendo verbum Dei. 522
Cap. 30. De apparitionibus factis patribus antiquis. 524
Cap. 31. De angelis bonis. 526
Cap. 32. De spiritibus malis. 527
Cap. 33. De immortalitate rationalis animæ. 528
Cap. 34. De fide quam debet homo habere ad Deum. 529
Cap. 35. De fidelitate homini servanda. 530
Cap. 36. De contemplatione, et mentis illustratione. 531
Cap. 37. De spe et longanimitate. 533
Cap. 38. De timore Dei. 534
Cap. 39. De timore quo mali timent bonos. — Cap. 40. De dilectione Dei. 535
Cap. 41. De dilectione proximi. 536
Cap. 42. De invidia. 538
Cap. 43. De correctione fraterna. 539
Cap. 44. De compassione habenda ad proximum. 541
Cap. 45. De hospitalitate exhibenda libenter. 542
Cap. 46. De amicitia. 543
Cap. 47. De inimicitia et odio. 544
Cap. 48. De pace et concordia. 545
Cap. 49. De unitate et communi consensu. 546
Cap. 50. De discordia, lite vel rixa. 547
Cap. 51. De zelo bono contra peccatores. 548
Cap. 52. De zelo indiscreto. 549
Cap. 53. De prudentia et discretione. 550
Cap. 54. De astutia et calliditate mala. 553
Cap. 55. De eruditione filiorum. 554
Cap. 56. Quod bonis consiliis non acquiescere periculosum est. 555
Cap. 57. De suspicione falsa et credulitate. 556
Cap. 58. Quod sancti viri permittunt fieri aliqua non libenter.— Cap. 59. De justitia et æquitate. — Cap. 60. De judiciis hominum rectis, aut pravis. 557
Cap. 61. De pœnitentia. 559
Cap. 62. De honore parentum. 560
Cap. 63. De gratiis agendis pro beneficiis Dei. 561
Cap. 64. De gratitudine pro beneficiis ab homine acceptis. 562
Cap. 65. De ingratitudine. 563
Cap. 66. Quod veritas odium parit. 564
Cap. 67. De mendacio. 565
Cap. 68. De proditione. 566
Cap. 69. De adulatione. 567
Cap. 70. De derisione et conviciis. 568
Cap. 71. De detractoribus et maledicis. 569
Cap. 72. De liberalitate, misericordia et largitate. 570
Cap. 73. De avaritia. 572
Cap. 74. De paupertate. 574
Cap. 75. De hypocrisi et simulatione. 575
Cap. 76. De munerum acceptione. 576
Cap. 77. De fortitudine et strenuitate. 577
Cap. 78. De confidentia et magnanimitate. 578
Cap. 79. De patientia et mansuetudine, et de injuriis et tormentis. 580
Cap. 80. De constantia et perseverantia in propositis. 584
Cap. 81. De impatientia et murmure. 585
Cap. 82. De bello temporali, et victoria ut plurimum divinitus obtenta. 586
Cap. 83. De pusillanimitate. 588
Cap. 84. De fortitudine ad faciendum malum. — Cap. 85. De homicidio. 590
Cap. 86. De stragibus hominum diversis. 591
Cap. 87. De abstinentia et sobrietate. 592
Cap. 88. De gula et ebrietate. 594
Cap. 89. De matrimonio. 595
Cap. 90. De castitate. 596
Cap. 91. De luxuria et incontinentia. 597
Cap. 92. De incauto aspectu. — Cap. 93. De silentio et loquacitate. 598
Cap. 94. De affectu carnali. 599
Cap. 95. De ira hominis per zelum. — Cap. 96. De ira hominis per vitium. 600
Cap. 97. De humilitate. 601
Cap. 98. De superbia. 604
Cap. 99. De jactantia. 606
Cap. 100. De electionibus. 607
Cap. 101. De bonis principibus et Prælatis. 608
Cap. 102. De malis principibus et prælatis. 611
Cap. 103. De ambitiosis. 612
Cap. 104. De tentatione diaboli. 613
Cap. 105. De peccato in generali, et variis pœnis, quæ ex peccato sequuntur. 614
Cap. 106. De confessione peccati.— Cap. 107. De duritia et obstinatione malorum. 615
Cap. 108. De perversitate quorumdam. 616
Cap. 109. De nequitia tyrannorum. 617
Cap. 110. De oppressione bonorum per malos. 618
Cap. 111. De oppressione bonorum per malos, et de tribulationibus, et earum utilitatibus. 619
Cap. 112. De multitudine malorum. — Cap. 113. De bonis latentibus inter malos. 622
Cap. 114. De mobilitate populi. 623
Cap. 115. De operatione bona 625
Cap. 116. De intentione recta habenda in opere. — Cap. 117. De acedia, vel negligentia. 626
Cap. 118. De pueris bonæ indolis. — Cap. 119. De societate bonorum. 627
Cap. 120. De societate malorum. 628
Cap. 121. De prosperitate mundana. 630
Cap. 122. De curiositate humana. 631
Cap. 123. De magna fide mulierum. — Cap. 124. De sapientia mulierum. 632
Cap. 125. De pietate mulierum. 633
Cap. 126. De fortitudine mulierum. 634
Cap. 127. De aviditate mulierum. 635
Cap. 128. De mulierum fallaciis. — Cap. 129. De mulierum stultiloquio. 636
Cap. 130. De mulierum ornatu superfluo. — Caput 131. De morte in generali. 637
Cap. 132. De sepulturis. 638
Cap. 133. De horrenda morte malorum. 639
Cap. 134. De pretiosa more justorum. 641

FINIS INDICIS MATERIARUM TOMI OCTAVI.

VESONTIONE. — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

Digitized by Google

Digitized by Google

89041279159

b89041279159a

Digitized by Google







Digitized by Google

b89041279159
b89041279159a

Digitized by Google